BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 C
7

U 143
C. 5
S. U
O. 7
N. 12.

13 – 24. f. 39.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE PRIVILEGIIS RELIGIOSORUM OPUS POSTHUMUM

D. RUPERTI GRUEBER,

Canonici Regularis Lateranenſis, & Conſiſtorialis in Archi-Diaconali Canonia Garſenſi in Bavaria,

Sum̃ô ſtudiô elaboratum ex Conſtitutionibus Conciliorum, Conceſſionibus ſummorum Pontificum, Declarationibus Cardinalium, & Theologorum ac Canoniſtarum Teſtimoniis, omniúmque Ordinum Religioſorum, præſertim

CANONICORUM REGULARIUM LATERANENSIUM,
uſui accommodatum.

CUM ADDITIONIBUS

D. EUSEBII AMORT,

Canonici Regularis Lateranenſis Pollingæ, Eminentiſſimi Cardinalis LERCARI, nec non Sereniſſimi & Reverendiſſimi D.D. JOSEPHI Epiſcopi Auguſtani, S. R. I. Principis Darmſtadii, Landgravii Haſſiæ &c. Theologi.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VIND. & HERBIPOLI.
Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ.
ANNO M. D. CC. XLVII.

COL. S. BONAVENTURÆ
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REVERENDISSIMO

AC

ILLUSTRISSIMO

DOMINO, DOMINO

AUGUSTINO BESOZZI

Ex Nobiliſſima, Docta, ac Purpurata

BESOZZIORUM

MEDIOLANENSIUM PROSAPIA,

CANONICI ORDINIS

ORNAMENTO,

Romæ in Eccleſia PACIS

ABBATI LATERANENSI PERPETUO,

HOC

OPUS POSTHUMUM

Socii Studiorum meorum quondam ſuaviſſimi, curis meis ſecundis creditum, in pignus amoris & obſervantiæ perennis,

DEPONIT, COMMENDAT, CONSECRAT

EUSEBIUS AMORT,

C. R. L. P.

KAL. JANUARII, M. D. CC. XLVII.

APPROBATIO CENSORIS.

NOn immeritò *Clemens V.* tit. *de exceſſibus Pralat.* c. un. providet, ut ſua Regularibus privilegia illibata maneant. *Univerſis*, inquit, *Prælatis Eccleſiarum diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus viros Religioſos charitativè tractent, & foveant, & ſua jura & Privilegia inviolabiliter eis ſervent.* Si enim Privilegium militare ab Imperatore ſanctum munitur militi, quantò æquius erit, ea præmuniri Religioſis Ordinibus, qui, ut *D. Chryſoſtomus Hom. 57. ad populum Antioch.* obſervat, *tanquam ſpiritualia caſtra*, armaturâ fortium quotidie adverſus Principes tenebrarum pro Eccleſia Dei, pro aris, pro communi omnium ſalute decertant. Et quamvis diverſorum Ordinum, partim *in prælia exeuntium*, partim *ad ſarcinas remanentium*, diſpar videatur conditio; æquum tamen eſt, quod *Sixtus IV.* in Bulla: *Dum ad univerſos*, ſublimiori ſapientiâ judicat, *ut quos* felici æmulatione ſanctitatis *par* meritorum & virtutum *labor conjungit*, communione bonorum *paria quoque Privilegia conjungant.* His proin, cùm in præſenti Opere, quod inſcri-

bitur: *De Privilegiis Religioſorum, præſertim Canonicorum Regularium Lateranenſium &c. Authore A. R. & Clariſſ. Ruperto Grueber*, per adjectas, pauculas quidem ſed ſolidas, *P. R. & Clariſſ. Theologi Euſebii Amort Notas*, juſtos recipiant limites, non lucis ſolùm publicæ veniam, ſed & litteras *Commeatûs liberi* præſentibûs ſcribo; quin tamen per hoc authoritatem aut vigorem impertiri velim iis, quæ vel à ſuprema poteſtate revocata, vel de præſenti in uſu non ſunt. Aug. Vind. 29. Decembris 1746.

Imprimatur.

NICOLAUS ANTONIUS SEIZ,
J. U. D. Sanctiſſ. Domini noſtri Prælatus Domeſticus, Eccl. Cath. Aug. & Inſig. Colleg. in Haugis Herbipoli Can. Rev. & Sereniſſ. S. R. I. Princ. Ep. Aug. Vic. in Spirit. Generalis &c.

FRANC. JOSEPHUS de HANDL,
SS. Th. Licent. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Ep. Aug. Conſil. Eccl. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſor, nec non Inſig. Eccl. ad S. Maur. Can. & Parochus mpp.

ELEN-

ELENCHUS
Tractatuum, Diſputationum, & Sectionum hujus Operis.

Tractatus Primus.
De Natura, & Requiſitis: De Comunicatione, Confirmatione, Extenſione, Interpretatione, & Uſu: ac de Revocatione, & Amiſſione Privilegiorum. *pag.* 1.
Diſputatio Prima.
De Natura, Varietate, Clauſulis, & Cauſa effectiva Privilegiorum, ac de variis illa acquirendi modis. 3.
Sectio I. De Natura Privilegii, ejúſque Requiſitis. 3.
Sectio II. De Varietate Privilegiorum. 9.
Sectio III. De Clauſulis Privilegiorum. 13.
Sectio IV. De iis, qui Privilegia concedere poſſunt. 27.
Sectio V. De Modis acquirendi Privilegia. 34.
Diſputatio Secunda.
De Comunicatione Privilegiorum, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum cæteris Ordinibus Religioſis. 41.
Sectio I. De Privilegiorum Communicatione, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum aliis Canonicorum Regularium Congregationibus, & Ordinibus. 41.
Sectio II. De Privilegiorum Communicatione, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum Ordinibus, & Congregationibus Monaſticis. 48.
Sectio III. De Privilegiorum Comunicatione, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum Ordinibus Mendicantibus. 61.
Sectio IV. De Comunicatione Privilegiorum, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum Ordinibus Clericorum Regularium. 74.
Sectio V. Quænam veniant ſub Generali Communicatione Privilegiorum? 95.
Diſputatio Tertia.
De Confirmatione, Extenſione, Interpretatione, & Uſu Privilegiorum. 102.
Sectio I. De Confirmatione Privilegiorum Regularibus, præſertim Canonicis facta. 103.
Sectio II. De Extenſione Privilegiorum. 120.
Sectio III. De Interpretatione Privilegiorum. 133.
Sectio IV. De Uſu Privilegiorum. 150.

Digitized by Google

ELENCHUS.

Diſputatio Quarta.

De Revocatione Privilegiorum. 160.

Sectio I. Quibus modis revocari poſſint Privilegia? 161.

Sectio II. Quænam Privilegia revocari poſſint? 166.

Sectio III. An, & à quibus revocari poſſint Privilegia Regularibus conceſſa? 173.

Sectio IV. An & quænam Privilegia Regularium fuerint revocata à Concilio Lateranenſi, & Tridentino? 195.

Sectio V. An, & quænam vivæ vocis Oraculo fuerint revocata? 215.

Diſputatio Quinta.

De Amiſſione, & Ceſſatione Privilegiorum. 248.

Sectio I. An, & quomodo amittantur, & ceſſent Privilegia lapſu temporis, interitu ſubjecti, & morte concedentis? 249.

Sectio II. An, & quænam Privilegia amittantur, & ceſſent ceſſante cauſa, ob quam conceſſa ſunt? 258.

Sectio III. An & qualiter Privilegia amittantur per Renuntiationem? 263.

Sectio IV. An, & qualiter amittantur Privilegia per non uſum, vel uſum contrarium, aut abuſum? 271.

Tractatus Secundus.

De Privilegiis Prælatorum Regularium Ordinis Epiſcopalis. 288.

Diſputatio Prima.

De poteſtate Prælatorum, præſertim Canonicorum deferendi habitum Epiſcopalem, utendi Pontificalibus, & ſolemnem populo dandi Benedictionem, eique indulgentias elargiendi. 291.

Sectio I. De poteſtate Prælatorum, præſertim Canonicorum Regularium deferendi habitum Epiſcopalem. 292.

Sectio II. De poteſtate Prælatorum utendi Pontificalibus inſigniis. 320.

Sectio III. De poteſtate Prælatorum concedendi populo ſolemnem Benedictionem, & elargiendi indulgentias. 338.

Diſputatio Secunda.

De poteſtate Prælatorum conferendi Minores, atque etiam Majores Ordines, aut ſuos ad quemcunque mittendi Epiſcopum Ordinandos, ac diſpenſandi in temporibus Ordinationum, & in ætate per Tridentinum requiſita. 352.

Sectio I. De poteſtate Prælatorum conferendi primam Tonſuram, ac Ordines Minores. 353.

Sectio II. De poteſtate Prælatorum conferendi Minores Ordines ſuis non ſubditis. 369.

Sectio III. De poteſtate Prælatorum quoad Ordines Majores. 393.

Sectio IV. De poteſtate Prælatorum diſpenſandi cum ſuis ſubditis, ut extra ſtatuta Ordinationum tempora, & ante ætatem à Tridentino requiſitam ordinari poſſint. 409.

Diſputatio Tertia.

De poteſtate Prælatorum res ſacras benedicendi, conſecrandi, con-

ſer-

firmandi, & ſacrum Chriſma conficiendi. 430.

Sectio I. De poteſtate Prælatorum benedicendi res ſacras, lapidem fundamentalem, Oratoria, & Eccleſias, eáſque pollutas reconciliandi. 431.

Sectio II. De poteſtate Prælatorum conſecrandi Calices, Campanas, & Altaria. 462.

Sectio III. De poteſtate Prælatorum conſecrandi Eccleſias, conferendi Sacramentum Confirmationis, & conficiendi ſacrum Chriſma. 483.

Tractatus Tertius.

De poteſtate, ac Juriſdictione quaſi Epiſcopali Prælatorum in Religioſos ſibi ſubditos. 506.

Diſputatio Prima.

De poteſtate, ac Juriſdictione Prælatorum, tum reſervandi ſibi Caſus, tum ab his, & à Caſibus, ac Cenſuris S. Pontifici, tam intra, quàm extra Bullam Cœnæ reſervatis, atque etiam ab hæreſi abſolvendi. 508.

Sectio I. De poteſtate, & Juriſdictione Prælatorum, quam habent in Religioſos ſibi ſubditos. 508.

Sectio II. De poteſtate Prælatorum reſervandi Caſus, & ab illis abſolvendi. 516.

Sectio III. De poteſtate Prælatorum abſolvendi à Caſibus, & cenſuris S. Pontifici reſervatis extra Bullam Cœnæ. 540.

Sectio IV. De poteſtate Prælatorum Regularium abſolvendi à Caſibus S. Pontifici in Bulla Cœnæ reſervatis, hæreſi excepta. 562.

Sectio V. De poteſtate Prælatorum abſolvendi ſubditos ſibi Religioſos ab hæreſi. 599.

Diſputatio Secunda.

De poteſtate Prælatorum diſpenſandi cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitatibus, aliiſque pœnis Canonicis. 613.

Sectio I. De Irregularitate in Communi, & Cauſis ab ea excuſantibus, ac de diſpenſatione ad eam tollendam requiſita. 614.

Sectio II. De poteſtate Prælatorum diſpenſandi cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitatibus ex defectu provenientibus. 630.

Sectio III. De poteſtate Prælatorum diſpenſandi cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitatibus ex delicto provenientibus. 652.

Sectio IV. De poteſtate Prælatorum diſpenſandi in irregularitate ex infamia proveniente. 676.

Diſputatio Tertia.

De poteſtate Prælatorum irritandi, commutandi, ac diſpenſandi in votis ſuorum Religioſorum, in Horis Canonicis recitandis, aliiſque, legibus tum Eccleſiaſticis, tum Regularibus. 687.

Sectio I. De poteſtate Prælatorum irritandi ſuorum vota Religioſorum. 688.

Sectio II. De poteſtate Prælatorum diſpenſandi, ac commutandi ſuorum vota Religioſorum. 702.

Sectio III. De poteſtate Prælatorum diſpenſandi in Horis Canonicis recitandis. 715.

Tra-

Digitized by Google

Tractatus Quartus.

De Privilegiis Canonicorum, aliorúmque Regularium tum ad abſolvendum, tum ad diſpenſandum tam Regulares, quàm ſæculares. 732.

Diſputatio Prima.

De poteſtate Canonicorũ, aliorúmque Regularium in ordine ad confitendũ, & abſolvendum. 733.

Sectio I. De poteſtate Prælatorum audiendi ſuorum Confeſſiones Regularium, & utendi ſcientiâ ex Confeſſione acquiſita ad externam gubernationem. 733.

Sectio II. De poteſtate Regularium, præſertim Canonicorum, eligendi Confeſſarium. 743.

Sectio III. De neceſſitate deputandi in quovis Monaſterio Confeſſarios. 772.

Sectio IV. De poteſtate abſolvendi à Caſibus Prælato reſervatis. 784.

Sectio V. De poteſtate Confeſſarii ad audiendas Regularium Confeſſiones deputati abſolvendi à Caſibus S. Pontifici reſervatis. 797.

Sectio VI. De poteſtate Canonicorum Regularium eligendi ſibi Confeſſarium, qui eos abſolvat plenariè ſemel in vita, & in articulo mortis ab omnibus omnino peccatis, & cenſuris nullo excepto. 809.

Diſputatio Secunda.

De poteſtate Canonicorum, aliorúmque Regularium audiendi ſæcularium Confeſſiones, eósque abſolvendi à Caſibus tum Epiſcopo, tum S. Pontifici reſervatis. 815.

Sectio I. De poteſtate Canonicorum Regularium audiendi perſonarum ſæcularium Confeſſiones. 817.

Sectio II. De approbatione requiſita ad audiendas ſæcularium Confeſſiones. 827.

Sectio III. De poteſtate Canonicorum Regularium abſolvendi ſæculares à Caſibus Epiſcopo ſpecialiter reſervatis. 847.

Sectio IV. De poteſtate Canonicorum, aliorúmque Regularium abſolvendi ſæculares à Caſibus S. Pontifici reſervatis. 860.

Diſputatio Tertia.

De poteſtate Canonicorum, aliorúmque Regularium diſpenſandi cum ſæcularibus in Irregularitatibus, in Votis, Juramentis, & Impedimentis Matrimonii. 876.

Sectio I. De poteſtate Canonicorum Regularium diſpenſandi cum ſæcularibus in irregularitatibus, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis. 877.

Sectio II. De poteſtate Canonicorũ, aliorúmque Regularium commutandi vota ſæcularium. 893.

Sectio III. De poteſtate Canonicorum, aliorúmque Regularium diſpenſandi in votis ſæcularium. 908.

Sectio IV. De poteſtate Canonicorum Regularium diſpenſandi cum ſæcularibus in Juramentis. 937.

Sectio V. De poteſtate Canonicorum aliorúmque Regularium diſpenſandi in impedimento petendi debitum, aliiſque Matrimonii Impedimentis. 944.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS I.

De

Natura & Requiſitis: de Communicatione, Confirmatione, Extenſione, Interpretatione & Uſu; ac de Revocatione & amiſſione Privilegiorum.

VAſtiſſimum pelagus infinitis propemodum ſyrtibus plenum ingredi mihi videor, dum acturus de privilegiis Regularium innumeris me nexibus ac difficultatibus implico, quibus immenſùm abundat hæc materia. Ut enim turbidum mare perpetuis fermè tempeſtatibus æſtuat ac procellis, ita res hæc diverſiſſimis iiſque tam contrariis quàm contradictoriis obnubilata ſententiis virorum doctorum tum Theologorum tum Juris Conſultorum ingenia mirum in modum detorquet, dum hi ampliſſimis privilegiorum conceſſionibus tum vetuſtis tum recentioribus ſuffulti ſic ea dilatant, ut per illa ſibi putent omnia licere: Quidam econtra ac velut adverſo marte variis freti revocationibus, ac factis limitationibus adeò illa conſtringunt, ut maria magna SS. Ordinum in parvulum fontem converſa non vereantur aſſerere. Alii verò hos inter medii, iique moderatiores, nec omnia credunt eſſe revocata, nec tamen omnia ſibi licere putant, ſed etſi admittant aliqua fuiſſe limitata aut etiam revocata, plura tamen etiamnum permanere intacta, ac in ſuo vigore perſiſtere exiſtimant. Hos inter quos ſequar, quóſve amplectar, anceps hæreo, neque primos approbare, neque alteros reprobare ſat tutum puto, ſed nec ultimis accedere præſumo, non neſcius, quàm temerarium ſit ac periculoſum ſeſe Doctorum inter ſe diſſidentium controverſiis ac diſceptationibus immiſcere, ubi unius partis offenſam & indignationem neceſſe eſt incurrere,

Verùm ut hærentibus inter ambages viarum ea videtur tutiſſima, quæ media inter cæteras ducit ad terminum, nec ad ſiniſtram declinat nec ad dexteram, ita & illa mihi videtur tutiſſima, quæ inter laxiorem & ſtrictiorem media nec ab illa ſe patitur ſeduci, nec ab iſta conſtringi, ſed quæ has inter SS. Pontificum Conſtitutionibus, SS. Canonum ac Conciliorum Decretis, & Eminentiſſimorum Cardinalium Deciſionibus ac Declarationibus propiùs accedit, ſimúlque Doctorum fulcitur auctoritate, ac rationi conformior eſt, eam mihi tanquam viam regiam ſequi conſtitutum eſt, utpote in qua minus eſt errandi, minus offendendi periculum. Cùm autem facilior ſit ea methodus, in qua fit deſcenſus à genere ad ſpeciem, & ab univerſali ad particulare ſeu ſingulare, hinc de privilegiis Regularium in univerſali & particulari tractaturi vel ideo hunc ordinem Analyticum nobis præfiximus, quòd hac in materia vix poſſint cognoſci privilegia in particulari ſine prævia eorundem notitia in genere, à quorum utpote cognitione dependet illorum tractatio. Unde ante omnia de privilegiis in genere agendum putavimus, ut ea faciliùs intelligantur in ſpecie, ac intellectus veluti manuducatur ad ea meliùs percipienda, & ex univerſali ſatis percepto faciliùs deſcendat ad particularia minùs cognita ritè cognoſcenda, ut enim ædificium difficiliùs movetur, quod ſolido innixum ſtat fundamento, ita faciliùs etiam cætera in ſpecie privilegia conſtituuntur, quæ ſolido privilegiorum in genere fundamento nituntur. A præſenti igitur Tractatu initium facturi, eundem in quinque Diſputationes dividemus, ex quibus prima erit de natura, varietate, clauſulis & cauſa effectiva privilegiorum, ac de variis illa acquirendi modis. 2da. De communicatione privilegiorum, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis cum aliis Canonicorum Regularium Ordinibus & Congregationibus, & aliis quibuscunque Religionibus. 3tia. De confirmatione, extenſione, interpretatione, & uſu privilegiorum. 4ta. De revocatione privilegiorum. 5ta denique: De amiſſione & ceſſatione privilegiorum, de quibus omnibus hìc acturi principium ducimus à primo, unde ſit

(o)

Diſpu-

DISPUTATIO I.

De natura, varietate, clauſulis & cauſa effectiva privilegiorum, ac de variis illa acquirendi modis.

IN hac Diſputatione quinque nobis puncta diſcutienda ſunt, quæ totidem Sectionibus abſolvemus, quarum prima erit de natura & requiſitis privilegii. 2da. De varietate privilegiorum. 3tia. De variis eorumdem clauſulis. 4ta. De his qui privilegia concedere poſſunt. 5ta. De variis privilegia acquirendi modis.

Sectio I.

De natura privilegii, ejúsque requiſitis.

1 QUamvis privilegii nomen nonnunquam accipi ſoleat pro reſcripto ſeu inſtrumento, in quo gratia vel beneficium Principis continetur, uti fit *in cap. cùm dilecta. 4. de Confirm. util. & inutil.* & *cap. ex parte 13. de privileg.* communiùs tamen & magis propriè ac proùt huc pertinet, accipitur pro ipſo Jure, beneficio ac gratia Principis, atque in hoc ſenſu diverſa in utroque Jure obtinet nomina. Sic enim dicitur Jus ſingulare. *L. 16. ff. de LL.* quandoque vocatur indulgentia. *cap. Dudum 31. de privileg.* ſubinde exceptio. *L. ex præſtatione 7. C. de vectigal.* item conceſſio. *L. 1. in pr. ff. de teſtam. milit.* ac conſtitutio perſonalis. §. 6. *Inſtit. de J. N. G. & C.* dicitur quoque ſpecialis largitas ac prærogativa. *L. fin. C. de fruct. & lit. expenſ.* ſimiliter lex propria. *L. municipalem 21. § fin. ff. ad municip.* ac tandem etiam lex privata. *Can. 3. diſt. 3.* & apud S. Iſidorum *L. 5. cap. 18. Etymolog.* & S. Thomam *1. 2. Q. 69. art. 1. ad 1.* & *cap. Abbate. 25. de V. S.* expreſsè dicitur, privilegium eſſe legem privatam. Ad quorum proinde mentem

Privilegium rectè definitur, *quòd ſit lex privata contra vel præter Jus concedens ſpeciale aliquod beneficium aut favorem.* Dicitur 1. *Lex* non quidem reſpectu illius, cui datum eſt privilegium, cùm nemo teneatur uti privilegio, ſed reſpectu aliorum, ne ſcilicet privilegiarium impediant ab uſu privilegii ſibi conceſſi; per hoc enim, quòd alicui detur ſpecialis facultas aliquid faciendi vel omitten- 2

di, eo ipſo præcipitur aliis implicitè & velut ex natura rei, ut in hoc illum non impediant. Hoc ipſo autem, quòd dicatur lex, innuitur quòd eſſe debeat honeſta & rationabilis, ac de tali materia, cujus uſus ſaltem ſuppoſito privilegio licitus eſt. Et hinc non valet privilegium contra Jus divinum vel naturale conceſſum. *Can. Lege 1. diſt 10.* quidquid enim bonis moribus adverſatur, invalidum eſt, etſi pactum juratum acceſſerit. *L. non dubium. 5. C. de LL.* Neque valet datum in magnum Reipublicæ damnum, aut contra manifeſtam ejuſdem utilitatem. *L. jubemus 16 de SS. Eccleſ.* quia poteſtas elargiendi privilegia conceſſa eſt non in deſtructionem, ſed in conſervationem Reipublicæ. Neque etiam valent data in grave damnum tertii, cùm Princeps etiam privatorum jura teneatur conſervare, nec ea poſſit ſine gravi ac publica cauſa lædere vel aufferre. Dicitur 2dò. *Lex privata*, ad differentiam legis publicæ ac univerſalis; hæc enim reſpicit & fertur ob bonum totius communitatis: illa verò reſpicit & fertur ob bonum privatum privilegiati v. g. certæ alicujus perſonæ, particularis alicujus Collegii, Religionis, Monaſterii, Eccleſiæ, Civitatis &c. quæ hic conſiderantur tantùm ùt pars communitatis ſuperioris. Dicitur 3tiò. *contra vel præter Jus aliquid concedens*; quia omne privilegium vel eſt contra Jus, quando nempe favorem aliquem concedit Juri contrarium, ùt exemptionem à ſolvendis Decimis: vel præter Jus, ſeu ut alii loquuntur, ultra Jus, quando concedit favorem aliquem in Jure quidem non expreſſum aut prohibitum, attamen non niſi certis permiſſum perſonis. Dicitur 4tò. *ſpeciale aliquod beneficium aut favorem concedens*, ſcilicet aliquid agendi vel omittendi, aut percipiendi, quod in ejus redundat bonum ac commodum, cui conceditur privilegium. Ex hiſce verò varia oriuntur dubia, quorum reſolutio ad majorem dicendorum elucidationem maximè ſervit. Et 1mò quidem: An ſit de ratione privilegii, ut concedat aliquid ſpeciale? 2dò. An ad valorem ejuſdem requiratur ſcriptura? 3tiò. An etiam illius promulgatio ac notitia? 4tò denique: An acceptatio. Ad quæ

3 Dico 1mò. *De ratione privilegii eſt, ut ſemper concedat aliquid ſpeciale, quod Jure communi conceſſum non erat.* Ita poſt Navarrum *Conſil. 5. de ſtatu Monach. n. 5.* Authores communiter, ſumitúrque ex *Can 16. § ſi ergò. V. neque enim. Cauſ. 25. Q. 1.* ubi expreſsè dicitur: neque enim privilegia aliquibus concederentur, ſi præter generalem legem nulli aliquid ſpeciale indulgeretur. Idem dicitur *cap. Abbate. 25. de V. S.* cùm privilegium ſit lex privata, nec eſſet privata, niſi aliquid ſpecialiter indulgeret. Idipſum ſupponitur *cap. in his. 30. de privil.* quibus concordat Jus ci-

Digitized by Google

civile. *L. nemo 1. C. de theſaur.* ubi ſuperfluum dicitur, hoc precibus poſtulare, quod jam lege permiſſum eſt. Et ratio eſt: quia niſi privilegium aliquid ſpeciale concedat, inutile planè foret ac fruſtraneum: ergò ut tale non ſit, debet aliquid ſpeciale concedere, ut etiam advertit Innocentius III. *in c. 30. de privil.* & certè intelligi non poteſt, quomodo privilegium, cùm ſit lex privata ob bonum privatum privilegiati conceſſa, nihil omninò ſpeciale conferre debeat, cùm tamen per hoc maximè differat à lege univerſali, quæ nihil ſpeciale confert. Opponunt quidem aliqui cum Hoſtienſi *cap. quia in cauſis 7. de Procurat.* ubi S. Pontifex ſcholaribus Pariſienſ. dat facultatem conſtituendi Procuratorem, cùm tamen id Jure communi permiſſum ſit, ut ex hoc ipſo cap. conſtat, atque etiam *ex cap. un. de ſynd.* ſic etiam *cap. etſi Chriſtus 26. de jurejur.* concedit Innocentius III. Monachis Caſtellionis facultatem præſtandi juramentum ſuppletorium in cauſis propriis, deficientibus aliis teſtibus, cùm tamen hæc facultas ipſis competat Jure tam humano, quàm divino & naturali. Verùm quisquis hos textus penitiùs inſpexerit, deprehendet ibi ſpeciale quidpiam concedi; licèt enim utrumque quod hisce textibus conceditur, aliàs de Jure communi licitum fuerit, Francis tamen per proprias leges prohibitum fuerat, experiri in judicio ſine reſcripto Principis: Monachis verò S. Benedicti propria interdicebat Regula quoquo modo jurare. Dum ergò ſcholaribus Pariſienſ. conceſſum fuit conſtituere Procuratorem in judicio, & prædictis Monachis deponere juramentum ſuppletorium, conceſſum fuit utrisque aliquid, quod illis priùs non licuerat. Ita Suarez. *L. 8. de LL. c. 1. n. 7.* Gonzalez. *in cap. etſi Chriſtus cit. n. 2.* König *tit. de privil. n. 18.* & poſt ipſos Schmalzgrueber *eodem n. 10.* Quòdſi verò aliæ Conſtitutiones ſint, quæ ſpeciale nihil concedunt, pro veris ac propriè dictis privilegiis haberi non debent, ſed potiùs pro declarationibus Juris divini ac naturalis. Atque hinc ſi cuipiam à Principe vel S. Pontifice privilegium concedatur, ſemper ita explicandum ac interpretandum eſt, ut aliquid ſpeciale concedat *arg. cap. 30. de privil.* atque adeò pro *conceſſivo* habendum, non autem pro *declarativo*, utpote quod propriè privilegium non meretur dici.

Dico 2dò. *Ad valorem & ſubſtantiam privilegii regulariter loquendo non requiritur ſcriptura, ſed ſufficit, id fuiſſe oretenus ſive vivæ vocis oraculo conceſſum.* 4
Ita communis Doctorum ac certa ſententia, ſicque ſtatutum habetur *Can. Inſtitutionis. 7. cauſa 25. Q. 2* ubi D. Gregorius II. præcipit obſervari ſive quæ ſcripto decrevimus, ſive quæ in noſtra præſentia videntur eſſe

 dif-

diſpoſita. Item *Clement. Dudum 2. de ſepult. ℣. nos etenim*, ibi: univerſa privilegia verbo ſeu ſcripto conceſſa. *Extravag. etſi dominici inter commun. 5ta. de pœnit. in pr.* ait quoque S. P. conſiderans, Sanctitatem ſuam hujusmodi facultates etiam oraculo vivæ vocis concedere. Quibus omnibus accedit ratio, tum quòd nullo jure requiratur ſcriptura, & ſiquidem aliquod videatur requirere, id tantùm requirit ad probandum privilegium in foro externo, non autem ad valorem: tum quia privilegium in eſſe ſuo pendet unicè à voluntate Principis illud concedentis, qui ſicut illud abſolutè poteſt concedere, ita etiam eo modo, quo vult ipſe: hanc ipſam autem voluntatem ſuam poteſt is manifeſtare non ſolùm ſcripto, ſed etiam verbo: & ſicut lex communis oretenus promulgari poteſt, ita pariter privilegium, cùm etiam ſit lex quæpiam privata: imò nonnunquam excellentius eſt legem ore tantùm proferre, quàm ſcripto tradere, prout Chriſtus Dominus ſapientiſſimè fecit, & D. Thomas declarat *3. part. Q. 43. art. 3.* in foro namque conſcientiæ ſola veritas attenditur, ac proin ſatis eſt, quòd à parte rei Princeps ſuum animum declaret, ſive verbo ſive ſcripto. Atque ſic SS. Pontifices plura Regularibus conceſſerunt oretenus privilegia, quod tot vivæ vocis oracula teſtantur: nec voluerunt deſuper fieri litteras, tum ne alii ſimilia peterent, tum ne ſe opponerent aut reclamarent Epiſcopi. Atque ita pluries obſervavit Eugenius IV. ut notat Felinus *in Conſ. 6. n. 4.* & *in cap. 1. de Conſtit.* qui multa Regularibus præſertim Canonicis conceſſit oretenus privilegia cum hac clauſula: quòd ſimplex ſignatura ſufficiat absque eo, quòd litteræ Apoſtolicæ conficiantur, & quòd plenam roboris firmitatem obtineant in omnibus, ac ſi hujusmodi litteræ in forma debita forent confectæ. Accedit, quòd privilegium per conſuetudinem vel præſcriptionem induci poſſit: ſed ad hoc nulla requiritur ſcriptura, ut patet: ergo neque ad privilegium.

Dixi tamen: *regulariter loquendo*; *ſ* quia ſunt nonnulla, in quibus ex ſpeciali diſpoſitione Juris ad valorem & ſubſtantiam privilegii requiritur ſcriptura. Sic enim 1mò. requiritur ad valorem & ſubſtantiam Apoſtolicæ collationis, confirmationis, & unionis beneficiorum, ita ut ante litteras expeditas beneficiatus cenſeatur intruſus nec fructus faciat ſuos, & obtentis privetur beneficiis. *per Extravag. injunctæ. inter commun. 1. de elect. junct. Conſtitut. Pauli III. & Julii II.* 2dò. Facultas non reſidendi in beneficio curato requirit pariter ſcripturam ex Decreto Tridentini *ſeſſ. 23. c. 1. de Reform.* 3tiò. Facultas ingrediendi clauſuram Monialium exigit, ut ab Epiſcopo vel alio legitimo ſuperiore in ſcriptis concedatur ex decreto ejusdem Concilii *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 5.* 4tò. Requiritur ſcriptura ad probationem privilegii ejusque firmitatem

Digitized by Google

tatem *arg. cap. Porrò. 7. de privil.* ubi dicitur: inſpicienda eſſe privilegia, ut eorum tenor ſervetur. Idem ſtatuitur *Can. Contra morem 8. diſt.* 100. ibi: aut mos omnium eſt ſervandus, aut ſi tuæ Eccleſiæ aliquid ſpecialiter dicis eſſe conceſſum, à vobis oportet oſtendi. & infra: oportet generalitatis uſum ex non ſcripto ſequi, aut ex ſcriptis privilegiis ſe tueri. Quibus accedit praxis Curiæ Romanæ, ac Tribunalium, & ſtylus Cancellariæ Apoſtolicæ. Quòdſi verò privilegium in ſcripturam redactum fuerit deperditum, in foro externo per teſtes probari poteſt ac debet *arg. cap. cùm olim 12. de privil.* ubi ſuper amiſſione & tempore privilegiorum jubentur teſtes recipi. Ratio eſt; quia teſtes & inſtrumenta eandem de jure vim habent, & æquiparantur in robore. Etſi verò de Jure civili & quoad forum externum non valeant privilegia ſine data diei & anni, loci ac temporis *L. ſiqua. C. de diverſis Reſcript.* id tamen non videtur procedere quoad privilegia Pontificia, tum quòd S. Pontifex cùm ſit omnium Princeps *cap. cuncta per mundum cauſ. 9. Q. 3.* nec ſuis ligatur, nec alienis legibus: tum quia plura dantur antiqua ac medii ævi privilegia ſine data diei, anni, & loci à SS. PP. præſertim Regularibus conceſſa, quod manifeſtum videtur eſſe ſignum, nolle SS. Pontifices in dandis privilegiis hac Juris civilis ſolemnitate ligari, atque adeò hæc nullatenus requiritur de Jure Canonico ad valorem privilegii, ejusque probationem.

6 Dico 3tiò. *Ad valorem & effectum privilegii requiritur promulgatio, ac notitia illius.* Ratio eſt; quia cùm privilegium ſit quædam lex, ut ex definitione conſtat: debet etiam ad modum legis regulari: ſed lex utpote humanorum actuum regula debet promulgari, nam ùt docet S. Thomas, regula niſi actualiter applicetur ad menſurandum, eſt inutilis & vana: ergò etiam privilegium debet promulgari; & certè ante obtentam illius notitiam, quæ tantùm acquiritur per promulgationem, privilegium nullum poteſt habere effectum, quemadmodum neque lex ante promulgationem obligare poteſt. Non tamen requiritur notitia per promulgationem ſolemnem, niſi privilegium univerſale lege conſtitutum ſit, ſed ſufficit publicatio ſingularis: talis autem publicatio fieri poteſt vel per exhibitionem privilegii conceſſi, aut certè ejusdem authentici tranſumpti, vel per teſtes, qui de conceſſione facta, ac deſuper expeditis litteris teſtentur, ac faciant fidem. Hæc ipſa tamen potiſſimùm intelligenda ſunt de iis privilegiis, quæ conceduntur motu proprio, & non ad inſtantiam privilegiati; ſi enim hic ipſemet vel per litteras vel per Procuratorem pro illo obtinendo antea ſupplicavit, privilegium per ſe habebit effectum à die conceſſionis, ſeu ut ajunt à die datæ, & non primùm à die præſen-

tatæ,

tatæ. Atque hinc validè utitur privilegio, qui licèt necdum reſcierit, probabile tamen judicat, privilegium ſibi actu fuiſſe conceſſum, ut ſi ſimplex ſacerdos poſt petitam à ſe mediantibus litteris aut Procuratore, atque obtentam à Parocho vel Ordinario matrimonio aſſiſtendi licentiam, eidem intereſt, quamvis de dicta conceſſione nondum fuerit certior factus. Sic etiam valet abſolutio à reſervatis & excommunicatione, quando licentia abſolvendi per nuntium fuit petita & à ſuperiore conceſſa, licèt nuntius necdum redierit. Verùm quia in hujusmodi caſibus periculoſum ac plerumque temerarium eſt, uti tali facultate ante obtentam notitiam, hinc extra caſum neceſſitatis non licet ea uti, ne quis ſe exponat periculo faciendi actum illicitum aut omninò nullum. Atque adeò regulariter requiritur ſemper notitia privilegii.

7 Dico 4tò. *Ad valorem & effectum privilegii per ſe etiam requiritur acceptatio illius.* Ita reipſa DD. communiter & Canoniſtæ *in cap. 1. de conceſs. Præbend. in 6.* ubi dicitur: quòd privilegia vim ſuam habeant mox cùm ad illos, quibus conceduntur, perveniunt; & conſequenter non antea, quàm in notitiam privilegiati pervenerint, & ab eo fuerint acceptata. & *cap. Si tibi abſenti 17. de Præbend. in 6.* dicitur: Beneficium non acquiri, donec illius collationem ratam habueris. Concordat Jus civile *L. invito. 7. ff. de Reg. Jur* ibi: Invito beneficium non datur. Ita etiam *L. qui abſenti ff. de acquirend. poſſeſſ* ſtatuitur, libertatem non acquiri per reſcriptum manumiſſionis, donec ſervus ſciat & acceptet. Similiter dignitas Conſularis primùm acquiritur à litteris præſtitis, id eſt, præſentatis & acceptatis. *L ult. C. de Conſulib. L. 12. junctâ Gloſsâ ibidem.* Idem dicitur de legitimatione in *Authentica quibus modis nat. effic. lib. §. illud autem.* & ratio eſt; quia privilegium eſt quædam donatio, uti iterum docent AA. communiter: ſed ad donationem requiritur acceptatio *arg. L. abſenti. ff. de Donation.* nec ante acceptationem effectum habere poteſt donatio, cùm ante illam non ſit efficax & irrevocabilis: ergò etiam ad privilegium requiritur acceptatio. Hæc tamen etiam tacitè facta valet: & hinc ſi privilegium notificetur privilegiario, ſufficit, quòd expreſsè non contradicat, nihilque contra illud opponat; quia in favorabilibus tacens conſentire videtur *Gl. in R. 43. in 6.* Sic enim etiam ad hoc ut donatio abſenti facta ſit valida & irrevocabilis, ſufficit tacita acceptatio donatarii, ut nempe ſciens non contradicat. Atque hinc omnis conceſſio privilegii imbibitam habet conditionem, ſi privilegiarius conceſſionem ſibi factam acceptet. An verò acceptatio privilegii facta per nuntium ad id ſpecialiter deputatum ita ſufficiat, ut propria & perſonalis ipſius

ſius Privilegiarii non ſit ampliùs neceſſaria? controvertunt quidem Authores, ſed mihi probabilius eſt cum Donato *to. 1. tr. 2. Q. 7.* & aliis ab hoc citatis, ad conſequendos effectus & fructus omnium privilegiorum ſufficere ipſius Nuntii aut Procuratoris ad hoc ſpecialiter deputati acceptationem, nec perſonalem ipſius Privilegiarii eſſe neceſſariam. Ratio eſt: quia donatio eſt firma ac valida per ſolam Procuratoris acceptationem: ergò & Privilegium, cùm ſit gratioſa donatio; & ſicut epiſtola eſt ſermo abſentis ad abſentem, ita ſupplicatio illius in litteris contenta per Procuratorem Principi exhibita nomine ipſius privilegiarii eſt petitio ſimul & acceptatio per epiſtolam vel Procuratorem expreſſa & declarata: ergò ex vi ſupplicationis ita porrectæ, illicò adeſt conſenſus & acceptatio ipſius privilegiarii, nec plus deſiderari poſſe videtur. Donatus *l. c.*

Sectio II.

De varietate privilegiorum.

8 AD dignoſcendam privilegii naturam maximè ſervit notitia illius ſpecierum: hæ autem ſunt variæ; & primò quidem dividitur in id, quod eſt contra Jus, & quod eſt præter vel ultra Jus. Illud eſt, quod derogat Juri communi, ùt eſt exemptio à decimis; iſtud eſt, quod concedit favorem aut gratiam in Jure non expreſſam, ùt eſt poteſtas abſolvendi à reſervatis, diſpenſandi in irregularitate, &c. differunt inter ſe, quòd privilegium contra Jus ſit propriè privilegium *arg. L. Jus ſingulare ff. de LL.* atque adeò ſtrictè interpretandum eſt, cùm ſit vulnus legis *arg. cap. porrò 7. & cap. ſanè 9. de Privil.* econtra privilegium præter Jus, etſi & ipſum mereatur privilegii nomen, cùm ei omninò conveniat definitio, non tamen ita ſtrictè dicitur privilegium, cùm ſit potiùs gratia ac beneficium Principis præter aut ultra Jus conceſſum, ac proinde etiam latam recipit interpretationem juxta *R. J. 15. in 6.*

Dividitur 2dò. in ſcriptum & non ſcriptum. Scriptum eſt, quod 9 litteris aut ſcripto conceſſum eſt, quod, ut fidem faciat in judicio, debet eſſe authenticum & obſignatum ſigillo Principis. Etſi verò antiquitùs ejus tranſumpto nulla fides haberetur, niſi citata parte cujus intererat, hodie tamen communiter creditur privilegiorum tranſumptis præſertim eorum, quæ Religioſis Ordinibus fuère conceſſa, utpote quibus plerumque addita eſt clauſula, ut tranſumptis eorum etiam impreſſis plena adhibeatur fides.

Non ſcriptum dicitur , quod aut conſuetudine & præſcriptione introductum eſt, aut à Principe oretenus ſeu vivæ vocis oraculo conceſſum eſt , qualia vivæ vocis oracula quamplura conceſſerunt SS. Pontifices Regularibus.

10 Dividitur 3tiò. in privilegium clauſum in Corpore Juris , & in privilegium extra Corpus Juris contentum. Illud eſt, quod inter alias leges Corpori Juris inſertum eſt, qualia ſunt privilegia Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, quæ paſſim habentur in Corpore Juris Canonici tum etiam Civilis præſertim *Cod. de SS. Eccl. Item Cod. de Epiſc. & Cleric.* Privilegium extra Corpus Juris contentum eſt, quod cuipiam ex ſpeciali favore conceſſum necdum eſt inſertum Corpori Juris communis. Differunt inter ſe per hoc , quòd illud judex ignorare non debeat, & ſi quid contra illud præcipiat, non teneatur privilegiatus obtemperare. *arg. cap. ſanè 5.* & *cap. cùm ad quorumdam 7. de Exceſſ. Prælat.* Econtra verò privilegium extra Juris Corpus contentum , cùm ſit facti, judex ignorare poteſt, & ſi quid contra tale privilegium præcipiat, aut privilegiatum talem ſpecialiter citet, tenetur is, ſaltem pro reverentia Judicis comparere , ac ſuum exhibere privilegium , ùt expreſsè ſtatuitur *cap. cùm perſona 7. de privil. in 6.* & *L. Si quis 5. ff. de Judic.*

11 Dividitur 4tò. in reale & perſonale: quam diviſionem ſubminiſtrat utrumque Jus , Canonicum quidem *cap. Mandata 6. de Præſumpt.* ibi: quas non loco tribuimus ſed perſonæ: Civile verò *L. privilegia 196. ff. de R. J.* ibi: privilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ. Illud autem dicitur reale , quod directè ac primariò alicui rei , loco , aut dignitati conceditur , indirectè verò & ſecundariò perſonæ ; nam omne privilegium redundat ultimatò in perſonam. cùm res inanimatæ per ſe privilegii & utilitatis exinde reduntantis ſint incapaces. Tale privilegium reale eſt Jus aſyli conceſſum locis ſacris , & hoc ita rebus ac locis adhæret, ut ſemper ſit perſeverans illis perſeverantibus , aut tranſiens illis tranſeuntibus : quòd ſi res privilegiatæ in alium transferantur, ſecum ferunt privilegium. Perſonale dicitur , quod directé ac primariò confertur perſonæ in proprium ejus commodum abſque reſpectu ad rem nec ultra perſonam extenditur , ſed cum ea vivit ac moritur , juxta *R. J. 7. in 6.* ubi dicitur: privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona. Concordat *L. privilegia ff. de R. J.* & *L. in omnibus. ff. eodem.* ex quo ipſo patet differentia inter utrumque; nam reale utpote inhærens rei tranſit ad quoscunque ſucceſſores & poſſeſſores , non item perſonale, utpote quod inhæret perſonæ , & cum ea extinguitur. Privilegia conceſſa Regularibus ſunt realia; quia licèt conceſſa ſint perſonis in particulari, ſunt tamen illis conceſſa non quà talibus , ſed

quatenus ſunt partes ac membra communitatis, quam conſtituunt, & tranſeunt in perpetuum de perſona in perſonam: talia ſunt privilegia conceſſa Prælatis, Confeſſariis, Prædicatoribus &c. quæ non tam ipſis, quàm eorum officiis ac dignitatibus conferuntur. In dubio an privilegium ſit perſonale vel reale, ex materia, cauſa, ac tenore verborum deſumendum eſt: quòd ſi re diligenter diſcuſſa adhuc remaneat rationabile dubium, pro reali habendum eſt, præſertim ſi cedat in favorem Religionis & cauſæ piæ ſine alterius onere ac præjudicio; quia tunc cenſetur eſſe merum Principis beneficium: beneficium autem Principis decet eſſe manſurum *R. J. 16. in 6.* ac pleniſſimè interpretari debet *L. fin. de Conſtit. Princip.* & ſummum jus eſt, quod pro Religione facit. *L. ſi perſona ff. de Relig.*

12 Dividitur privilegium 5tò. in Remuneratorium & merè gratioſum. hoc eſt, quod ex mero Principis favore ac gratia conceditur, ac propterea revocari poteſt, quandocunque Principi vel ejus ſucceſſori placuerit. Remuneratorium eſt, quod intuitu meritorum & in eorum compenſationem conceditur: qualia ſunt multa privilegia Regularibus conceſſa, in quibus conferendis SS. Pontifices præclara eorum opera ac merita in converſione Infidelium ac Hæreticorum, defenſione fidei Catholicæ ac Sedis Apoſtolicæ, prædicatione verbi divini, & adminiſtratione Sacramentorum &c. exhibita remunerari voluêre. Privilegia éjusmodi remuneratoria conceſſerunt SS. Pontifices plura Canonicis Regularibus, præſertim Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. Ann. 1477. data*, ubi inſignia Canonici Ordinis ac Congregationis Lateranenſis merita recenſet. Etſi verò in dubio privilegia hæc remuneratoria cenſeantur eſſe perſonalia, ſi conferantur ob merita alicujus perſonæ in particulari *arg. L. 1. ff. de Conſtit. Princip.* ubi Ulpianus, quæ, inquit, Princeps alicui ob merita indulſit, perſonam non egrediuntur: realia tamen & ipſa poſſunt eſſe, & frequenter ſunt, ita ut privilegium, ob merita alicujus perſonæ, toti alicui familiæ, Communitati, aut Religioni concedi poſſit, prout id etiam frequens teſtatur experientia; atque hæc privilegia remuneratoria non cenſentur revocari, niſi expreſſa illorum fiat mentio.

Dividitur 6tò. in favorabile & 13 odioſum. Favorabile eſt, quod favorem ac gratiam continet, quæ in nullius gravamen aut præjudicium redundat, ſive ſit præter ſive contra Jus, quale eſt poteſtas abſolvendi à reſervatis, diſpenſandi in votis &c. atque hinc etiam ejusmodi privilegium latè interpretandum eſt. Odioſum eſt, quod uni quidem confert favorem, alteri verò infert gravamen, & in ejus cedit incommodum ac præjudicium, quale eſt exemptio à decimis, quæ quidem prodeſt eam obtinenti, obeſt autem illi, cui debebantur. At-

que hæc privilegia communiter ſtrictè interpretanda ſunt. Quoad privilegia Regularibus conceſſa, diſtinguendum eſt: vel enim ſunt conceſſa ab homine contra Jus commune in præjudicium tertii, & tunc odioſa ſunt, atque adeò reſtringenda juxta *R. J. in 6.* Si autem ſint conceſſa à Jure vel clauſa in Corpore Juris, tunc habentur pro favorabilibus; nam privilegium Juris habetur pro lege, & legis inſtar debet interpretari, ampliari & extendi ad omnes caſus & perſonas, quas lex comprehenderet ita Gloſs. *in Auth. qua in Provincia. ℣. illis Cod. ubi de crim. agi oportet.* Felinus *in cap. 1. de Reſcript. n. 12.* quem multis citatis ſequitur Molfeſius *in Comment. ad Conſuet. Neapol. to. p. 4. Q. 33. n. 4.* Donatus *to. 1. tr. 4. Q. 4.*

14 Dividitur 7. in purum & conventionale. Illud eſt, quod ſine aliqua conventione, & reciproca obligatione conceditur. Iſtud verò, quod interveniente tali conventione & obligatione ad aliquid dandum aut faciendum conceditur, ratione cujus ipſum privilegium quodamodo emi & per contractum acquiri cenſetur. Negat quidem Baldus *in L. fin. C. unde l beri n. 33.* quòd privilegium conventionale propriè ſit privilegium, cùm ex natura ſua debeat eſſe gratia, quæ non ſtat cum debito, quod inducit pactum & conventio: Verùm communior DD. hoc non obſtante tenet affirmativam; quia licèt de natura privilegii ſit, ut ſit gratia, non tamen requiritur, ut ſit pura gratia, ſed poteſt etiam concedi per modum remunerationis, aut debiti exſolvendi causâ. Privilegium conventionale communiter quidem cenſetur eſſe reale, poteſt tamen etiam eſſe perſonale; quia poteſt conferri limitato tempore ac perſonæ tantùm; in dubio tamen cenſetur eſſe reale, quia tale privilegium ſortitur rationem contractûs, qui communiter ad hæredes tranſit. *L. Juris gentium 7. §. pactorum 8. ff. de pact.*

Dividitur privilegium 8. in commune ſeu communitatis, & in privatum ſeu privatorum. Commune dicitur, quod per ſe ac primariò reſpicit bonum communitatis, cui conceditur, licèt in illius membra redundet, ùt eſt privilegium fori & Canonis toti ſtatui Clericali conceſſum. Privatum eſt, quod etiam ſingulare dicitur, quod per ſe ac primariò reſpicit bonum perſonarum particularium, licèt & ipſum mediatè ſpectet bonum commune, ut eſt privilegium reſtitutionis in integrum Minoribus conceſſum; differunt præcipuè per hoc, quòd privilegio communi renuntiari non poſſit à privatis *arg. cap. Si diligenti. 12. de foro Compet.* & *L. Jus publicum 38. ff. de pact.* econtra privilegio privato renuntiare communiter quivis poteſt, cùm liberum ſit unicuique ſuo Juri renuntiare *cap. Si de terra 6. de privil.* niſi tamen renuntiatio talis cederet in præjudicium tertii. 15

Di-

Digitized by Google

16 Dividitur 9. in perpetuum & temporale. Perpetuum eſt, quod vel abſolutè & ſine limitatione temporis conceditur, vel adhæret rei de ſe perpetuæ, quale eſt privilegium Religioni, Eccleſiæ, aut dignitati conceſſum: dicitúrque perpetuum, non quòd amitti non poſſit, ſed quia de ſe durat perpetuò, niſi revocetur, aut alia de cauſa amittatur. Temporale eſt, quod conceditur tantùm ad certum tempus v. g. ad decennium, ad dies vitæ privilegiati, pro ſola concedentis vita; huc pertinet privilegium conceſſum ſub clauſula usque ad beneplacitum meum; nam tale exſpirat morte concedentis, utpote qua omninò extinguitur ejus beneplacitum. *cap. Si gratiosè 5. de reſcript. in 6.* Secus eſt, ſubjungit S Pontifex *cap. cit.* Si gratia vel privilegium usque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum concedatur, tunc enim, quia ſedes ipſa non moritur; durabit perpetuò, niſi à Succeſſore fuerit revocatum.

Dividitur denique 10. in privile- 17
gium pro foro conſcientiæ tantùm, & in privilegium pro foro etiam externo. Illud eſt, quod ſolùm prodeſt in foro interno, & illius uſum tantùm occultum concedit pro conſcientia, minimè inſervientem pro foro judiciali externo. Privilegium pro foro externo eſt, quod non tantùm prodeſt in conſcientia ac in foro interno, ſed etiam in judicio externo, & publicum ejus uſum concedit.

Sectio III.

De clauſulis privilegiorum.

18 QUemadmodum aliæ ſcripturæ & inſtrumenta proprios habent ſcribendi modos & clauſulas, ita quoque privilegia præſertim Pontificia certis conſtant verborum formulis, ac circumſcribuntur clauſulis, quæ nobis manifeſtant voluntatem concedentis, in qua conſiſtit vita ac tota virtus privilegii: cùm igitur ex hujusmodi clauſulis tota nonnunquam pendeat vis privilegii, eæ hic nobis ſunt nonnihil exactiùs explanandæ, præſertim cùm illæ plurimùm conferant ad legitimam privilegiorum intelligentiam. Antequam verò ad particulares illarum ſpecies deſcendamus, ſciendum eſt primò: quòd privilegium, quando conſtat clauſulis inſolitis & contra morem ſolitum, vel contra uſitatum ſtylum curiæ, aut rationem, hoc ipſo habeatur pro ſuſpecto *per cap. cauſam 19. de teſtib. cap. ex parte. 3. de Capell. Monach. & cap. quàm gravi 6. de crimin. falſi.* adeò ut qui clauſulam inſuetam non benè probatam allegat, poſſit puniri tanquam de falſo *per cap. porrecta de 6. Confirm. util.*

Digitized by Google

Sciendum 2dò. quòd clauſula quantumvis generalis intelligenda ſit ac reſtringenda ſecundùm naturam actûs, ſuper quo imponitur. *L. jubemus C. ad Velleianum.* atque hinc ſi clauſula generalis ſequitur ſpecialem, reſtringi debet ad ſpecificata per ſpecialem præcedentem clauſulam. Si autem ſequatur aliam clauſulam generalem, tunc non reſtringitur, ſed unaquæque ſuum operatur effectum, ùt colligitur *ex cap. ſedes. 15. de Reſcript.* Sciendum 3tiò. Quòd ſi privilegium continet tantùm unicum punctum ſine ullis articulis diſparatis, tunc ſive clauſula ponatur in principio, ſive in medio, ſive in fine; cenſetur referri ad omnia in eo contenta, præſertim ſi præcedentium eadem ſit ratio, ùt habetur *cap. ſecundò requiris 41. de Apell.* ubi S. P. ait: cùm ſicut utriusque Juris argumenta nos docent, ea quæ in principio ad medium & finem: illa verò, quæ in medio ad finem atque principium ſæpè referri contingat, quibus concordat *L. talis ſcriptura in fin. ff. de Legat. 1.* & docet Navarrus *Conſil. 34. de ſimon.* Quòd ſi in privilegio plura reperiantur puncta eademque diverſa, aut unum quidem, diverſos tamen habens articulos, tunc ubicunque clauſula fuerit appoſita, ea referri debet ad præſentia tantùm, juxta *cap. Inquiſitioni 71. de Apellat.* ac proinde poſita in uno paragrapho vel articulo non refertur ad alium paragraphum vel articulum. Clauſulæ porrò ejuſmodi in particulari, ſub & cum quibus expediuntur privilegia, præſertim Pontificia, ſunt quamplures; de quibus latè agit Auguſtinus Barboſa *in tract. de Clauſul. uſu frequent.* & alii præcipuè Canoniſtæ, quia tamen non omnes ad noſtrum pertinent inſtitutum, eas tantummodò ſelegimus hìc explanandas, quæ frequentiùs occurrunt, & à SS. Pontificibus apponi ſolent in privilegiis Regularibus conceſſis, cæteris aliorum diſcuſſioni relictis. Clauſulæ proin, de quibus hìc ſumus acturi, ſunt ſequentes: 1ma. eſt in forma communi & ad inſtantiam. 2da. ex motu proprio. 3tia. ex certa ſcientia. 4ta. de plenitudine poteſtatis. 5ta. ad inſtar. 6ta. quatenus ſunt, vel dummodo ſint in uſu. 7ma. dummodo ſacris Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adverſentur. 8va. quatenus & dummodo non ſint revocata, aut ſub aliqua revocatione comprehenſa. 9na. non obſtantibus quibuscunque privilegiis in contrarium. 10ma. quorum tenores volumus hìc habere pro expreſſis. 11ma. ſupplentes omnes & ſingulos Juris & facti defectus. 12ma. Decernentes irritum & inane, ſi ſecùs à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. 13tia. In foro Conſcientiæ.

Clauſula 1ma. *In forma* 19
communi & ad inſtantiam, dicitur tunc, quando Princeps ad concedendum privilegium inductus eſt petitione ac precibus impetran-

tis.

tis. Licét autem hæc clauſula non addatur expreſsè, præſumitur tamen talis ineſſe, quoties *motu proprio* conceſſum eſſe privilegium non eſt expreſſum litteris, ùt habetur *cap. Si motu. 23. de Prabend. in 6*, ibi: motu proprio tunc ſolùm gratia fieri cenſeatur, cùm hoc expreſsè cautum fuerit in eadem. præſumitur enim Princeps concedens gratiam in forma communi aut ad inſtantiam ignorare ea quæ concedit, ſicut ea omnia, quæ in facto conſiſtunt, niſi aliud exprimat, ac proinde tam impetrata, quàm conceſſa in dicta forma communi nullum jus alicui de novo tribuunt, *arg. cap. cùm dilecta 4. ℣. nolentes. de Confirmat. util.* & *cap. ex parte 13. de Privileg.* qui enim confirmat, nihil de novo donat juxta *cap. inter dilectos 6. ℣. cæterum de fid. Inſtrum.* ſed tantùm Jus antiquum, quod quis habet, conſervat *cap. quia intentionis 29. de privil.* atque hinc neque per hanc clauſulam ullum præjudicium generatur Juri tertii, ùt iterum dicitur *cap. quia intentionis cit.* ne ſcilicet inde naſcantur injuriæ, unde Jura oriuntur *cap. qualiter & quando 17. de accuſation.* nec per talem clauſulam impeditur alterius petitio aut cognitio Judicis ùt colligitur *ex cap. licet. 12. de Offic. Jud. Ordinar.* & *cap. quia diverſitatem 5. de conceſſ. Prabend.* Quare hujusmodi privilegia aut privilegiorum confirmationes parùm aut nihil juvant privilegiatum; nam quidquid Pontifex ſub ea clauſula concedit, id fieri vult ſine alicujus præjudicio, & ſi res ita ſe habeat prout petitur; ſemper enim ſubintelligi ſolent hæ conditiones, ſi preces veritate nitantur *cap ex parte 2. de Reſcript.* atque adeò omnis etiam minima ob- & ſubreptio vitiat privilegium, & illud facit ipſo Jure nullum: altera eſt: ſalvo Jure tertii; quia Pontifex non cenſetur velle derogare Juri alterius, niſi hoc exprimat; quo fit, ut privilegium, quod in damnum alterius cedit, ſit ipſo Jure nullum atque irritum, niſi illud in eo ſit expreſſum.

Clauſula 2da eſt, qua *ex mo-* 20
tu proprio privilegium conceditur, idque tunc fieri cenſetur, quando ejus conceſſionem vel non præceſſit impetrantis petitio, vel ſi præceſſit, concedens tamen ad privilegium concedendum non eſt motus petitione ſupplicantis, ſed potiùs proprii animi motu & liberalitate; atque adeò non repugnat privilegio conceſſo ex motu proprio, quòd petitum ſit hujusmodi privilegium, modò Pontifex illud non dederit ob petitionem ejusmodi tanquam ob cauſam finalem. hæc clauſula nunquam præſumitur, & hinc in ipſa conceſſione exprimi debet litteris. *cap. Si motu proprio 23. de Prabend. in 6.* & aliter facta cenſetur data ad inſtantiam partis; nam moraliter impoſſibile eſt aliter probare, privilegium ſic eſſe conceſſum, quàm per litteras ipſius Pontificis fatentis ſe motu proprio du-

ctum

Digitized by Google

ctum conceſſiſſe privilegium, niſi fortè ſcriptura, in qua motus proprius exprimebatur, fuerit deperdita, tunc enim poteſt per teſtes probari, fidem facientes, in eo privilegio inſertam fuiſſe clauſulam motu proprio, atque ita habebit effectum motûs proprii, ùt docet Gloſs. *in cit. cap. 23. de Prabend. in 6.* Privilegium motu proprio conceſſum pleniſſimè interpretandum venit *per cap. quamvis 4. cum ibi notatis per Gloſs. V. pleniſſimè de Prabend. in 6.* & *cap. Si pluribus. 24. eodem.* Cæterùm privilegii motu proprio conceſſi tanta vis eſt, ut regulariter tollat ſubreptionem commiſſam per reticentiam veri ſeu alicujus veritatis de Jure vel ſtylo curiæ exprimendæ, ùt habetur *cap. Si motu 23. cit.* & *Clementina: Si Romanus Pontifex 4. de Prabend.* & docet Gloſs. *in cit. cap. 23. V. modicum*; quia habet vim ſpecialis expreſſionis, & cùm tale privilegium procedat ex mera Pontificis liberalitate, præſumitur, quòd id æquè conceſſurus eſſet, ac ſi veritatis fuiſſet conſcius. Excipi tamen debet 1mò. quando ſubreptio eſt in reipſa, ita, ut ſi Pontifex in ſpecie interrogaretur, non eſſet veroſimile, quòd eam concederet, ùt iterum tradit Gloſs. *in cit. cap. 23. de Prab. in 6.* 2dò. ſuppreſſa eſt inhabilitas perſonæ v. g. irregularitas, quia hæc clauſula non ſupplet defectus perſonales, nec diſpenſationem inducit, qua tollatur ejusmodi defectus aut inhabilitas. Ita Panormitanus *in cap. ad aures. de Reſcript. num. 5.* 3tiò. quando veritas per reticentiam ſuppreſſa reſpicit Jus tertii; quia motus proprius Jus quæſitum non auffert, niſi id exprimatur. Ita Abbas *in cit. cap. ad aures. de Reſcript.* 4tò. multò minùs tollit vitium obreptionis, quando falſa cauſa exprimitur, quia tunc ſatis apparet, quòd conceſſio privilegii facta ſit contra mentem Pontificis, & ex errore proceſſerit: cùm igitur errantis nullus ſit conſenſus, ùt dicitur *L. non idcircò. 9. C. de Jur. & fact. ignor.* neque clauſula motûs proprii firmabit privilegium. Secùs eſſet, ſi prædicta fuiſſent facta ex certa ſcientia; quia plena ſcientia corrigit defectus & inducit diſpenſationem etiam ſuper impedimento perſonali. Ita Donatus *to. 1. tr. 9. Clauſ. 2.*

Clauſula 3tia eſt, qua SS. Pontifices *ex certa ſcientia* ſolent concedere privilegia; per hanc ſignificant, ſe habere plenam notitiam materiæ circa quam verſatur privilegium; hinc dicta & confirmata per S. Pontificem ex certa ſcientia non poſſunt in dubium revocari, cùm ſcientia certa præcludat viam ulteriori cognitioni; confirmat enim actum aliàs ex circumſtantiis defectuoſum aut nullum, eique addit novum robur & valorem: ac proinde hæc clauſula, quæ erant valida, confirmat, &, quæ defectuoſa, habilitat. Quod tamen procedit in illis tantùm, in quibus Pontifex præſumitur habere notitiam, prout ſunt 28

ea,

Digitized by Google

ea, quæ in Jure conſiſtunt, quæ ſcire præſumitur, cùm Jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſeatur habere, ùt dicitur *cap. 1. de Conſtit. in 6.* Secùs tenendum in illis, quæ præſumitur ignorare, ùt ſunt facta particularia, conſuetudines locales, ſtatuta ſingularium perſonarum, quæ, cùm ſint facti & in facto conſiſtant, probabiliter ignorare poteſt, ùt iterum dicitur *cit. cap.* hinc in illis præſens clauſula nil operatur. Cæteroquin habet vim ſpecialis derogationis ac proinde derogat omni legi, & privilegio ſibi contrario, etiamſi in illo eſſet clauſula derogatoria; quia tollit omne Juris obſtaculum. *L. Idem Ulpianus* § *fin. ff. de excuſat. tutor.* Inſuper tollit defectum ſolemnitatis omiſſæ *arg. cap. 1. de tranſact.* quia habet vim novæ conceſſionis & confirmationis, & tollit inhabilitatem impetrantis & inducit diſpenſationem ſuper impedimento perſonali, quod non præſtat motus proprius, ùt ſupra dictum eſt. Supplet præterea vitium ſubreptionis ex veritate tacita & neceſſariò exprimenda commiſſum; operatur pariter in præjudicium tertii, ejúſque Jus auffert, ſi leve fuerit ac modicum; modicum enim præjudicium non ſolet æſtimari *cap. ad aures 8. junct. Gloſs. V. intentionis de Reſcript.* non item ſi grave ſit ac magnum, niſi clauſulæ ex certa ſcientia addatur clauſula non obſtante Jure & præjudicio tertii, tunc enim etiam abrogat & tollit Jus illius, etiamſi magnum ſit, & in grave alicujus cedat præjudicium; quia per adjectas ejusmodi clauſulas ſatis apparet, quòd Princeps velit etiam illi præjudicare, cui erat Jus quæſitum, quod tamen aliàs non præſumitur ſed probari debet. Ex quibus omnibus patet, quòd hæc clauſula fortior ſit, quàm ea, quæ eſt ex motu proprio, vímque majorem habeat, & ſe extendat ad plura. De privilegio ex certa ſcientia conceſſo nullus cognoſcere poteſt, niſi qui conceſſit privilegium, neque ſe in eo intromittere poteſt Judex inferior, ùt habetur *L. 1.* § *ſed neque. C. de veter. Jur. enucleand.* ubi Imperator ait: Quibus auctoritatem noſtram impartimur, ea omnia noſtra facimus. Ex quo fit, ut privilegia, à S. Pontifice conceſſa, fiant Papæ, qui ſolus in caſu litis de illis cognoſcit, non autem Judices inferiores.

Clauſula 4ta dicitur: *de plenitudine poteſtatis*, quam ſolus ille privilegio ſuo inſerere poteſt, qui in ſtatu ſuo ſuperiorem non recognoſcit, ſed abſolutam & extraordinariam habet poteſtatem & ſummum Jus. Ubi clauſula iſta reperitur, deſignat gratiam aliquam ſuperlativam ac prorſus ſingularem à Principe concedi, adeò ut in virtute illius cenſeatur diſpenſare in Jure communi, ſi opus ſit: éſtque tantæ efficaciæ, ut ubi reperitur inſerta, nihil poſſit opponi, ùt tradit Cardinalis Tuſchus *to. 1. Lit. C. concluſ.* 22

concluſ. 341. tollit inſuper omnes ſolemnitatis defectus non provenientes à natura, ùt poſt Alexand. *L. 2. Conſil. 195.* reſolvit prædictus Tuſch. *l. c. concl. 342.* & auffert ſub- & obreptionem juxta Rodolphin. *cap. 5. de abſolut. Princ. poteſt.* & vim habet clauſulæ derogatoriæ ad omnem legem ſibi contrariam absque alia derogatione etiam ſine clauſula, *non obſtantibus*, ſecundùm Baldum *L. 10. Conſil 253.* unde patet, quòd hæc clauſula majorem vim habeat, quàm præcedentes clauſulæ ex motu proprio, & ex ſcientia certa, cùm iſta ſola totum poſſit, quod utraque ſimul, atque inſuper ſe latius extendat. Cùm proinde hæc clauſula tam ſingulares effectus habeat, nunquam præſumitur, neque operatur in grave præjudicium tertii, ùt notat Rodolphin *cap. 6.* nec derogat Regulæ de Jure quæſito non tollendo. Barboſ. *tr. de Clauſul. in hac Clauſ.* cùm Princeps neminem poſſit ſine juſta cauſa rerum ſuarum dominio privare etiam de plenitudine poteſtatis, & ſi quemquam eo privet, tenetur alio modo reparare damnum. Quòd ſi hac poteſtate utatur & quidem ſine juſta cauſa, id Doctores non tam de plenitudine poteſtatis, quàm de plenitudine tempeſtatis per alluſionem fieri dicunt, eámque poteſtatem vocat Rebuffus *p. 1. tit. de non tollend. jur. quaſit.* Gloſs. *8. n. 35.* diabolicam potiùs quàm abſolutam. In dubio tamen, quando Princeps aliquid concedit de plenitudine poteſtatis, præſumitur habuiſſe juſtam cauſam, & actum fuiſſe factum cum cauſæ cognitione; & ſi apponatur ſuper illicito, intelligitur de poteſtate bona, laudabili, & cadente ſuper materiam licitam & honeſtam juxta Baldum *L. 1. Conſil. 345. in princip.*

Clauſula 5ta eſt *ad inſtar*, 23 qua cuipiam conceditur privilegium ad inſtar alterius jam priùs abſolutè conceſſi, id eſt, eo modo & forma, ſub qua alteri convenit. Ex quo patet, quòd hæc clauſula ex natura ſua dicat relationem ſimilitudinariam unius ad alterum, ad inſtar cujus dicitur eſſe vel fieri: atque hinc privilegium ad inſtar induit naturam illius, ad cujus ſimilitudinem eſt conceſſum, & habet easdem extenſiones ac limitationes, quas habet primò conceſſum, ita ut in 2do. privilegio cenſeantur concedi omnia, quæ continentur in primo; ſupponit igitur privilegium ad inſtar aliud privilegium ſicut exemplatum exemplar. Atque hinc, qui ſe fundat in privilegio ad inſtar, tenetur priùs probare primam conceſſionem factam, ad inſtar cujus privilegium ſuum dicit eſſe datum, ùt notat Panormitan. *in cap. inter dilectos. de fid. Inſtrum.* Quòd ſi primum privilegium ſucceſſu temporis fuiſſet deperditum, deſtructum & revocatum, non ideò privilegium ad inſtar cenſetur eſſe ſublatum, deſtructum & revocatum; tum quia pri-

privilegium ad inſtar per ſe ſtat, ùt ſupponitur, & ab exemplari ſeu primo privilegio, cui aſſimilatur, realiter diſtinguitur, & relatio, quam habet, eſt tantùm ſecundùm dici, non autem in re; tum quia etſi in fieri dependeat à primo privilegio tanquam à cauſa exemplari, ad inſtar cujus alteri fuit conceſſum, non tamen dependet in conſervari, utpote à priori realiter diſtinctum; unde ſufficit, quòd primum privilegium fuerit eo tempore firmum ac validum, quo datum eſt privilegium ad inſtar. Ex quo fit, ut extincta Religione aliqua, ſicut factum eſt cum Ordine Humiliatorum, Jeſuatorum, Congregatione S. Georgii in Alga,. & S. Hieronymi de Feſulis, non ideò privilegia eidem primò conceſſa, & aliis Religionibus ad inſtar eorum communicata neutiquam ſint extincta, ſed in his integra perſeverent; quia privilegia ad inſtar alterius facta minimè dependent ab exemplari ſuo, ſed ita fiunt illis propria, quibus conceduntur, ut cenſeantur per ſe ſtare absque alterius ſubalternatione ac dependentia, ùt cum aliis pluribus docet Rodriquez *QQ. Reg. to. 1. Q. 9. art. 9.* Tamburin. *to. 1. D. 17 Q. 5. n. 3.* Donatus *to. 1. tr. 3. Q. 2. n. 3.* Atque hinc etiam ſi contingat augeri vel diminui primum privilegium ſeu exemplar, ad inſtar cujus conceſſum eſt alteri privilegium, non propterea minuitur vel augetur privilegium ad inſtar, ſi iſtud ſit per ſe, directè, & independenter ab alio communicatum, ita ut illo poſſit uti eodem modo, quo ille poterat, cui primò conceſſum eſt; quia, ùt dictum eſt, utrumque privilegium ſubſiſtit per ſe ut reipſa diſtinctum, & poſterius ad inſtar prioris conceſſum non dependet quoad uſum vel non uſum à priori tanquam acceſſorium à principali, cùm æquè principaliter & independenter à priore conceſſum eſt, ùt ſupponitur; aliud eſſet, ſi privilegium ad inſtar non concedatur aut communicetur alteri per ſe, & principaliter, ſed tantùm concomitanter & dependenter ab eo, cui primò & principaliter fuerat communicatum, tunc enimverò, aucto vel diminuto ac revocato principali privilegio, etiam augetur, diminuitur aut revocatur privilegium ad inſtar concomitanter ac dependenter conceſſum vel communicatum, cùm hoc poſterius ſit acceſſorium ac dependens quoad uſum à priori tanquam ſuo principali; nam ùt habet *R. J. 42. in 6.* acceſſorium naturam ſequi congruit principalis. Atque ſic aliqua privilegia SS. Religionum communicantur etiam Novitiis, Familiaribus, oblatis &c. non per ſe & ratione ſui, ſed ratione S. Ordinis, ſub cujus directione vivunt, quæ proinde augentur, diminuuntur, ac revocantur, auctis, diminutis, & revocatis privilegiis SS. Religionibus principaliter conceſſis: non tamen vice verſa auctis, diminutis, aut revocatis quoad Novi-

tios, Familiares &c. privilegiis ea augentur, diminuuntur, aut revocantur quoad Religioſos, quia principale non dependet ab acceſſorio, ſed vice verſa.

24 Clauſula 6ta. *Quatenus ſunt*, vel *dummodo ſint in uſu*, quam in confirmatione privilegiorum inſerere ſolent SS. Pontifices à temporibus Concilii Tridentini ac præſertim Gregorii XIII id importat ac ſignificat, quòd S. Pontifex ea privilegia, quæ per non uſum aut uſum contrarium jam ceſsârunt vel amiſſa & conſequenter non ampliùs ſunt in uſu, nolit de novo confirmare aut confirmando de novo revalidare, ùt poſt Rodriquez, Peyrinum, Donatum tradit Reiffenſtuel *T. de privil. n. 108.* Ea verò privilegia dicuntur per non uſum, aut uſum contrarium amiſſa, vel ceſſare, contra quæ debito tempore eſt præſcriptum, vel quibus tacitè renuntiatum eſt: quod ipſum tamen in iis tantùm privilegiis locum habere poteſt, quæ ſunt odioſa, ac aliis, (*Adde*; præſertim bono communi, tranquillitati, ac rectiſſimo ordini ſtatuum Eccleſiæ, aut diſciplinæ Eccleſiaſticæ) gravamen aliquod, aut præjudicium afferunt, non autem iis, quæ in nullius cedunt præjudicium ac merè gratioſa ſunt; nam contra hæc neque præſcribi poteſt, cùm nemini ſint oneroſa, ac alios non reſpiciant, nec iiſdem renuntiari, cùm in his non uſus vel uſus contrarius ſint actus liberæ facultatis, qui non poſſunt inducere renuntiationem. Atque hinc cùm pleraque Regularium privilegia ſint meræ gratiæ, quæ in nullius gravamen redundant, ùt ſunt privilegia abſolvendi à reſervatis S. Pontifici, diſpenſandi in votis, impedimentis, irregularitatibus, benedicendi res ſacras &c. per non uſum vel uſum contrarium non amittuntur neque ceſſant: ac proinde ſi in litteris Pontificiis hæc clauſula, *dummodo ſint in uſu*, inſeratur, ea hujuſmodi privilegiis merè gratioſis nil officit, ſed tantùm iis, quæ odioſa ſunt ac aliis oneroſa; quin nec his quoad Regulares univerſaliter obeſt, quia Regularium privilegia, etiam cum gravamine conceſſa, conceduntur non uni tantùm perſonæ aut particularibus, ſed toti S. Ordini ſeu Religioni, quibus nemo in particulari renuntiare poteſt, neque præſcriptio contra talem facta officere valet toti Ordini. Verùm de his plura inferius; interim adverto, quòd in privilegiis ad inſtar Regularibus conceſſis, niſi conſtet de contrario uſu aut illorum nullum unquam fuiſſe uſum, ſupponatur eorum uſum fuiſſe tempore conceſſionis, cùm nullus præſumatur negligere, quæ in ſui favorem ſunt conceſſa. (*Adde*; hanc clauſulam non ſolere apponi in prima conceſſione, ſed tantùm in confirmatione & extenſione privilegiorum. Si itaque à ſummo Pontifice apponatur, ne

ca-

Digitized by Google

careat effectu, eoipſo ſupponendum eſt, in ſubjecta materia verſari aliquod præjudicium boni communis, aut diſciplinæ Eccleſiaſticæ, aut decoris publici. Nunquam proin, ubi reperitur illa clauſula, mens Pontificis eſt, indulgere confirmationem aut extenſionem, niſi in magna parte communitatis vigeat obſervantia.)

25 Clauſula 7ma eſt: *Dummodo SS. Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adverſentur*, circa quam obſervandum eſt, quòd per SS. Canones hic non intelligantur illi, qui in Corpore Juris Canonici habentur inſerti, illúdque conſtituunt, ſed Canones Concilii Tridentini, ita ut horum verborum ſenſus ſit: Dummodo SS. Canonibus Concilii Tridentini, ejúſque Decretis non adverſentur, prout eam etiam exponunt Rodriquez *to. 1. QQ. Reg Q. 8. art. 8.* de Peyrin. *in Conſtit. 1. Gregorii XIII. n. 1.* Barboſ. *Clauſ. 52. & Clauſ. 124.* Tamburin. *D. 18. to. 1. Q. 6. Cl. 1. n. 2.* Donatus *to. 1. tr. 11. Q. 14.* Reiffenſtuel *T. de privil. n. 113.* cum communi aliorum, & patet ex iſto contextu; tum quia aliàs nulla ac fruſtranea ſibique contradictoria foret omnis privilegiorum confirmatio, cùm privilegium de ſe & per ſe nihil aliud ſit, quàm lex quædam privata contra Jus commune, atque omnia ferè Regularium privilegia adverſentur Juri communi, & ſic SS. Pontifices confirmarent & non confirmarent privilegia, talitérque ſibi contradicerent, quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt: tum quia particula *&* eſt conjunctiva, atque adeò conjungit Canones Concilii cum ipſius Decretis: tum quia Canon græcè idem hìc eſt quod decretum, quemadmodum etiam Decreta Gratiani Canones ſolent appellari, & ſic Canonum ſtatuta ab omnibus obſervari mandantur *cap. 1. de Conſtit.* Certè ſi Pontifices quid aliud voluiſſent, clarioribus id debuiſſent verbis declarare. Quam ob cauſam & ad tollendum omnem ſcrupulum Sixtus V. confirmans anno 1587. privilegia Minorum omiſit ea verba: *SS. Canonibus*, quod etiam fecit Gregorius XIV. confirmando privilegia Ciſtercienſium, Jeſuitárum, ac Cruciferorum, aliíque Pontifices quidam ſubſequentes. Ratio autem, cur aliqui ex SS. Pontificibus utantur his verbis: *Sacris Canonibus & Decretis*, eſt: quia Concilium Tridentinum habet Canones & Decreta, atque hæc ipſa ſua Decreta ſubinde vocat Canones. Etſi verò pauci quidam exiſtimaverint illis verbis: *dummodo Decretis Concilii Tridentini non adverſentur*, excipi omnia privilegia eidem Concilio qualitercunque contraria, etiam illa, quibus non eſt addita Clauſula, *non obſtantibus*, quæ in ejusdem Concilii Decretis quandoque apponitur, aliquando verò omittitur, hiſce tamen repu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gnat communior eáque probabiliſſima DD. ſententia, qui docent, quòd per præfatæ clauſulæ verba: *dummodo Decretis Concilii non adverſentur*, non intendant, Pontifices eximere omnia & ſingula Regularium privilegia Decretis Concilii qualitercunque adverſantia, ſed illa ſolùm, quæ à Concilio expreſsè fuère revocata, cum adjecta clauſula, *non obſtantibus privilegiis*, aut ſimili; hoc ipſo enim, quòd Tridentinum quibusdam ſuis Decretis addiderit clauſulam, *non obſtantibus*, aut aliam ſimilem derogatoriam aut revocatoriam, aliis verò nullam talem appoſuerit, meritò præſumitur, noluiſſe Concilium ea revocare privilegia, quæ nullam ejusmodi clauſulam derogatoriam habent adjunctam, ſed ea reliquiſſe in ſuo vigore, ac valore, aliàs hisce quoque ſimilem addidiſſet clauſulam, aut certè illam prioribus fruſtra ac ſuperfluè appoſuiſſet Verùm de his plura inferiùs ex inſtituto. (*Adde*; hanc clauſulam non habere locum in conceſſione prima privilegiorum determinatè ac explicitè poſitorum. Cùm enim Romanus Pontifex in ſcrinio pectoris ſui comprehendere cenſeatur Canones Conciliorum Generalium, præſertim Tridentini, incongruè apponeretur ad privilegium explicitum determinatum. Habet ergò tantùm locum in confirmatione generali omnium veterum privilegiorum Ordinis, quæ non exprimuntur ab oratoribus, prout patet *ex Bulla 28. Pii V.* apud Rodriquez, *tom. 5.* quia Pontifex ſcire nequit, utrum inter privilegia ſic confuſè ſumpta non reperiantur aliqua anteriora Tridentino, quæ ab hoc Concilio fuerint revocata.)

Clauſula 8va: *Quatenus* vel *Dummodo non ſint revocata, aut ſub aliqua revocatione comprehenſa*, importat ac ſignificat, quòd S. Pontifex nolit ea privilegia confirmare aut revalidare, quæ per legem, Conſtitutionem, aut Decretum generale vel ſpeciale expreſsè vel tacitè fuerunt revocata. Dicuntur autem expreſsè revocata, quando non ſolùm verbis in ſpecie vel in particulari, ſed etiam per clauſulam generalem, ſcilicet non obſtantibus quibuscunque privilegiis, quæ clauſula regulariter ſufficit, licèt generica ſit; quia ſub genere comprehenduntur ſpecies, niſi tamen privilegia eo tenore ſint conceſſa, ut revocari non poſſint, niſi de iis expreſſa & ſpecialis fiat mentio, tunc enim non ſufficit ea generalis revocatio, prout neque in iis, quæ ſunt clauſa in Corpore Juris, aut per modum contractûs conceſſa. Tacitè cenſentur privilegia eſſe revocata per actum Principis privilegio conceſſo directè contrarium, ſeu qui non poteſt ſubſiſtere ſine revocatione prioris privilegii, dummodò poſſit præſumi, eum ſcire vel recordari privilegii antea conceſſi; hæc 26

ipſa

ipſa tamen clauſula non obeſt illis privilegiis, quæ, licèt aliquando fuerint revocata, poſtea tamen iterum de novo conceſſa fuerunt, ùt multa ſunt privilegia Regularium anno 1516. à Concilio Lateranenſi revocata, quæ tamen iterum à Leone X. Canonicis Regularibus ſunt conceſſa & anno 1519. de novo confirmata. Hujusmodi proinde privilegia non afficit prædicta clauſula, licèt in eorum confirmatione fuerit adjecta; quia, licèt priùs fuerint revocata, hoc ipſo tamen, quòd de novo iterum fuerint conceſſa ac confirmata, novam important gratiam, novúmque privilegium, in quod unicè tendit ac pro objecto habet ſubſequens confirmatio, & appoſita clauſula, ***dummodo non ſint revocata***, illud minimè comprehendit, utpote nullatenus poſt novam conceſſionem revocatum. Atque hinc in hujusmodi revocationibus attendendum eſt ad poſteriorem conceſſionem privilegii, & dicta clauſula juxta illam intelligenda. (*Adde*; hanc regulam non poſſe admitti, quòd privilegia munita hac clauſula, ut revocari non poſſint, quin eorum fiat ſpecialis mentio, nunquam revocentur, niſi eorum fiat expreſſa mentio. Cùm enim ſubſequens Pontifex aut Concilium generaliter poſſit derogare ejusmodi clauſulis, perinde eſt, quibus verbis aut ſignis eam ſuam intentionem derogatoriam exprimat. Si non id faciat verbis explicitis, ſufficit, quòd ex ſubjecta materia, & ex fine intento colligatur neceſſitas ejusmodi intentionis.)

Clauſula 9na. *Non obſtantibus quibuscunque in contrarium*, adhibetur ad derogandum Juribus vel legibus jam vigentibus, ejúsque præcipuus effectus eſt tollere omnia, quæ diſpoſitioni privilegii, cui inſeritur, obſtare poſſunt; unde poſita in aliquo Pontificis privilegio non ſolùm Jus commune, ſed etiam quodcunque privilegium ſibi contrarium abrogat & revocat, quod etſi non exprimatur, ſubintelligitur tamen; quia genus de ſe debet ſpeciem aliquam comprehendere. Attamen non tollit ea privilegia, in quibus ſpecialiter cautum eſt, quòd revocari non poſſint, niſi eorum ſpecialis fiat mentio, ac proinde hæc clauſula non ſufficit ad derogandum clauſulis derogatoriis derogatoriarum, niſi adderentur verba ſequentia aut æquivalentia: ***non obſtantibus quibuscunque privilegiis ſub quacunque verborum forma conceptis, aut etiamſi de illis, illorúmque totis tenoribus ſpecialis, expreſſa & individua, vel de verbo ad verbum fieri deberet mentio***, ùt docent cum communi Tamburin. *to. 1. D. 18. Q. 6. Cl. 13.* Donatus *to. 1. tr. 9. Cl. 8.* Reiffenſt. *T. de Priv. n. 125.* & patet ex textu harum clauſularum privilegiis & eorum revocationi inſertarum; hoc ipſo enim, quòd Pontifex privilegium concedens dicat: ei non derogari, niſi ſpe- 27

ſpecialis & expreſſa aut de verbo ad verbum ejuſdem fiat mentio, vult ei non derogari niſi facta tali mentione: & econtra ſi idem aut ejus ſucceſſor dicat in revocatione, quòd revocet privilegium, etiamſi dictam clauſulam habeat, eoipſo intendit revocare non obſtantibus ejusmodi clauſulis. Similiter clauſula illa generalis: *non obſtantibus quibuscunque in contrarium*, non ſufficit ad derogandum privilegio in Corpore Juris contento, niſi addatur clauſula: *etiamſi foret in Corpore Juris clauſum*; quia correctio Juris, quantum fieri poteſt, vitari debet: nec præſumenda eſt, niſi clarè exprimatur *arg. cap. cùm expediat 29. de Election. in 6.* nec ſufficit ad tollendam conſtitutionem conciliarem, ſeu in aliquo Concilio latam, niſi ſpecialis de ea fiat mentio; nec per eam clauſulam generalem revocantur privilegia per modum contractûs aut intuitu meritorum conceſſa, niſi idipſum exprimatur ſpecificè; quia talis revocatio præjudicaret Juri tertii, quod non poteſt hæc clauſula, ſicut nec tollere poteſt ea privilegia, quæ facta ſunt ad cauſas pias *arg. cap. Si propter 10. de Reſcript. in 6.* neque iis derogat privilegiis, quæ viduis & pupillis, aut quæ commiſerationis causâ, aut publicæ utilitatis gratiâ ſunt conceſſa: nec denique obeſt vivæ vocis oraculis, niſi expreſsè ſpecificentur. (*Adde*; hic iterùm limitandas eſſe has regulas; niſi ex ſubjecta materia & ex fine intento manifeſtum ſit, legislatorem velle revocare omnia illa privilegia, etiam ſic clauſulata, ut revocari non poſſint ſine mentione explicita, imò etiam contenta in Corpore Juris, aut facta in cauſas pias &c. Quia, ùt jam num. 27. monui, perinde eſt, ſive legislator intentionem ſuam derogatoriam etiam clauſularum, & privilegiorum exceptorum, exprimat verbis explicitis, ſive aliis ſignis ex circumſtantiarum evidentia, puta ex natura ſubjectæ materiæ, & Intentione finis, quæ ſine derogatione generaliſſima ſine ulla exceptione convenienter obtineri non poſſunt.)

Clauſula 10ma. *Quorum tenores volumus hìc habere pro expreſſis* dupliciter adhiberi ſolet tum in confirmatione ac communicatione privilegiorum, in quibus hæc clauſula ſi reperiatur, tollit neceſſitatem illorum inſerendi tenorem privilegiorum, quæ vel confirmantur vel communicantur: tum etiam in revocatione privilegiorum, in qua antecedenti clauſulæ, *non obſtantibus*, ſubjici ſolet, idque ideò, quia cùm privilegia præſertim in particulari conceſſa ſint innumera ac penè infinita, eorum omnium notitiam habere nequit S. Pontifex, multò minùs ea omnia privilegio ſuo inſerere aut in individuo revocare poteſt, atque adeò de ſtylo curiæ hæc clauſula ſufficit ad derogandum quibuscunque privilegiis 28

utut

utut qualificatis, & etiamſi clauſulam haberent derogatoriam, quòd de illis illorúmque totis tenoribus ſpecialis ac expreſſa & de verbo ad verbum fieri debeat mentio, & ratio eſt; quia hæc clauſula habet vim ſpecialis & individuæ expreſſionis cum omnibus ſuis qualitatibus, ùt docet Menochius *Conſil.* 103. tollitque derogatorias derogatoriarum juxta Gregor. *Deciſ.* 109. *n.* 11. facitque, ut neceſſe non ſit illarum Conſtitutionum ac privilegiorum tenorem inſerere, quæ revocantur, ſed eorum tacitè inducit ſcientiam. Interim tamen non operatur in præjudicium tertii, aut Jus quæſitum auffert, præſertim cujus notitiam non habuit Pontifex, ſed potiùs operatur in præjudicium concedentis: neque ſupplet defectum intentionis, nec operatur in iis, quæ conſiſtunt in facto ignorato, nec tollit defectus, per quos gratia ſit nulla aut ſubreptitia, ùt multis aliis citatis docet Barboſa *in tract. de Clauſulis. Cl.* 127. Tamburin. *to.* 1. *D.* 18. *Q.* 6. *Cl.* 14. Donatus *to.* 1. *tr.* 9. *Cl.* 9. defectus Juris poſitivi tollat faciátq́ privilegium validum, quod aliàs eſſet invalidum; quia poſitâ hac clauſulâ cenſetur Pontifex diſpenſare. Secùs dicendum de defectibus Juris divini ac naturalis. *arg. Clement. Sapè* 2. *de V. S.* & *Clement. Paſtoralis* 2. *de ſent. & re Judic.* ſimiliter neque ſupplet defectus, qui concernunt perſonam ſupplicantis, neque defectus naturales aut eos, qui à natura proveniunt, etiamſi adjungatur de plenitudine poteſtatis. Nec ſupplet obreptionem, dolum & fraudem, quia doloſa impetratio privilegium reddit nullum, nec denique operatur in præjudicium tertii. *V.* Barboſa *in hac Clauſula.* Cæterùm quando hæc clauſula tollit defectus aliquos ſive accidentales ſive ſubſtantiales Juris vel facti, eos non tollit quoad omnia, ſed tantùm in ordine ad privilegium, cui inſertum eſt, & ad hoc ut privilegiatus illo poſſit uti; quantum verò ad alia & alios actus nullo modo cenſetur habilitatus, aut in ſuis defectibus diſpenſatus.

29 Clauſula 11ma. *Supplentes omnes ac ſingulos defectus Juris & facti*, ubi eſt inſerta privilegio, id operatur, ut, ſi privilegium conceſſum ſit in forma communi, defectus ſuppleat accidentales Juris vel facti: ſi verò ſit motu proprio & ex certa ſcientia aut ex plenitudine poteſtatis conceſſum, omnes etiam ſubſtantiales

Clauſula 12ma. *Decernentes irritum & inane, ſi ſecùs à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari,* 30 ſolet apponi in fine privilegiorum, qua poſita irritantur, ac annullantur omnia, quæ privilegio contraria ſunt *cap. Si eo tempore* 45. *de elect. in* 6.

in 6. ita ut actus contra privilegium tali clauſula irritante munitum ſit ipſo Jure nullus, quod procedit ſive privilegium ſit conceſſum motu proprio ſive non; præterea inficit titulum ac poſſeſſionem ad præſcriptionem requiſitam non modo eam, quæ prætenditur capta, ſed etiam immemorialem & quomodocunque præſcriptam, ac proinde tollit præſcriptionem nedum in futurum, ſed etiam in præteritum, unde dicitur, quòd decretum irritans habeat oculos retrò, & operetur nullitatem ab initio; derogat conſuetudinibus tam præteritis quàm futuris, unde contra hanc clauſulam non poteſt adduci conſuetudo, nec contra eam allegari poteſt non uſus vel uſus contrarius, facitque ut privilegio, in quo reperitur, non derogetur, niſi per derogationem ſpecialem. Hæc clauſula irritans afficit etiam ac ligat ignorantes non quidem quoad pœnam, ſed quoad nullitatem, etiamſi particulæ illæ ſcienter & ignoranter non apponantur expreſsè, ſemper enim ſubintelliguntur, ùt habetur *in cap. 1. V. adjiciebatur de Conceſſione Præbend. in 6.* & ponuntur potiùs ad omnem dubitationem tollendam, quàm de neceſſitate aliqua (*Adde*; Extenſionem & latitudinem omnium harum clauſularum unicè dependere ab intentione concedentis, quæ, cùm ſit conformis legibus prudentiæ gubernativæ & legislativæ, haud dubiè talis præſumenda eſt, qualis debuit eſſe. Argum. tex. in l. quædam mulier. ff. de rei vindic. *In dubio præſumitur id factum* (intentum) *quod de Jure erat faciendum* (ſeu intendendum) Itaque talis eſt præſumenda, eſt intentio & mens clauſulæ, qualem exigit bonum publicum, decor Eccleſiæ, ordo communis, æquitas, natura ſubjectæ materiæ, & finis intentus.)

Clauſula 13tia. *In foro* 31
Conſcientiæ, frequenter adhibetur in privilegiis Regularium quoad abſolutiones à cenſuris vel diſpenſationes in irregularitatibus, idq; operatur, ut abſolutio vel diſpenſatio valeat coram Deo, etſi non valeat coram Eccleſia ac in foro externo. Neque per hoc deſinit in foro conſcientiæ facta, quòd hujusmodi abſolutio vel diſpenſatio fiat coram aliis; quia hoc non obſtante fit ſine ſtrepitu judicii, ac ſine præjudicio tertii; atque hinc taliter abſolutus aut diſpenſatus poterit occultè celebrare coram Deo absque periculo incurrendi irregularitatem. Etſi verò non deſint DD. graviſſimi, qui tenent ac defendunt, privilegium pro foro conſcientiæ valere etiam pro foro externo, & abſolutos ac diſpenſatos in foro conſcientiæ à benigno Judice habendos eſſe pro abſolutis etiam in foro externo: communior tamen ſententia docet, abſolutum pro foro conſcientiæ non eſſe abſolutum pro foro exteriori, ſed pro hoc indigere alia abſolutione aut diſpenſatione ad hoc,

ut

Digitized by Google

ut ab aliis pro abſoluto ſeu diſpenſato habeatur, quemadmodum docent Navarrus, Covarruvias, Sayrus, Sanchez, quos citat & ſequitur Barboſa *in tract. de loc. Commun. loco 50.* Tamburinus *to. 1. D. 18. Q. 6. Clauſ. 7.* Ratio eſt; quia utriusque fori judicium tendit ad diverſos fines; nam in foro conſcientiæ conſideratur compenſatio offenſæ divinæ, in foro autem externo attenditur ad publicam vindictam & ſatisfactionem Reipublicæ, quam reus pravo ſuo exemplo offendit.

Sectio IV.

De iis, qui privilegia concedere poſſunt.

32 REgula generalis eſt, quòd omnis & ſolus ille privilegium concedere poſſit, qui legem condere poteſt. Ratio eſt, quia, cùm privilegium ſit lex quædam privata, requirit in concedente poteſtatem quamdam legiſlativam, ſive enim privilegium ſit contra ſive præter Jus, non ab alio poteſt conferri, quàm qui ſupra legem habet auctoritatem; nam ſi eſt contra Jus ſive legem, concedens abſolvit & eximit privilegiatum ab obſervatione Juris & legis communis: atqui ab obſervatione legis communis nemo poteſt eximere, niſi qui poteſt condere legem. *arg. Can. Inferior. 4. diſt. 21. & cap. Cùm inferior. 16. de major. & obed.* & Gloſs. communiter recepta *in Can. quòd autem. cauſa 25. Q. 2.* Si verò privilegium eſt præter legem, ab alio iterum concedi non poteſt, quàm qui eſt ſupra legem, & qui poteſt operari præter legem, ùt iterum clarum eſt atque perſpicuum. Accedit, quòd privilegium, qualecunque illud ſit, adſtringat omnes, ne privilegiatum impediant ab uſu privilegii: atqui hoc nemo poteſt facere, niſi qui aliis poteſt imponere legem. Quinam verò in ſpecie poſſint concedere privilegia, id hoc loco examinabimus, ac primò quidem: Quinam poſſint concedere privilegia in temporalibus? 2dò. Quinam in ſpiritualibus? 3tiò. An ad licitam & validam collationem privilegii requiratur juſta cauſa? 4tò. An SS. Pontifices licitè & validè concesserint Regularibus tam ampla privilegia?

Dico 1mò. *Omnes & illi ſoli, qui ſupremam habent in certum territorium ac abſolutam poteſtatem & jurisdictionem, conferre poſſunt in temporalibus privilegia: ſubditis quidem* 33

 con-

contra Jus, non ſubditis verò etiam præter Jus.

Ita communis DD. & probatur. Omnes & illi ſoli poſſunt conferre privilegia, qui poſſunt condere legem: ſed omnes & illi ſoli poſſunt in temporalibus condere legem, qui ſupremam & abſolutam habent in certum territorium poteſtatem & Jurisdictionem; ergò hi omnes & ſoli poſſunt in temporalibus conferre privilegia: contra Jus quidem ſubditis tantùm propriis; quia privilegium contra Jus eſt exemptio à lege ac diſpenſatio in lege: atqui eximi à lege, & in lege diſpenſari poſſunt tantùm ſubditi, cùm hi tantùm teneantur legibus. Privilegia verò præter Jus conferri etiam poſſunt non ſubditis; quia conceſſio privilegii præter Jus eſt actus meræ liberalitatis ac quædam donatio, cùm unicè conferat gratiam, ad quam concedendam nulla requiritur Jurisdictio: quemadmodum igitur quivis etiam non ſubditus capax eſt donationis & gratiæ recipiendæ, ita & privilegii hujusmodi gratiam continentis: debet tamen privilegium ejusmodi eſſe de materia ſubjecta Principi privilegium concedenti, & circa quam ille ſubditos cogere poſſit, ne privilegiatum impediant ab uſu privilegii. Ex quibus omnibus ſequitur, quòd S. Pontifex poſſit in temporalibus concedere privilegia in terris dominio ſuo temporali ſubjectis; quia reſpectu hujus ſupremam habet & abſolutam poteſtatem ac Jurisdictionem. Similiter poteſt Imperator concedere privilegia pro toto imperio, Reges pro regnis ſuis, Principes alii ſæculares, Respublicæ ac Magiſtratus, atque etiam Epiſcopi ac Prælati inferiores, in quantum nempe temporalem & abſolutam in certum territorium habent Jurisdictionem; cùm enim ibidem ſupremam habeant, ùt ſupponitur, poteſtatem condendi leges, eandem quoque habebunt privilegia concedendi facultatem.

Dico 2dò. *S. Pontifex, tanquam ſupremus Princeps in ſpiritualibus, poteſt omnibus & ſingulis Chriſtianis etiam ſupremis Principibus ac Regibus, concedere privilegia in ſpiritualibus: cæteri verò Prælati & Epiſcopi pro ſuo tantùm territorio in ſpiritualibus ſibi ſubjecto.* 34

Ita certa ac indubitata ſententia, & quidem quoad S. Pontificem res clara eſt; quia in S. Pontifice, tanquam in Vicario Chriſti & ſucceſſore Petri, reſidet abſoluta in totam Eccleſiam poteſtas ſpiritualis ac Jurisdictio, vi cujus Chriſtiani omnes tam ſæculares, quàm Eccleſiaſtici, cujuscunque demum conditionis, eidem ſubjecti ſunt in ſpiritualibus,

ùt

Digitized by Google

ùt ſæpiùs definitum eſt in pluribus Conciliis præſertim Nicæno *Can. 39.* Calcedonienſi *Act. 3.* Lateranenſi *ſub Innocentio III.* ac Florentino *ſub Eugenio IV. ſeſſ. 14. in Decreto unionis,* ubi res hæc præſentibus Græcorum Imperatore & Patriarcha Conſtantinopolitano, pluribúſque Epiſcopis Græcis ac Legatis Patriarcharum Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ Eccleſiarum clariſſimis verbis deciſa habetur: atqui poteſtas concedendi privilegia in ſpiritualibus eſt actus abſolutæ poteſtatis ac Jurisdictionis ſpiritualis, continetúrque velut ſpecies in genere: ergò in S. Pontifice tanquam Chriſti Vicario & Petri ſucceſſore reſidet abſoluta in totam Eccleſiam poteſtas conferendi privilegia in ſpiritualibus, vi cujus ea omnibus & ſingulis Chriſtianis poteſt concedere. Id certè demonſtrant innumera, quæ SS. Pontifices identidem jam à primis Eccleſiæ ſæculis tam Imperatoribus ac Regibus aliiſque Principibus ſæcularibus, quàm Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque diverſorum Ordinum Eccleſiaſticis per totum terrarum orbem contulerunt & in dies conferunt privilegia. Accedit, quòd S. Pontifex, utpote caput Eccleſiæ, poſſit in ſpiritualibus per univerſum mundum Chriſtianis condere legem: ergò iiſdem multò magis concedere privilegia; ob quam rationem poſſunt etiam Epiſcopi & alii Prælati Papâ inferiores per ſuum, ſi quod habent, ſubjectum ſibi territorium, privilegia concedere, ùt etiam ſupponitur *cap. cùm olim 14. de Privil.* cùm inibi etiam poſſint leges condere. Hæc ipſa tamen poteſtas eſt illis in tantùm limitata, quòd nulla poſſint privilegia concedere contra Jus commune, niſi quatenus hoc illis vel de Jure, vel de conſuetudine conceſſum eſt; ſolùm igitur poſſunt diſpenſare in legibus vel à ſe vel ab Anteceſſore ſuo conditis.

35 Neque dicas: Nemo poteſt derogare juſtitiæ, aut ei adverſum quidquam & contrarium ſtatuere: ſed ſi S. Pontifex poſſet conferre privilegia, aut quivis alius Princeps contra Jus commune, derogarent juſtitiæ, eique contrarium quid ſtatuerent; quia concedendo ejusmodi privilegia aliquos eximerent à lege, alios obligarent lege, quod repugnat juſtitiæ legali & diſtributivæ, quæ vult ut omnes pariformiter obligentur legibus. Reſp. D. nemo poteſt derogare juſtitiæ commutativæ tr. quia neque hoc univerſaliter verum eſt; nemo poteſt derogare juſtitiæ legali aut diſtributivæ n. etſi enim hæc per ſe requirat, ut omnes pariter obligentur lege, & ab ea nemo eximatur, hoc tamen non ita ſtrictè obligat, ut non poſſint aliqui rationabilibus ac juſtis de cauſis ab ea eximi; cùm enim lex, qua tota obligatur communitas, omniáque illius membra tam in fieri quàm in conſervari dependeant à voluntate legislatoris, in

in ejus quoque poteſtate conſiſtit, an eam velit condere aut conditam vel in toto abolere, vel in parte abrogare, eximendo aliquos ab ejus obligatione, in quo nulli facit injuriam, cùm ſua utatur poteſtate. An verò id poſſit pro libitu absque ulla juſta ac rationabili cauſa, an verò talis requiratur, id nunc decidendum eſt, unde ulterius

36 Dico 3tiò. *Ad hoc, ut quis, ſive in temporalibus, ſive in ſpiritualibus, licitè concedat privilegia, requiritur juſta cauſa: nulla talis requiritur, ut quis ea validè concedat.*

Communis Authorum & probatur: Juſtitia diſtributiva ac legalis exigunt, ut nemo ſine juſta ac rationabili cauſa eximatur à lege communi: ergò pariter exigunt, ut nemini concedatur privilegium contra Jus commune ſine juſta ac rationabili cauſa; cùm privilegium contra Jus ſit exemptio à lege communi. Sed neque ſine juſta cauſa licitè conceditur privilegium præter Jus; cùm id fieri vix poſſit ſine prodigalitate & acceptione perſonarum, eſſétque talis poteſtas potiùs in deſtructionem ac diviſionem quàm in ædificationem, inducerétque improportionem membrorum, quod pariter repugnat juſtitiæ diſtributivæ ac legali; quamquam minor requiratur cauſa ad privilegium præter Jus, quàm ad privilegium contra Jus concedendum. Quòd autem validè concedantur privilegia etiam ſine juſta cauſa, ex eo probatur, quòd privilegia ſuum habeant valorem à ſola voluntate concedentis: ergò ſicut is validè poteſt alicui facere gratiam & favorem, ita & concedere privilegium præter Jus, utpote quod nihil aliud eſt, quàm favor aut gratia: & ſicut is pariter ſine ulla cauſa poteſt tollere validè legem & ex toto abrogare, ita etiam ex parte, unum vel alterum eximendo ab obligationibus legis concedendo ſpeciale privilegium, atque adeò etiam validè ſine juſta cauſa conferre privilegium contra Jus. Nec obeſt, quòd indulgentiæ ſine juſta ac rationabili cauſa conceſſæ non tantùm illicitæ ſint, ſed etiam invalidæ, etſi non minùs gratiæ ſint ac favores, quàm privilegia; nam indulgentiæ dependent à voluntate Chriſti, qui eas diſpenſandi poteſtatem non aliter conceſſit, quàm rationabilibus de cauſis, ùt dicitur *Extravag. Unigenitus 2. de Pœnit. & Remiſſ.* cùm igitur S Pontifex indulgentias non concedat ut dominus, ſed tantùm ut diſpenſator meritorum Chriſti, non poteſt eas aliter, nequidem validè, quàm rationabilibus de cauſis, concedere. (*Adde*; hanc concluſionem quoad valorem privilegiorum contrariantium directè Decretis Conciliorum generalium & legibus Eccleſiaſticis

ex

ex traditione Apoſtolica deſcendentibus non eſſe illimitatè veram. Quia ſi daretur manifeſtus abuſus Pontificiæ poteſtatis, talis actus eſſet potiùs conſiderandus tanquam actus perſonæ, non tanquam actus officii; conſequenter non foret ratus à Chriſto, nec comprehenderetur implicité ſub objecto poteſtatis à Chriſto conceſſæ; ſicut patet à pari in poteſtate Vicarii, Prætoris, Vice-regis, Oeconomi, tutoris &c.)

37 Dico 4tò. *SS. Pontifices defacto conceſſerunt Regularibus non minùs licitè, quàm validè, plurima privilegia utut ampliſſima.*

Probatur: SS. Pontifices juſtiſſimis ac graviſſimis de cauſis conceſſerunt hactenus Regularibus omnia privilegia utut ampliſſima: ergò non minùs licitè quàm validè conceſſerunt Regularibus iſta privilegia utut ampliſſima. Ant. patet: Cauſæ enim & motiva, quibus inducti ſunt SS. Pontifices ad concedenda Regularibus tam ampla privilegia fuêre maxima in univerſam Eccleſiam ac Sedem Apoſtolicam merita, & uberrimi fructus, quos nullo non tempore in populo Chriſtiano protulerunt, ac etiamnum proferunt. Per illos enim poſt SS. Apoſtolos jam à primis Eccleſiæ ſæculis dilatata eſt Chriſti Religio, ac per totum terrarum orbem propagata: Hi ſunt, qui efferatiſſimas gentes ſuavi Chriſti jugo ſubdidère, & ab idololatria ad Catholicam fidem innumeris miraculis traduxerunt: Illis debetur maximè, quòd idolorum cultus fuerit ſubverſus, hæreſes profligatæ, ac ſchiſmata ſublata. Quæ enim regio, quæ pars terræ eorum non plena laboribus, madéfacta ſudoribus, ac conſperſa ſanguine? Quot non dedère Regulares Eccleſiæ Catholicæ SS. Pontifices, qui Eccleſiam Catholicam ſanctiſſimè rexerunt, qui Petri naviculam inter innumeras ac graviſſimas hæreſum ſchiſmatúmque procellas jamjam ſubmergendam ab interitu præſervârunt, qui nutantem Sedem Apoſtolicam fortiſſimè ſuſtinuerunt, atque etiam ringentibus licèt orci furiis erexerunt? certè ex ſolo noſtro Canonicorum Ordine ad quinquaginta refert Joan. de Nigravalle, Melegarius, ac Adamus Sigefridus, Cathedralis Eccleſiæ Lavantinæ Præpoſitus, in ſuo ſplendore Ordinis Canonici. Quot non iidem ſubminiſtârunt fortiſſimos juxta & ſapientiſſimos Cardinales, qui SS Pontificum Coadjutores fideliſſimi iiſdem nullo non tempore & conſiliis & opere adfuêre, quique Eccleſiam & integritate morum & ſanctitate vitæ illuſtrârunt? quot non conceſſerunt viduatis Eccleſiis Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos, qui velut luciſſima ſydera ſubjecto ſibi populo in hujus mundi tenebris præluxerunt, & ad vitam cœleſtem traduxerunt? Quid re-

referam innumeros eóſque fortiſſimos Martyres, qui profuſo ſanguine Eccleſiam irrigârunt? Quid alios ſanctitate clariſſimos, ac ſtupendis prodigiis admirabiles viros? quorum numerum ſi vellem inire, faciliùs ſtellas cœli enumerarem, & arenam in littore maris. Nihil hìc dicam de viris omni doctrinarum genere celeberrimis, quibus ſcientiæ omnes aut ſua debent incunabula aut certè ætatem, quâ ad noſtra usque tempora fuêre conſervatæ. Nihil ediſſeram de iis, qui nullo non ævo fidem Catholicam ac Sedem Apoſtolicam adverſus ejusdem hoſtes calamo ſunt tutati, quique infinitos penè libros conſcripſerunt, quibus plenæ ſunt omnes Bibliothecæ? nil denique de innumeris aliis, qui ad hanc usque diem indefeſſi ac imperterriti in hæreticis ac Infidelibus in viam veritatis dirigendis, peccatoribus ad pœnitentiam excitandis, & probis in bono confirmandis magisque radicandis tum in S. tribunali, tum in cathedra, tum alibi inſudant? Idque non tantùm præſtant Recentiores ac Mendicantium Ordines, ſed & vel maximè antiqui etiam, quorum potiſſimùm operâ ac fervore ultra mille annos ante illorum ortum ſtetit Eccleſia. Hæc verò omnia, ut alia innumera ſilentio præteream, quis negabit eſſe graviſſimas ac juſtiſſimas cauſas ac motiva concedendi Religioſis Ordinibus ampliſſima privilegia, qualia hactenus conceſſerunt, & identidem majora concedunt ac confirmant SS. Pontifices, qui in concedendis ejusmodi privilegiis ad eorum merita reſpicere ſolent, ùt proinde quamplures iique graviſſimi tum Theologi, tum Canoniſtæ indubitanter aſſerant, privilegia Regularium eſſe abſolutè remuneratoria, id quod & ipſi SS. Pontifices fatentur, dum ſe ejusmodi privilegia intuitu tantorum meritorum concedere profitentur, prout taliter ad concedenda Canonicis Regularibus ampliſſima privilegia ſe motos eſſe confitentur Eugenius IV. in Bulla: *Cùm ad ſacratiſſimam. Anno 1446. Calend. Januar.* & in Bulla: *ad ſacram Petri ſedem. Anno 1445. 4. Idus Januar.* Sixtus IV. in Bulla: *Regimini univerſalis. Anno 1472. Calend. Maji.* & in Bulla: *Dum ad univerſos. Anno 1477. 10. Calend. Sept.* Julius II. in B. *inter cæteros. Anno 1512. 4. Nonas April.* & ut alios taceam, noviſſimè Benedictus XIII. in Bulla: *In Sede B. Petri. 7. Cal. April. Anno 1729. Pont. 5.*

Verùm dicet fortè unus aliquis: 38
Etſi Pontifices nonnulli Regularibus quibusdam conceſſerint privilegia intuitu meritorum, ac ſervitiorum, quibus Eccleſiæ Catholicæ profuerunt plurimùm, alii tamen multi Religioſis Ordinibus conceſſerunt privilegia ex inordinato, quo in eos ferebantur amore, præſertim quando ex Regulari quopiam Ordine ad Pontificatum fuerunt aſſumpti, quo caſu absque intuitu meritorum ſine ulla rationabili aut ſaltem gravi cauſa cæco affectu ducti illis maxima

Digitized by Google

ma contulerunt & ampliſſima privilegia, eáque ſæpiùs ad importunas talium Regularium preces, nec infrequenter etiam ſub- & obreptitiè extorta, quæ ſanè, cùm ſint ipſo Jure nulla & irrita, per ſe concidunt, ac nihili ſunt facienda. Verùm quisquis eſt (ſunt autem hodie permulti) qui ita ſentit, temerarius planè eſt ac injurioſus in SS. Pontifices; talis enim præſumptio, de ſupremo Eccleſiæ univerſalis Capite concepta, maxima temeritas eſt & injuria, qua major vix poteſt inuri SS. Pontificum auctoritati, probitati, juſtitiæ ac prudentiæ: quaſi verò SS. Pontifices ſuis affectibus ac paſſionibus unicè regerentur, omnia cæco modo agerent, nihil æqua lance perpenderent, ſibique ab aliis pro libitu imponi ſinerent: quod equidem de SS. Pontificibus, qui non modò ratione & æquitate ducuntur, ſed & lumine ac radio Spiritûs S. ipſis inſeparabiliter aſſiſtentis illuſtrantur, vel cogitare ſcelus eſt graviſſimum ac hæreſi proximum. Quis enimverò arguet Gregorium Magnum, ſanctiſſimum illum Pontificem, utut ex Monachis ad S. Pontificatûs apicem evectum, quòd is primus inter privilegia maximum, nempe exemptionem ab Ordinariis, & quæ inde conſequuntur privilegia alia primus invexerit, ac Regularibus conceſſerit in Concilio Lateranenſi *Anno 601. Nonis April.* ùt ex Originali Bibliothecæ Vaticanæ refert Binius *to. 2. Conciliorum*? Quis alios reprehendet SS. Pontifices, qui dum privilegia hactenus conceſſerunt Regularibus, ea ſe motu proprio & ex certa ſcientia conferre teſtantur? Si autem ex certa ſcientia & motu proprio ea conceſsère, num ſub- & obreptitiè? num ea tibi videntur per importunas Regularium preces extorta? Nónne iſtud calumniam ſapit ac injuriam in æquiſſimos Pontifices? an verò neſcis aut neſcire te fingis, quòd id, quod ex motu proprio aut ex certa ſcientia fit, fieri non poſſit cæco modo aut ſine ulla rationabili aut gravi cauſa? Si enim ſola voluntas Principis habetur pro juſta cauſa, ùt Bartolus in *L. Regular. ff. de pœnis*, & Abbas *in cap. niſi ſpecialis 3. de Offic. Legat.* cenſent & docent, quanto magis voluntas S. Pontificis ex motu proprio & ex certa ſcientia aliquid ſtatuentis? Quid? quòd SS. Pontifices Regularibus concedentes privilegia, plerumque etiam ſe illa concedere aſſerant ex plenitudine poteſtatis, cujus clauſulæ tanta vis eſt & efficacia, ut teſte Cardinali Tuſcho, ubi reperitur inſerta, nihil poſſit opponi: an & tunc tibi privilegia videbuntur nulla atque irrita? an ergò non licet SS. Pontificibus, quod aliis Principibus?

Sectio V.

De modis acquirendi privilegia.

39 DIco 1mò. *Privilegia acquiruntur conceſſione Principis.* Nomine autem conceſſionis hìc intelligitur talis actus, quo ſimpliciter & ſine reſpectu ad aliud privilegium præexiſtens conceditur à Principe privilegium. Id porrò dupliciter fieri poteſt; 1mò ex mera liberalitate Principis ſine ullis antecedentibus precibus, nec ad ullius inſtantiam. 2dò. ad preces & inſtantiam privilegiati. Qui precibus obtinere nititur privilegium, cavere debet, ne illud ſub-vel obreptitiè impetret; aliàs taliter impetrata gratia foret nulla: tunc autem propriè committitur obreptio, quando in ſupplicatione exprimitur falſum: ſubreptio verò, quando reticetur vel ſupprimitur verum, quoquomodo ex iſtis vitietur privilegium, non prodeſt impetranti; quia in omni conceſſione privilegii ad preces & inſtantiam exprimitur vel ſubinintelligitur clauſula: *ſi ita eſt*, aut: *ſi preces veritate nitantur*: atqui ob- & ſubreptio veritatem tollit, hæc quidem tacendo, illa autem falſitatem exprimendo: igitur quacunque ex his interveniente vitiatur privilegium, nec immeritò; cùm enim in tali caſu privilegium procedat ex ignorantia vel errore, meritò præſumitur deeſſe conſenſus in concedente, utpote cui nil magis contrarium eſt quàm error, prout dicitur *L. Si per errorem 15. ff. de Jurisdict.* Atque hinc ejusmodi privilegia ſub- & obreptitiè impetrata ipſo Jure nulla atque irrita eſſe clarè ſtatuitur *cap. ad audientiam 31. de Reſcript. cap. Si motu 23. de Præbend. in 6.* & *Clement. 1. eodem.* qui igitur precibus intendit impetrare privilegium, tenetur in ſupplicatione ea omnia exprimere quæ vera ſunt, nec quidquam falſi admiſcere aut aliquid ſubticere, quæ veriſimiliter poſſet animum Principis retrahere ab hujusmodi gratiæ ac privilegii conceſſione, ſi illud ſciviſſet. Ex quo ipſo à contrario ſequitur, quòd privilegium haud vitietur ex omnibus tacitis, quæ non moviſſent ad non concedendum.

Dico 2dò. *Privilegia poſſunt etiam acquiri conſuetudine legitimè præſcripta.* 40 Ita DD. communiſſimè, deſumitúrque ex *cap. novit. 13. juncta Gloſſ. V. conſuetudinem. de Judiciis.* ubi Innocentius III. conſuetudinem æquiparat privilegio, *niſi fortè Juri communi per ſpeciale privilegium vel contrariam*

riam conſuetudinem aliquid ſit detractum. ubi quoque Gloſſa ſic habet: *nota, quòd conſuetudo parificatur privilegio.* Idem habetur *Can. Conqueſtus. 8. Cauſ. 9. Q. 3. & cap. ſuper quibusdam. 26. ℣. præterea de V. S.* & ratio patet; ſive enim privilegium eſt contra legem, tunc ſicut conſuetudo legitimè præſcripta poteſt abrogare legem in totum, ita multo magis eandem abrogare poteſt ex parte ac ſpecialem facultatem concedere aliquid agendi contra legem, aut ſeſe omninò eximendi à lege. Si verò conſuetudo eſt talis aut præter legem, tunc ſicut alia jura præſcribi poſſunt, ita & alia privilegia; ſic enim per conſuetudinem legitimè præſcriptam acquiritur Jurisdictio *arg. cap. duo ſimul. 9. & ibi Gloſſ. ℣. conſuetudo. de Offic. Jud. Ordin.* & *cap. cùm contingat. 13. de for. compet.* cum concordantiis; per eam ſimiliter acquiri poteſt jus exigendi tributa & pedagia. *cap. ſuper quibusdam cit. & ibi Gloſſ. V. non extat memoria.* Taceo alia ejusmodi, quorum plurima in Jure habentur exempla, quæ conſuetudine legitimè præſcripta acquiri poſſunt: non eſt igitur, cur non poſſint etiam conſuetudine acquiri privilegia præter legem, cui etiam ſatis clarè ſuffragatur Jus civile *L. hoc jure §. ductus aquæ ff. de aqu. quotidian. & æſtiv.* ubi dicitur, quòd conſuetudo habet vim conſtituti & privilegii, & quod per illam probatur præſumptivè quilibet titulus allegatus pro illa. Neque ad hujusmodi conſuetudinem vel præſcriptionem requiritur conſenſus aut ſcientia Principis vel Legislatoris ſaltem ſpecialis ac perſonalis; quia *cap. fin. de conſuet.* & *L. de quibus 32. ff. de Leg.* nulla fit talis ſcientiæ vel conſensûs, ſed tantùm requiritur legalis, ſeu, ùt alii vocant, juridicus, qui habetur per leges & Canones conſuetudinem introductam approbantes, eique tribuentes vim Juris non ſcripti, ſi illa rationabilis fuerit & legitimè præſcripta. *cap. fin. cit.* (*Adde*; hunc conſenſum legalem ſeu juridicum non ſemper ſufficere ſine ſcientia particulari; quia nonnunquam privilegia cedunt in præjudicium tertii, vel in detrimentum boni communis, æquitatis publicæ, recti ordinis, & gubernii &c. in quibus omnibus ſuprema lex, quæ eſt ſalus & decor Reipublicæ Chriſtianæ, vetat accedere conſenſum juridicum ſeu legalem, niſi præcedat ſcientia particularis intereſſatorum, ac præſidum Reipublicæ v. g. Epiſcoporum. Et eſt paritas cum præſcriptione in aliis materiis, utpote quæ & ipſa non ſemper currit contra abſentes, aut ignorantes, præſertim contra Romanam Eccleſiam, ad quam ob paritatem rationis pertinet etiam totus ſtatus Hierarchicus Eccleſiæ.)

Verùm dubium hic eſt, quænam in ſpecie acquiri poſſint conſuetudine? & præcipuè an Prælati inferiores v. g. Archidiaconi, Abbates &c. præſcribere poſſint Jurisdictionem & alia Jura Epiſcopalia? 41

R. cum communiori DD. ſententia affirmativè; ita enim deciſum habetur *cap. auditis 15.* & *cap. cùm olim. 18. de Praſcript.* & firmat Gloſs. *in dict. cap. auditis. V. Jus Epiſcopale.* ac docent Panormitanus *in cit. cap. auditis n. 4. 5. & 6.* & *in cap. cùm olim. cit. n. 4. & 5.* Gonzalez. *in cap. auditis &c. n. 8.* Vivianus *ibidem.* Barboſa *n. 1. & de Offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. allegat. 127.* Fagnanus *in cap. cùm olim. n. 10.* Layman *ibidem. n. 2.* Pirrhing. *de Praſcript. n. 28.* Aſcan. Tamburin. *to. 1. D. 19. Q. 1.* qui hoc ſæpiùs in S. Rota deciſum fuiſſe teſtatur. Ratio eſt, tum quia conſuetudine acquiri poſſunt omnia, quæ longo tempore acquiri ſpecialiter non prohibentur. *L. uſucapionem 9. ff. de uſurp. & uſucap. L. ſicut. 3.* & *L. omnes. 4. Cod. de praſcript. 30. vel 40. ann.* ſed Jurisdictio & Jura Epiſcopalia non prohibentur acquiri conſuetudine aut præſcriptione, ſed potiùs illud ipſum fieri poſſe ſupponunt Jura ſupra allegata: tum quia omnia Jura, quæ Prælati inferiores poſſunt poſſidere, poſſunt etiam conſuetudine legitimè præſcripta obtinere *arg. cap. cùm olim. cit.* ſed Prælati inferiores poſſunt Jura Epiſcopalia, & ea quæ ſunt Jurisdictionis Epiſcopalis poſſidere, ùt plurimorum docet experientia & uſus: ergo & conſuetudine legitimè præſcripta obtinere: idque non tantùm cumulativè cum Epiſcopo, ſed etiam privativè, ita ut Epiſcopus privetur & excludatur ab uſu ejusmodi Jurium Epiſcopalium, quæ præſcripſit Prælatus inferior. Tunc autem cenſetur privativè præſcripſiſſe, ſi per tempus lege definitum ſolus exercuit Jurisdictionem, aliáque Jura Epiſcopalia: Epiſcopus verò vel alius ejus nomine, contra quem præſcriptio proceſſit, intra illud tempus nec ſua uſus eſt Jurisdictione, nec jura exercuit Epiſcopalia. Cumulativè verò, ſi Epiſcopus, contra quem præſcriptio completur, intra illius tempus etiam exercuit Jurisdictionem & alia Jura, quæ ſimiliter Prælatus præſcribens quaſi poſſidens exercuit. Neque dicas: tali modo interrumpi præſcriptionem, ſi interea Epiſcopus ſuam exercuit Jurisdictionem; nam tantùm interrumpitur privativè, non autem cumulativè; quia præſcriptioni Jurisdictionis cumulativæ non obeſt, quòd Epiſcopus ſuam quoque exercuerit Jurisdictionem, ſed quòd fuerit ab inferiore Prælato præſcribente ab hoc exercitio excluſus. Unde ad interrumpendam præſcriptionem privativè ab inferiori Prælato faciendam ſufficit unicus actus ab Epiſcopo exercitus, cùm per iſtum Jus & poſſeſſionem retineat ſuæ Jurisdictionis, & conſequenter impediat, ne Prælatus inferior privativè poſſit præſcribere. Ad Jura & argumenta, quæ in contrarium afferri poſſunt ac ſolent, reſpondetur, illa loqui ac intelligenda eſſe de iis, qui non præſcripſerunt legitimo tempore, quibus proinde non poteſt prodeſſe conſuetudo, ad quam Jura requirunt, ut

&

Digitized by Google

& rationabilis ſit & legitimè præſcripta.

42 Quantum autem temporis requiratur ad conſuetudinem ejusmodi legitimè præſcribendam, non conveniunt DD. aliqui immemoriale aſſignant: verùm hi videntur aſſignâſſe tempus omninò ſufficiens univerſim; nam minori etiam tempore induci per conſuetudinem vel præſcriptionem privilegia poſſe, docet longè communior. Atque hinc ad conſuetudinem legitimè præſcriptam contra leges civiles eásque vel in toto vel in parte abrogandas ſufficit decennium, ùt tenent Civiliſtæ communiter; ratio eſt, tum quia ad conſuetudinem introducendam ſolùm requiritur longum tempus: ſed tale eſt decennium, ùt habetur *Inſtitut. in princ. de uſucap.* & *L. fin. de long. temp. præſcript.* tum quia ad conſuetudinem ſufficit, ut ſit legitimè præſcripta *cap. fin. de Conſuet.* ſed ad legitimam præſcriptionem ſufficit decennium: ergo &c. Illud ipſum decennium ſufficere ad abrogandam legem Eccleſiaſticam tenent Canoniſtæ recentiores communiter, cùm hac de re Jus Canonicum nihil determinet, quamvis veteres communiter 40. annos requirant, ex ratione, quia adverſus Eccleſiam non præſcribitur niſi ſpatio 40. annorum *cap. 4. 6. & 15. de Præſcript.* ſed conſuetudo abrogans legem Canonicam ſuo modo præſcribit contra Eccleſiam: ergò non præſcribit niſi ſpatio 40. annorum. Verùm negari poteſt major & paritas: quando enim contra Eccleſiam præſcribitur, tunc dominium vel Jus aliquod ad utilitatem Eccleſiæ pertinens tollitur, & Eccleſia ex hoc grave patitur præjudicium, propter quod SS. Canones 40. aut etiam plures annos requirunt: at ex conſuetudine contrà legem Eccleſiaſticam introducta, utpote quæ non utilitatem Eccleſiæ concernit ſed ſubditorum, nullum Eccleſia patitur detrimentum aut præjudicium, cùm Pontifex legem, contraria conſuetudine abrogatam, liberrimè poſſit reſtituere. Ad præſcriptionem tamen Jurium Epiſcopalium requiruntur omninò 40. anni & quidem cum titulo colorato *arg. capit. auditis 15. de præſcript.* ſine titulo autem tempus immemoriale. Quæ autem hactenus dicta ſunt de præſcriptione Jurisdictionis aliorúmque Jurium Epiſcopalium, idipſum extendit Tamburinus *D. 19. cit. Q. 2.* cum aliis ad Inſignia Epiſcopalia, ex ratione, quia quæ conceduntur privilegio, præſcribi poſſunt. *cap. duo ſimul 9. de Offic. Jud. Ord.* & *cap. cùm contingat. 13. de for. compet.* ſed Inſignia Epiſcopalia facilè conceduntur Prælatis inferioribus per privilegium, ùt docet quotidiana experientia & uſus: ergò etiam præſcribi poſſunt. Et certè Inſignia hæc Epiſcopalia, quæ ſunt tantùm ornamenta quædam & inferioribus Prælatis haud difficulter concedi ſolent ad honorem ſuarum Eccleſiarum, longè minoris eſſe momenti viden-

tur, quàm ſunt ea, quæ ſunt Juriſdictionis ac Juris Epiſcopalis, cùm paucis ſint conceſſa Prælatis: ergò ſi iſta conſuetudine legitimè præſcripta acquiri poſſunt à Prælatis inferioribus, cur non & illa? (*Adde*; non eſſe univerſaliter verum, quòd *conſuetudo contra legem Eccleſiaſticam introducta* non reſpiciat utilitatem Eccleſiæ; ſicut enim diſtinctio ſtatuum & graduum Eccleſiaſticorum ad decorem & utilitatem Eccleſiæ pertinet, ita etiam prudens diſpenſatio privilegiorum, utpote quæ, ſi ordinatè fiat, ſervit ad remuneranda merita, acuendam induſtriam, & commendandos populis idoneos miniſtros verbi divini ac ſanæ doctrinæ. Itaque non facilè admittenda ejusmodi privilegiorum præſcriptio ſine tempore immemoriali.)

43 An verò idipſum extendi poſſit etiam ad ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ùt eſt confectio Chriſmatis, collatio majorum Ordinum, & Sacramenti Confirmationis &c. res eſt majoris momenti, in qua omninò tenendum ac dicendum videtur, ejusmodi actus, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, nulla conſuetudine aut præſcriptione acquiri poſſe à Prælatis inferioribus non Epiſcopis, quemadmodum expreſsè deciſum habetur *in cap. quanto. 4. de Conſuet.* & *cap. Aqua. 9. de Conſecr. Eccl.* ubi conſuetudo contraria corruptela vocatur. Verùm inquis: Recepta Juris-Conſultorum regula eſt: Conſuetudine immemoriali acquiri poſſunt ea omnia, quæ privilegio Pontificio acquiri poſſunt: ſed multa quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis obtineri poſſunt privilegio Apoſtolico, ùt ſunt Jus conferendi Ordinem Subdiaconatûs, impertiendi Sacramentum Confirmationis, & alia ejusmodi, quibus Abbates quidam ex privilegio gaudent: ergò etiam poſſunt acquiri conſuetudine immemoriali. Reſp. Etſi hæc regula apud antiquos Juris-Conſultos fuerit recepta, ita tamen generaliter accepta vera non eſt, ſed fallit multoties, unde limitatione multiplici indiget. Prima eſt, niſi res ſit talis, quæ vel nunquam vel nonniſi rariſſimè & in caſibus tantùm extraordinariis per privilegium concedi ſolent, ùt eſt poteſtas conferendi Sacramentum Confirmationis in non Epiſcopo, conficiendi Chriſma, &c. 2da eſt, niſi is, qui ſe tuetur præſcriptione aut conſuetudine, ſit incapax poſſidendi extra caſum, quo habilitatur per privilegium, eo ipſo enim, quòd præſcriptio non procedat ſine poſſeſſione ex *Reg. Jur. 3. in 6.* ſequitur, quòd, qui incapax eſt poſſidendi, etiam incapax ſit acquirendi per præſcriptionem aut conſuetudinem etiam immemorialem. 3tia eſt, niſi ejusmodi conſuetudini & præſcriptioni reſiſtat Jus, eáque tanquam abuſus & corruptela à lege vel Canone reprobetur; cùm enim conſuetudo & præſcriptio vim omnem debeant legibus vel SS. Canonibus, quibus intro-

troductæ & approbatæ ſunt, locus illis eſſe non poteſt reſpectu rerum & perſonarum, reſpectu quarum illis reſiſtit Jus. *L. ubi lex 24. ff. de uſurp. & uſucap.* Ex quo triplici capite Prælati inferiores non poſſunt ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, conſuetudine etiam immemoriali obtinere, quamvis ea poſſint obtinere privilegio Apoſtolico; nam rariſſimè illis conceduntur privilegio: incapaces præterea ſunt ea ſine privilegio poſſidendi; atque inſuper Jus illis reſiſtit, ac pro corruptela habet contrariam conſuetudinem.

44 Dico 3tiò. *Privilegia acquiri poſſunt etiam per Communicationem.*

Ita certa DD. ſententia. Conſiſtit autem hæc privilegiorum communicatio in participatione & conceſſione quadam privilegii, quâ Princeps vel S. Pontifex privilegium, quod uni ſimpliciter conceſſerat, etiam ad alterum extendit. ſic *cap. 2. de Privil. in 6.* communicantur ſtudio generali Romano omnia privilegia aliorum generalium ſtudiorum. Hæc autem privilegiorum communicatio dupliciter fieri poteſt. 1mò. perfectè & abſolutè, quod tunc fit, quando conceſſum alicui privilegium ita conceditur plenè, abſolutè & illimitatè alteri, ut is de ſe, & per ſe independenter & abſolutè illo privilegio poſſit uti, ac ſi illi fuiſſet primitùs & in ſpecie conceſſum; & hoc modo privilegia uni Ordini conceſſa ſæpè communicantur aliis Ordinibus: quæ communicatio potiùs adæquatio dici debet, ùt notat Donatus *to. 1. tr. 1. Q. 1. n. 3.* cùm adæquaté extendatur virtus privilegii ab uno ad alium, ita ut ſine limitatione totus favor uni conceſſus, intelligatur conceſſus alteri. 2do. modo fit privilegiorum communicatio imperfectè & relativè, quando nempe privilegium alicui primò, perfectè & abſolutè conceſſum, extenditur ad alios propter connexionem, dependentiam, ac conjunctionem, quam habent cum illo primo, ùt ſunt privilegia conceſſa Religioſo cuipiam Ordini, quæ participant ejuſdem familiares, oblati, devoti &c. non propter ſe, ſed ratione Religionis, cui ſunt adſcripti ac dediti; quamobrem Religione deſtructa, aut illius revocatis privilegiis, eorum quoque ceſſant privilegia, & econtra iis non revocatis perſeverant, quia nempe in eſſe ac in fieri, in uſu & conſervari dependent à Religione. Econtra verò privilegium perfectè & abſolutè communicatum alteri, ſeu ùt vocant *ad inſtar*, non minuitur, nec reſtringitur, aut revocatur reſpectu illorum, quibus communicatum eſt, etſi minuatur, reſtringatur, aut revocetur privilegium primò conceſſum, ad cujus inſtar deinde fuit alteri communicatum. Ratio eſt; quia tali caſu utrumque privilegium ſtat per ſe ut reipſa diſtinctum, & licèt ſit ad inſtar priùs conceſſi, ab

hoc

hoc tamen non dependet, ſed iſtud tantùm fuit adductum in exemplum & ſimilitudinem ad determinandam voluntatem concedentis. Unde communicatio hæc idem operatur, ac ſi privilegium, taliter communicatum, in ſpecie conceſſum fuiſſet illi, cui fit communicatio, prout tradunt DD. communiter in *L. 1. ff. de leg.* & tenet Rota apud Tamburin *to. 1. D. 17. Q. 1. n. 17.* hinc autem fit, ut is, cui facta eſt talis communicatio, participet omnia & ſingula privilegia, & eodem modo, quæ & quo modo alter defactò habet, vel habuit ille, cujus privilegia participantur. An verò etiam illa participentur, quæ poſt factam communicationem poſtmodùm obtinet ille, cui primò conceſſa fuerant privilegia? id deſumendum eſt ex tenore verborum, quibus communicantur privilegia: vel enim tantùm communicantur privilegia de præterito conceſſa; & tunc non communicantur ea, quæ poſtmodùm obtinet prior ille, cui primò conceſſa ſunt privilegia: vel communicantur etiam privilegia pro futuro concedenda, prout fit in communicatione privilegiorum Canonicis Regularibus factâ; & tunc etiam illa communicantur, quæ poſt factam communicationem ille, cui primò conceſſa fuerant privilegia, de novo conſequitur. Ut autem valeat privilegium ad inſtar alteri conceſſum, requiritur neceſſariò, ut privilegium, ad cujus ſimilitudinem communicatum eſt, validum ſit, ſuúmque habeat effectum ac verè ſit privilegium, ſecùs communicatio foret nulla; cùm enim privilegii ad inſtar totum eſſe ſit illud, quod primò conceſſum fuerat, ſi iſtud effectum non habuit, neque privilegium ad inſtar habebit effectum. Sufficit tamen, ſi effectum habeat & validum ſit pro eo tempore, quo confertur privilegium ad inſtar illius, unde licèt privilegium illud prius per non uſum vel renuntiationem amittatur, aut à ſuperiore revocetur, non ideò ceſſabit etiam privilegium ad inſtar, ſed illud in ſuo vigore permanebit.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Communicatione Privilegiorum, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum cæteris Ordinibus Religioſis.

POſtquam de privilegiorum communicatione in genere cœpimus, nunc in ſpecie proſequemur, in particulari inquirendo, an & quomodo Canonici Regulares præſertim Congregationis Lateranenſis comunicent in privilegiis cæterorum Ordinum Religioſorum. Religioſi porrò Ordines univerſim ad quatuor claſſes reduci poſſunt. Ad primam quidem Ordo Canonicorum Regularium, ejúsque variæ Congregationes. Ad 2dam. Ordines Monaſtici ſeu Monachales. Ad 3tiam. Ordines Mendicantium. Ad 4tam. Ordines Clericorum Regularium, utpote cæteris recentiores. Atque adeò agendum nobis eſt primò de privilegiorum communicatione, quam Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis obtinent cum aliis Canonicorum Regularium Congregationibus ac Ordinibus. 2dò. de privilegiorum communicatione, quam iidem habent cum Ordinibus Monaſticis. 3tiò. de communicatione privilegiorum, quam habent cum Ordinibus Mendicantium. 4tò. de eadem privilegiorum communicatione, quam habent cum Ordinibus Clericorum Regularium. 5tò. denique diſquiremus: quænam veniant ſub generali communicatione privilegiorum?

Sectio I.

De privilegiorum communicatione, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum aliis Canonicorum Regularium Congregationibus & Ordinibus.

1 ACturi de privilegiorum communicatione, quam habent Canonici Regulares Congreg. Lateran. cum aliis Canonici Ordinis Congregationibus, id inprimis diſcutiendum ſumimus, an prædicti Canoni-

ci Regulares Congr. Lateran. plenam habeant privilegiorum communicationem cum Canonicis pariter Regularibus Congregationis Bononienſis S. Salvatoris dictæ; cùm enim plurima ac magna hæc Congregatio obtineat privilegia (prout patet ex Bullario illius ante decennium Romæ impreſſo) meritò id nobis ante omnia ſtatuendum eſt, utpote à quo pars magna dicendorum dependet; cùm autem & cæteræ quoque Canonicorum Regularium Congregationes plura habeant privilegia, & quidem diverſæ diverſa, hinc videndum 2dò. An & harum omnium ac quarumcunque gaudeant privilegiis? 3tiò. An etiam in iis communicent, quæ aliis Canonicorum Regularium Ordinibus præſertim Præmonſtratenſium Ordini fuerunt indulta? 4tò. An in illis quoque, quæ particularibus Collegiis, Canoniis, Abbatiis ac Monaſteriis ſunt conceſſa? 5tò denique: An etiam gaudeant privilegiis Cathedrali S. Pontificis ac Patriarchali Eccleſiæ Lateranenſi indultis, quæ ob ſuam inter omnes urbis & orbis Eccleſias eminentiam, ac prærogativam maximis ditata eſt privilegiis? Atque hinc

2 Dico 1mò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis habent pleniſſimam communicationem privilegiorum cum Congregatione Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononienſi: & viciſſim hæc Congregatio cum Congregatione Canonicorum Regularium Lateranenſi.*

Ita quoad 1mam. partem Gregorius XV. in Bulla: *Injuncti nobis. 23. Aug. Anno 1622. Pont. 2.* Canonicis Lateranenſibus conceſſa, in qua præfatus S. Pontifex, poſtquam eorum privilegia omnia confirmaverat, ulterius proſequitur: „ Propterea eidem Congregationi Lateranenſi, „ illiúsque Abbatibus, Superioribus, Canonicis, aliiſque perſonis concedimus, quòd omnibus „ & ſingulis privilegiis, gratiis & „ indultis tam ſpiritualibus quàm „ temporalibus Congregationi Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononienſi, illiúsque Abbatibus, Superioribus & perſonis quibuſcunque aut quomodolibet per quoſcunque Romanos „ Pontifices prædeceſſores noſtros, „ ac etiam Nos conceſſis, ac quibus utuntur, fruuntur & gaudent, ac uti, frui & gaudere poſſint & poterunt quomodolibet „ in futurum, dummodo ſint in „ uſu, & non ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus „ comprehenſa, nec SS. Canonibus, ac Concilii Tridentini Decretis ac Conſtitutionibus Apoſtolicis repugnent, pari modo

„ uti,

„ uti, potiri, & gaudere liberè & „ licitè valeant. Decernentes præ- „ ſentes litteras perpetuò validas, „ firmas, & efficaces exiſtere & „ fore, ac primò dictæ Congrega- „ tioni, aliisque prædictis in om- „ nibus & per omnia pleniſſimè „ ſuffragari, ſicque per quoscun- „ que Judices Ordinarios & Dele- „ gatos etiam cauſarum Palatii A- „ poſtolici Auditores judicari ac de- „ finiri debere, ac irritum & inane, „ ſi ſecùs ſuper his à quoquam qua- „ vis auctoritate ſcienter vel ig- „ noranter contigerit attentari. „ Non obſtante &c. (*Adde*; in Bulla præfata ſermonem tantùm eſſe de gratiis & privilegiis *ad hunc usque diem*, id eſt 23. Auguſti Anni 1622. *conceſſis*, ſic ut iis perpetuò frui poſſint, ut proin iſta generalis communicatio extendi nequeat ad privilegia Lateranenſibus poſt Annum 1622. conceſſis. Quod ipſum benè obſervandum circa privilegia conceſſa Congregationi Bononienſi utpote reſtricta per ſimilem clauſulam in Bulla communicationis cum Lateranenſibus Anno 1512. factæ per Julium II.)

Quoad alteram partem concluſionis id patet ex Bulla Julii II. quæ incipit: *inter cæteros. 4. Nonas April Anno 1512.* Canonicis Regularibus Congregationis S. Salvatoris Bononienſis data, ubi hic S Pontifex, præter alia quamplura eisdem conceſſa privilegia, ſic ait: „ Adjicientes præ- „ terea, quòd omnibus & ſingulis „ privilegiis, immunitatibus, fa- „ voribus, indultis & gratiis ſpi- „ ritualibus & temporalibus per „ Nos, vel per quoscunque præ- „ deceſſores noſtros Romanos Pon- „ tifices, vel aliàs quomodolibet „ ſeu ſedem præfatam Congrega- „ tioni Lateranenſi conceſſis & pro „ tempore concedendis iidem Ca- „ nonici Congregationis S. Salva- „ toris gaudere poſſint in omnibus „ & per omnia absque ulla pror- „ sùs differentia, perinde ac ſi ea „ ipſi Congregationi Canonicorum „ Regularium S. Salvatoris ſpecia- „ liter ac nominatim conceſſa fuiſ- „ ſent, quorum tenores hìc pro „ ſufficienter expreſſis haberi vo- „ lumus, & non ſecùs, ac ſi præ- „ ſentibus de verbo ad verbum in- „ ſerta forent.

Ex quibus neceſſariò conſequitur, eadem eſſe utriusque hujus celeberrimæ Canonicorum Regularium Congregationis privilegia, atque adeò etiam utriusque Canonicos illis liberè ac licitè uti, frui ac gaudere poſſe eo modo, ac ſi alterutri in ſpecie conceſſa forent, quod hìc benè notari velim, ob dicenda in decurſu hujus operis, ubi unius Congregationis privilegia tanquam alteri propria referemus, idque jure merito; cùm enim privilegia Congregationis Bononienſis ſint à S. Pontifice Congregationi Lateranenſi ita perfectè & abſolutè communicata, ut hæc illis pari modo & non ſecùs, ac ſi ipſi primariò & in ſpecie forent conceſ-

ſa, uti, potiri, & gaudere poſſit, neceſſariò ſequitur, quòd iis quoque tanquam propriis privilegiis frui valeat; eſt enim de ratione perfectæ communicationis, ut privilegia alteri abſolutè & independenter communicata ejuſdem fiant propria, ita ut iis etiam independenter & abſolutè poſſit uti, ac ſi illi primitùs fuiſſent conceſſa. (*Adde*; hanc generalem communicationem varias pati limitationes non ſolùm in privilegiis, quæ data ſunt poſt 1622. aut 1512. & quæ uni Congregationi conceſſa ſunt ex ſingulari motivo & merito, aut quæ ſunt prorsùs difficilis conceſſionis, quale eſt privilegium altaris privilegiati perpetui in omnibus Eccleſiis ſub gubernio Congregationis Lateranenſis exiſtentibus in altari S. Ubaldi, præſente Anno 1744. à Benedicto XIV. indultum, ſed etiam in facilioribus. Sic enim ipſimet Bononienſis Congregationis Canonici ſpecialiter ſupplicârunt, ut poſſent celebrare aliqua feſta Lateranenſia duplicia ſaltem ſub Ritu ſemiduplici.

3 Dico 2dò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis communicant in omnibus privilegiis cum quibusvis aliis Canonicorum Regularium Congregationibus.* Ita Gregorius XII. in Bulla, quæ incipit: *excitat noſtra mentis arcanum. 3. Non. April. Anno 1408.* concedit, ut omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus & libertatibus abſolutè & liberé potiri ac gaudere poſſint ac debeant, quibus cæteri Canonici Regulares, ac eorum domus, monaſteria, & loca quomodolibet potiuntur & gaudent (*Adde*; hanc conceſſionem non eſſe pro Lateranenſibus, ſed ea, quæ data eſt Lateranenſibus ab eodem Pontifice, ſubſcripta eſt Lucæ 5. Calen. Maji, & incipit: *Pia nos excitat*. Præterea in ea Bulla Lateranenſibus, tunc Frigdionariis dictis, ſolùm conceditur, ut poſſint uti omnibus privilegiis ſingulis monaſteriis ejuſdem Congregationis Frigdionariæ indultis. Quæ Bulla, cùm ſit data eodem Anno 1408. & illa Bononienſium 3. Nonas Aprilis ejuſdem Anni, utique eandem limitationem ad privilegia monaſteriorum ſuæ Congregationis continet, prout etiam ex ipſa Bulla patet. Sufficit tamen pro concluſione Bulla Julii II. quæ Bononienſibus communicat omnia privilegia Ordini Canonicorum Regularium S. Auguſtini, aliisque variis Ordinibus, ibi expreſſis usque ad illum diem indulta, aut *pro tempore*, id eſt, durante ſuo regimine adhuc concedendis. Hæc Bulla etiam inſerta eſt Bullario Lateranenſi.)

Julius quoque II. in Bulla: *inter cæteros. 4. Nonas April. Anno 1512.* Canonicis Regularibus prædictis (Bononienſibus videlicet, prout in ad-

additione præcedente monui) indulſit, quòd non ſolùm omnibus & ſingulis præeminentiis, privilegiis & gratiis condecorari debeant, quibus gaudent in ſpecie vel in genere univerſi alii Canonici, verùm etiam omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, indultis & gratiis ſpiritualibus & temporalibus, per quoscunque Romanos Pontifices vel aliàs quomodolibet per ſedem Apoſtolicam Ordini Canonicorum Regularium S. Auguſtini conceſſis, & pro tempore concedendis, in omnibus & per omnia absque ulla prorsùs differentia gaudere poſſint.

4 Dico 3tiò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis communicant quoque in omnibus privilegiis cum quibusvis aliis Canonicorum Regularium etiam Præmonſtratenſium Ordinibus.* Hæc concluſio ſequitur ex præcedente; ſi enim prædicti Regulares Canonici gaudent omnibus privilegiis, indultis & favoribus, quibus gaudent & potiuntur cæteri ac univerſi alii Canonici Regulares, ùt ex relatis Bullis ſatis patere videtur, neceſſariò ſequitur, præfatos Canonicos Regulares Congr. Lateranenſis ac Bononienſis gaudere quoque omnibus privilegiis, quæ cæteris Canonicorum Regularium etiam Præmonſtratenſium Ordinibus fuerunt conceſſa. Quodipſum multò magis patet ex Bulla Benedicti XIII. quæ incipit: *In ſede. 7. Calendas April. Anno 1729.* data, in qua prædictis Canonicis Regularibus S. Salvatoris omnium aliorum Canonicorum Regularium etiam Præmonſtratenſium privilegia expreſſis verbis communicat. Id etiam patet ex Bulla S. Pii V. quæ incipit: *Ex ſuperna diſpoſitionis. 17. Cal. Septemb. Anno 1567.* in qua Canonicis tum Lateranenſibus tum Bononienſibus omnia & ſingula quorumcunque Ordinum etiam non Mendicantium privilegia communicat: inter Ordines autem non Mendicantes veniunt ac comprehenduntur omnes Canonicorum Regularium etiam Præmonſtratenſium Ordines: ergò & horum privilegia eisdem communicat. (*Adde*; quòd Bulla Pii V. *ex ſuperna*, Lateranenſibus & Bononienſibus tantùm concedat communicationem cum mendicantibus quoad privilegia in illa Bulla expreſſa; non quoad alia. Itaque communicatio cum Præmonſtrat. convenit Later. tantùm mediatè, quatenus communicant cum Bononienſibus, habentibus communicationem generalem.

Dico 4tô. *Canonici Regulares Congregationis La-* 5

teranenſis ac Bononienſis communicant etiam in omnibus privilegiis quibuscunque ſuæ Congregationis Collegiis, Monaſteriis, locis ac domibus conceſſis.

Ita Lateranenſibus conceſſit Martinus V. in Bulla: *Sollicitudinis Paſtoralis. 2. Calend. Julii Anno 1421.* in qua auctoritate Apoſtolica ſtatuit: ut privilegia, conceſſiones, & immunitates, ac gratiæ ſingulis Monaſteriis ac locis ejusdem Congregationis per prædictos Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, ſeu pro Romanis Pontificibus ſe gerentes; Imperatores, Reges, Duces, Barones, & Principes &c. conceſſæ & conceſſa (quæ omnia præſentibus haberi vult pro expreſſis) & inpoſterum favente Domino concedenda in omnibus & per omnia ad univerſa & ſingula loca, Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, & domos, eorúmque perſonas, quæ nunc & præcedenti tempore ad hujusmodi Congregationem,& ad ejusdem Canonicos reducta & unita ſunt, ſeu reduci & uniri contigerit, omninò extendi debeant. Quas Martini V. litteras de verbo ad verbum motu proprio, & ex certa ſcientia, & ex plenitudine poteſtatis confirmavit Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Cal. Sept. Anno 1477.* & alii SS. Pontifices.

Idipſum conceſſit Canonicis Congregationis Bononienſis Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* data, ubi pariter ſtatuit, quòd cujusvis particularis dictæ Congregationis Monaſterii ſeu loci tam uniti quam uniendi, præſentis & futuri privilegia, conceſſiones, remiſſiones peccatorum, & indulgentiæ quocunque nomine nuncupatæ, immunitates, & gratiæ conceſſa & concedenda tam per Romanos Pontifices, quàm alios quoscunque Reges, Duces, Barones, Dominia & Communitates in omnibus & per omnia ipſi toti Congregationi & aliis ejus particularibus Monaſteriis communia ſint, ac ad illa extendantur, ſicut & illa per præſentes extendit. Neque dicas: in generali communicatione privilegiorum non veniunt ea, quæ alicui particulari loco vel perſonæ conceſſa ſunt; id enim tantùm procedit de iis privilegiis, quæ ob ſpecialem aliquam rationem determinato cuipiam loco fuère conceſſa, quemadmodum infra pluribus dicemus: non verò de iis, quæ alicui Monaſterio, Collegio, aut loco conceſſa ſunt ſub ratione quadam generica aut univerſali, prout hìc contingit. (*Adde*; hanc communicationem tantùm intendi à Pontifice quoad monaſteria exiſtentia *ſub gubernio & regimine* Congregationis Lateranenſis, prout etiam ad evitandam omnem æquivocationem in nupero Brevi Benedicti XIV. circa privilegium altaris privilegiati expreſſum eſt. Et Pius V. in Bulla:

ex

ex ſuperna ſatis oſtendit, ſe ad ejusmodi communicationes moveri ex ſpeciali conſideratione bonæ diſciplinæ in ea Congregatione reperibilis: *Ut perſonarum*, inquit, *quas ſedulum indies Altiſſimo famulatum exhibere conſpicimus, quieti conſulatur, libenter favores impartimur, prout temporum qualitate penſata id perſpicimus ſalubriter expedire.*)

6 Dico 5tò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis communicant quoque in omnibus & quibuscunque privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis Eccleſiæ Patriarchali Lateranenſi, ejúsque Capitulo conceſſis.*

Ita Eugenius IV. in Bulla: *Ad ſacram Petri ſedem. 4. Idus. Januar. Anno 1445.* data, in qua Eccleſiam Lateranenſem ad primævum ſtatum, ac Ordinem Canonicorum Regularium reducendo, eisdem ſimul omnia Jura, privilegia, exemptiones, immunitates &c. prædictæ Patriarchalis Eccleſiæ attribuit. Id quod longè clariùs alteſatus S. P. Eugenius expreſſit in alia Bulla, quæ incipit: *Cùm ad ſacratiſſimam. Cal. Januar. Anno 1446.* data, ubi, poſtquam Eccleſiam Lateranenſem Canonicis Regularibus actu reſtituiſſet, ac plura eisdem conceſſiſſet privilegia, addit ulterius: Nec non omnes libertates, immunitates, exemptiones, dignitates, privilegia à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ſive per privilegia & alias indulgentias Eccleſiæ Lateranenſis Capitulo & ipſis Clericis nec non dictæ Congregationi conceſſas, ſive à Regibus, Principibus, & aliis Chriſti fidelibus Eccleſiæ præfatæ largitas ipſis Canonicis Regularibus ex certa ſcientia & ex plenitudine poteſtatis confirmamus, concedimus, donamus, & auctoritate Apòſtolica communimus. Quas Eugenii litteras poſtea iterum confirmavit Nicolaus V. in Bulla: *cùm à nobis. Anno 1447.* & in alia, quæ incipit: *Ex proviſione ſedis. Cal. Januar. Anno 1450.* ac poſtea Sixtus IV. tum in Bulla: *Regimini univerſalis. Calend. Maji. Anno 1472.* tum in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Calend. Septemb. Anno 1477.* in quibus, poſtquam à quibusdam fuiſſet in dubium revocatum, an Canonici Regulares Lateranenſes etiamnum gauderent privilegiis Eccleſiæ Lateranenſis ab Eugenio IV. conceſſis, præfatus S. P. Sixtus, ad omne ambiguitatis dubium tollendum, motu proprio, non ad alicujus oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera ſua liberalitate omnes & ſingulas tam Eugenii, quàm omnium & ſingulorum privilegiorum, immunitatum in eis contentorum & aliorum prædeceſſorum litteras approbans & confirmans, ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica de-

cer-

cernit & declarat, quæcunque privilegia, immunitates, gratias, & indulta eiſdem Canonicis conceſſa in nullo præjudicatum ſeu derogatum fuiſſe & eſſe, ſimúlque Eugenii litteras in priſtinum ſtatum reponit, reſtituit, ac plenariè redintegrat. (*Adde*; ſub Clemente XII. Capitulo Baſilicæ Lateranenſis facultatem impertiendi communicationem privilegiorum, indulgentiārum, & altaris privilegiati perpetui reſtrictam eſſe.)

Sectio II.

De privilegiorum communicatione, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum Ordinibus & Congregationibus Monaſticis.

7 INter Ordines Monaſticos ſeu Monachales poſt D. Baſilii ordinem, qui in Oriente maximè ac in Aſia & Moſcovia radices egit, primatum tenet Sanctiſſimus Ordo D. Benedicti, qui in Occidente & Europa per omnes longè latéque Provincias diffuſus nunquam non eximiè floruit. Ex eo quamplures iterum ortæ ſunt tum Ordines tum Congregationes Monachorum. Inter Congregationes Ordinis Benedictini facilè princeps eſt Congregatio primitùs S. Juſtinæ de Padua, poſtea Caſſinenſis nuncupata, quæ authorem habuit Ludovicum Barbo, Patritium Venetum & antea Canonicum Regularem, ùt ſcribit Pennottus. Poſtquam enim in quibuſdam Provinciis, teſte Tamburino n. 54. ſi non ubique arbor D. P. Benedicti non modo incurvata, ſed decrepita quodammodo facta, ſua ariditate periret, electus eſt à Deo pientiſſimus hic ac nobiliſſimus vir, qui anno 1408. Abbas S. Juſtinæ de Padua à Gregorio XII. creatus, relicto Ordine Canonico, profeſſionem emiſit ſecundùm Regulam S. Benedicti. Ex quo ſe totum dedit introducendæ Reformationi, quæ tam feliciter ceſſit, ut ſe brevi per totam Italiam diffuderit, & quamplura ſeſe Monaſteria ſubjecerint reformanda ac informanda, inter quæ fuit etiam cœnobium Patriarchalis Eccleſiæ S. Pauli extra urbem, unde celeberrima orta eſt Congregatio, quæ à primo, in quo cœpta fuit Monaſterio, dicta eſt S. Juſtinæ de Padua. Verùm cùm eidem poſtea Julius II. totius Ordinis Benedictini Archi-Cœnobium, Caſſinenſe ſcilicet Monaſterium, univiſſet, tum enimverò etiam voluit hic Pontifex, ut propter ejuſdem præeminentiam Monaſterii Congregatio hæc nuncuparetur Caſſinenſis

aliàs

aliàs S. Juſtinæ de Padua, ùt patet ex illius Bulla: *ſuper Cathedram &c. Cal. Septemb. Anno 1503.* emanatâ. Huic præclariſſimæ Congregationi ac Monaſterio Caſſinenſi conceſſerunt SS. Pontifices plurima eáque maxima privilegia, quæ, cùm propè innumera ſint, ac excedant inſtituti noſtri fines, hic locum non habent, eorum tamen multa in decurſu hujus operis referemus. Qui plura deſiderat, remitto curioſum lectorem ad Cornelium Margarinum, ejúsque Bullarium Caſſinenſe in duos tomos diviſum, quorum primus Venetiis Anno 1650. ſecundus verò Tuderti Anno 1670. in lucem prodiit.

8 Præter Congregationem Caſſinenſem obtinet Ordo Benedictinus plures alias Congregationes extra Italiam, uti Ulliſſiponenſem in Portugallia, Valliſoletanam in Hiſpania, ſic dictam à principali Monaſterio in urbe Valliſoleti conſtructo ac totius Congregationis capite, quam SS. Pontifices magnis exornárunt privilegiis. In Gallia præ cæteris floret Congregatio S. Mauri circa Annum 1620. cœpta, à Gregorio XV. confirmata fuit in Bulla: *Sacri Apoſtolatus. 17. Maji. Anno 1621.* ac plura pro hujusmodi reformationis faciliori progreſſu ſtatuta fuerunt ab Urbano VIII. in Bulla: *Superemi-nenti. 21. Januar. Anno 1628.* in qua etiam iſtis communicantur privilegia Congregationi Caſſinenſi, & Ordinibus Mendicantibus & non Mendicantibus conceſſa. In Lotharingia eminet Congregatio SS. Vitoni & Hidulphi. Eſt & in Helvetia inſignis Congregatio, cui Urbanus VIII. in Bulla: *Romanus Pontifex. 19 Septemb Anno 1626.* omnia & ſingula privilegia, quibusvis Religioſorum etiam Mendicantium Ordinibus & Congregationibus conceſſa, pleniſſimè communicavit. Habet & Bavaria florentiſſimam Congregationem, quæ ab Innocentio XI. per ſuas litteras in forma Brevis 16. Auguſt. Anno 1684. & 6. Februarii Anno 1686. reſpectivè expeditas erecta & confirmata, ab eodem poſtea in Bulla: *in ſuprema ſedis. 10. Julii Anno 1688* omnibus privilegiis Congregationi Helveticæ conceſſis donata, demùm etiam ab Innocentio XII. in Bulla: *credita nobis. 11. Auguſt. Anno 1691.* omnium privilegiorum Congregationis Caſſinenſis particeps facta eſt. Exiſtunt præterea tam in ſuperiori quàm in inferiori Germania plurima alia hujus Ordinis cœnobia, eáque præclariſſima, quæ, licèt nulli Congregationi adſcripta, eximiè tamen florent ſub D. Benedicti Regula, quibus Ordo Benedictinus maximè condecoratur.

9 Inter Ordines, qui ab Ordine Benedictino dimanârunt, ac ſub regula D. Benedicti militant, præcipuus eſt ille Cluniacenſium; cùm enim monaſticum inſtitutum à D. Benedicto præſcriptum laxari ac penè collabi cœpiſſet, Berno Abbas

Gigniacenſis Anno circiter 912. ampliſſimo aviæ ſuæ comitiſſæ patrimonio, atque ope Guillelmi comitis Alverniæ percelebre Monaſterium in Diœceſi Mansconenſi Burgundiæ extruxit, ipsúmque Monaſterium Cluniaci nomen ſortitum eſt à loco ſeu valle declivi, in qua poſitum eſt. In hoc igitur præfatus Berno, primus illius Abbas, adjunctis ſibi 12. fratribus monaſticæ vitæ rigorem ſuo exemplo ad primam regulæ obſervantiam revocare cœpit, quo defuncto ſucceſſit D. Odo, qui monaſticæ diſciplinæ reſtaurationem à Bernone tentatam ad ſummum perfectionis culmen perduxit. Hic ſanè vir vixit ſine querela, fuitque cœnobiticæ regulæ aſſertor ac vindex acerrimus, ita ùt poſt magnum Benedictum, & ejus diſcipulum Maurum, tertius monaſticæ vitæ reparator meritò laudatus fuerit à venerabili Petro *L. 6. Epiſt. 15.* ad tantam enim ſanctitatem Cluniacenſem Congregationem evexit, ut Religionis norma pluribus provinciis extiterit. Tali igitur ſanctitate præpollens, tam mirificè ampliata eſt, ut duo mille Abbatias, Prioratus, & Præpoſituras ſub ſe habuerit, & etiam ultra mare in terra ſancta ſua jecerit fundata, ùt teſtatur Gregorius IX. in Bulla, quæ incipit: *Behemot, 13. Jan. Anno 1233.* in qua Ordinem Cluniacenſem temporum progreſſu à proprio inſtituto aberrantem ſub viginti ſex paragraphis reformat. Hanc tamen reformationem poſtea declaravit & ſub 34. paragraphis multa detraxit & addidit Nicolaus IV. in Bulla: *Regis Pacifici 2. Idus Septemb. Anno 1282.* Eminentiſſimus Petra *to. 2. & 3.* ad utriusque hujus Pontificis *Conſtitut. 3.* Tamburinus *to. 2. Quæſt. 5. n. 14.* & alii ab his citati.

Altera, quæ poſt Cluniacenſem 10
facta eſt Benedictini Ordinis reformatio in Annum 967. communiter refertur, dicitúrque Camaldulenſis à Caſa Maldi ſeu Malduli, ùt vult Tamburinus. Huic Ordini ac reformationi initium fecit Romualdus è nobiliſſimo Longobardorum ſanguine Ravennæ ortus, qui Monachus factus Benedictinus cùm monaſticam ſatis probâſſet auſteritatem; in eremum ſeceſſit, ubi transactis quadraginta annis in agro demùm Aretino conſedit, ibique in loco ab hominum conſortio remotiſſimo ſuam inſtruxit eremum, ac Ordinis ſui fundamenta jecit, qui per Italiam univerſam propagatus mira ſanctitate floruit, quâ plurimi fuerunt impulſi ad aſſumendum Camaldulenſium habitum, & ad proprias fortunas, cœnobiis extructis, certatim offerendas. Stetit autem hic Ordo per plures annos à nullo approbatus Pontifice, usque dum illum Alexander II. *4to. Caiend. Novemb. Anno 1062.* in Bulla: *nulli Fidelium.* ſub ſedis Apoſtolicæ protectione recepit, & approbavit. Licèt autem hic Ordo diu in uno corpore & ſub uno capite ſteterit, ſucceſſivè tamen, collabeſcente ob-

obſervantia Conſtitutionum, in duas Congregationes diviſus eſt ſub nomine Eremitarum ſeu obſervantium, illorum ſcilicet, qui priſcum ſtrictúmque vivendi modum retinuerunt, & Conventualium, qui laxata monaſtica diſciplina à Fundatore & B. Rudolpho IV. Eremi Priore præſcripta laxiorem in victu, veſtitu, & converſatione rationem inierunt. Caput Conventualium & totiusOrdinis erat ſacra Eremus: caput verò Eremitarum erat S. Michael de Murano. Quas tamen Congregationes Leo X. in Bulla: *Etſi à ſummo. 4. Julii Anno 1513.* iterum univit, multiſque decoravit privilegiis, quæ confirmavit aliáque conceſſit Gregorius XIII. in Bulla: *Superna. 12. Julii Anno 1574.* & in *B. cùm interna. 7. Januar. Anno 1584.* ac Gregorius XIV. qui præterea ipſis in Bulla: *Ex injuncto. 24 Septemb. Anno 1591.* omnia privilegia, quibus quicunque alii Regularium Congregationum Ordines gaudent & gaudebunt (æquè & principaliter, perinde ac ſi dictis Eremitis ſpecialiter conceſſa eſſent) communicavit: aliáque addidit Clemens VIII. in Bulla: *Officii noſtri. 3. Aug. Anno 1594.* ùt refert Eminentiſſimus Petra ad Conſtitut. Alexandri II. ubi tres alias recenſet Congregationes, quæ ex eodem etiam S. Romualdi fonte dimanârunt, quarum unaquæque diverſam conſtituit Rempublicam, & propriis regitur inſtitutis. Prima eſt, quæ Montis Coronæ, aliàs *Grotana* vulgò appellatur, cujus inſtitutor fuit Paulus Juſtinianus Patritius Venetus Anno 1520. Monachus Camaldulenſis, qui arctiſſimam ſolitudinis legem ſuis ſociis injunxit, illiſque in diſtinctis & ſeparatis cellulis novam eremum in eremo conſtruxit, ut ſejuncti non ſolùm à ſæcularium, ſed ut plurimùm à Confratrum conſortio liberiùs contemplationi vacarent. Approbata fuit à Clemente VII. in B. *Veſtrum Ordinem. 27. Julii. Anno 1528.* in qua ſimul eidem privilegia Abbatum ſub regula D. Benedicti militantium conceduntur, citra uſum tamen Pontificalium. Eam deinde Paulus III. in B. *Rationi 3. Novemb. Anno 1534.* à Congregatione S. Eremi Camaldulenſis & S. Michaelis de Murano ſeparavit, ac ſpecialibus privilegiis exornavit. Secunda eſt Congregatio Pedemontana Eremitarum Taurini, quam Venerabilis Alexander de Ceva ſub initio elapſi ſæculi erexit. Tertia denique eſt Eremitarum Galliæ, quos Ven. P. Bonifacius de Antonio Anno 1626. inſtituit, accedente poſtea, *Anno nempe 1633. die 19. April.* auctoritate Urbani VIII. geſta omnia confirmantis.

Tertius, qui ex Ordine S. Benedicti prodiit, eſt Ordo Vallisumbroſæ. Parentem veneratur S. Joannem Gualbertum nobilem Florentinum, qui condonata inimico ſuo ac fratricidæ vita ob reverentiam Chriſti crucifixi, cùm in proximo S. Miniatis templo ante illius ima- 11

ginem orans, eùm ſibi cervicem inclinare vidiſſet in tam hæroici præmium facinoris, tanto miraculo commotus, mox ibidem ſpretis omnibus Monachum induit. Poſtmodum verò inſpirante Deo ad Romualdum Camaldulenſis eremi incolam conceſſit, à quo in monaſtica ac eremitica vita inſtructus, cœleſti etiam vaticinio accepto novi Ordinis à ſe excitandi, tandem illum ipſum in umbroſa valle Hetruriæ inſtituit, quo tamen Anno haud conveniunt; quibusdam Annum 1012. aut 1015. aliis 1030. 1050. aut 1060. aſſignantibus; illud omnino certum, hunc Ordinem fuiſſe ab Urbano II. in Bulla: *Cùm univerſis. 8. Idus. April. Annò 1090.* approbatum & confirmatum, à quo tempore per ſubſequentes SS. Pontifices plurimis decoratus eſt gratiis & privilegiis, quæ omnia Julius II. in Bulla: *Militantis. Idibus Julii Anno 1507.* confirmavit, & in ſpecie eidem omnia privilegia Monachis Caſſinenſibus conceſſa communicavit; nec minora ſunt, quæ ab Imperatoribus, Regibus, ac magnis Principibus accepit. Ab hoc Ordine deſcendit Congregatio Sylveſtrinorum, Authore Sylveſtro Gozzolino, Monacho Vallisumbroſano, qui divino afflatus Spiritu Anno 1231. in monte Fano propè Fabianum prima ejusdem jecit fundamenta, quam deinde Innocentius IV. in Bulla: *Religioſam vitam. 5. Cal. Julii. Anno 1247.* confirmavit. Licèt autem hæc Congregatio olim ſubjecta fuerit Ordini Vallisumbroſano, poſtea tamen ab eo fuit ſeparata. Ex eodem Ordine Vallisumbroſano dimanat Congregatio in Galliis excitata, Vallisumbroſella dicta, quæ ſuam originem debet S. Ludovico Gallorum Regi. Is enim, cùm mira erga S. Joannem Gualbertum devotione afficeretur, obtenta à B. Benigno tunc Abbate Generali ejusdem Sancti manu dextera, in honorem tanti viri regium condidit cœnobium propè Pariſios, eidémque alias univit Abbatias, in quibus inſtitutum Monachorum ſub regula S. Benedicti & ſanctionibus Vallisumbroſanis introduxit, ſucceſſu temporis in Gallia ac præcipuè in Delphinatu propagatum. Tamburin. *to. 2. Q. 5. num. 40.*

Quartus, qui ex fœcunda D. 12
Benedicti arbore protuberavit, eſt Ordo Cœleſtinorum, qui ſua primordia ſumpſit in monte Moroni regni Neapolitani Anno 1274. Fundatore Petro de Morone, qui dein ad S. Pontificatum evectus, ac Cœleſtinus V. nuncupatus, toti Ordini ſuo hoc nomen indidit, quod huic ſacræ familiæ remanſit, etiam poſtquam abrenuntiato Pontificatu cum primæva monaſtica vita priſtinum Petri Moroni nomen reaſſumpſit. Confirmatus eſt hic Ordo primùm à Gregorio X. Anno 1274. ùt firmavit Rota apud Eminentiſſ. Petra ad Conſtit. unic. Cœleſtin. V. deinde verò ejusdem ſtatuta confirmavit, multisque privilegiis ac gratiis

tiis

tiis eundem exornavit is ipſe Cœleſtinus Fundator in Bulla: *etſi cunctos. 5. Cal. Octobr. Anno 1294.* ultra verò ejusdem Ordinis Fundatorem alii SS. Pontifices eundem non minori beneficentia proſecuti ſunt, præſertim Benedictus XI. qui in Bulla: *Religioſam vitam. 14. Martii Anno 1304.* ejusdem Monachos & Monaſteria, conceſſis quibusdam privilegiis, ſub protectione Sedis Apoſtolicæ recepit. Eosdem Gregorius XI. in Bulla: *Sacra. 15. Jan. Anno 1376.* exemit à ſolutione Decimarum: & à Quartæ Funeralis Eugenius IV. 28. Octobr. Anno 1434. Paulus V. in Bulla: *injuncti. 29. April. 1606.* omnia & ſingula privilegia eisdem conceſſa confirmavit, multáque ſtatuit pro felici hujus Ordinis regimine. Urbanus denique VIII. (ut alios prætercam) eisdem in Bulla: *Sacroſancti. 14. Aug. Anno 1624.* omnia privilegia tam Caſſinenſi, quàm quibusvis aliis Monachorum Congregationibus conceſſa & concedenda communicavit.

13 Quintus, qui ex regula D. Benedicti, quaſi oliva ſpecioſa, in campis Tuſciæ pullulavit Ordo, dicitur Olivetanus à Monte Olivarum propè Senas ſito. Initium eidem dedit circa Annum 1320. Bernardus antea Joannes vocatus, Senis ex nobili Ptolomea familia progenitus, qui cùm Legum eſſet Profeſſor, perſpecta mundi vanitate, ſubitò ad Deum converſus in montem Olivetum extra hominum converſationem ſe contulit, aſperámque cœpit rudi indutus amictu in vigiliis, jejuniis & orationibus vitam vivere, quem mox Patritius ex Patritia familia, & Ambroſius Piccolomineus, ambo nobiles Senenſes, eodem propoſito ſecuti ſunt. Cùm autem eorumdem fama permoti quamplures diſcipuli ad eos confluxiſſent, delati ſunt ad S. Pontificem Joannem XXII. tanquam novatores, qui nonnullos ex iis ſeniores accerſitos de ſuſceptæ vitæ ratione interrogavit, qua benè perſpecta innocentes declaravit, & cum magna commendatione remiſit ad Guidonem Epiſcopum Aretinum, ut eis regulam præſcriberet, ac Congregationem novellam approbaret. Antequam verò ad eum perveniſſent, apparuit Beatiſſima Virgo præfato Epiſcopo, fulgentibus induta veſtibus, porrigens cappam albam & Codicem regulæ S. Benedicti. Quapropter cùm non multos poſt dies Bernardus cum ſociis litteras Papæ Epiſcopo reddidiſſet, ipſe memor viſionis eos inter Miſſarum ſolemnia candido habitu in Eccleſia Cathedrali Aretina *die 21. Martii Anno 1319.* induit, & S. Benedicti regulam præſcripſit ſervandam, ac Congregationi nomen B. Mariæ Montis Oliveti indidit, quam dein Joannes XXII. in Bulla: *Cùm à nobis. 16. Calend. Junii Anno 1324.* approbavit, eandémque ſucceſſores Pontifices multis gratiis & privilegiis exornârunt. Sic enim Clemens VI. in Bulla: *Sollicitudinis*

21. Januar. 1344. eiſdem concedit facultatem acquirendi & retinendi nova loca & Monaſteria, ibique Eccleſias conſtruendi, ac Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrandi. Pius II. in Bulla: *licèt ex debito. 5. Octobr. Anno 1462.* præter plura privilegia eidem conceſſa etiam communicat omnia privilegia Congregationis S. Juſtinæ de Padua, nunc Caſſinenſis. Julius II. in Bulla: *Militanti Eccleſiæ. 25. Octobr. Anno 1505.* privilegium tribuit eligendi conſervatores cum ampla Jurisdictione; & in Bulla: *ad univerſos. 4. Junii Anno 1507.* plures eásque ſpeciales gratias ac privilegia conceſſit. Pius IV. in Bulla: *votis veſtris. 24. Maji. Anno 1560.* Prælatis facultatem abſolvendi Monachos ab irregularitate quacunque, quatuor tantùm exceptis caſibus, indulſit. Pius V. in Bulla: *poſtquam. 30. Maji Anno 1570.* hujus Ordinis reformationem 33. paragraphis comprehenſam pro bono illius regimine ſuſcepit. Urbanus denique VIII. Decretum S. Congr. Rituum approbavit per Bullam: *exponi 5. April. Anno 1629.* quo ejusdem Abbatibus uſus Pontificalium & Baldachini ac aſſiſtentiæ conceditur. Alia privilegia conceſsêre alii SS. Pontifices, quæ videri poſſunt apud Pittonum in Conſtitut. Pontific. pro Reg. ſuis quæque Annis, & cum aliis hactenus dictis ex parte refert Eminentiſſimus Petra *ad Conſtitut. 15. Joan. XXII.*

14 Sextus ac inter omnes, qui ſub regula S. Benedicti militant Ordines, primus ac præcipuus ac ipſi Ordini Benedictino vix non ſuppar eſt Ordo Ciſtercienſis ſic dictus à valle & ſylva Ciſtercii in Burgundia, in quam ſe receperunt primi illi ſanctiſſimi parentes, qui huic reformationi dederunt operam & initium. Duxit autem clariſſimus hic Ordo originem ſuam à cœnobio Moliſmenſi Anno 1098. ût communior fert opinio, quo Robertus ejusdem Abbas videns Ordinem ſuum relaxatum, nec ullam ſupereſſe ſpem eundem reſtituendi, aſſumptis ſecum probatiſſimæ vitæ Monachis præfatum cœnobium deſeruit, & in remotiſſimam Cabilonenſis agri ſolitudinem, cui Ciſtercii nomen, commigravit, ibique aſſentiente Gualterio Epiſcopo Cabilonenſi, & Othone Burgundiæ Duce opes conferente cœnobium exſtruxit, ſimúlque Ciſtercienſis Ordinis primordia poſuit. Ad hanc deinde Congregationem veniens D. Bernardus cum 30. ſociis tanta ibidem ſanctitate effulſit, ut ab ejus nomine Ordo ille Bernardinus fuerit dictus. In diverſas poſtea diſſectus eſt hic Ordo Congregationes diverſis temporibus erectas. Prima Congregatio S. Bernardi in regnis Caſtellæ, Legionis, Aſturiæ & Galitiæ in Hiſpania erecta fuit Anno 1131. & reformata tempore Martini V. per Bullam: *Pia ſupplicum vota. 9. Calend. Novemb. Anno 1425.* Altera dicitur Luſitaniæ à S. Pio V. erecta *Anno 1567. 7. Cal. Novemb.* per Bullam: *Paſtoralis*

ralis officii, quam Congregationem denominari voluit S. Mariæ de Alcobatia, eique privilegia omnia Ordinis S. Benedicti, & quibusvis aliis Ordinibus, ac eorum, & etiam dicti Ciſtercienſis Ordinis Congregationibus & Monaſteriis ac perſonis conceſſa & concedenda indulget Gregorius XIII. *Anno 1580. 23. Julii* in Bulla: *Decet.* quæ privilegia iterum confirmavit Gregorius XIV. in Bulla: *Romanus. 30. Aug. Anno 1591.* Adeſt & in Italia Congregatio S. Bernardi Lombardiæ & Tuſciæ dicta, quam ex duabus Congregationibus in unam coadunatam ac S. Bernardi regularis obſervantiæ nuncupandam cum pluribus ſtatutis pro ejus regimine factis inſtituit Alexander VI. in Bulla: *plantatus 10. Cal. Januar. Anno 1497.* quam unionem & ſtatuta approbavit poſtea Julius II. per ſuam Conſtitutionem: *Ex paterna. 24. Martii Anno 1511.* novas ordinationes ſub 38. paragraphis comprehenſas quoad munus & electiones Prælatorum ſtatuit Gregorius XIII. in Bulla: *Romanus. 23. Maji. Anno 1578.* quam approbavit Sixtus V. per Bullam: *Nuper. 25. Septemb. Anno 1585.* & Gregorius XIV. per Bullam: *Romanus Pontifex. 6. Septemb. Anno 1591.* qui omnes SS. Pontifices varia privilegia, gratias, & indulta huic Congregationi concedunt, declarantes gaudere ſimpliciter omnibus privilegiis, quibus univerſa Ciſtercienſium familia potitur & gaudet, huicque demùm univit Congregationem Romanam Alexander VII. per ſpecialem Bullam. Extat etiam Congregatio Monachorum D. Bernardi diſcalceatorum communiter S. Mariæ Fulienſis dicta, quam primitùs in Gallia maxima auſteritate cœptam approbavit Sixtus V. in Bulla: *Religioſos viros. 5. Martii Anno 1587.* deinde verò per Galliam & Italiam latiùs diffuſam ab invicem ob exortas inter utramque nationem differentias ſeparavit Urbanus VIII. in Bulla: *ad uberes 22. Maji Anno 1630.* aſſignata cujusque Congregationis Generali propria Reſidentia. Adſunt præter relatas aliæ etiam Congregationes hujus Ordinis ſub dependentia tamen Generalis Ciſtercienſis in Germania, Belgio, Polonia aliisque Provinciis, de quibus agit Eminentiſſimus Petra ad *Conſtit. 1. Paſchalis II.* Tamburinus *to. 2. D. 24. Q. 5.* Barboſa *Jur. Eccl. L. 1. cap. 41. n. 55.* Quamplurima cæteroquin ac maxima privilegia habet hic Ordo Ciſtercienſis, ſi quis ullus alius, quæ longiſſima ſerie recenſent Chryſoſtom. Henriquez *de Privileg. hujus Ordin.* Raphael Köndig in *Elench. Privileg. tr. 3. Q. 1.* aliique: & per extenſum referuntur in noviſſima collectione privilegiorum Ciſtercienſium Pariſiis edita Anno 1713. quam conſule.

Ordinibus Monaſticis hactenus 15
relatis proximè accedit Ordo Carthuſianorum, qui à S. Brunone Canonico Regulari Anno 1084. inſtitutus prope Gratianopolim in loco inacceſſo, quem Carthuſiam vocant,

Car-

Carthuſianus dictus eſt, ejúſque Monachi ſive Eremitæ exinde Carthuſiàni vocati ſunt. Poſtquam verò per integrum ferè ſæculum ſtetit ſub ſtrictiſſima obſervantia, eum tandem approbavit Alexander III. variiſque gratiis & privilegiis communivit in Bulla: *Cùm vos. 4. Non. Septemb. Anno 1176.* Inter omnes Religioſos Ordines cenſetur hic Ordo ob ſuam auſteritatem, abſtinentiam à carnibus, continuum fermè ſilentium ac perpetuum, ùt ita dicam, carcerem arctiſſimus ac rigidiſſimus, id quod multi etiam SS. Pontifices declarârunt. Licèt enim non ſit aliis perfectior reſpectu finis, cùm non ſit inſtitutus ad officium docendi & prædicandi, ſed ad ſolam contemplationem, conſiderato tamen arctiſſimo ac perpetuo carcere, quo conſtringuntur, abſtinentia à carnibus, aliiſque pluribus auſteritatibus, præponderat hic omnibus aliorum Ordinum rigoribus, ùt docent communiter Authores: unde omnibus aliis etiam Mendicantium Ordinibus conceſſus eſt tranſitus ad Ordinem Carthuſianum ex conceſſione plurium Pontificum: nulli autem Carthuſiano ad alium. Ex qua ipſa tamen auſteritate ſpecimen ſumere licet divinæ aſſiſtentiæ, quòd ea non obſtante nunquam collapſa ſit obſervantia, in qua primævus Ordinis rigor ſeptingentis jam annis ad hæc úſque tempora perſeverat immutatus. Unde mirum non eſt, quòd eum ſemper SS. Pontifices ſingulari veneratione proſecuti ſint ac plurimis munierint privilegiis. Sic enim præter Alexandrum III. Honorius III. in Bulla: *cùm dilecti. 9. Febr. Anno 1218.* prohibuit, ne ejuſdem Fratres ab eorum ſolitudine per quemquam diſtrahantur vel compellantur teſtimonium ferre, aut juramentum calumniæ ſubire. Bonifacius IX. in Bulla: *Sacroſancta. 16. Martii Anno 1391.* à Juriſdictione & ſuperioritate Ordinariorum eos exemit, & Martinus V. in Bulla: *Fons parvulus. 24. Septemb. Anno 1420.* à ſolutione decimarum. Sixtus IV. in Bulla: *Ad fructus uberes. 17. Cal. April. Anno 1481.* ampliſſimâ illos donavit facultate abſolvendi à reſervatis, & diſpenſandi in irregularitate, pluribúſque ditavit indulgentiis. Gregorius XV. in Bulla: *Ad uberes. 3. Febr. Anno 1623.* illis communicavit & extendit omnia privilegia, immunitates, exemptiones, gratias & indulta tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, quibuſvis aliis tam Mendicantibus quàm non Mendicantibus conceſſa & in futurum per quoſcunque Romanos Pontifices &c. concedenda. Præmiſſa hac brevi præcipuarum Congregationum ac Ordinum Monaſticorum notitia, ſtatuendum nunc eſt, an Canonici Regulares cum iis in privilegiis communicent. Unde

16 Dico 1mò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis*

com-

Digitized by Google

communicant pleniſſimè in omnibus & ſingulis privilegiis S. Ordini Benedictino ac præcipuè Congregationi S. Juſtinæ de Padua nunc Caſſinenſi conceſſis & concedendis.

Ita expreſsè Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Cal. Septemb. Anno 1477. Pontif. 6.* Lateranenſibus conceſſa, ubi formalia hæc verba habet: Cúmque acceperimus, & reipſa didicerimus, Congregationem S. Juſtinæ de Padua Ordinis S. Benedicti à nonnullis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quampluribus digniſſimis privilegiis, indultis, & gratiis decoratam fuiſſe, & cenſeamus Congregationem Lateranenſem meritis & virtutibus ſuis non minora promereri; maximè, ubi quos par labor conjungit, paria quoque privilegia conjungere debent, eidem Congregationi Lateran. etiam concedimus, ut omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus, & indultis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris ſeu aliàs eidem Congregationi S. Juſtinæ conceſſis, ipſa quoque Congregatio Lateranenſis pariformiter potiri, & gaudere poſſit, & valeat absque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi ea dictæ Congregationi Lateranenſi ſpecialiter & nominatim conceſſa fuiſſent, quorum tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, & non ſecùs ac ſi præſentibus de verbo ad verbum inſerta forent, quæ ad ipſam Congregationem Lateranenſem extendi ac illam pari modo comprehendere volumus ac decernimus. Quod ipſum confirmans ac ad univerſam Congregationem Caſſinenſem & ad privilegia eidem tam conceſſa quàm concedenda extendens Gregorius XV. in Bulla: *Injuncti nobis. 23. Aug. Anno 1622. Pontif. 2do.* ad Lateranenſes data, ita proſequitur: Præterea eidem Congregationi Lateranenſi, illiúsque Abbatibus, Superioribus, Canonicis, aliiſque perſonis, quòd omnibus & ſingulis aliis privilegiis, gratiis, & indultis tam ſpiritualibus quàm temporalibus Congregationi Caſſinenſi in hunc usque diem, illiúsque Abbatibus, Superioribus, & perſonis quibuscunque per quoscunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros ac etiam nos quomodolibet conceſſis, ac quibus utuntur, fruuntur & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, nec SS. Canonibus ac Concilii Tridentini Decretis ac Conſtitutionibus Apoſtolicis repugnent, pari modo uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore præſentium concedimus & indulgemus. Decernentes præſentes litteras perpetuò va-

validas, firmas, & efficaces exiſtere ac fore, & primò dictæ Congregationi in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari &c.

Julius II. quoque hoc ipſum conceſſit Canonicis Regularibus Congregationis Bononienſis hiſce verbis: Adjicientes præterea, quòd dicti Canonici omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, indultis & gratiis ſpiritualibus & temporalibus per Nos vel per quoscunque Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, vel aliàs quomodolibet, ſeu præfatam ſedem, Congregationi Monachorum S. Juſtinæ ſeu S. Benedicti Caſſinenſi, & ejus Monaſteriis, locis, membris ac perſonis hactenus conceſſis & pro tempore concedendis in omnibus & per omnia abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi ea ipſi Congregationi Canonicorum Regularium S. Salvatoris ſpecialiter ac nominatim conceſſa fuiſſent, quorum tenores hìc pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, & non ſecùs ac ſi præſentibus de verbo ad verbum inſerta forent, uti, potiri & gaudere poſſint ac valeant, eáque omnia ad ipſam Congregationem Canonicorum Regularium S. Salvatoris extendi volumus ac decernimus, cùm eam cenſeamus meritis & virtutibus ſuis non minora promereri, quàm ſupraſcriptam Congregationem S. Benedicti Caſſinenſem, quos enim par labor conjungit, paria quoque privilegia conjungere debent. Ita præfatus Pontifex Julius II. in Bulla: *inter cæteros. 4. Nonas April. Anno 1512. Pontif. 9.* Idipſum eisdem S. Salvatoris Canonicis Regularibus conceſſit ac confirmavit Julius III. in Bulla: *cùm à nobis. 10. Calend. Novemb. Anno 1551. Pont. 2do.* ubi eadem penè verba Julii II. hactenus relata repetit.

Dico 2dò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis communicant pleniſſimè in omnibus & ſingulis privilegiis ſuprarelatis S. Benedicti Congregationibus, ac quibuscunque monaſticis Ordinibus conceſſis & concedendis.* 17

Sequitur ex dictis in præcedente concluſione, & evincitur ac probatur 1. ex eo, quòd ſacrum Caſſinenſe Monaſterium propter unionem, quam habet cum omnibus Congregationibus & Ordinibus ſub S. Benedicti regula militantibus, tanquam totius Ordinis Benedictini auguſtum caput, ſanctiſſimi legislatoris veneranda ſedes, ac ejusdem regulæ natale, meritò gaudeat omnibus & ſingulis privilegiis quibuscunque Congregationibus ac Ordinibus Monaſticis ſub hac regula militantibus: ſed Canonici Regulares utriusque Congregationis Lateranen-

nenſis & Bononienſis gaudent omnibus & ſingulis privilegiis non modo Congregationi ſed etiam Archi-Cœnobio Caſſinenſi conceſſis, ùt patet ex ſuprarelata Julii II. Bulla: *inter cæteros*. in qua Canonicis Regularibus communicat in ſpecie omnia privilegia non tantùm Congregationi Caſſinenſi in communi, ſed etiam ejusdem Monaſteriis in particulari conceſſa, inter quæ cùm præcipuum ſit ipſum Caſſinenſe Monaſterium, ejusdem quoque privilegia conceſſa cenſentur: inter hæc autem eſt communicatio omnium privilegiorum cum cæteris Congregationibus ac Ordinibus Monaſticis ſub regula D. Benedicti viventibus: ergò Canonici Regulares gaudent etiam omnibus & ſingulis privilegiis quibuscunque Congregationibus & Ordinibus Monaſticis ſub regula D. Benedicti viventibus, quos inter eminent relatæ ſupra Congregationes, & Ordines Cluniacenſis & Camaldulenſis, Vallisumbroſanus & Ciſtercienſis, Cœleſtinus & Olivetanus. Quodipſum longè clariùs elucеſcit ex præfata Julii II. Bulla: *inter cæteros*. ubi poſtquam hic Pontifex omnia Caſſinenſium privilegia Congregationi Canonicorum Regularium communicâſſet, addit inſuper: ***cujus etiam Congregationis Prælati atque perſonæ quibuscunque privilegiis aliis Congregationibus & Ordinibus à ſede Apoſtolica vel aliàs conceſſis, ac de Jure ſeu conſuetudine debitis Juribus, præeminentiis, ac dignitatibus inconcuſsè gaudeant & utantur.*** quibus verbis præfatus S. Pontifex quàm clariſſimè aliorum Ordinum & Congregationum privilegia communicat: atqui ſub hisce Congregationibus & Ordinibus continentur relatæ Congregationes & Ordines Monaſtici ſub regula S. Benedicti militantes tanquam ſpecies in genere: ergò & dictæ Canonicorum Regularium Congregationis Prælati & perſonæ inconcuſsè gaudent & uti poſſunt quibuscunque privilegiis dictis Congregationibus & Ordinibus Monaſticis conceſſis.

Probatur concluſio 2dò. ex Bulla S. Pii V. quæ incipit: *Ex ſuperna diſpoſitionis arbitrio. Cal. Septemb. Anno 1577. Pontif. 2do.* data, in qua Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis, & Bononienſis aliisque ibidem expreſſis Congregationibus omnia privilegia, favores & gratias tam ſpirituales, quàm temporales modo & forma, quibus conceſſa ſunt, etiam per viam communicationis & extenſionis confirmat, invicem communicat, ac de novo concedit, ita quidem ut iis inter ſe uti valeant activè & paſſivè: atqui inter Congregationes & Ordines ibi enumeratos exprimuntur in ſpecie Caſſinenſis & Camaldulenſis, Vallisumbroſanus, & Ciſtercienſis, Olivetanus & Carthuſienſis: ergò horum omnium Ordinum & Congregationum privilegia, favores & gratias etiam per viam communicationis & extenſionis conceſſa participant, & communicant,

iiſque tam activè quàm paſſivè uti poſſunt Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis. Id quod longè magis confirmatur ex eadem D. Pii V. Bulla, utpote in qua dictus S. Pontifex præfatis Canonicis Regularibus utriusque Congregationis Lateran. & Bononienſis inter alia etiam communicat omnia privilegia Ordinibus non Mendicantibus conceſſa: atqui inter Ordines non Mendicantes numerantur præfatæ Congregationes & Ordines Monaſtici Cluniacenſis & Camaldulenſis, Vallisumbroſanus & Ciſtercienſis, Cœleſtinus & Olivetanus, ac denique etiam Carthuſienſis: ergò horum omnium Ordinum & Congregationum Monaſticarum ſub regula S. Benedicti militantium privilegia participant & communicant Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis.

Ex quibus omnibus illud tandem ſequitur, prædictos Regulares Canonicos gaudere omnibus ac ſingulis privilegiis tum Caſſinenſi & aliis Congregationibus, tum quibuscunque Monaſticis Ordinibus præſertim relatis hactenus conceſſis, iisque uti poſſe tanquam propriis, non aliter ac ſi dictis Canonicis Regularibus in ſpecie ac primariò fuiſſent conceſſa. Etenim SS. Pontifices communicantes iisdem Canonicis prædictorum Ordinum ac Congregationum privilegia, ea ita concedunt, ut iis pariformiter potiri & gaudere poſſint ac valeant absque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi dictis Canonicis ſpecialiter, & nominatim fuiſſent conceſſa, quorum omnium tenores & alia de neceſſitate exprimenda, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, pro expreſſis haberi volunt: quibus utique aliisque fortioribus communicationis formulis & clauſulis ſatis explicant, quòd velint, ut prædicti Canonici omnibus relatorum Ordinum ac Congregationum Monaſticarum privilegiis utantur tanquam propriis, & non aliter quàm ſi illis fuiſſent primariò in ſpecie ac nominatim conceſſa: unde eadem etiam tanquam propria in decurſu hujus Operis pro opportunitate referemus tum ad illuſtranda noſtra, tum ad aliorum Ordinum dilucidanda privilegia.

(o)

Sectio

Sectio III.

De privilegiorum communicatione, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum Ordinibus Mendicantibus.

18 POſt Ordines Monaſticos ſequuntur Religiones Mendicantium, quos inter primus ac præcipuus eſt Ordo Prædicatorum à S. Dominico Cathedralis Eccleſiæ Oxonienſis in Hiſpania Canonico Regulari inſtitutus. Anſam eidem dedit Hæreſis Albigenſium per Galliam tunc temporis longè latéque graſſata, contra quam cum aliis Canonicis Regularibus in prædicationis ſocios aſſumptis ſtrenuè pugnavit non tantùm verbo, ſed & opere ac plurimis prodigiis, ex quo ſenſim factum eſt, ut illi ejúsque ſociis nomen adhæſerit Prædicatorum, ac tandem in novum Ordinem eorum excreverit Congregatio, qui ab Honorio III. ſub regula D. Auguſtini repoſitus, *Anno 1216. 2. Cal. Januar.* approbatus fuit per Bullam, quæ incipit: *Religioſam vitam*, in quâ præfatus Pontifex ſtatuit, ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum & B. Auguſtini regulam in Eccleſia Tholoſanenſi inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Cum hac Bulla Tholoſam ad fratres reverſus S. Dominicus, ubi jam primum Ordinis Monaſterium in Eccleſia S. Romani fuerat conſtructum, pleroſque ipſorum ad diverſa loca ad prædicandum miſit; ipſe verò aliis ædificatis monaſteriis prædicationis munus nunquam intermiſit, atque idipſum ſuis alumnis ſedulò inculcavit, quod & egregiè præſtiterunt, uberrimis exinde collectis ædificationis fructibus, ex quo factum eſt, ut ab initio & aliquamdiu dicti fuerint Canonici Regulares Prædicatores, ùt in antiquis litteris ac Bullis etiamnum videri poteſt ac legi, quæ tamen denominatio ſuccedente tempore ſenſim deſiit, ita ut ſimpliciter dicti fuerint Fratres Prædicatores, quod nomen hodiedum retinent, quamvis non deſint ex ipſis, qui priorem nomenclationem modò retineant, v. g. Graveſon, & author *Veteris diſciplinæ monaſticæ* quoad peculium. Venetiis Anno præterito editus in 4. Ordinem Prædicatorum taliter à S. Dominico inſtitutum quampluribus SS. Pontifices decorârunt gratiis & privilegiis, quæ videri poſſunt in hujus Ordinis Bullario, inter quæ præcipuè memoranda venit hoc loco Bulla Leonis X. quæ incipit: *Cùm inter cæteros. 21. Junii. Anno 1518. Pont. 6.* & Bulla Julii III. *In ſacra. 10. Jul. Anno 1551. Pont. 2.* data, in quibus om-

omnia eorum privilegia confirmantur, & cæterorum Ordinum tam Mendicantium quàm non Mendicantium communicantur. Notanda præterea eſt Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Romanum Pontificem. 16. Martii. Anno 1600. Pont. 9.* qua per definitivam ſententiam Ordinem Prædicatorum quibuscunque aliis Mendicantium Ordinibus præponendum declarat, eique præcedentiam adjudicat. Accedit huic Ordini ingens decus ex officio Magiſtri S. Palatii, quod à S. Dominico cœptum, & inſequenti tempore non mediocribus præeminentiis à SS. Pontificibus adauctum, eidem factum eſt hæreditarium, ita ut nunquam non unus ex hoc Ordine ad illud aſſumatur.

19 Ordinem Prædicatorum excipit Ordo Minorum aliàs etiam D. Franciſci dictus, qui renuntiatis omnibus ſtrictiſſimam paupertatem amplexus adunatis ſibi ſociis regulam præſcripſit Anno 1208. cum qua Anno ſequenti Romam profectus ejusdem approbationem ab Innocentio III. efflagitavit, quam etiam ab eodem Pontifice vivæ vocis oraculo obtinuiſſe, ſimúlque poſt emiſſam cum ſociis ſuis in manibus prædicti S. Pontificis ſolemnem profeſſionem ab eodem Generalem Ordinis conſtitutum fuiſſe ferunt. Solennis tamen Ordinis approbatio primùm facta eſt Anno 1223. per Honorium III. in Bulla, quæ incipit: *Solet annuere. 29. Novemb.* ob quam rationem Ordo Prædicatorum utut ſeriùs inſtitutus præfertur Ordini Minorum priùs quidem inſtituto, poſterius tamen approbato. Sicut autem Ordo Canonicorum Regularium dedit Ordini Prædicatorum parentem & fundatorem, ita pariter Ordini Minorum præcipuum decus & ornamentum, præclariſſimum ſcilicet Eccleſiæ ſydus S. Antonium de Padua dictum, qui nobilibus ortus parentibus in juventute habitum Canonicorum Regularium S. Auguſtini in Monaſterio S. Vincentii Uliſſiponæ induit Fernandus tunc vocatus: inde ad Regale Conimbricenſe Canonicorum pariter Regularium Collegium ſua voluntate translatus novem ibidem annos transegit; poſtea verò Martyrii obtinendi deſiderio flagrans ad Ordinem Minorum tunc recens natum tranſiit, atque à S. Franciſco benignè exceptus ſuóque Ordini aggregatus ad B. Thomam Abbatem Canonicorum Regularium Vercellenſem in myſtica Theologia inſtituendus miſſus eſt, à quo etiam maximam profectûs laudem promeritus, exinde ſacrum D. Franciſci Ordinem mirificè illuſtravit. Hic autem Minorum Ordo propter diverſas quas tulit tum relaxationes tum reformationes in plures, ùt ita dicam, Ordines & Congregationes ceu flumen in rivulos multos, quorum aliqui etiam in magna flumina excreverunt, diviſus eſt. Primus eſt Conventualium, qui tales à Conventibus dicuntur & proprietatem in com-

communi ſibi vendicârunt, ac ſucceſſionis in bona temporalia capaces ſunt, ad quod tamen opus habuerunt SS. Pontificum relaxatione & diſpenſatione: prout eandem ipſis etiam conceſſit Clemens IV. Conſtitut. 1. quæ incipit: *Obtentu 12. Febr. Anno 1265.* aliaque plura contulit in Conſtit. *Virtute conſpicuos. 21. Julij. eodem Anno.* Martinus V. Conſtit. 13. *Cùm generale. 21. Junij Anno 1430.* eorum Regulam ſub 12. Capitibus declaravit, idemque fecit Pius IV. Conſtit. 103. *Sedis apoſtolicæ 17. Sept. Anno 1565.* & alii, quos refert Flavius Cherubinus in Compend. ad Bull. citat. 103. Pii IV. ubi hæc latè recenſet. Alii tamen Minores pro primævi Inſtituti rigore certantes, Regulam quoad litteram obſervandam retinuerunt, abdicatis quibuscunque relaxationibus ac diſpenſationibus, ex quo fuêre dicti obſervantes. Verùm & iſtorum remiſſo ſenſim antiquo rigore varias ſubierunt iterum Reformationes, de quibus conſulendi ſunt Annales Minorum, præſertim Wadingi. Tertius, qui ex Regula D. Franciſci poſt Conventuales & Obſervantes promanavit Ordo, eſt ille Capucinorum ſic dictus à Capucio, quod in conicam & oblongam figuram geſtant, contendentes, talem fuiſſe habitum S. Franciſci. Originem habuit Anno 1525. à zelo quorumdam Fratrum Minorum Conventualium teſte Clemente VII. apud Card. de Lauræa in epit. Can. qui voluerunt regulam S. Franciſci ſine ullis declarationibus ſed ad litteram ſummo cum rigore profiteri, & aſperiori habitu utentes tam in Conventu, quàm in Eccleſiis, ſtrictiſſimas paupertatis leges rigidè obſervant, quas cum magno ipſorum decore, omniúmque fidelium ædificatione ac utilitate conſervant, quorum inſtitutum approbavit Clemens VII. in Bulla: *Religionis zelus. 3. Julij Anno 1528.* Maximis triplex hic Ordo ditatus eſt privilegiis à pleriſque in hunc uſque diem Pontificibus, quæ fusè recenſet tum citatus Wadingus in Annalibus, tum Emanuel Rodriguez *in Collect. Privileg.* Tum etiam Pittonus *in Conſtit. Pontif.* quoad Regulares.

20 Tertium inter Ordines Mendicantes locum obtinet Ordo Eremitarum ſub S. Auguſtini regula militantium. Alexander IV. eos per ſuam Conſtitutionem: *Licet Eccleſiæ 4. Maij. Anno 1256.* editam diverſa Eremitarum Monaſteria ac Congregationes S. Auguſtini, Guillelmi, Fratris Joannis Boni ſeu Jambonitarum, de Fabalis, de Britinis &c. diverſis regulis ac conſtitutionibus, diverſóque habitu & nomine utentes in unum Ordinem redegit, ac Capitulo Generali in urbe convocato præſidente Cardinali Richardo tit. S. Angeli ſpecialiter ad hoc deputato in unam Eremitarum S. Auguſtini profeſſionem regularem ac obſervantiam univit ſub cura Prioris Generalis pro tempore inſtituendi, ad quod munus in eodem Capitulo primò

aſſum-

Digitized by Google

aſſumptus fuit Lanfrancus Septulanus Mediolanenſis, ad quem ſupradicta Alexandri Conſtitutio directa fuit, eiſque permittit poſſeſſionem bonorum temporalium in communi, ſimúlque injungit, ut omnes uniformi uterentur habitu cum cucullis nigri coloris. Poſt factam porrò unionem plura huic Ordini Eremitarum conceſſerunt SS. Pontifices privilegia, quæ refert Laurentius de Empolis in ſuo Bullario Auguſtiniano, eáque indicat ſuis quæque locis Pittonus & Auguſtinus à Virgine Maria, inter quæ maximè notanda ſunt ea, quæ Julius II. in Bulla: *Etſi ad benemerendum 17. Iul. Anno 1508.* Et Clemens VII. in Bulla: *Romanus Pontifex. 31. Oct. Anno 1523.* conceſſit, in quibus ipſis Mendicantium aliorúmque Ordinum privilegia communicantur. Memorandum eſt præterea privilegium Alexandri VI. in Bulla: *Sacra Religionis die 8. Martij. Anno 1497.* conceſſum, per quam ipſis communicat omnia eorum privilegia, quibus ſua fuerant conceſſa. Inter omnia tamen privilegia illud prorſùs ſingulare eſt, quòd ex Conſtitutione ejuſdem Alexandri VI. quæ incipit: *Ad ſacram. 15. Oct. Anno 1497.* Sacriſta Capellæ Pontificiæ ſemper aſſumi debeat ex Profeſſoribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

21 Quartus inter Mendicantium Ordines tribuitur religioſiſſimæ Carmelitarum familiæ à monte Carmelo denominatæ, in quo primam ſedem fixerunt, quibus deinde S. Albertus ex Canonico Regulari S. Auguſtini ac Præpoſito Mortarienſi Patriarcha Jeroſolymitanus & Legatus Pontificius regulam 16. Capitibus comprehenſam præſcripſit, quam *Anno 1226. 30. Januar.* approbavit Honorius III. in Bulla, quæ incipit: *Ut vivendi normam.* Hæc autem pluries reformata ac mitigata eſt regula, imò quidem ab Innocentio IV., qui ejuſmodi mitigationem faciendam commiſit Hugoni à S. Caro tit. S. Sabinæ Presbytero Cardinali, ac Wilhelmo Epiſcopo Anteradenſi, cui taliter mitigatæ ac ſub 18. capitibus comprehenſæ acceſſit ejuſdem Pontificis confirmatio per Bullam: *Quæ honorem. 1. Sept. Anno 1248.* Succeſſivè Eugenius IV. in Bulla: *Romani. 15. Febr. Anno 1431.* eandem regulam ſub 9. paragraphis declaravit & mitigavit præſertim quoad abſtinentiam à carnibus & jejunia, moderavitque obligationem manendi in Cellis die, ac nocte in oratione & meditatione divinæ legis. Similiter Sixtus IV. in Bulla: *Dum attenta 28. Novemb. Anno 1476.* nonnulla iterum ipſius regulæ capita declaravit, mitigavítque. Ex quibus mitigationibus factum eſt, quòd ij, qui eas recepерunt, Carmelitæ mitigati aut etiam calceati & Conventuales appellentur: cæteri verò, qui haſce moderationes ac mitigationes regulæ non acceptârunt, Carmelitæ non mitigati ac obſervantes, aut etiam diſcalceati nuncupentur, quibus deinde

inde S. Virgo Thereſia ſeveriorem veterum Carmelitarum regulam à S. Alberto noſtro præſcriptam Deo afflante, & Pio IV. probante obſervandam propoſuit abſque moderationibus, quam etiam approbavit & confirmavit Gregorius XIII. in Bulla : *Pia conſideratione. 22. Iunij. Anno 1580.* iſtámque Congregationem poſtea totaliter ſeparavit ab omni Superioritate Carmelitarum mitigatorum ſeu calceatorum Clemens VIII. in Bulla : *Paſtoralis. 20. Sept. Anno 1595.* Utraque tamen Congregatio tam calceatorum, quàm diſcalceatorum inter Ordines Mendicantium numeratur: prior quidem jam ab antiquis temporibus, ut habetur *ex cap. un. §. ſanè de Relig. domib. in 6.* Et ex Conſtitut. S. Pii V. quæ incipit : *Romanus Pontifex. 1 Oct. Anno 1567.* edita, ubi 4tò. loco inter Mendicantes enumerantur Carmelitæ : poſterior verò inter Ordines Mendicantium declaratus eſt à Clemente VIII. in Bulla : *Romanum 20 Auguſt. Anno 1603.* Atque hinc etiam utraque Congregatio gaudet omnibus Mendicantium privilegiis, aliisque multis ſpecialibus, quæ videri poſſunt apud Cardinalem de Lauræa in Epitome Canonum, Auguſtinum à Virgine Maria Carmelitam, & Pittonum in Conſtitut. Pontificiis pro Regular. De hujus Ordinis antiquitate & origine ac ſucceſſione à ſanctis Prophetis Elia & Eliſeo orta eſt noſtris temporibus ac priori ſæculo acerrima contentio ac controverſia inter Papeprochium, & Henſchenium, ac Patres Carmelitas; cui tamen finem ac perpetuum ſilentium impoſuit Innocentius XII. qui ad evitanda jurgia & ſcandaloſas contentiones inter Regulares per ſuam Conſtitutionem: *Redemptoris. 20. Nov. Anno 1698* edita, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda demandavit, ut de præfata quæſtione primævi inſtituti & ſucceſſione dicti Ordinis neque voce neque ſcriptis amplius tractaretur.

His quatuor Mendicantium Or- 22
dinibus adnumerandi veniunt duo præclariſſimi Ordines, nempe Servorum B. Mariæ & Minimorum S. Franciſci de Paula, qui ex Conſtitutionibus Pontificiis inter Mendicantes referuntur, de quibus proin etiam hic nobis pauca ſunt dicenda. Et quidem Ordo Servorum B. Mariæ, ſeu ut nunc communiter vocantur, Servitarum, inſtitutus eſt in monte Senario prope Florentiam Anno 1216. à ſeptem nobilibus Viris nunc inter Beatos relatis, nempe Bonfilio de Monaldis, Amadæo Bonajunta, Manetto de Antellis, Alexio Falconerio, Soſtennio de Soſtenniis, Uguccione de Uguccionibus, qui viſitatis Terræ ſanctæ locis & facultatibus in pauperes erogatis, vocem, quæ eos ad novæ religionis exordium invitabat, ſecuti in prædicto monte Senario in honorem B. V. Mariæ primum conſtruxerunt Cœno-

bium, & ſe ſervos ejuſdem glorioſæ Virginis pio & devoto inſtinctu profeſſi, totum Ordinem hoc nomine appellari voluerunt, quam nomenclationem ex ore infantium & ferè lactentium confirmatam audiêrunt, cùm ipſis in civitate Florentiæ eleemoſinam quærentibus ab ipſis pueris, inter quos fuiſſe fertur B. Philippum Benitium, exclamare cœperunt: En Servi B. Mariæ Virginis, date eis eleemoſinam; prout refert Tamburinus *to.2.D.24. Q.4.* Poſtmodùm ſuſcepta regula S. Auguſtini aliquas Conſtitutiones addiderunt, quibus formam alicujus ſpecialis religionis aſſumpſerunt, quam Benedictus XI. approbavit in Bulla: *Dum levamus. 3. Idus Febr. Anno 1304.* ex qua tamen intelligimus jam priùs per Sedem apoſtolicam fuiſſe approbatam. Egregium verò poſtea nacta eſt hæc religio Reformatorem ſeu potius Propagatorem S. Philippum Benitium, qui viſione cœleſti in Servorum familiam nuper inſtitutam vocatus, aſperioris vitæ cupidus ſuo eximio virtutum exemplo collapſam ferè hujus ſancti inſtituti puritatem leniter & ſuaviter reſtituit, ut non incongruè nominari poſſit novus ejuſdem Ordinis Inſtitutor. Senſim itaque in Monaſteriis Servitarum introduci cœpit hujusmodi reformatio circa finem ſæculi 13. S. Pius V. duas familias ſeu Congregationes Conventualium & Obſervantium in unum idémque corpus ac in unam eandémque familiam uni duntaxat capiti ſubjectam ſub eadem regulari vita reduxit per Bullam: *Poſtquam nos. 30. May Anno 1570.* editam, quæ quidem unio uſque nunc impenſè colitur, ut omnium ſit unus Generalis Servitarum Miniſter, cujus gubernio & adminiſtrationi totus Ordo paret. Succeſſu temporis etiam Clemens VIII. in Bulla: *Ex iis, quæ. 22. Aug. Anno 1604.* edita plura reformationis decreta ad Ordinem Fratrum Servorum pertinentia & ſub. 33. paragraphis comprehenſa inviolabiliter ac perpetuò obſervanda tradidit. Tandem verò regnante Urbano VIII. pro totius Ordinis Servitarum bono regimine editæ fuerunt Conſtitutiones ex recenſitis apoſtolicis Sanctionibus deſumptæ atque in comitiis Ordinis coactis ab Anno 1625. ad annum uſque 1633. declaratæ & auctæ, ac denique ab eodem Urbano VIII. confirmatæ & explicatæ fuerunt in Conſtit. *Sacroſancti 23. Febr. Anno 1639.* Et hæ Conſtitutiones tanquam noviſſima Sedis apoſtolicæ decreta jugiter in Servitarum Ordine præ oculis habentur, ut hæc omnia fuſiùs refert Cardinalis Petra *ad Conſtit. 1. Benedicti XI.* ac præcipuè *ad Conſtit. 2. Clementis VI.* Plura huic Ordini privilegia & gratias conceſſerunt diverſi Pontifices Romani, quæ omnia & ſingula confirmat ac innovat, ac cætera omnia communicat, quibus gaudent Ordines Mendicantium & non Mendicantium Julius III. in Bulla: *Exponi 10. April.*

An-

Anno 1551. Eáque in particulari videri poſſunt apud Pittonum *in cit. Conſtit. Pontif. pro Regul.*

23 Ordo Minimorum, antea Eremitarum S. Franciſci de Paula dictus ab humilitate hujus ſui Patriarchæ initium habuit Anno 1435. quo præfatus Sanctus, poſtquam Anno ætatis 4tò. in deſertum ſeceſſit, cœnobiolum in Calabria prope Paulam pluribus ad eum vitæ eremiticæ ſtudio convolantibus cum Eccleſia ædificavit permittente Bernardino Caracciolo Archiepiſcopo Conſentino, ubi cum Fratribus in eo admiſſis vitam cœleſtem magis & angelicam quàm humanam viſus eſt agere, miraculis etiam frequenter illuſtratus. Naſcentem Ordinem excepit, probavit, ac plurimùm fovit Pyrrhus Bernardini in Archiepiſcopatu Conſentino ſucceſſor, qui eundem inſigni diplomate, quod incipit: *Decet nos. 30. Novemb. Anno 1471.* approbavit ac multis decoravit privilegiis, quæ deinde Sixtus IV. poſtquam ea Epiſcopo S Marci examinanda ac diſcutienda commiſerat, ipſemet ex certa ſcientia approbavit ac de novo conceſſit per Bullam: *Sedes apoſtolica 6. Cal Junii. Anno 1474.* aliáque nova largitus eſt, quæ deinde iterùm ex certa ſcientia confirmavit Innocentius VIII. in Bulla: *Paſtoris officium 10. Cal April. Anno 1485.* Poſtmodùm Alexander VI. præſcriptam à B. Franciſco ſuis Eremitis regulam approbavit iiſque ad illius ſupplicationem nomen Eremitarum mutavit in nomen Minimorum per Bullam: *Meritis Religioſa. 4. Cal. Martii. Anno 1492.* Qua in re id prorſùs ſingulare eſt, quòd cùm adidúsque tempus nonniſi quatuor Patriarchales regulæ, ſub quibus omnes religioſi Ordines militare debebant, ab apoſtolica Sede probatæ reperirentur, 5tam. ipſe S. Franciſcus de Paula confirmatam obtinuerit: mutavit deinde primam regulam ſuam aliamque ſubrogavit, quam confirmavit idem Alexander VI. in Conſtit. *Ad ea, quæ. circa Annum 1501.* Compoſuit poſtea 3tiam, & hanc iterum idem Alexander VI. confirmavit in Conſtitut. *Ad fructus. Anno 1502.* Quartam denique quæ modò apud Minimos ſervatur & colitur, prioribus ſubſtituit, prout hæc omnia pluribus recenſet Julius II. in Bulla: *Dum ad Sacrum. 5tò. Calend. Auguſt. Anno 1506.* In qua prædictas regulas, uti & illam ſororum atque eam quæ Tertiariorum appellatur, cùm omnibus privilegiis ab anteceſſoribus ſuis Sixto IV. Innocentio VIII. & Alexandro VI. conceſſis approbavit & confirmavit, ac longè plura eáque ſpecialia eisdem conceſſit tum in hac, tum & præcipuè in alia Bulla, quam mare magnum vocant, quæ incipit: *Virtute conſpicuos. eodem die ac Anno nempe 5. Cal. Auguſt Anno 1506.* data. Refertur cæteroquin hic Ordo inter Mendicantes, cúmque aliqui de hoc dubitarent, ad tollendam

omnem dubitationem edidit S. Pius V. Bullam, quæ incipit: *Apoſtolica ſedis. 9. Novemb. Anno 1567.* in qua declarat, Ordinem Minimorum inter Mendicantes eſſe connumerandum, eique omnia privilegia Mendicantibus conceſſa communicat, quæ omnia illi ſucceſſores Pontifices Gregorius XIII. XIV. & XV. Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. per ſpeciales Bullas confirmârunt ac innovârunt, prout licet videre apud Laurent. de Peyrinis *in Privil. Ord. Minim. to. 2.* quæ omnia doctiſſimis notis illuſtrat. Videri etiam poteſt Lanovius *in Chronic. Ord. Minim.*

Atque hi ſunt præcipui Mendicantium Ordines, qui à Sede Apoſtolica ac SS. Pontificibus ſpecialibus condecorati ſunt privilegiis ac gratiis; quamvis enim præter relatos hactenus ſint adhuc aut eſſe poſſint alii Mendicantium Ordines, ii tamen vel non gaudent peculiaribus privilegiis, aut in iis tantùm cum ſupra relatis communicant, aut noſtris in partibus haud adeò ſunt noti, ut non valeant brevitatis ſtudio præteriri ſilentio. Accedit, quòd illi, qui ſupradictorum Mendicantium privilegiis communicant, neceſſario etiam in iſtorum communicent privilegiis, cùm inter omnes Mendicantium Ordines mutua ſit tum paſſiva tum activa privilegiorum communicatio ex plurium SS. Pontificum præſertim S. Pii V. Conſtitutionibus, ut adeò ſi Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum ſupramemoratis Mendicantium Ordinibus tanquam primariis ac principalibus in privilegiis communicent, absque dubio etiam in reliquorum omnium privilegiis communicent. Demonſtrandum igitur ſolummodo reſtat, quòd Canonici Regulares cum relatis hactenus Mendicantium Ordinibus in omnibus & ſingulis privilegiis communicent, ex quo cætera neceſſariò conſequuntur.

Dico 1mò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis communicant pleniſſimé in omnibus & ſingulis privilegiis Ordinibus Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, & Servorum B. Mariæ conceſſis, & concedendis.* 24

Ita expreſsè Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4to. Nonas April. Anno 1512.* in qua ſic ait: Adjicientes præterea, quòd dicti Canonici omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, indultis & gratiis ſpiritualibus & temporalibus per Nos, vel per quoscunque Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices vel aliàs quomodolibet ſeu præfatam ſedem Ordinibus Heremi-

remitarum, Minorum, Prædicatorum, Carmelitarum, & Servorum B. Mariæ, & aliis etiam eorundem Ordinum membris, & illorum perſonis, Monaſteriis, & locis in genere conceſſis & pro tempore concedendis in omnibus & per omnia abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi ea ipſi Congregationi Canonicorum Regularium S. Salvatoris ſpecialiter & nominatim conceſſa fuiſſent, quorum tenores hic pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, & non ſecùs, ac ſi præſentibus de verbo ad verbum inſerta forent, & quæ ad ipſam Congregationem S. Salvatoris & ejus Moniales ſive ſorores ac perſonas oblatas & commiſſas utriusque ſexûs, quæ ſub illius Congregationis cura ſunt, in illis videlicet, quæ ipſis coaptari poſſunt, extendi ac illa ea n pari modo cum prædictis comprehendere volumus atque decernimus, cùm ipſam Congregationem S. Salvatoris cenſeamus meritis & virtutibus ſuis non minora promereri, quàm ſupraſcripti Ordines, quos enim par labor conjungit, paria quoque privilegia conjungere debent. Quodipſum & quidem in ſpecie iisdem omninò verbis concedit & confirmat Julius III. in Bulla: *Cùm à nobis. 10. Cal. Novembr. Anno 1551.* data. Id etiam fecerunt Paulus III. in Bulla: *Paſtoralis Officii. 18. Julii. Anno 1548.* Pius IV. in Bulla, quæ pariter incipit: *Paſtoralis Officii. 4. April. 1562.* Sixtus V. in Bulla: *Romanus Pontifex. 18. Martii. Anno 1587.* qui præfatas Julii II. litteras confirmârunt. Quod verò attinet ad privilegia Ordini Eremitarum S. Auguſtini conceſſa, ea omnia ac ſingula Gregorius XII. in ſpeciali Bulla, quæ incipit: *Excitat noſtra mentis. 3. Non. Apr. Anno 1408.* prædictis Canonicis Regularibus communicavit hisce verbis: Volentes etiam & auctoritate Apoſtolica concedentes eisdem Canonicis, quòd ipſi potiri & gaudere poſſint ac debeant liberè & abſolutè omnibus privilegiis, & indulgentiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus Ordini Fratrum Eremitarum, eorúmque Monaſteriis ac locis tam per ſedem præfatam, quàm aliàs per quoscunque conceſſis, & quibus Fratres Ordinis Eremitarum, eorúmque Monaſteria & loca quomodolibet potiuntur & gaudent.

Dico 2dò. *Canonici Re-* 25
gulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis etiam pleniſſimè communicant in omnibus & ſingulis privilegiis, quibuscunque demùm Mendicantium Ordinibus conceſſis & concedendis.

Hæc concluſio ſequitur ex præcedenti; cùm enim relati ſupra Mendicantium Ordines gaudeant omnibus & ſingulis quorumcunque Or-

Digitized by Google

dinum Mendicantium privilegiis juxta varias ac plures SS. Pontificum conceſſiones ac communicationes eisdem impertitas, & quidem Ordo Prædicatorum ex conceſſione Julii III. *in ſacra. 10. Julii. Anno 1551.* Ordo Minorum ex conceſſione Clementis VII. in Bulla: *Dum fructus uberes. 30. Maji. Anno 1525.* Ordo Eremitarum S. Auguſtini ex conceſſione Julii II. in Bulla: *etſi ad benè merendum. 17. Julii. Anno 1508.* Ordo Carmelitarum ex conceſſione Clementis VII. in Bulla: *Ex clementi. 11. Auguſt. Anno 1530.* Ordo Servitarum ex conceſſione Julii III. in Bulla: *exponi. 10. April. Anno 1551.* & Canonici Regulares cum his Mendicantium Ordinibus pleniſſimè communicent in omnibus & ſingulis eorum privilegiis, ùt in priori concluſione demonſtratum eſt, neceſſariò ſequitur & prædictos Canonicos communicare quoque cum cæteris omnibus, quotquot exiſtunt, Mendicantium Ordinibus in omnibus & ſingulis eorum privilegiis; qui enim cum aliquo Ordine pleniſſimè communicat in privilegiis, communicat etiam in omnibus illis, quæ talis Ordo communicat, ùt tradunt Authores communiter ex variis SS. Pontificum Conſtitutionibus: ſed Canonici Regulares præfati communicant pleniſſimè in privilegiis Ordinis Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Aug. Carmelitarum, & Servitarum: & hi communicant omnia privilegia aliis quibuſcunque Mendicantibus & in ſpecie Ordini Minimorum tam conceſſa quàm concedenda: ergò etiam Canonici Regulares pleniſſimè communicant cum aliis Mendicantibus quibuſcunque & in ſpecie cum Ordine Minimorum in omnibus privilegiis tam conceſſis quàm concedendis. Id quod manifeſtè quoque patet ex ſupra relata Julii II. Bulla: *inter cæteros. Anno 1512.* Canonicis Regularibus Bononienſibus data, utpote in qua poſtquam dictorum quinque Mendicantium Ordinum privilegia communicâſſet, addit inſuper: Cujus etiam Congregationis S. Salvatoris Monaſteria omnia, & loca prædicta, & eorum Prælati, Canonici & perſonæ quibuſcunque eis ac aliis Congregationibus & NB. Ordinibus à ſede prædicta vel aliàs qualitercunque conceſſis privilegiis ac de Jure ſeu conſuetudine debitis Juribus inconcuſsè gaudeant & utantur; per quæ verba cæterorum omnium Ordinum ac Congregationum privilegia communicantur, atque adeò etiam quorumcunque Mendicantium; qui enim totum dicit, nihil excludit, ùt notat Card. Tuſcus *litt. P. concl. 363.*

Probatur concluſio noſtra ulterius & principaliter ex Bulla S. Pii V. quæ incipit: *Ex ſuperna diſpoſitionis arbitrio. Cal. Septemb. Anno 1567.* Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis, aliisque ibi expreſſis conceſſa: pro cujus meliori intelligentia ſciendum eſt, S. Pium V. ad ſummi Pontifi- 26

ca-

Digitized by Google

catûs apicem eveɛtum altero mox anno contuliſſe in Bulla, quæ incipit: *etſi Mendicantium. 17. Cal. Julii Anno 1567.* Mendicantium Ordinibus quamplura privilegia, omnia præhabita confirmâſſe, & de novo conceſſiſſe ſub ampliſſimis ac fortiſſimis clauſulis, ac tandem omnia aliorum Ordinum communicâſſe, quibus perceptis prædiɛti Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis cum aliis ibidem expreſſis Congregationibus ſupplicârunt eidem S. Pontifici, ut privilegia in ſupradiɛta: *Etſi Mendicantium* Bulla Ordinibus Mendicantibus conceſſa ipſis quoque communicare, & ad eos extendere dignetur, cùm ipſi non minùs quàm Mendicantes juxta ſua regularia inſtituta tum vita exemplari tum doɛtrina ac verbi Dei prædicatione, aliiſque ſummis laboribus & ſtudiis animarum ſalutem ac ſanɛtæ ſedis Apoſtolicæ dignitatis & auɛtoritatis augmentum haɛtenus ſemper procuraverint, & in dies circa hoc tam laudabile miniſterium magis ac magis verſari non ceſſantes, ſibi favente ſuperni Numinis auxilio ſuaviſſimum cunɛtiſque fidelibus gratiſſimum ſuæ probitatis & diligentiæ latiùs diffundant odorem, paritérque in vinea Domini laborare non deſinant, ac proinde eos aliqua ratione indignos cenſeri non poſſe, quin ipſi quoque gratiarum, facultatum, privilegiorum, & aliorum prædiɛtis Fratribus Mendicantibus conceſſorum participes fieri, nec non Monaſteria, etiam Monialium, & alia loca quæcunque ad gratias, facultates, privilegia, ac alia in eisdem præinſertis litteris contenta quæcunque extendi ac illis gaudere debeant: rogantes humiliter, ut eos & eorum ſingulos, nec non ſuorum Ordinum ac Congregationum Monaſteria, etiam Monialium, ac domos, ac loca alia quæcunque ad declarationes, ſtatuta, exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbationes, extenſiones, & alias gratias, facultates, & privilegia quæcunque prædiɛtis Fratribus Mendicantibus conceſſa, ita ut illis omnibus & ſingulis æquè & pariformiter absque ulla penitus differentia frui & gaudere poſſint ac debeant, extendere & quatenus opus ſit illa eis de novo concedere, aliáſque deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaretur; ùt hæc omnia refert ipſe S. Pius V. in præcitata Bulla: *ex ſuperna diſpoſitionis:* qui etiam probatis eorum juſtiſſimis precibus mox ita detulit, ut modico poſt emanatam pro Mendicantibus Bullam intervallo omnia & ſingula quibuscunque Mendicantium Ordinibus conceſſa privilegia & gratias ſupradiɛtis Canonicorum Regularium Congregationibus, aliiſque ibidem expreſſis conceſſerit, communicaverit, & ad eos extenderit hisce verbis:

„ Nos igitur, qui omni qua fieri „ poteſt ratione commodiori perſo-

„ na-

„ narum quarumlibet, præſertim „ Deo dicatarum animi quietem „ ſinceris exoptamus affectibus, „ hujuſmodi ſupplicationibus in- „ clinati prædictos Canonicos &c. „ illorúmque Monaſteria, etiam „ Monialium, nec non domos & „ loca alia quæcunque ad ſingula „ declarationes, ſtatuta, & immu- „ nitates, exemptiones, volunta- „ tes, prohibitiones, approbatio- „ nes, extenſiones, decreta, & „ alia quæcunque, gratias, facul- „ tates, & privilegia eiſdem Fra- „ tribus Mendicantibus conceſſa & „ facta, ac alia in præinſertis litte- „ ris ac Bulla: *etſi Mendicantium* „ contenta & inde ſecuta quæcun- „ que dicta auctoritate Apoſtolica „ tenore præſentium perpetuò ex- „ tendimus, ampliamus, illóſque „ declaramus, ſtatutis, exemptio- „ nibus, voluntatibus, prohibi- „ tionibus, approbationibus, ex- „ tenſionibus, decretis, & aliis „ gratiis, facultatibus & privile- „ giis hujuſmodi pariformiter & „ abſque ulla penitùs differentia, „ prout dicti Fratres Mendicantes „ utuntur, potiuntur, & gaudent, „ ac uti, potiri, & gaudere pote- „ runt, liberè & licitè uti, poti- „ ri & gaudere poſſe atque debere, „ illáque omnia & ſingula ſibi, eo- „ rúmque Monaſteriis, domibus, „ & locis hujuſmodi, eorúmque „ ſuperioribus, & perſonis qui- „ buſcunque, quas illa concer- „ nunt & pro tempore concernent, „ ſuffragari nec non modo & for- „ ma, quibus prædictis Fratribus „ Mendicantibus conceſſa & facta „ ſunt, conceſſa factáque eſſe, nec „ non ad ſingula Monaſteria, do- „ mos & loca quæcunque dicto- „ rum Canonicorum &c. nec non „ Monialium Congregationum præ- „ dictarum in Congregatione vi- „ ventium extenſa & ampliata cen- „ ſeri, ſicque in præmiſſis omni- „ bus & ſingulis per quoſcunque „ Judices & perſonas & S. Roma- „ næ Eccleſiæ Cardinales ac cauſa- „ rum Palatii Apoſtolici Auditores, „ ſublata eis & eorum cuilibet qua- „ vis aliter judicandi & interpre- „ tandi facultate & auctoritate ju- „ dicari & definiri debere, nec non „ quidquid ſecùs ſuper his à quo- „ quam quavis auctoritate ſcien- „ ter vel ignoranter contigerit at- „ tentari, irritum & inane decer- „ nimus &c.

Ut autem ſcire quisque poſſit, 27 quid in illa tam memorabili: *Etſi Mendicantium* Bulla, quæ in utroque Bullario tam Lateranenſi quàm Bononienſi refertur, dictis Mendicantibus conceſſa ſint privilegia, eam quoque hìc recenſere placet non quidem totam, id enim nimis longum foret, ſed tantùm quoad eam partem, quæ huic loco propria eſt, & privilegiorum communicationem concernit, cæteris ſuis quæque locis reſervatis. In hac igitur: *Etſi Mendicantium* Bulla S. Pius V. poſtquam illis plura privilegia de novo contuliſſet, & multa

Con-

Concilii Tridentini decreta in eorum favorem declaráſſet, ulterius ita proſequitur: „ Ac inſuper, ut „ facilius præmiſſa omnia illibata „ perſiſtant, omnia & ſingula pri„ vilegia, immunitates, & indul„ gentias, facultates, libertates, „ indulta, diſpenſationes, favo„ res & gratias, quæ Decretis „ Concilii Tridentini aliàs quàm ùt „ ſuperius dictum, conceſſum & „ declaratum eſt, non contrarian„ tur expreſsè, eisdem Fratribus, „ nec non Monialibus quibuſcun„ que prædictorum Ordinum ac „ illorum Eccleſiis, domibus, & „ perſonis etiam vivæ vocis oracu„ lo in genere vel in ſpecie per quoſ„ cunque Romanos Pontifices Præ„ deceſſores noſtros ac Nos & ſedem „ eandem quomodolibet conceſſa, „ confirmata & innovata, nec non „ noſtras ac Prædeceſſorum noſtro„ rum ac alias quaſcunque deſuper „ confectas litteras, quarum om„ nium tenores ac eorundem Præ„ deceſſorum noſtrorum nomina „ & alia de neceſſitate exprimen„ da, ac ſi de verbo ad verbum, „ nihil penitùs omiſſo & forma in „ illis tradita obſervata, inſerti fo„ rent, etiam præſentibus pro ſuf„ ficienter expreſſis haberi volu„ mus, auctoritate Apoſtolica te„ nore præſentium perpetuò ap„ probamus & confirmamus, il„ liſque perpetuæ & inviolabilis „ firmitatis robur adjicimus, eáque „ perpetuis futuris temporibus in„ violabiliter obſervari, ac Fratri„ bus ſuperioribus, & perſonis „ Ordinum hujusmodi, nec non „ aliis quibuſcunque, quos illa con„ cernunt, ſuffragari debere ſeu „ poſſe volumus. Nec non privi„ legia, immunitates, facultates, „ libertates, indulta, diſpenſatio„ nes, exemptiones, favores, & „ gratias tam ſpirituales quàm tem„ porales, modo & forma, qui„ bus conceſſa ſunt etiam per viam „ communicationis & extenſionis „ activé & paſſivè inter ſe, & alios „ quoscunque Ordines reſpectivè „ de novo concedimus, illáque om„ nia & ſingula ad domos & loca „ quæcunque dictorum Mendican„ tium Ordinum & Monialium „ quarumcunque in Congregatióne „ viventium Ordinum hactenus re„ cepta, & impoſterum recipien„ da, nec non eorum perſonas & „ bona etiamſi privilegiorum & „ aliarum gratiarum prædicto„ rum authentica originalia propter „ temporis antiquitatem vel varias „ ruinas deperdita exiſtant, dum„ modo de eis aliàs legitimè con„ ſtet, extendimus & ampliamus. „ Et ſic in præmiſſis omnibus & ſin„ gulis per quoscunque Judices & „ perſonas quavis auctoritate fun„ gentes etiam Cardinales & Au„ ditores præfatos, ſublata eis, & „ eorúmque cuilibet quavis aliter „ judicandi & interpretandi facul„ tate & auctoritate, judicari & „ definiri debere, nec non quid„ quid ſecùs ſuper his à quoquam „ quavis auctoritate ſcienter vel

„ ignoranter contigerit attentari, „ irritum & inane decernimus &c.

28 Ex quibus denique omnibus evidens eſt, Canonicos Regulares, præſertim Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis gaudere omnibus ac ſingulis quorumcunque Mendicantium Ordinum privilegiis, unde plura, quæ ad hujus rei confirmationem adhuc poſſent afferri, argumenta recenſere ſuperſedeo, cùm iſta abundantiſſimè ſufficiant. Et ſanè æquum omnino eſt, ac juſtum, ut Canonici Regulares, quorum privilegiis ſe gaudere gloriantur Mendicantes, horum viciſſim etiam privilegiis & ipſi fruantur & gaudeant, præſertim cùm Julius II. in Bulla: *inter cæteros. Anno* 1512. data expreſsè velit, ut dicti Canonici Regulares gaudeant & potiantur omnibus & ſingulis privilegiis, favoribus & gratiis per quoſcunque Romanos Pontifices illorum Ordinibus & Congregationibus conceſſis, quibus per ſedem Apoſtolicam conceſſum eſt dictorum Canonicorum poſſe gaudere privilegiis. Accedit, quòd ex confeſſione ipſorum Pontificum Romanorum, præſertim Eugenii IV. Sixti IV. ac Julii II. Canonici Regulares præfati meritis & virtutibus non minora promereantur, quàm Ordines Mendicantes ac quicunque alii; cùm eorum Ordo, juxta irrefragabile Sixti IV. oraculum, in naſcentis Eccleſiæ ſancta Inſtitutione ac primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum norma traditionibúsque fundatus & ſacris Inſtitutis ac divinis regulis eloquiisque permunitus, ab ejus primæva fundatione variis ſemper virtutum meritis reſplenduerit, eodémque Sixto in Bulla: *Dum ad univerſos.* & Eugenio IV. in Bulla: *ad S. Petri ſedem.* atteſtantibus dicti Canonici tum laudabili vita & converſatione, tum doctrina & exemplo multiplices ſemper ac uberes fructus in vinea Domini produxerint, & etiamnum producere dignoſcantur, digni propterea, ut quos cum aliis Ordinibus par labor conjungit, paria quoque privilegia cum illis conjungere debeant.

Sectio IV.

De Communicatione privilegiorum, quam habent Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cum Ordinibus Clericorum Regularium.

29 POſt Religiones Monaſticas ac Mendicantes veniunt Ordines Clericorum Regularium, utpote qui illis ſeriùs inſtituti, omnes primùm poſt ſæculum XV. ac ſæculo XVI. ſuam originem habuerunt, quos

quos inter quoad ortum primus eſt Ordo Clericorum Regularium, qui vulgò aut Theatini à Petro Caraffa Epiſcopo Theatino, aut Cajetani à S Cajetano dicuntur. Cùm enim Clerus ſæcularis deteriora ſequi, ac teſte Tamburino, potiùs ſcandala quàm virtutum exempla Chriſtiano populo præbere videretur, peculiari Dei bonitate ac providentia factum eſt, ut quatuor pii ac Religioſi viri, Petrus Caraffa, Epiſcopus Theatinus, reſignato in manibus S. Pontificis Epiſcopatu, Cajetanus Thienæus ex nobili familia Vincentiæ ortus, ac tunc Protonotarius Apoſtolicus ex numero participantium, Bonifacius à Colle Patritius Alexandrinus, & Paulus Conſileri, vel ùt aliis placet, Ghislieri Romanus, à Deo inſpirati de reformando Clero cogitare cœperint, séque totos ad reſtaurandam & inducendam in Clero antiquam illam regularem obſervantiam impenderint. Quem in finem emiſſis die Exaltationis S. Crucis tribus Religionis votis Anno 1524. ſeſe Deo conſecrârunt, abdicata rerum omnium ſollicitudine, qua nec redditus poſſident, nec vitæ ſubſidia à fidelibus petunt, ſed ſoli divinæ confiſi providentiæ oblatis ſpontè eleemoſynis vivunt, cæteroquin Apoſtolicam vivendi formam imitantes, à qua Clerici Regulares ſimpliciter & ſine addito nuncupantur. Ordinem hunc primò approbavit & confirmavit Clemens VII. in Bulla: *exponi nobis. 24. Junii. Anno 1524.* in qua illis ſimul communicavit privilegia Canonicorum Regularium Lateranenſium, & in alia Bulla, quæ incipit: *Dudum. 7. Martii Anno 1533.* eisdem omnia & ſingula privilegia, quibus omnes Ordines Regulares tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus fruuntur & fruentur, conceſſit: quæ omnia confirmavit S. Pius V. in Bulla: *ad immarceſſibilem. 7. Febr. Anno 1567.* ubi etiam illis omnia privilegia Congregationi Clericorum Regularium de Somaſcha & Societati JEſu conceſſa & concedenda communicavit. Vivit hic Ordo juxta regulam S. Auguſtini teſte Pennoto, Barboſa, ac Tamburino. In primum Præpoſitum Generalem electus eſt prædictus Petrus Caraffa, qui poſtea creatus Cardinalis, demùm ad S. Pontificatum evectus eſt *Anno 1555. 23. Maij.* aſſumpto nomine Pauli IV. defunctus deinde *14. Aug. Anno 1559.* Cajetanus verò Thienæus unus ex fundatoribus hujus Ordinis ac præcipuus illius propagator ob inſignem illius ſanctitatem primò inter Beatos ab Urbano VIII. relatus, deinde à Clemente X. Sanctorum faſtis adſcriptus eſt, plurimis clarus miraculis. Per plures Europæ provincias dilatatus eſt hic Ordo, habuitque ſemper viros præſtantiſſimos ac in omni ſcientiarum genere eminentes.

30 Secundus inter Clericos Regulares locus competit Ordini Clericorum Regularium S. Pauli decollati,

lati, qui ex eo taliter nuncupantur, quòd hunc ſanctum novi Ordinis Patronum elegerint primi ejus parentes, ac ſub ſpeciali illius vivant protectione: cæterùm ut plurimùm Barnabitæ dicuntur ab Eccleſia S. Barnabæ, quæ totius Ordinis extitit mater. Initium hæc Religio ſumpſit Mediolani Anno 1530. Dum enim nobiliſſima hæc civitas maximis oppreſſa calamitatibus, fame, peſte & bello vexabatur, ac in his anguſtiis conſtituta Dei opem ac miſericordiam indeſinenter implorabat; excitavit in ejus ſolatium miſericors Dominus ejusmodi viros religioſos, qui afflictis rebus & incolis omni charitate ſuccurrerùnt, quique poſtea ſuadente D. Seraphino Firmano Canonico Regulari Lateranenſi Prædicatore fervidiſſimo de novo Ordine in fidelium ſolatium inſtituendo cogitare cœperunt. Huic ſancto propoſito non defuère auxilia opportuna; nam in ſui fundamentum Inſtituti dono acceperunt Eccleſiam S. Barnabæ, quæ Canonicorum Regularium fuerat, quam etiam tanquam Ordinis ſui caput & ſedem conſtituerunt tres illi nobiliſſimi viri ac Ordinis fundatores, qui fuerunt Antonius Maria Zacharias, Bartholomæus Ferrarius, & Jacobus Antonius Morigia; à Zachariæ regimine & auctoritate pendebant cæteri ante conſtitutam Præpoſituram, Ferarius magno fuit adjumento conſiliis & impetratis litteris à ſede Apoſtolica, cum Zacharia Morigia ætate provectior curarum particeps eximia in ſuos munificentia, & in rebus agendis dexteritate viguit, primùsque Præpoſitus eſt renuntiatus, ùt habetur in actis Capituli Generalis Anno 1620. celebrati apud Rotarium. Ordinem hunc primò approbavit Clemens VII. in Bulla: *Vota per qua.* 18. *Febr. Anno* 1533. eundémque confirmavit Paulus III. ſub titulo S. Pauli decollati in Bulla: *Dudum felicis recordat.* 25. *Julii Anno* 1535. ubi inter alia privilegia, quæ eis conceſſit, communicavit etiam omnia privilegia Canonicis Regularibus Lateranenſibus conceſſa. Julius III. in Bulla: *ad hoc nos Deus.* 11. *Auguſt. Anno* 1550. Judices conſervatores eisdem deputat, ac dictis conſervatoribus amplam tribuit poteſtatem. Gregorius XIII. in Bulla: *In ſpecula.* 13. *Sept. Anno* 1577. hunc Ordinem ſub protectione ſedis Apoſtolicæ ſuſcepit, ejúsque alumnos tranſire prohibet ad alios Ordines præter Carthuſianum; eosdem Sixtus V. in Bulla: *Rationi congruit.* 1. *Maij Anno* 1585. eximit à Proceſſionibus publicis. Plura alia conceſſerunt alii SS. Pontifices privilegia; multa quoque habet Collegia in Italia in tres Provincias diviſa; Mediolanenſem ſcilicet, Romanam ac Pedemontanam, multa præterea obtinet in Gallia & Germania. Floruit hic Ordo eruditiſſimis ac piiſſimis viris, digniſſimis quos SS. Pontifices in Epiſcoporum lumina Eccleſiis Cathedralibus præficerent. Ex funda-

datoribus, teſte Barboſa, Jacobus Antonius Morigia in Catalago Beatorum Mediolanenſium Venetiis edito jam pridem repoſitus eſt, cùm à morte beatus ab omnibus dici meruerit: Antonium verò Mariam Zachariam, uti in vita Sanctum, ita & poſt mortem miraculorum gloria illuſtrem Annales teſtantur.

31 Tertius ab inſtitutione, ſed ab amplitudine facilè primus eſt Ordo Clericorum Regularium Societatis Jeſu, qui per omnes mundi partes diffuſus ſummopere floret. Authorem veneratur S. Ignatium de Lojola, nobili genere in Cantabria natum. Is primò Catholici Regis aulam, deinde militiam ſecutus, ùt habet Breviarium, accepto in Pampiloneaſi propugnatione vulnere, ex fortuita piorum librorum lectione ad Chriſti Sanctorúmque ſectanda veſtigia mirabiliter exarſit. Exinde ut neceſſariis ad ſalutem animarum promovendam ſtudiis ſe imbueret, à Grammatica exorſus altiores demùm ſcientias aſſecutus eſt Lutetiæ Pariſiorum, ubi adjunctis ſibi ex illa Academia variarum nationum ſociis novem, qui omnes artium Magiſteriis & Theologiæ gradibus inſignes erant, ibidem in monte Martyrum prima Ordinis fundamenta jecit. Inde Italiam profecti ac tandem Romæ appulſi ejusdem approbationem & confirmationem à ſede Apoſtolica petiêrunt, atque etiam tandem, poſt plures feliciter ſuperatas difficultates, impetrârunt à Paulo III. edita conſtitutione, quæ incipit: *Regimini. 27. Sept. Anno 1540.* In qua idem Ordo approbatur unà cum regula ſub paucis paragraphis comprehenſa, ipſíque ſocii ſub ſedis Apoſtolicæ protectione ſuſcepti ſunt, conceſſa illis facultate condendi ſtatuta, ita tamen ut ultra 60. non admitterent ſocios. Verùm hanc reſtrictionem ſuſtulit, omnéſque fideles in Societate admitti poſſe conceſſit idem Paulus III. in Bulla: *Injunctum. 14. Martii. Anno 1545.* ac brevì poſtea ampliſſimis privilegiis auxit per Bullam: *Cùm inter cunctas. 3. Junii. Anno* 1545. quæ omnia rurſus unà cum Conſtitutionibus confirmavit Julius III. in Bulla: *Expoſcit debitum 21. Julii Anno 1550.* Approbata taliter Societate Caput ſibi eligendum putârunt ſocii jamjam aucti, ſicque communi omnium voto S. Ignatius in Generalem Præpoſitum electus eſt, qui inter Miſſarum ſolemnia in Eccleſia S. Pauli ſolennem ſuam Profeſſionem ac tria conſueta religionis emiſit vota, quod & cæteri ejus exemplo fecerunt, quarto etiam addito de Miſſionibus voto, quo ſe arctius ſedi Apoſtolicæ obſtringerent. Hanc eandem Societatem confirmavit Concilium Tridentinum *Seſſ.* 25. *cap.* 16. Et Gregorius XIII. in Bulla: *Aſcendente. 8. Cal. Iunii. Anno* 1584. ac Gregorius XIV. in Bulla: *Eccleſia catholica. 4. Cal. Iulii. Anno* 1591. Eandem Pius V. in Bulla: *Dum indefeſſa. 7. Iulii. Anno* 1571. declaravit

vit eſſe verè de Ordinibus Mendicantibus, eique omnia ac ſingula privilegia, quibus Mendicantes fruuntur ac fruentur, communicavit: ejusdémque Socios etiam non profeſſos, tam Coadjutores, quàm Scholaſticos verè & propriè Religioſos eſſe pronuntiavit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: *Quanto. 1. Febr. Anno* 1583. Nàm in tres omninò claſſes dividi poteſt tota Societas. Ad primam referri poſſunt Scholaſtici, qui transacto per biennium Novitiatu tria vota ſimplicia, Caſtitatis, Paupertatis & Obedientiæ emittunt: poſt quorum votorum emiſſionem perpetuò manent obligati Societati, non idem ipſis Societas, poteſt enim eos Generalis rurſus dimittere. Unde Religioſi hujusmodi uſque ad illud tempus ſua bona & beneficia retinere poſſunt, ut poſt dimiſſionem habeant, unde vivant, quamvis communiter poſt abſolutum Philoſophiæ curſum ſuaviter diſponantur, ut de bonis ſuis diſponant. Hi ſuam potiſſimùm in ſtudiis operam ponunt tùm ſe ipſos imbuendo altioribus ſcientiis, tum juventutem inſtruendo liberalibus diſciplinis, ex quo etiam Scholaſtici vocantur. Ad alteram claſſem pertinent Coadjutores formati tum ſpirituales tum temporales: Coadjutores ſpirituales ſunt, qui deſtinantur ad ſpiritualia exercitia Proximis exhibenda, vel docendo in ſcholis, vel ad aras litando, confeſſiones audiendo, verbo Dei prædicando, aut àliis ejusmodi miſericordiæ operibus obeundis, qui omnes ex Scholaſticis aſſumuntur. Coadjutores temporales ſunt, qui ad ſervitia corporalia & temporalia deſtinantur, & plerumque artibus mechanicis occupantur, & œconomiam adminiſtrant. Hi omnes etiam vota tantùm habent ſimplicia út priores, unde & ipſi dimitti poſſunt, licèt gravioribus de cauſis: Ad 3tiam. claſſem reducuntur in Societate profeſſi, qui nempe tria ſubſtantialia vota religionis, poſtquam ſe inter Scholaſticos & Coadjutores ſpirituales probârunt, emiſerunt addito etiam quarto de Miſſionibus obeundis voto. Supremum regimen obtinet præpoſitus Generalis, quod retinet ad dies vitæ, habet tamen ex qualibet natione ſelectos aſſiſtentes Generales ſibi adjunctos, qui ejusdem ſunt quodammodo Conſiliarii. Nulli licet ambire dignitates ſive extra ſive intra Societatem, neque aliquam etiam ſponte oblatam acceptare, niſi ex obedientiæ ductu. Nullum cæteroquin refugiunt miniſterium, quo poſſunt animarum ſalutem procurare: unde inſtruunt pueros catechizando, adoleſcentes in Grammaticis ac aliis liberalibus diſciplinis inſtruendo, juvenes altioribus ſcientiis imbuendo, adultos concionibus & Miſſionibus ad ſanctam ac chriſtianam vitam inſtituendam exhortando, peccatores privatis & publicis admonitionibus ad pœnitentiam excitando, juſtos ad majo-

jorem fervorem per frequentem SS. Meditationum uſum animando, infideles & hæreticos ad converſionem reducendo, & in aulis Principes & Reges ſummóſque orbis chriſtiani Monarchas, quibus amant eſſe à confeſſionibus, conſiliis adjuvando &c. Quibus aliisque mediis ſummam Ordini ſuo conciliárunt auctoritatem & ampliſſima à SS. Pontificibus impetrârunt privilegia, quæ cùm ſint plurima, inſtituti noſtri fines excedunt, de quibus proin videri poteſt ipſum corpus inſtitutorum Societatis JESU in duo volumina diſtinctum Antuerpiæ Anno 1709. editum: Compendium privilegiorum ejuſdem Societatis, & Pittonus in Conſt. Pont. quoad Regul.

32 Quarto loco numeratur Ordo Clericorum Regularium primùm de Somaſcha dictus, Villâ quadam inter Mediolanum & Bergamum ſitâ, ubi primum Ordinis hujus Monaſterium fuit ædificatum: deinde etiam S. Majoli nuncupatus, à celebri ejuſdem Sancti Eccleſia in civitate Papiæ, & extructo inibi principali collegio. Inſtitutus fuit ad orphanos in diſciplina chriſtiana & bonis artibus ac litteris erudiendos, nec non ad Clericorum in ſeminariis curam gerendam. Authorem habuit Hieronymum Æmilianum, ab aliis etiam Mianum vocatum, Patritium Venetum, qui, cùm plures pauperes orphanos propter Bellorum in Italia ſævientium triſtes eventus, & ob urgentem paſſim famem ac graſſantem hinc inde peſtem derelictos in publicis vIis vagari atque etiam perire videret, miſericordia ac pietate motus eosdem collegit, in certo à ſe proviſo loco conſtituit, ac illis de vitæ neceſſariis providit, atque etiam litteris aut artibus mechanicis inſtruendos curavit. Ex quo factum, ut brevi in ſuburbio Bergomenſis civitatis S. Leonardi dicto pro ejusmodi pauperibus orphanis hoſpitale S. Mariæ Magdalenæ nuncupatum fuerit extructum, quod ob civium in ea civitate degentium ferventem charitatem ac providam directionem & ſalubre regimen dicti Hieronymi in tantum Auctore Deo crevit, ut idem Hieronymus ad alia hoſpitalia in aliis Italiæ partibus inſtituenda animum applicârit, idque tam feliciter ceſſit, ut ejusdem Hieronymi cura in pluribus Italiæ locis fuerint ejusmodi hoſpitalia erecta, quæ partim Clericis partim Laicis deſervienda & gubernanda commiſit. Cùm autem taliter in dies dilataretur tam pium inſtitutum, ſupplicatum fuit Paulo III. ut pro majori illius incremento illud confirmare ac concedere dignetur, ut unum Superiorem eligere liceat, qui inſervientes hujusmodi hoſpitalibus tam Clericos quàm Laicos congregare poſſet ac de loco in locum mutare, idque etiam gratanter fecit idem S. Pontifex in Bulla: *Ex injuncto. Nonis Junii. Anno 1540.* Poſtea S. Pius V. in Bulla:

la: *Injunctum. 6. Decembr. Anno 1568.* hanc Congregationem maximis auctam incrementis in SS. Religionum numerum cooptavit cum emiſſione trium votorum, & ſub regula D. Auguſtini in habitu clericali repoſuit, juſsitque appellari Congregationem Clericorum Regularium S. Majoli ſive de Somaſcha. Gregorius XIII. in Bulla: *Sacri Apoſtolatus. 1. Maij. Anno 1575.* Monaſterium S. Majoli de Papia (ſuppreſſo Ordine Ciſtercienſi) in domum ejusdem Congregationis erigit & inſtituit, ſimúlque omnia privilegia, quibus gaudent aliæ ejusdem Congregationis domus & Eccleſiæ, communicat. Sixtus V. in Bulla: *Æquum reputamus. 1. Maij. Anno 1585.* eos eximit à jurisdictione Ordinariorum, illisque multa alia concedit privilegia. Clemens VIII. in Bulla: *Decet. 26. April. Anno 1593.* omnia privilegia, conſtitutiones & ſtatuta approbat & confirmat ac præter alia poteſtatem concedit, ut Congregationis viſitatores poſſint Orphanotrophia & loca puerorum & puellarum ſuæ curæ ſubjecta pro libitu viſitare, etiam non obtenta à gubernatoribus rerum temporalium licentia, & impedientes ferit excommunicationis ſententia. Paulus V. in Bulla: *Cùm ad utilitates. 10. Martij. Anno 1605.* eisdem concedit, ut omnibus ſuæ curæ commiſſis Sacramentum Euchariſtiæ in die Paſchatis, atque etiam per modum viatici, uti & extremam Unctionem adminiſtrare, ac Conſervatorem eligere poſſint; & in Bulla: *Ex quo. 9. Nov. Anno 1607.* idem Pontifex omnia privilegia quibusvis Mendicantium Ordinum Congregationibus conceſſa & concedenda communicat: ac denique in Bulla: *Exponit. 27. Octobr. Anno 1614.* dat eis facultatem in Eccleſiis ſuis ſepeliendi cadavera decedentium in academiis, collegiis & ſeminariis. Huic quoque Congregationi univit idem Pontifex Paulus V. in Bulla: *Ex injuncto. 11. April. Anno 1616.* Congregationem Clericorum ſæcularium doctrinæ chriſtianæ in civitate Avenionenſi antehac canonicè inſtitutæ, & octo capitula inter utramque Congregationem inita cum aliquibus tamen limitationibus & modificationibus confirmat. Pium inſtitutum Clericorum Regularium de Somaſcha docendi in multis ſeminariis & academiis ac ſcholis publicis quascunquo ſcientias approbat & confirmat pro univerſis dictæ Congregationis locis ac domibus, maxime in regno Galliæ exiſtentibus Gregorius XV. in Bulla: *Expoſitum nobis. 2. Januar. Anno 1622.* Usum Oratoriorum privatorum in omnibus Orphanotrophiis, ſeminariis, academiis & convictorum collegiis etiam non propriis, ſed ſub ejus Congregationis cura exiſtentibus, pro audiendis & legendis Miſſis quocunque tempore, conceſſit Urbanus VIII. in Bulla: *Aliàs. 22. Decembr. Anno 1632.* Plura conſtituit pro bono ſtatu & regimine hujus Ordinis Alexander

VII.

VII. præſertim in Bulla: *Ad paſtorale faſtigium. 23. Decembr. Anno 1661.* Plura alia hujus Ordinis privilegia videri poſſunt in lib. privileg. ejusdem Venetiis Anno 1665. impreſſo. Plurima cæteroquin habet hic Ordo collegia, in quibus habitant, tum Orphanotrophia eorum curæ commiſſa, ubi diſciplinas inferiores tradunt, tum ſeminaria, ubi Clericos inſtruunt, tum denique academias ac ſcholas publicas, ubi altiores ſcientias quascunque explanant, & docent.

33 Quintus, qui inter Clericorum Regularium Ordines refertur, eſt eorum, qui ex inſtituto ſummæ charitatis miniſtrant infirmis & morientibus etiam peſtifero morbo laborantibus, à quo tam ſancto ac pleno charitatis fine nomen accepit hic Ordo. Initium eidem dedit Camillus Lællius ex oppido Bucianico inter Samnites ortus, vir mira in proximos charitate flagrans Is enim intelligens quàm Deo gratum, ac animarum ſaluti proficuum ſit, ſi infirmi ac ægroti in ſuis neceſſitatibus tam ſpiritualibus quàm corporalibus jacentes* derelicti juventur, eos non minori affectu quam mater unicè dilectum filium fovebat, eisque indeſinenter etiam peſtis tempore aſſiſtebat modo hos cum omni qua poterat manſuetudine ac charitate ad patientiam excitando, modo illos ad Sacramentorum ſuſceptionem diſponendo, alios in articulo mortis conſtitutos ad beatam mortem præparando. Quibus in operibus conſtitutus hortatu S. Philippi Nerii Socios in tantæ charitatis inſtitutum ſibi accivit, qui non minori zelo ſuũ æmulati magiſtrum, unam inter ſe Societatem ſeu Congregationem ſub nomine miniſtrantium infirmis iniêrunt, quam etiam à Sixto V. approbari & Apoſtolica auctoritate confirmari petiêrunt, qui eorum precibus gratiosè annuens eandem per Bullam: *Ex omnibus. die 18. Martii. Anno 1586.* confirmavit non ſine magna hujus inſtituti comendatione, quod etiam fecit Gregorius XIV. in Bulla: *Illius, qui. 11. Calend. Octobr. Anno 1591.* In qua ſimul regulam ſive Conſtitutiones a prædicto Camillo Inſtitutore & ſociis ejus confectas ac ſub 201 paragraphis comprehenſas approbat & confirmat, ejúsque alumnos ad omnimodam earum obſervantiam adſtringit. Præterea dictam Congregationem ſub ſedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipit, eique licentiam concedit, Profeſſionem religioſam ac, præter tria ſubſtantialia vota, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, etiam quartũ emittendi, vi cujus obligantur quibuscunque infirmis in Noſocomiis degentibus tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus neceſſitatibus inſerviendi etiam peſtis tempore: alios in ſuam recipiendi religionem & condendi ſtatuta pro tempore neceſſaria. Eidem denique Congregationi communicat omnia privilegia &c. quorumvis etiam Ciſtercienſis, Cluniacenſis, ac S. Be-

* *D. Gruber de Privil. Religioſ.*

nedicti Monachis, Clericis Regularibus & Presbyteris collegialibus Societatis JESU, & Canonicis Congregationis Lateranenſis ac quibuscunque aliis Clericis Regularibus & aliorum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinum & Congregationum Fratribus & perſonis quomodolibet, etiam communicativè, conceſſa & concedenda in futurum. Verùm cum poſtea multæ difficultates circa modum vivendi & præſertim circa miniſterium & ſervitium infirmorum, nec non regimen & gubernium ac conſervationem dictæ Congregationis fuiſſent ortæ, & res multò aliter, quàm putabatur, eveniſſet, ac propterea in ſtatutis à Gregorio XIV. approbatis aliqua immutanda viderentur, totum hoc negotium à Clemente VIII. commiſſum eſt Antonio Senecæ Notario ſuo ac Prælato Congregationis Reformationis Apoſtolicæ, qui cum Camillo Fundatore & ejus Conſultoribus Generalibus, Blaſio de Opertis, & Sanctio Citatello, Octaviano Variano, & Chromario de Martino, antiqua ſtatuta reformavit, & unam formam introduxit, quæ dein prædictus Clemens VIII. in Bulla: *Superna diſpoſitione 29. Decembr. Anno 1600.* confirmavit. Multa habet hic Ordo deſumpta à Patribus Societatis JESU: diviſus eſt per Italiam in plures Provincias & habet unum Præpoſitum generalem, cui ſemper aſſiſtunt quatuor Conſultores, de quorum electione Urbanus VIII. in Bulla: *Romanus Pontifex. 28. Aprilis. Anno 1628.* multa ſtatuit.

Sextus denique inter Ordines 34
Clericorum Regularium eſt Ordo Clericorum pauperum Matris Dei ſcholarum piarum vocatus, qui Inſtitutore Joſepho Calaſantio, alias de Matre Dei dicto, atque ex regno Aragoniæ oriundo circa Annum 1597. in Parochiali Eccleſia S. Dorotheæ regionis trans Tyberim auctoritate Clementis VIII. erecta, à Paulo V. in Bulla: *Inter Paſtoralis. 14. Januar. Anno 1614.* confirmatur, in qua ſimul regimen & adminiſtrationem ſcholarum piarum in alma urbe inſtitutarum, & ubique inſtituendarum iisdem perpetuò demandat. Et in alia Bulla: *Ad ea per quæ. 6. Martii. Anno 1617.* idem Pontifex eandem erigit ſub uno Præfecto regendam & gubernandam cum tribus votis ſimplicibus, Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ, reſervatâ Papæ diſpenſatione, eum in finem, ut gratis ac ſine ullo ſtipendio, mercede, ſalario etiam honorario pueros quoscunque à primis elementis inſtruant, in Grammatica, Computo, ac præcipuè in fidei catholicæ rudimentis erudiant, bonis & piis moribus imbuant, ac demùm Chriſtiano more educent, atque ad id omnem operam ac ſtudium conferant, ſtatuitque Congregationem iſtam deinceps nuncupandam eſſe Paulinam Clericorum pauperum Matris Dei ſcholarum piarum. Poſtea verò Gregorius XV. in Bulla: *In ſupremo. 18. Novembr. Anno 1621.* eandem Congre-

ga-

gationem in religionem trium votorum ſolemnium approbavit: & in alia Bulla: *Sacri Apoſtolatûs.* 31. *Januarii. Anno* 1622. Conſtitutiones & Ordinationes ab illis editas pro felici ejus regimine & omnia ac ſingula in eis contenta perpetuò approbat & confirmat. Denique in Bulla: *Ad uberes fructus.* 15. *Octob. Anno* 1622. eisdem concedit, ut omnibus & ſingulis gaudeant privilegiis tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quibus Ordines Mendicantes & eorum perſonæ ac loca regularia, etiam per viam communicationis & extenſionis aut aliàs quomodolibet fruuntur & fruentur. Præterea idem Pontifex in Bulla: *Regimini.* 23. *Febr. Anno* 1623. illis univit Eccleſiam Parochialem S. Pantaleonis de urbe cum ſuis ædibus ac pertinentiis. Iisdem Urbanus VIII. in Bulla: *Debitum Cal. Junii. Anno* 1629. exemptionem à proceſſionibus & aliis actibus publicis conceſſit. Idem in alia Bulla: *Ad uberes.* 7. *Aug. Anno* 1630. ſub excomunicatione & aliis cenſuris eccleſiaſticis ipſo facto incurrendis interdicit ac prohibet, ne alii quicunque quavis auctoritate fungentes ſcholas ſub denominatione ſcholarum piarum erigere, aut forſan jam erectas pias nominare nec inſcribere, minúsque habitum per hujusmodi Clericos Regulares geſtare ſolitum gerere audeant aut præſumant. Utuntur autem hi Clerici habitu clericali honeſto atque ex viliori panno. Ex conceſſione Urbani VIII. in Bulla: *Romanum* 17. *Nov. Anno* 1634. non comprehenduntur in Decretis Generalibus editis à Clemente VIII. Præpoſitum habent Generalem & quatuor Aſſiſtentes, qui tantùm durare debent ad ſexennium. Hi Aſſiſtentes votum habent deciſivum cum eodem præpoſito Generali in electionibus & deputationibus ac mutationibus quorumcunque Superiorum, & in cauſis ac ſententiis criminalibus, nec non in quibuscunque aliis actibus, qui fieri debent à præpoſito Generali & Aſſiſtentibus: in reliquis verò dicti Aſſiſtentes votum habent conſultivum, & præpoſitus Generalis, quoad fieri poteſt, eorum ſequi debet conſilium, & unà omnes cum præpoſito Generali reſidere tenentur in domo S. Pantaleonis de Urbe, prout hæc omnia ſtatuit Alexander VII. in Bulla: *Cùm ſicut accepimus.* 28. *April. Anno* 1660.

Dico 1mò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis pleniſſimè communicant in omnibus ac ſingulis privilegiis, quibuscunque Clericorum Regularium Ordinibus & Congregationibus conceſſis & concedendis.*

Concluſio hæc multis probari poteſt argumentis ex Conſtitutionibus Pontificiis deſumptis: ac 1mò. quidem ex Conſtitutione Julii II.

Inter cæteros 4. Non. April. Anno 1512. in qua concedit, quòd Canonici Regulares S. Salvatoris eorúmque monaſteria omnia & loca & eorum Prælati, atque Canonici quibuscunque eis, ac aliis Congregationibus & Ordinibus à ſede Apoſtolica vel aliàs qualitercunque conceſſis privilegiis ac de jure ſeu conſuetudine debitis juribus inconcuſſè gaudere poſſint ac uti: idque confirmârunt Paulus III. Julius III. Pius IV. Sixtus V. ac Benedictus XIII: atqui inter alias haſce Congregationes & Ordines univerſim ſumptos comprehenduntur etiam Ordines Clericorum Regularium tanquam ſpecies in genere; qui enim nihil excipit, omnia comprehendit: ergò Canonici Regulares gaudere poſſunt & uti omnibus ac ſingulis privilegiis Ordinibus & Congregationibus Clericorum Regularium conceſſis. Probatur 2dò. ex ſupracitatâ Julii II. Bulla: *Inter cæteros.* ubi Canonicis Regularibus concedit, quod poſſint omnibus & ſingulis eorum ac Congregationum privilegiis conceſſis & concedendis abſque ulla prorſus differentia gaudere & uti, quibus per Apoſtolicam ſedem conceſſum eſt, dictorum Canonicorum Regularium gaudere poſſe privilegiis: id quod jam antea conceſſerat Alexander VI. in Bulla: *Sacræ religionis. 8. Martii. Anno 1497.* Auguſtinianis, quorum privilegia Canonici Regulares pleniſſimè communicant: ſed relatis Clericorum Regularium Congregationibus & Ordinibus conceſſa ſunt Canonicorum Regularium privilegia vel expreſſè & explicitè, vel implicitè, in quantum illis conceſſum eſt omnium Ordinum etiam non Mendicantium gaudere privilegiis: ergò & Canonicis Regularibus conceſſum eſt gaudere privilegiis relatis Clericorum Regularium Congregationibus & Ordinibus conceſſis & concedendis. Et ſanè juſtum & æquum eſt, ut, ſicut Clericorum Regularium Ordines gloriantur ſe gaudere Canonicorum Regularium privilegiis, ita & hi gaudeant illorum privilegiis, ut ubique ſervetur æqualitas, præſertim cùm ex confeſſione SS. Pontificum hi meritis & virtutibus ſuis non minora ſint promeriti, quàm alii Ordines ac Congregationes; quos enim par labor conjungit, paria quoque privilegia conjungere debent. Probatur 3tiò. ex Bulla S. Pii V. quæ incipit: *Ex ſupernæ diſpoſitionis. Cal. Sept. Anno 1567.* in qua Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis & Bononienſis concedit ac pleniſſimè communicat omnia privilegia Mendicantium & non Mendicantium Ordinibus etiam per viam communicationis & extenſionis conceſſa ac concedenda: atqui relati aliique Clericorum Regularium Ordines & Congregationes vel inter Mendicantes, vel inter non Mendicantes computantur: ergò Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis pleniſſimè communicant omnia & ſingu-

la-

Digitized by Google

la privilegia relatis aliisque Clericorum Regularium Ordinibus & Congregationibus conceſſa & concedenda. Probatur denique 4tò ex ſupradictis, per quæ conſtat, Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis pleniſſimè communicare in omnibus & ſingulis Ordinum Mendicantium privilegiis, tam directè quàm per viam communicationis conceſſis & concedendis: ſed Ordines Mendicantes pleniſſimè communicant cum relatis ac quibuscunque Clericorum Regularium Ordinibus ac Congregationibus in omnibus & ſingulis privilegiis tam conceſſis, quàm concedendis: ergò Canonici Regulares etiam pleniſſimè communicant cum relatis ac quibuscunque Clericorum Regularium Ordinibus & Congregationibus in omnibus & ſingulis privilegiis tam conceſſis, quàm concedendis. Neque dicas: Privilegia Clericorum Regularium Societatis JESU habere expreſſam clauſulam, qua prohibetur eorum communicationem aliis fieri Ordinibus, ut conſtat ex Bulla Gregorii XIII. *Pium & utile*, 21. *Sept. Anno* 1582. Societati ſpecialiter conceſſa: ergò licèt Canonici Regulares communicent in privilegiis cum aliis Clericorum Regularium Ordinibus, non tamen communicant in privilegiis Societati JESU conceſſis. Verùm hoc non obſtante ℞. & ulteriùs.

36 Dico 2dò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis pleniſſimè quoque communicant in privilegiis Clericis Regularibus Societatis JESU conceſſis & concedendis.*

Probatur concluſio hæc omnibus illis argumentis ac Conſtitutionibus Pontificiis, quibus præcedens fuit probata; nam omnia procedunt æquè pro hac quàm pro illa, neque major eſt ratio pro una quàm pro altera. Nec obeſt Conſtitutio Gregorii XIII. nobis objecta; nam in ea ſolùm prohibetur communicatio eorum privilegiorum, quæ in dicta ejusdem Bulla: *Pium & utile* conceduntur, atque adeò cætera omnia, quæ talem clauſulam non habent, ſunt aliis communicabilia & re ipſa habentur ab omnibus Authoribus pro communicatis: quod ipſe etiam Gregorius XIII. in præfata Bulla ſatis declarat, ubi dum privilegia ibidem Societati conceſſa prohibet aliis communicari Ordinibus etiam illis, qui aliàs in privilegiis cum ipſa Societate copiosè participant, aut participare poterunt quomodolibet in futurum ſat clarè ſupponit, alios Ordines & quidem copiosè communicare in cæteris privilegiis cum ipſa Societate. Accedit, quòd Ordo Clericorum Regularium Societatis JESU in-

inter Ordines Mendicantes computetur, atque ut talis, cùm à multis impugnaretur, à S. Pio V. per Bullam: *Dum indefeſſa. 7. Julii. Anno 1571.* declaratus fuerit: atqui Canonici Regulares ex conceſſione ejusdem S. Pii V. aliorúmque SS. Pontificum gaudent & fruuntur omnibus privilegiis quibuscunque Mendicantium Ordinibus conceſſis & concedendis: ergò etiam gaudent & fruuntur omnibus privilegiis Societatis JeſuClericis conceſſis & concedendis. Quod ex eo longè magis adhuc patet, quia privilegia Societatis JESU fuerunt pluribus Religioſis Ordinibus etiam in ſpecie communicata, ſcilicet Cruciferis, Ciſtercienſibus, Minoribus, Clericis Regularibus Theatinis, & Miniſtrantibus infirmis, & Diſcalceatis, Ordinis SS. Trinitatis, redemptionis captivorum & aliis quibusdam, cum quibus omnibus Canonici Regulares pleniſſimè communicant in privilegiis, atque adeò etiam in privilegiis Societati JESU conceſſis, ùt nulli dubium eſſe poteſt. Etſi verò hæc ita ſe habeant, quemadmodum omnes in hoc facilè conveniunt Authores, quotquot hac de re ſcribunt, remanet tamen aliqua difficultas in eo, an etiam illa privilegia Societatis JESU communicentur aliis Ordinibus ac Canonicis Regularibus, quæ expreſſam habent adjunctam clauſulam prohibitivam, ne communicentur aliis Ordinibus nequidem illis, qui aliàs ſua privilegia cum ipſa Societate copioſè participant, aut quomodolibet in futurum participare poſſunt? Verùm ut & hunc ſcrupulum amoveam:

Dico 3tiò. *Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis pleniſsimè etiam communicant in iis Societatis JESU privilegiis, quæ adjunctam habent clauſulam prohibitivam communicationis.* 37

Ita Rodriquez *to. 1. QQ. RR. quaſ. 15. art. 17.* Et alibi. Miranda *to. 2. Man. Q. 46. art. 5. concl. 2.* Joan. la Cruz. *de ſtat. Relig. cap. 4.* Donatus *to. 1. tr. 7. 9. 8.* Eligius Baſſæus *to. 1. V. Privil. 5. num. 10.* Chaſſaing. *de Privil. Regul. tr. 1. c. 3. propoſ. 7.* Bonagratia *V. Privileg. num. 407.* Andreas à Matre Dei *tr. 13. n. 107.* Reiffenſtuel *tit. de privileg.* & alii quos ex parte refert Diana. *P. 3. tr. 2. Reſol. 81.* qui Authores cùm univerſaliter loquantur de quibuscunque Religioſis Ordinibus cum aliis generalem privilegiorum communicationem habentibus intelligendi pariter ſunt de Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis & Bononienſis, utpote qui ampliſſimè cum aliis quibusvis Ordinibus etiam Societatis JESU in privilegiis communicant, ùt hactenus demonſtratum eſt, unde probatur concluſio etiam ratione: SS. Pontifices etiam Gregorii XIII. ſucce-

ceſſores communicârunt Societatis JESU privilegia aliis Ordinibus absque ulla tali limitatione & absque ulla ejusmodi clauſula, ſed eandem potius in pluribus conceſſis privilegiis ſuſtulerunt, eidémque apertè derogârunt; Sic enim Julius III. & Pius V. in Bulla: *ad immarceſſibilem.* 7. *Febr.* *Annò* 1567. communicavit Theatinis omnia Societatis privilegia conceſſa & concedenda, ac ſi eisdem æquè primò fuiſſent data cum fortiſſimis non obſtantibus. Eadem etiam privilegia in univerſum communicavit Gregorius XIV. Ciſtercienſibus in Bulla: *Romanus Pontifex.* 28. *Junii.* *Anno* 1591. cum expreſſa clauſula: non obſtantibus quibuscunque clauſulis annullativis, caſſativis, exceptivis, ac etiam NB. communicationis prohibitivis. Eadem quoque communicavit eodem ferè modo Cruciferis idem Gregorius XIV. in Bulla: *Romanus Pontifex.* 12. *Julii* *Anno* 1591. æquè & principaliter & ſine ulla prorſùs differentia, perinde ac ſi ſpecialiter ipſis fuiſſent conceſſa, cum fortiſſimis derogatoriarum derogatoriis. Similiter Clemens VIII. in Bulla: *Ratio Paſtoralis.* 20 *Decemb.* *Anno* 1597. communicavit Minoribus omnia & ſingula privilegia quibuscunque & quomodocunque conceſſa non obſtantibus quibuscunque clauſulis irritativis, annullativis, caſſativis, etiam privilegiórum eorum revocativis, reſtrictivis, reſervativis, exceptivis, declarativis, ac derogatoriarum derogativis. Idem concedit Minimis Urbanus VIII. in Bulla: *Injuncti nobis.* 28. *Junii.* *Anno* 1624. non obſtantibus derogatoriarum derogatoriis quibusvis aliisque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret. Idem denique Urbanus VIII. (ut alios plures brevitatis gratia omittam) communicavit in Bulla: *Redemptoris.* 28. *Martii.* *Anno* 1634. Diſcalceatis Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum omnia & ſingula privilegia quibusvis Ordinibus Mendicantium & non Mendicantium etiam Societatis JESU conceſſa & concedenda, quamvis ſint ſpeciali notâ digna, difficilisque conceſſionis, & quæ in generali communione non veniunt. Licèt igitur Gregorius XIII. clauſulam communicationis prohibitivam quibusdam Societatis JESU privilegiis addiderit, eandem tamen iterum ſuſtulerunt ac annullarunt Succeſſores Pontifices communicando aliis Ordinibus dictæ Societatis privilegia cum fortiſſimis, efficaciſſimis, ac inſolitis clauſulis, quibus prædictam clauſulam reſtrictivam, exceptivam, reſervativam, ac communicationis prohibitivam penitùs caſſârunt, quod utique potuerunt

ſacere, cúm Anteceſſoris diſpoſitio non poſſit Succeſſoribus Pontificibus ligare manus, hique in omnibus & per omnia æqualem illi habeant poteſtatem, nec par in parem ullum obtineat imperium. Sublatâ autem hac clauſula communicationis prohibitiva, eo ipſo privilegia Societatis JESU facta ſunt communicabilia ac re ipſa fuerunt communicata non tantum illis Ordinibus, quibus facta eſt talis communicatio in ſpecie, ſed etiam illis, qui cum iſtis in privilegiis communicant, & cæteris gaudent Societatis privilegiis, quales præter alios ſunt etiam Canonici Regulares. Quod ipſum ex eo longè magis confirmatur; quia privilegia tum Canonicorum Regularium, tum aliorum Ordinum univerſalem privilegiorum communicationem concedentia, munita ſunt ampliſſimis clauſulis & maximè clauſula: quorum tenores hìc pro ſufficienter expreſſis haberi volumus: quæ clauſula, ut ex dictis de clauſulis conſtat, habet vim ſpecialis & individuæ derogationis & conceſſionis cum omnibus ſuis qualitatibus, & tollit derogatoriarum derogatorias, & derogat omni juri reſiſtenti: cúmque inſuper plures Pontifices confirmaverint & innovaverint privilegia Canonicorum Regularium & aliorum Ordinum præſertim Mendicantium communicationem privilegiorum omnium tam conceſſorum quàm concedendorum tribuentia, cum fortiſſimis, efficaciſſimis ac prægnantibus clauſulis ac derogatoriarum derogatoriis, ſequitur, quòd non obſtante illa clauſula communicationis prohibitiva quibusdam Societatis privilegiis à Gregorio XIII. appoſita, eorum privilegia adhuc veniant ſub generali communicatione privilegiorum: & cùm hæc duas tantum habeant exceptiones, ſcilicet ut non ſint contraria Tridentini Decretis, & Conſtitutionibus Pontificiis, nec adverſentur propriis cujusque Ordinis inſtitutis, omnia de cætero cenſentur conceſſa, nam exceptio firmat regulam in contrarium, & exceptio unius eſt incluſio alterius.

Complanata hac qualicunque difficultate, ſuccedit alia, hìc quoque diſcutienda, an nempè communicantes in privilegiis cum Societate JESU poſſint illis liberè uti etiam absque licentia ſui Generalis aut alterius Prælati ſive mediati ſive immediati, an verò neceſſaria ſit ejusmodi licentia ad hoc, ut ſubditi Religioſi poſſint uti & actu frui Societatis privilegiis ſibi communicatis? Sciendum enim quòd SS. Pontifices plurima quidem conceſſerint Clericis Regularibus Societatis JESU privilegia, immunitates, gratias, favores & hujus generis ſimilia, quæ tamen omnia Gregorius XIII. in Bulla: *Decet. 3 Maii, Anno 1575.* ita reſtrinxit ac limitavit, ut hactenus conceſſa & in poſterum quomodocunque concedenda intelligantur conceſſa immediatè Præpoſito Generali, qui illa per ſe ipſum, vel per alium 38

um ſeu alios ſub eo vel de ejus commiſſione electos ſeu eligendos quibuscunque perſonis de Societate, ſub ejusdem obedientia degentibus communicare liberè poterit: ut proinde dicta privilegia non intelligantur concedi inferioribus ſingulis immediatè, ſed mediante præpoſito Generali, atque adeò non aliter Clerici Societatis ac cæteræ ejusdem perſonæ prædictis privilegiis, facultatibus aut aliis præmiſſis uti & gaudere poſſunt, quàm de licentia Præpoſiti Generalis, ùt advertit Collector privilegiorum Societ. *in Compend. tit. Communicatio gratiarum* §. 2. & 4. & refertur *in corpore Inſtitutor: dicta Societatis to.* 1. Hinc autem quæritur: an hæc reſtrictio & limitatio tranſeat ad alios participantes & communicantes prædictæ Societatis privilegia? Huic quoq; difficultati ſatisfacturus

39 Dico 4tò. *Ad hoc, ut Canonici aliive Regulares communicantes privilegia Societatis iisdem actu poſſint uti & frui, nulla requiritur licentia Generalis aut alterius cujuscunque Prælati.*

Ita Rodriquez. *to.* 1. *QQ. RR. quæſt.* 55. *art.* 17. Miranda *in Man. to.* 2. *quæſt.* 46. *art.* 5. *concluſ.* 2. Caſtropal. *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 9. De la Cruz. *L.* 2. *de ſtat. Relig. cap.* 4. §. 2. *D. Gruber de Privil. Religioſ.* Suarez. *de LL. L.* 8. *cap.* 17. Portellus *V. Communicatio privileg. n.* 5. Diana *P.* 3. *tr.* 2. *de dub. Regul. reſolut.* 81. Donatus *tr.* 7. *q.* 9. Merolla *D.* 6. *cap.* 4. *dub.* 2. Reiffenſtuel *de Privil. n.* 68. Schmalzgruber *ibidem n.* 90. Andreas à Matre Dei *n.* 105. *aliique plures.* Ratio eſt, quia SS. Pontifices ſupra relati conceſſerunt & communicârunt Cruciferis, Ciſtercienſibus, Theatinis, Miniſtrantibus infirmis aliisque Religioſis Ordinibus memorata Societatis privilegia abſolutè, independenter, & absque ulla reſtrictione & limitatione, ùt conſtat ex adductis eorum Conſtitutionibus, atque adeò ſine tali limitatione transeunt in alios communicantes ejusdem privilegia: ergò nulla etiam requiritur Prælatorum licentia ad hoc, ut actu poſſint uti & frui Societatis privilegiis; ubi enim lex non limitat nec reſtringit, neque nos limitare aut reſtringere debemus: ſed lex & Conſtitutiones Pontificiæ neque limitant neque reſtringunt uſum privilegiorum Societatis: ergo neque nos eorundem uſum reſtringere aut limitare debemus. 2dò. In communicatione privilegiorum non veniunt odia, ſed gratiæ & favores: ſed talis reſtrictio & limitatio eſt odioſa & non gratioſa: ergò non venit in communicatione privilegiorum, præſertim cùm juxta 15. R J. in 6. odia reſtringi, favores autem conveniat ampliari. 3tiò. Ideò prædicta limitatio ac reſtrictio fuit ap-

Digitized by Google

poſita privilegiis Societatis, quia id erat omninò conforme Inſtituto ac regimini Societatis prorſus particulari, utpote quod Monarchicum eſt, exigitque, ut omnia ſubjiciantur ac perfectè ſubordinentur præpoſito Generali & quidem etiam quoad uſum privilegiorum: hæc autem non reperiuntur in aliis Religionibus, quæ à Societate non tantùm differunt à regimine, quod illis potiùs Ariſtocraticum, ſed & in plurimis aliis: unde hæc limitatio aut reſtrictio non convenit aliis Ordinibus, neque eorum ſtatutis ac regulis conformis eſt, cùm tamen communicatio privilegiorum ſemper hanc ſecum ferat conditionem ſive explicitam ſivè implicitam: dummodo conformia ſint ſtatutis ac regulis ejusdem Religionis. Accedit quòd aliarum Religionum Prælati de requirenda hac à ſubditis licentia haud ſint ſolliciti, ùt colligitur ex conſenſu præſtantiſſimorum variarum Religionum Doctorum, qui noſtræ ſubſcribunt & adſtipulantur ſententiæ, haud dubiè exacturi, ſi id è re ſua fore perſpicerent. Unde cùm hæc limitatio ſit addita in favorem Generalis & Prælatorum, hique permittant liberum Religioſis ſubditis privilegiorum uſum, nec exigant petitionem licentiæ, hæc nullatenus requiritur: & ratio ultimata deſumitur ex voluntate SS. Pontificum privilegia concedentium, qui cùm illa conferant ſingulis Religioſis in particulari independenter à licentia Prælatorum, nec eam communiter exigant, hinc iſtis irrequiſitis, iisdemque inconſultis tutè & liberè poterunt uti conceſſis ſibi privilegiis, nec habent Prælati Jus, liberum hunc uſum reſtringendi, niſi aliud quid obſtet. Qua in re tamen conſulenda ſunt propria cujusque Ordinis ſtatuta & privilegia; non enim hìc vacat ſingula diſcutere.

Sed quæret fors aliquis ex me, 40
quid ſaltem ſentiendum de Canonicis Regularibus, & an ii ſuis poſſint uti privilegiis absque Generalis aut alterius Prælati ſpeciali licentia? ℟. affirmativè (loquendo ſaltem de iis privilegiis, quæ ad ſacrum non ſpectant tribunal) de quo vix dubium eſſe poteſt, ſpectatis conſtitutionibus Pontificiis, ex quibus proinde reſponſio noſtra probatur; quia privilegia Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis à SS. Pontificibus conceſſa ſunt illis in ſpecie & in particulari absque ulla limitatione aut reſtrictione vel dependentia à ſuis Prælatis, ùt conſtat ex conceſſione Eugenii, Sixti IV. in Bulla: *Dum ad univerſos.* ac Julii II. in Bulla: *inter cæteros*, quas vocant mare magnum ob plurima & ampliſſima, quæ in illis Canonicis Regularibus conferuntur privilegia: neque ullum poſteriorum Pontificum ea conſtat ita reſtrinxiſſe aut limitâſſe, ut ad eorum uſum neceſſaria ſit licentia Generalis aut alterius

terius Prælati: non eſt igitur cur Canonicis Regularibus reſtringatur aut limitetur liber hic & à Prælatis independens uſus privilegiorum, cùm juxta regulam Juris 17. in 6to. indultum à Jure vel Principe beneficium, nemini ſit auferendum aut reſtringendum, niſi fortè aliquis vel in ſuam, vel in aliorum perniciem aut aliàs abutatur; tùnc enim privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate, ùt dicitur *cap. licet. 18. de Regular. & cap. ut privilegia 24. de privileg.* Dixi tamen: *loquendo ſaltem de iis privilegiis, quæ ad ſacrum non ſpectant tribunal;* nam quod ad illa privilegia attinet, quæ hoc ſacrum concernunt tribunal, ùt ſunt privilegia abſolvendi à caſibus reſervatis, & à cenſuris Eccleſiaſticis, aut diſpenſandi in irregularitatibus, votis & impedimentis, requiritur omninò licentia ac deputatio Prælatorum, prout expreſsè requirunt Eugenius IV. ac Julius II. qui, dum Canonicis Regularibus hanc abſolvendi aut diſpenſandi poteſtatem concedunt, expreſsè volunt, ut ſint à ſuis ſuperioribus ad audiendas confeſſiones deputati, qua tamen deputatione facta poterunt iidem absque alia ſuorum ſuperiorum licentia hanc poteſtatem exercere, prout dicti Pontifices addunt; intereſt enim plurimùm, ne ſe quisque ad hoc officium intrudat, cùm ad id permagna requiratur ſcientia, nec minor prudentia ac diſcretio, quibus tamen dotibus plures carent præſertim juniores, qui nulla imbuti experientia & nonnunquam ſcientia morali obiter tincti, in caſibus difficillimis ſine examine, ſine judicio, ac ſine ulla circumſtantiarum debita conſideratione procedunt, ſibique & aliis laqueum damnationis injiciunt: cui malo ut occurrerent quidam religioſi Ordines laudabiliter conſtituerunt, ut nonniſi doctiores ac prudentiores per ſingula Monaſteria ac Collegia deputentur, qui talem habeant & abſolvendi & diſpenſandi poteſtatem. Verùm de hoc plura dicemus, cùm de privilegiis Canonicorum in particulari agemus. (*Adde;* Ex hucusque diſputatis apparet, ex mente Cl. Authoris hanc eſſe gradationem privilegiorum etiam pro Canonicis Regularibus non ſubditis gubernio ac regimini Congregationis Lateranenſis, ſed conſtitutis ſub gubernio Epiſcoporum ſine ſubjectione ad ullam Congregationem, dummodo uniti ſint ad Congregationem Lateranenſem unione honorifica conſiſtente præcisè in communicatione nominis & privilegiorum. 1. Congregatio Lateranenſis habet communicationem privilegiorum cum Congregatione Bononienſi, Caſſinenſi, Camaldulenſi, & cum Mendicantibus. 2. Congregatio Bononienſis & Camaldulenſis & Mendicantes habent comunicationem privilegiorum cum omnibus Ordinibus ſive Clericalibus ſive non Clericalibus etiam non Mendicantibus. 3. Inter omnes Ordines reperitur

etiam Ordo Theatinorum, Jeſuitarum &c. 4. Horum omnium Ordinum privilegia, etiam ea, quæ in prima conceſſione dabantur incommunicabiliter, per alios Romanos Pontifices ſubſequentes facta ſunt communicabilia eoipſo, quòd aliis nonnullis Ordinibus fuerint communicata. 5. Ergò Congregatio Lateranenſis, & omnes illi Canonici Regulares, quibus illa Congregatio Lateranenſis indulſit communicationem omnium ſuorum privilegiorum, participant omnia prorſus privilegia omnium aliorum Ordinum, exceptis iis ſolùm, quæ ita ſunt exorbitantia, ut raro aut rariſſimè, aut certè non ſine magna difficultate concedantur, aut denique quæ particulari ac determinato loco, vel perſonæ ob ſpecialem aliquam rationem ſunt conceſſa. Circa hanc gradationem, quam relinquo aliorum judicio, habeo nonnulla, quæ obſervanda Nam 1mò. ſi excipiuntur ea privilegia à generali communicatione, quæ particulari loco aut perſonæ ob ſpecialem rationem conceſſa ſunt, conſequens eſt, ut etiam excipiantur ea, quæ particulari Ordini ob ſpecialem rationem conceſſa ſunt. 2dò. Si à generali communicatione excipiuntur ea privilegia, quæ rarò, aut non ſine magna difficultate conceduntur, non poterit aſſeri, ea privilegia eſſe communicabilia omnibus Ordinibus, quæ Societati Jeſu fuerunt ſpecialiter conceſſa ſub clauſula, ut non cenſeantur comprehendi ſub communicatione generali. 3tiò. Ex eo, quòd privilegia ſpecialia v. g. Societatis fuerint uni vel alteri Ordini communicata, non ſequitur, illa ſtatim fieri communia omnibus Ordinis, ac generaliter ſublatam cenſeri illam incommunicabilitatis clauſulam. Quia ſi legi, privilegio, vel clauſulæ *derogatur* in caſu particulari ob fines ſpeciales, non eoipſo lex, privilegium, aut clauſula *abrogatur* totaliter ac generaliter. Neque enim exceptio, diſpenſatio, aut epikia particularis tollunt legem. 4tò. In qualibet communicatione privilegiorum Pontifices ſolent allegare motivum particulare, quod non ſemper urget quoad communicationem mediatam; v. g. quando S. Pius V. Ordini Mendicantium concedit ſua privilegia, dicit: *Etſi Mendicantium Ordines, qui ſedulum in vinea Domini quotidie exhibere non ceſſant famulatum, ſummo ſemper ſtudio amplexi ſumus, ad ſummi tamen* Apoſtolatûs *apicem aſſumpti, non poſſumus, quin eos propenſiore charitate amplectamur, ac exinde pro laboribus, pro ſalute animarum, atque Apoſtolica ſede, cujus dignitatem fortiter tutati ſunt, ornamenta accipiant, quibus & cæteræ religioſæ perſonæ, ordinéſque alii exemplo ipſorum promptiores, alacrioréſque ad ſua officia perſolvenda reddantur.* Leo X. in Bulla, *dudum*, in qua privilegia Mendicantium facit eſſe communia, ea reſtringit ad domos, in quibus religioſè vivitur. *Nos*, inquit, *ad ſingulos Ordines prædictos, ſinguláſque ipſo-*

ipſorum Ordinum domos, ubi religioſè vivitur, omnes gratias, indulta &c. pariſormiter communia eſſe volumus. Pius V. in Bulla: *Ex ſuperna*, ubi communicat Lateranenſibus privilegia Mendicantium, dicit: *Pro parte Canonicorum Regularium Cong. Lat. & S. Salvatoris, & Monachorum S. Benedicti Caſſin. Ciſterc. Camaldulenſium &c. petitio continebat, quod ipſi etiam tum vita eorum exemplari, tum doctrina, ac verbi Dei prædicatione, aliásque ſummis eorum laboribus & ſtudiis animarum ſalutem, ac ſedis Apoſtolicæ augmentum hactenus ſemper procuraverunt. Quare Mendicantium privilegia ad eos extendimus &c.* Videtur proin ea fuiſſe intentio Pontificis, dum Congregationi Lateranenſi conceſſit poteſtatem aliis Canonicis Regularibus communicandi ſua privilegia, ut habeat reſpectum ad merita recipientium gratiam ſaltem prudenter præſumpta, aut idoneis teſtimoniis comprobata. 5tò. Quando Romani Pontifices conceſſerunt Congregationi Lateranenſi facultatem communicandi ſua privilegia aliis Canonicis Regularibus ejusdem *Ordinis*, dubitari poteſt, an per *Ordinem* non intellexerint *Congregationem*; quia tam in Bullis Pontificum, quàm in decretis S. Congregationum hæc duo nomina ſæpiùs ſumuntur pro ſynonimis; ſic enim dum nominant Canonicos Regulares *Ordinis Lateranenſis*, haud dubiè aliud non ſignificant, quàm Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis. Itaque in illa generali facultate communicandi privilegia Lateranenſia Canonicis Regularibus ejusdem *Ordinis*, non comprehenderentur Canonici Regulares nullo pacto ſubjecti gubernio Congregationis Lateranenſis. Imò etſi aliqua Monaſteria Germaniæ impetrâſſent à Pontifice ſpecialem confirmationem privilegiorum à Congregatione Lateranenſi communicatorum, ſi tamen in ſupplicatione ſolùm expreſſerunt, quòd ſint ejusdem cum Lateranenſibus *Ordinis*, nec ſimul declarârunt, ſe nulla ratione ſubjici ſtatutis aut gubernio Congregationis Lateranenſis, dubitari poteſt, an confirmatio non ſit ſubreptitia. Ex his ergo colligitur, in iſta gradatione privilegiorum cautè attendendum eſſe, an omnes propoſitiones intermediæ, per quarum concatenationem communicatio privilegii infertur, ſint ſolidæ; ſi enim ex pluribus propoſitionibus præcisè probabilibus tandem præcisè probabiliter infertur concluſio, norunt Logici, probabilitatem relinqui tenuem aut nullam.)

Ex hactenus dictis ſatis ſupérque conſtat, Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis perfectam ac pleniſſimam obtinere cum quibusvis aliis Religioſis Ordinibus privilegiorum communicationem, & quidem ſine ulla à ſuis Prælatis dependentia, reſtat jam, ut pauca quoque dicamus de modo, quo ea communicantur: 41

pro cujus reſolutione hanc ſtatuo generalem regulam: Canonici Regulares (idem eſt de aliis variorum Ordinum Religioſis) ita communicant in privilegiis cum aliis Ordinibus tam Mendicantium quam non Mendicantium, ut quod uni ex his expreſsè conceſſum eſt, iisdem intelligatur communicatum. Ita reipſa Doctores communiter, quos magno numero citat & ſequitur Donatus *tr. 7. quaſt. 3.* Tamburinus *D. 17. quaſt. 2.* Rotarius *de privil. p. 2. n. 7.* Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 1. n. 89.* ubi ait, hanc ſententiam eſſe communiſſimam & certiſſimam; fundatur autem in pluribus SS. Pontificum conſtitutionibus, præſertim Leonis X. in Bulla: *Dudum per Nos 10. Decemb. Anno 1519.* ubi omnia & ſingula privilegia tam ſpiritualia quàm temporalia Ordinibus Mendicantium eatenus conceſſa ac inpoſterum concedenda inter ſingulos eorundem Ordines vult eſſe communia, ita ut quod uni conceſſum fuit, alteri cenſeatur communicatum. Id quod jam antea ſtatuerat Julius II. qui lite orta inter Fratres Prædicatores & Minores de obſervantia in Hiſpania circa privilegiorum communicationem formam adhibuit ac modum ſtatuit edita Bulla, quæ incipit: *Aliàs. 1. Junii. Anno 1509.* ubi ad tollendam quamcunque hæſitationem, & inde fortè ortum ſcrupulum auctoritate Apoſtolica declarat, quòd uni Ordini conceſſa communicentur alteri, quódque in prædicta privilegiorum, gratiarum, & indultorum præfatorum communicatione ea quæ ſpectant ad Priorem generalem ſeu Magiſtrum Ordinis Prædicatorum, pariter ſpectent ad Miniſtrum vel Vicarium generalem FF. Minorum: & ea quæ ad Priores Conventuales, id eſt, Prælatos ſingularum domorum Ordinis Prædicatorum & eorum Vicarios ſpectant, ſimiliter ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum pertineant: & ea, quæ ad Priores ſeu Vicarios Provinciales, id eſt, Prælatos, qui medii ſunt inter dictum Generalem ſeu Magiſtrum Ordinis & Priores Conventuales eorúmque Vicarios ſpectant, ſimili modo ad Miniſtros & Vicarios Provinciales, qui etiam medii ſunt inter Miniſtrum & Vicarium Generalem & Guardianos eorúmque Vicarios, pertineant: & ſicut de poteſtate Prælatorum, ſcilicet de Prælatis ad Prælatos dictum eſt, ita de Congregationibus unius ad Congregationem alterius Ordinis, & de Fratribus privatis, id eſt, ſine Prælatura ad Fratres privatos, & de Feſtivitatibus ad Feſtivitates in his caſibus, in quibus Congregationibus, vel Fratribus privatis aut Feſtivitatibus unius Ordinis aliquid conceditur, Congregationibus, Fratribus privatis, ac Feſtivitatibus alterius Ordinis nunc & pro tempore reſpectivè conceſſa intelligantur. Quæ licét de Mendicantium Ordinibus ac in ſpecie de Prædicatoribus ac Minoribus conſtituta ſint, eodem tamen modo de non

Men-

Mendicantibus & Canonicis Regularibus intelligenda ſunt, ita ut quo modo Mendicantibus conceditur communicatio privilegiorum inter ſe, ita & ſimili modo communicentur etiam non Mendicantibus ac Canonicis Regularibus, videlicet adaptando congrua congruis, & ea conformando cujusque Religionis regulis ac ſtatutis; exemplo enim Prædicatorum & Minorum poſſunt reliqui Ordines communicationem privilegiorum habentes privilegia aliis conceſſa ſibi proportionaliter applicare: nam quæ dicuntur exempli cauſa non reſtringunt diſpoſitionem generalem, ſed potiùs oſtendunt formam & modum, quo res fieri debeat. Notandum hìc autem, quòd S. Pontifex ortam de communicatione privilegiorum litem nominet *haſitationem*, & *ſcrupulum*, & hunc tollit non aliquid de novo concedendo, ſed declarando tantùm, quaſi res hæc jam antecedenter ſatis clara fuiſſet vel ex natura communicationis, vel ex conceſſione SS. Pontificum, nec indiguiſſet aliqua declaratione.

Sectio V.

Quænam veniant ſub generali communicatione privilegiorum?

POſtquam pluribus egimus de communicatione privilegiorum, quam Canonici Regulares ampliſſimam habent cum quibusvis Ordinibus, ac Congregationibus tam Canonicorum, ac Monachorum, quàm Mendicantium ac Clericorum Regularium, & conſequenter cum omnibus omninò quotquot exiſtunt ac fortè etiamnum naſcentur, ſacris Religionibus; jam examinandum remanet ac diſcutiendum, quænam ſub hac generali communicatione comprehendantur ac veniant privilegia; id enim ad perfectam hujus materiæ intelligentiam omninò neceſſarium eſt, ac pro dicendorum meliori notitia perquam utile. Qua in re certum eſt per ejusmodi communicationem ea omnia privilegia concedi, quæ toti alicui Ordini, ejúsque Monaſteriis, locis, ac perſonis ſunt communia ac ſtabilia, ſive dein illa ſint in ſcriptis ſive vivæ vocis oraculo conceſſa; cùm utraque pertineant ad rationem privilegii propriè ſumpti, & ſub una veniant definitione. Accedit, quòd in communicatione privilegiorum præſertim Canonicis Regularibus facta habeatur clauſula: *quomodolibet conceſſa*, quæ dictio cùm ſit univerſalis, comprehendit quemcunque modum, qui comprehendi poteſt, & oſtendit plenam & exuberantem diſponentis voluntatem: & ſenſus

eſt,

eſt, quomodolibet conceſſa ſint, ſive ad inſtantiam, ſive motu proprio, ſive vivæ vocis oraculo, ſive per ſolam ſignaturam, ſive generalibus ſive ſpecialibus verbis, ſive alio quocunque modo. Nec refert, quòd nonnunquam vivæ vocis oracula in ſpecie ac nominatim exprimantur in Bullis Pontificiis; id enim tantùm fit ad majorem cautelam & ad tollendos ſcrupulos. His igitur ſuppoſitis ſolùm hic ſupereſt indagandum: an ſub ejusmodi generali communicatione privilegiorum veniant privilegia exorbitantia & talia, quæ raró & etiam rariſſimè nec ſine magna difficultate conceduntur? 2dò. An etiam ea, quæ particulari cuipiam ac determinato loco vel perſonæ ſpecialiter ſunt conceſſa? 3tò. An illa, quæ ſtatutis, conſtitutionibus, ac regulis Ordinis adverſantur? 4tò. denique: An pœnalia ac odioſa? Ad ſingula ut reſpondeam

42 Dico 1mò. *In generali communicatione privilegiorum non veniunt exorbitantia, & quæ raró aut rariſſimè, nec ſine magna difficultate conceduntur.* Ita communiſſima Juriſtarum, cujus ratio eſt; quia in generali conceſſione privilegiorum non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter non eſſet conceſſurus in ſpecie Reg. Jur. 81. in 6. atqui SS. Pontifices privilegia exorbitantia, & quæ raró aut rariſſimè nec ſine magna difficultate concedi ſolent, veriſimiliter non eſſet conceſſurus in ſpecie: ergò non veniunt ſub generali conceſſione aut communicatione privilegiorum. Atque hinc inſolita concedi, & quæ nonniſi ex cauſis urgentiſſimis aut in caſu extraordinario conceduntur, nunquam intelliguntur conceſſa, niſi in ſpecie ac nominatim exprimantur, prout ſæpiùs à Rota deciſum fuiſſe refert Tamburinus *to. 1. D. 17. quæſt. 2. n. 6.* Donatus *to. 1. tr. 7. Q. 14.* & Card. Petra *ad Conſtit. 5. Innocentii IV. n. 45.* ubi hanc in rem prioribus recentiores ſuperaddit ac noviſſimas deciſiones. Quamobrem etſi Abbati Generali Ciſtercienſi & quatuor ejus Coabbatibus ab Innocentio VIII. conceſſum fuiſſet, de quo non eſt opus diſputare, cùm ea facultas revocata fuerit à Pio IV. ut poſſint SS. Diaconatûs & Subdiaconatûs Ordines ſuis ſubditis conferre, ac Abbati Caſſini Montis, & SS. Trinitatis Cavæ, ac S. Mariæ de Florentia, ut poſſint Sacramentum Confirmationis adminiſtrare ſuis ſubditis, hæc tamen privilegia non communicantur aliis nequidem illis, qui aliàs pleniſſimam & abſolutam cum Caſſinenſibus ac Ciſtercienſibus habent privilegiorum communicationem. Neque his obſtat ampliſſima privilegiorum communicatio Canonicis Regularibus à Sixto IV. in Bulla: *Dum ad univerſos.*

ſos. Anno 1477. & à Julio II. in Bulla: *Inter cæteros. Anno 1512.* facta, in quibus omnia & ſingula privilegia Congregationi Caſſinenſi & ejus Monaſteriis, locis, membris & perſonis conceſſa eisdem communicant absque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi dictis Canonicis ea ſpecialiter ac nominatim fuiſſent conceſſa, quorum tenores pro ſufficienter expreſſis habere volunt, non ſecùs ac ſi de verbo ad verbum inſerta forent: atqui Abbatibus montis Caſſini prædictæ Congregationis conceſſum eſt privilegium adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis: ergò idem Canonicis Regularibus communicatum eſſe cenſendum eſt. ℞. enim, quòd privilegium iſtud Abbati montis Caſſini, cæterisque duobus Abbatibus ſupra relatis conceſſum ſit ob ſpecialem prærogativam ac proprium territorium, in quod habent jurisdictionem Epiſcopalem, aliásque ſpeciales rationes, ob quas locum non habet communicatio privilegiorum. Atque hinc nequidem Abbates cæteri ejusdem Congregationis Caſſinenſis, qui tamen omnimodam ac mutuam inter ſe habent communicationem privilegiorum, iſthoc gaudent aut uti poſſunt privilegio. Unde cùm prædicto privilegio Abbates Congregationis S. Benedicti, & Bernardi uti vellent, aut re ipſa fuiſſent uſi, reſolvit S. Congregatio in Colimbr. 26. Junii Anno 1655. quod Sacramentum Confirmationis conferre non poſſint, adeò ut ab ipſis confirmati indigeant nova Confirmatione, ùt refert Eminentiſſimus Petra *ad Conſtitut. 14. Innocentii IV. n. 46.* ad finem. Unde multò minùs aliorum Ordinum Abbates, quantacunque tandem gaudeant privilegiorum communicatione, id poterunt; quæ enim à jure exorbitant, nequaquam ſunt ad conſequentiam trahenda juxta R. I. 28. in 6tò.

Dico 2dò. *In generali communicatione privilegiorum non veniunt ea, quæ alicui particulari ac determinato loco vel perſonæ ob ſpecialem aliquam rationem ſunt conceſſa.* 43

Ita re ipſa communis Authorum: & ratio eſt: tum quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ per ſpeciales Conſtitutiones ſunt proviſa, arg. *L. Doli. ff. de verb. obligat.* & claré habetur deciſum *in cap. ſi propter. 10. de reſcript. in 6.* ubi ſtatuitur: quòd privilegium generale non habeat locum in iis, quæ Eccleſiæ vel perſonæ ſingulari conſuetudine, privilegio, vel ſtatuto ſpeciali conceſſa ſunt aut debentur. Et expreſſius *in cap. cum Capella 16. de privileg.* ubi dicitur, quòd conceſſum uni Eccleſiæ ſeu loco nequeat trahi ad aliam Eccleſiam ſeu locum tum quia privilegia in tantum valent, in quantum vult ac in-

intendit concedens; cùm tota virtus privilegii dependeat à voluntate concedentis: ſed concedens privilegium alicui particulari loco aut huic determinatæ perſonæ ob ſpecialem aliquam rationem ac motivum intendit illud tantùm conferre huic particulari loco aut determinatæ perſonæ: cùm ad hanc tantùm ſit ejus voluntas directa ac reſtricta, non autem ad aliam extenſa; voluntas enim concedentis non extenditur, niſi exprimatur, cùm inter homines voluntas non operetur, niſi verbo vel ſcripto declaretur: ergò privilegium certo alicui ac determinato loco vel perſonæ conceſſum pro iſtis tantùm valebit, non autem pro aliis, ſive id fiat per viam communicationis ſive per viam extenſionis. Neque dicas: SS. Pontifices communicare Regularibus omnia & ſingula privilegia quomodocunque conceſſa ſub ampliſſima forma tam in genere quàm in ſpecie, tam conjunctim quàm diviſim, non tantùm ea, quæ ipſis Ordinibus in communi, ſed etiam ea, quæ particularibus eorum Monaſteriis, locis, membris & perſonis conceſſa ſunt aut in poſterum concedentur: hæc autem verba important particularium etiam locorum ac perſonarum privilegia: ergò hæc etiam communicantur ac veniunt ſub generali communicatione, prout nos ipſi ſupra docuiſſe videmur, ac tradunt Authores communiter. ℟. Ejuſmodi ampliſſimas communicationum formulas intelligi tantùm debere de iis privilegiis, quæ Ordinibus & Congregationibus eorúmque Monaſteriis, locis, membris, ac perſonis conceſſa ſunt in communi & in genere, prout vel ipſi Pontifices frequenter illud addere ſolent in ſuis Bullis: non autem de iis, quæ conceſſa ſunt quibusdam Eccleſiis, locis ac perſonis particularibus ob ſpecialem aliquam rationem ac motivum. Atque hoc & non aliud ſupra docuimus, nec aliud volunt Authores, qui hac in re nobiſcum re ipſa ſentiunt, quamvis aliqui non ſatis iſta videantur diſcernere aut diſtinquere.

Ex quibus ſequitur, quod, etſi Indulgentiæ toti alicui Ordini aut Congregationi aut ejusdem Monaſteriis, locis ac perſonis in genere conceſſæ per generalem communicationem privilegiorum participentur ab aliis Ordinibus ac Congregationibus ejusque Religioſis, non ità communicentur ac participentur aliæ Indulgentiæ, quæ alicui certo ac determinato loco conceſſæ ſunt ob ſpecialem rationem ac motivum, ùt quia v. g. inibi habetur imago miraculoſa B. V. M. in magna fidelium veneratione, atque ad eam fit magnus populi concurſus, prout etiam à Leone X. declaratum fuiſſe refert Tamburinus *to. 1. D. 17. Quæſ. 2. n. 2.* ob quam cauſam communiter tenent DD. Indulgencias Portiunculæ non communicari Eccleſiis aliorum Ordinum præter Ordines S. Franciſci. Sic eti-

Digitized by Google

etiam altaria privilegiata uni Eccleſiæ Regularium conceſſa non communicantur per generalem comunicationem cæteris altaribus ac Eccleſiis tam aliarum, quàm ejuſdem Ordinis, ob ſpecialem rationem, quam habuit S. Pontifex, huic conferendi tale privilegium: idque obtinet communis uſus & praxis ac ſtylus curiæ, de quo teſtatur Laurentius de Peyrinis *ad Conſtit. 8. Pauli III. num. 2.* atque hinc Juriſtæ dicere ſolent, quòd privilegia habeant determinatum territorium, neque tranſeant de loco ad locum, nec de perſona ad perſonam. Unde privilegia alicui particulari perſonæ aut Religioſo conceſſa non communicantur aliis Religioſis etiam ejuſdem Ordinis, multò minùs alterius Ordinis, etiamſi in illis par ratio militaret; quia perſonalia privilegia cum perſona privilegiata vivunt & moriuntur. Per ampliſſimas ergò communicationis formulas, quibus munita ſunt Regularium privilegia, ſolùm intelliguntur comunicari privilegia conceſſa Ordini religioſo in communi & ſub ratione aliqua generica, vel Prælatis Ordinis, aut Confeſſariis, aut Prædicatoribus, aut quibusvis Religioſis in genere: atque hæc, ùt explicavit Julius II. ſupra relatus in Bulla: *Aliàs 1. Junii. Anno 1509.* cum proportione applicantur cuilibet Ordini communicationem privilegiorum habenti.

44 Dico 3tiò, *In generali communicatione privilegiorum non veniunt ea, quæ adverſantur regulis, ſtatutis, & conſuetudinibus alicujus Ordinis & Religionis.*

Ita certa omnium ſententia, & deſumitur ex ipſis SS. Pontificum Conſtitutionibus & conceſſis diverſis Ordinibus privilegiis, in quibus communiter ſolent ejusmodi clauſulam inſerere: *Dummodo eorum inſtitutis ac regulis aut regulari obſervantia non ſint contraria*: & licèt hæc clauſula non eſſet inſerta, ſemper tamen ſubintelligitur, cujus ratio eſt, quia SS. Pontifices concedendo aut comunicando privilegia non intendunt alicujus Ordinis regularē obſervantiam relaxare, aut ea diſſolvere, quæ pro hujusmodi Ordinis conſervatione & majori Religioſorum profectu fuerunt laudabiliſſimè conſtituta, ſed ea potiùs volunt in ſuo ſtatu ac primævo fervore conſervare, regularem firmare diſciplinam, ſuisque favoribus, gratiis ac privilegiis excitare Religioſos, ut regulas ſuas exactius obſervent, alacrius in via virtutum progrediantur, majorem Dei gloriam ubique promoveant, ac ſuam proximique ſalutem in omnibus procurare nitantur, idque mediis per Conſtitutiones cuique Ordini proprias præſcriptis, quibus ipſi nihil præjudicare intendunt, ſed omnia cu-

piunt in ſuo vigore permanere. At verò quanta non oriretur perturbatio, quanta diſſolutio, confuſio quanta, ſi, quæ laxioribus Ordinibus conceſſa ſunt privilegia ſuis proportionata inſtitutis, communicarentur ſtrictioribus, & auſteritates ab his receptæ obtruderentur illis: aut ſi quæ militaribus Ordinibus permiſſa ex privilegio Apoſtolico, alii Ordines ſibi vellent appropriare ob intercedentem cùm illis privilegiorum communicationem: aut ſi omninò, quod illis conceſſum eſt bona poſſidere, pecunias habere ac de iis teſtari, & hoc quoque aliorum Ordinum Religioſi prætendere, & hac privilegiorum communicatione ſeſe tutari vellent. Nonne taliter confunderentur brevì ſanctiſſimi Ordines, peſſumdaretur ſtatus religioſus, & quæ ſapientiſſimi ac piiſſimi Inſtitutores pro ſuarum conſervatione Religionum præclariſſimè conſtituerunt, ſùſque déque verterentur: quod SS. Pontifices neque volunt neque velle poſſunt. Omnis proinde communicatio ita debet intelligi: ut non ſit contraria propriis regulis ac Conſtitutionibus, neque repugnet diſciplinæ ac obſervantiæ regulari, nec ſit nociva aut perverſiva vel perturbativa ſtatûs religioſi, aliàs quod in favorem eſſet introductum Religionis, in ejus detorqueretur diſpendium contra Reg. Jur. 61. in 6. In privilegiorum enim communicatione ſola ſunt ſpectanda commoda, non autem incommoda, & in ea tantùm veniunt, quæ ſunt favorabilia, & cujúſque Ordinis inſtituto conſona.

Dico 4tò. *In generali communicatione privilegiorum non veniunt odioſa ac pœnalia, ſed favorabilia tantùm & gratioſa.* 45

Ita rurſus DD. tum Theologi tum Juriſtæ communiter. Probatur: quia omnis communicatio privilegiorum ſupponit gratiam & favorem, quò SS. Pontifices volunt alicui gratificare: ſed nemini gratificarent, nec ullam præſtarent gratiam & favorem, ſi odioſa & pœnalia communicarent, Religioſis præſertim invitis: ergò hæc non communicantur: quotusquisque enim ambiret communicationem privilegiorum, ſi ſciret per eam ſibi multa odioſa ac pœnalia fore ſubeunda, à quibus nulla facta communicatione liber eſſet futurus; certè nemo non vellet carere privilegiis, quantumcunque favorabilibus, quàm cum iis ſimul ſe multis ſubjicere pœnalibus & odioſis. Nec præſumi poteſt, quòd SS. Pontifices concedendo privilegiorum communicationem velint Religioſis Ordinibus utut invitis obtrudere ea, quæ in eorum cedunt onus & odium, dum eisdem volunt exhibere favorem & gratiam, cùm tamen jura ubique clament: odia reſtrin-

ſtringi, favores autem ampliari debere. Reg. Jur. 15. in 6. & quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſſe in ejus diſpendium retorquendum R. J. 61. in 6. Neque dicas: Privilegia, quæ ſimul adjunctam habent pœnam, etſi odioſa ſint reſpectu particularium Religioſorum, eſſe tamen favorabilia reſpectu totius Religionis ac boni publici, quod particulari quorumdam ac privato bono præferendum eſt: quin imò ea ipſa etiam reſpectu particularium ac privatorum ſunt favorabilia ſpiritualiter, cùm avertant à vitiis & ad virtutem incitent amplectendam: conſtat autem privilegia concedi potiſſimùm ob bonum ſpirituale Religioſorum. Verùm reſpondeo, ex hiſce ſequi, nihil dari odioſum nequidem gehennam ac pœnam æternam; cùm & hæc ipſa cedat in bonum publicum ac terreat peccatores ac abſtrahat à perpetrandis delictis & ad virtutem proſequendam incitet, atque ſic delendæ forent regulæ juris ſupra allegatæ, aliæque ſimiles. Verùm hic non agitur de bono præcisè publico, ſed vel maximè de bono privatorum, in quorum præcipuè commodum & favorem conceduntur privilegia. Et ſanè fruſtra urgerent Prælati ejuſmodi privilegiorum pœnalium & odioſorum obſervationem per hujuſmodi prætenſam privilegiorum communicationem, cùm identidem contra eam reclamare poſſent, ac objicere, ſe eam nullatenus acceptare; invito enim non poteſt obtrudi beneficium, favor, aut gratia, niſi ejuſmodi obſervantiam præciperet ipſe Pontifex, quo caſu tamen communicationes hujuſmodi non tam eſſent privilegia, quàm ſtatuta, quæ ſecundùm omnes non communicantur. (*Adde*; etiam privilegia pœnalia comprehendi in communicatione privilegiorum, quando ſunt principaliter introducta in favorem totius Religionis v. g. facultas excommunicandi, ſuſpendendi, reſtringendi juriſdictionem Confeſſariorum ad perſonas & loca, deponendi Superiores in Capitulo generali etiam ſine cauſa Canonica, ſollicitatores in Confeſſionali etiam non convictos, ſed præſumptionibus moraliter certis gravatos à voce Capitulari ſuſpendendi. Signum ejuſmodi favorum eſt terminus, *poſſunt*, ſed purè pœnalium, *debent*)

Dico denique 5tò. *In generali communicatione veniunt privilegia conſuetudine acquiſita.* 46

Ita deſumitur ex diverſis SS. Pontificum Conſtitutionibus ac Bullis, qui frequenter aliis communicando privilegia etiam ea in ſpecie exprimunt, quæ conſuetudine ſunt acquiſita: atque ita Julius II. in Bulla: *Inter cæteros.* 4. *Non. April Anno* 1512. Canonicis Regularibus conceſſit, ut omnibus privilegiis quibuscunque Ordinibus & Congrega-

gationibus quomodolibet conceſſis ac de jure vel conſuetudine debitis juribus inconcusſè gaudeant & fruantur. Proceditque concluſio non tantùm in eo caſu, quo taliter nominatim & expreſſè communicantur privilegia conſuetudine acquiſita, ſed etiam tunc, quando non ita in ſpecie exprimuntur; tum quia privilegia conſuetudine legitimè acquiſita in materia favorabili veniunt nomine privilegii, ùt conſtat ex dictis, & conſentiunt Authores; tum quia privilegia conſuetudine acquiſita ſaltem remotè dicuntur à Principe conceſſa, quatenus conſuetudo habet vim privilegia conferendi ex conceſſione & conſenſu Principis ſive S. Pontificis ſaltem legali: quando igitur S. Pontifex communicat omnia & quæcunque privilegia per Romanos Pontifices Anteceſſores ſuos conceſſa, pariter communicare cenſetur ea, quæ conſuetudine legitimè præſcripta ex legali conſenſu SS. Pontificum ſunt acquiſita, cum talis conſuetudo ex ſe non poſſit dare privilegium, niſi quatenus concesſère SS. Pontifices. Unde quando in communicatione nominatim exprimuntur privilegia conſuetudine acquiſita, id tantùm fit ad majorem cautelam & ad tollendos ſcrupulos, non autem ex neceſſitate (*Adde*, hanc concluſionem tunc ſolùm admittendam eſſe, quando conſuetudo interpretatur legem aut privilegium dubium)

DISPUTATIO III.

De Confirmatione, Extenſione, interpretatione, & uſu privilegiorum.

PRivilegiis ſive per conceſſionem S. Pontificis, ſive per conſuetudinem legitimè præſcriptam, ſive per viam communicationis acquiſitis, ſolet plerúmque eorum poſtulari confirmatio non quidem ex neceſſitate quadam; nam privilegia aliàs valida, etiamſi non confirmentur de novo, ſuam obtinent firmitatem, cùm deceat beneficium Principis eſſe manſurum, ùt habet Reg. Jur. 16. in 6. Sed pro majori ſecuritate, ut in ſuo vigore perſiſtant, & novum robur ac firmitatem acquirant. Peti ſolet hujusmodi confirmatio à novo Principe aut à S. Pontifice recens electo, ne forte, quæ ab Anteceſſoribus ſuis fuère conceſſa, per novas iterum Conſtitutiones revocentur: aut ſaltem

tem diminuantur. Poſtquam igitur de modis acquirendi privilegia præſertim de eorum communicatione plurimis egimus, Ordo doctrinæ nos ducit, ut de hac quoque privilegiorum confirmatione hic pariter agamus. Quia verò privilegia ſæpius ab uno ad alterum extendi ſolent ſive ob ſimilitudinem aut majoritatem rationis, ſive ob connexionem materiæ & perſonæ ſive aliis de cauſis, hinc meritò poſt diſcuſſam de confirmatione privilegiorum materiam ſubjungimus ea pertractanda, quæ ad extenſionem privilegiorum pertinent. Cúm autem privilegiorum verba ſæpè etiam dubia ſint & obſcura, quibus obſcura ſimul redditur mens & intentio concedentis, hinc ſæpius etiam opus habent declaratione ac interpretatione, quibus verba menti concedentis conformentur, & quæ priuś erant obſcura, efficiantur clara, unde neceſſe eſt, ut etiam de interpretatione agamus privilegiorum. Pertractatis taliter, quæ ad naturam, acquiſitionem, communicationem, confirmationem, extenſionem, & interpretationem privilegiorum pertinent, nil amplius reſtat, quàm ut utamur privilegiis, atque hinc ea quoque perſcrutemur, quæ ad uſum privilegiorum ſpectant. Tractandum igitur hic nobis 1mo. de confirmatione, 2dò. De extenſione, 3tiò. De interpretatione, 4tò. De uſu privilegiorum.

Sectio I.

De Confirmatione privilegiorum Regularibus
præſertim Canonicis facta.

1 CONfirmatio ſtrictè ſumpta tunc contingit, quando Superior approbat factum inferioris ſuam illi præbendo auctoritatem, & faciendo, ut ſubſiſtat. Verùm in præſenti non ita ſtrictè ſumitur nomen confirmationis, ſed prout denotat quamdam innovationem ejus, quod jam legitimè factũ fuerat; nam quando Superior confirmat actũ ſui Anteceſſoris non eſt propriè confirmatio, cùm non ſit ei Superior, ſed potius innovatio & nova conceſſio illius, quod prius ille conceſſerat, ùt cum Panormitano, Angelo & Sylveſtro obſervat Alviſet *S. 1. cap. 4.* Hoc modo accepta confirmatio definitur, quòd ſit juris priús habiti per legitimum Superiorem facta corroboratio, ùt poſt Hoſtienſem, Decium, & alios antiquiores tradunt hodie communiter DD. tam Theologi quàm Juriſtæ. Dicitur 1. *Juris priùs habiti*; nam confirmatio non dat novum eſſe, ſed ſolùm confirmat antiquum

Digitized by Google

& ſemper præſupponit jus priùs alicui competere: & conſequenter ſicut ratificatio eſt quædam convalidatio actûs præcedentis, ita & confirmatio. Dixi 2. *per legitimum Superiorem.*; nam quæ à privatis fiunt, approbationes potiùs quàm confirmationes dicendæ ſunt: per legitimum autem Superiorem non intelligitur hìc Superior concedentis, ſed impetrantis. Dicitur 3tiò. *corroboratio*; nam confirmatio ſupponit valorem actûs præcedentis: & hinc ſi actus ille, qui confirmatur, invalidus ſit, neque confirmatio illi tribuet valorem, niſi Superior confirmans actum iis utatur verbis, quibus clarè ſignificet, ſe illi, ſi fortè invalidus eſſet, novum tribuere valorem, ac omnes & ſingulos tam juris quam facti defectus ſupplere, quo tamen caſu nova potius conceſſio, quàm confirmatio dicenda foret.

2 Confirmatio taliter accepta alia fit in forma communi, quando nempe Superior ſine examine & abſque ulla vel non perfecta cognitione prævia confirmat actum in eo ſtatu, in quo priùs erat, ùt pluribus explicatum eſt ſupra clauſula 1. Alia fit in forma ſpeciali, quando ſcilicet Superior cauſâ plenè cognita & cum perfecta illius notitia confirmat actum vel negotium: id quod ex adjectis clauſulis aut aliis ſignis colligi poteſt. Et 1mò. quidem, ſi in confirmatione privilegii addita ſit clauſula; ex certa ſcientia, tunc enim confirmatio cenſetur fieri in forma ſpeciali; etenim S. Pontifici dicenti, ſe ſufficientem habuiſſe cauſæ notitiam, adeóque defectum non ignoráſſe, credendum eſt, ùt docet Gloſſ. *In Clement. II. de Reſcript. & in cap. ſtatutum V. literarum de Reſcript. in 6.* Abbas *in cap. examinata 7. de confirmat. util.* & alii communiter, qua de re vide ſupra clauſul. 2dam. & 3tiam. 2dò Si confirmatio fiat per verba clauſulæ ex certa ſcientia æquipollentia, qualia ſunt, ſi aſſerat S. Pontifex, ſe confirmare actum ex plenitudine poteſtatis, ſe eidem inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicere, ſe de novo concedere, aut omnes juris & facti defectus ſupplere, vel non obſtante quavis lege, ſtatuto, conſuetudine vel privilegio, & tandem quoties ex verbis privilegii, & ex reſcripti narratis colligi ac percipi poteſt, S. Pontificem proceſſiſſe cum certa ſcientia, & cum plena cauſæ cognitione confirmâſſe privilegium; non enim intereſt, quo modo mentem ſuam explicet, cùm taciti & expreſſi ſit eadem vis. 3tiò. Si in privilegii confirmatione totus illius tenor, vel ejus ſaltem ſubſtantialia inſerantur, ùt dicitur *in cap. Venerabilis. 8. de confirm. util. V. ad majorem evidentiam* & ibi Gloſſ. tunc enim oſtendit S. Pontifex, ſe ſufficientem rei notitiam ac ſcientiam habuiſſe, & conſequenter non obſtante defectu aliquo voluiſſe auctoritate ſua diſpoſitionem vel actum red-

Digitized by Google

reddere firmum validúmque. 4tò. Si privilegii confirmatio à confirmante iteretur, ac geminetur; nam geminatio ac iteratio privilegii vim habet clauſulæ ex certa ſcientia, ùt docent Joan. Andr. Hoſtienſis, Panormitani *in cap. porrecta. 6. de Confirmat. util.* Cæterùm ſi nihilominus oriatur dubium: an confirmatio facta ſit in forma ſpeciali, an verò in forma communi, nec illud poſſit per aſſignatas hactenus regulas vinci, habenda eſt pro confirmatione in forma communi; quia certa ſcientia cùm ſit quid facti, non præſumitur, ſed probari debet, & aſſerenti incumbit probatio, ùt cum Donato Q. 6. docent Authores communiter.

3 Plurimùm autem intereſt, utro ex his modo privilegium ſit confirmatum, an in forma communi, an in forma ſpeciali; nam ſi in forma communi facta ſit confirmatio, nullum Jus novum tribuit, ſed ſolùm antiquum conſervat, ùt dicitur *cap. ex parte. 13.* & *cap. intentionis 29. de privileg.* & *cap. inter dilectos. 6. de fid. Inſtrum. V. cæterùm.* ac proinde talis confirmatio non poteſt dici nova conceſſio, ſed pura roboratio, ùt colligitur ex *cap. quia diverſitatem 5. de conceſſion. Prabend.* & *cap. Dudum in fin. de Decimis.* & ibi Imola cùm unanimi DD. & hinc quamvis actum validè & legitimè geſtum approbando eundem magis certificet, nullam tamen vim & efficaciam tribuit actui quacunque de cauſa invalido, ſed illum in ſua relinquit invaliditate ac nullitate; nam confirmatio taliter facta quodammodo conditionalis, ſi nempe privilegium validum ſit aut legitimè impetratum: Neque ob id confirmatio talis in forma communi habenda eſt pro otioſa ac ſuperflua; nam licèt nihil de novo concedat, majorem tamen privilegio firmitatem tribuit & auctoritatem, ita ut non tam facilè impugnari poſſit & everti. Quòdſi econtra confirmatio fiat in forma ſpeciali, novum Jus tribuit actui confirmato, eúmque ſi fortè invalidus eſſet, firmum efficit validúmque ſupplendo defectus Juris poſitivi, qui in eo intervenerunt & ſuppleri poſſunt ac ſolent à confirmante, ùt patet ex *cap. 1. & 8. de transaction. cap. Si Apoſtolica 22.* & ibi Gloſs. *V. confirmamus de prabend. in 6.* quia confirmatio in forma ſpeciali non eſt tantùm ſimplex & pura confirmatio, ſed ampliatio & nova conceſſio. Unde ſi S. Pontifex confirmaret Regularium privilegia ex certa ſcientia ſine ulla limitatione aut reſtrictione, eoipſo reviviſcerent ac revalidarentur omnia illorum privilegia revocata aut annullata; quia nempe confirmatio ex certa ſcientia æquivalet clauſulæ derogotoriæ non obſtante &c. ùt cum Panormitano *in cap. fin. ut lit. pendent. n. 4.* notat Donatus *l. c. n. 10.* Quamobrem moderni SS. Pontifices id benè calentes ſolent hodie ſemper ſuas privilegiorum confirmationes ex certa ſcientia factas reſtringere ac limita-

re per ſequentes clauſulas: Dummodo ſint in uſu, & non ſint revocata, nec ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, neque contraria Concilii Tridentini decretis ac Pontificiis conſtitutionibus, quibus ſic ſtantibus, ea quæ ſic excepta ſunt privilegia reviviſcere non poſſunt. Quamvis autem confirmatio in forma ſpeciali vim habeat revalidandi actum ex ſe nullum ac irritum, & ſuppleat omnes defectus tam facti quàm Juris poſitivi ac humani, ſunt tamen caſus, in quibus illa nullam vim habet tribuendi valorem actui ſecundùm ſe irrito; ac primò quidem ſi defectus ſit indiſpenſabilis à confirmante, eo quòd opponatur Juri naturæ, divino, aut etiam gentium, tunc enim non revalidatur per ullam confirmationem ſub quibusvis terminis conceptam: ſimiliter ſi defectus ſe teneret ex parte ſubſtantialium. 2dò. ſi defectus ſit quidem diſpenſabilis à confirmante, talis autem, in quo diſpenſare vel nunquam vel non niſi cum maxima difficultate ſoleat: tunc enim, ut diſpensâſſe cenſeatur, requiritur, ut in confirmatione fiat ſpecialis mentio; ſicut enim in generali communicatione non veniunt ea, quæ vel nunquam vel nonniſi cum maxima difficultate conceduntur, ita nec in confirmatione veniunt ii defectus, qui vel nunquam vel nonniſi maxima cum difficultate diſpenſantur. 3tiò. ſi defectus ſit talis, qui ſine gravi præjudicio tertii ſuppleri non poteſt; tum quia æquitas naturalis dictat, nemini inferendum eſſe grave præjudicium, nec auferendum Jus tertio quæſitum. *arg. cap. Quamvis. 8. de reſcript. in 6to.* tum quia S. Pontifex nunquam præſumi poteſt velle Juri tertii derogare, ùt habetur *cap. ex parte. 3. de Offic. Jud. deleg.* cùm concordant DD. niſi in confirmatione expreſsè addatur: non obſtante Jure & præjudicio tertii, ùt notat Tuſchus *Litt. C. concl. 340. n. 13.* His ita præmiſſis videndum nunc, an & quomodo privilegia Canonicorum Regularium Congregationis tum Lateranenſis tum Bononienſis, tum etiam aliorum Regularium fuerint à SS. Pontificibus confirmata.

Dico 1mò. *Privilegia Ca-*
nonicorum Regularium 4
Congregationis Lateranen-
ſis fuerunt à SS. Pontifici-
bus ſub ampliſſimis ac for-
tiſſimis clauſulis motu pro-
prio, ex certa ſcientia, &
de plenitudine poteſtatis
confirmata.

Ad demonſtrandam hanc concluſionem, etſi quamplures poſſent adduci SS. Pontificum Bullæ, quia tamen horum omnium verba hìc referre nimis longum foret, omiſſis antiquioribus, ſolùm eos referemus, qui noſtra propiùs reſpiciunt ſæcula, incipiendo ab Eugenio IV. ac remittendo curioſum lectorem ad

Bul-

Bullarium Lateranenſe tum novum tum antiquum, è quo velut è fonte libare cætera poſſit. Inprimis igitur

Eugenius IV. in Bulla: *Dum ad ſacratiſſimam. Cal. Januar. Anno 1446.* motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis confirmat Canonicis Regularibus Congr. Lateran. omnes libertates, immunitates, exemptiones, dignitates, privilegia à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus ſuis dictæ Congregationi conceſſa, eáque iisdem concedit, donat & auctoritate Apoſtolica communit, ſtatuens, & per Salvatoris mundi miſericordiam, & per Apoſtolorum Petri & Pauli merita glorioſa, & ſub divini obteſtatione judicii obſecrans, ut nullus hominum eos inquietare, turbare vel impedire præſumat; quas Eugenii litteras aliáque in iis contenta privilegia rurſùs ex certa ſcientia confirmavit Nicolaus V. tum in Bulla: *cùm à nobis. Anno 1447.* tum in Bulla: *Ex proviſione. Calend. Januar. Anno 1450.*

Sixtus IV. in Bulla: *Regimini univerſalis Eccleſiæ. Cal. Maij Anno 1472.* motu proprio, non ad ipſius Congregationis Lateranenſis, vel alicujus illius Canonici aut alterius pro illis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera liberalitate, ex certa ſcientia & auctoritate Apoſtolica omnia & ſingula privilegia, immunitates, gratias, & indulta tam per Eugenium IV. quàm per alios Prædeceſſores noſtros dictæ Congregationi Lateranenſi, ejúsque Canonicis ac perſonis conceſſa approbat & confirmat, &, in quantum opus eſt, de novo concedit, reſtituit, & plenarié redintegrat; & in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Cal. Sept. Anno 1477.* edita idem Pontifex ſic infert: Nos, qui Congregationi hujusmodi, illiúsque Monaſteriis, Eccleſiis, locis, ac perſonis propter eorum laudabilem & religioſam vitam, ac multiplices & uberes fructus, quos in vinea Domini afferunt, ſingulari devotione afficimus, ipſos Canonicos & eorum Monaſteria, Eccleſias, atque loca etiam majoribus gratiis proſequi volentes, motu proprio, & non ad eorundem Canonicorum, vel alicujus pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & certa ſcientia, & de noſtræ plenitudine poteſtatis, quæcunque privilegia, gratias, & immunitates, libertates & exemptiones per Eugenium alióſqueSS. Pontifices Prædeceſſores noſtros, Romanòſque Imperatores, Reges, Principes, & alios Chriſti fideles eidem Congregationi, ejúſque membris, locis, Eccleſiis, Monaſteriis, & perſonis quomodolibet conceſſa, ac omnia & ſingula in eis contenta & quæcunque inde ſecuta, tenore præſentium confirmamus, approbamus, ac plenum robur, & omnimodam firmitatem perpetuis futuris temporibus obtinere, & inviolabiliter obſervari debere volumus & decernimus. Tandem hic ipſe Pontifex Anno 1483. confirmavi

iterum dictæ Congregationi ejúsque Canonicis omnes gratias & privilegia eisdem tam per Bullas, quàm per ſimplicem ſignaturam aut oraculo vivæ vocis à quibuscunque Pontificibus conceſſa.

6 Paulus III. conceſſa à Sixto IV. aliíſque SS. Pontificibus ampliſſima privilegia deinde iterum confirmavit in Bulla: *cùm aliàs 16. Auguſt. Anno 1539.* Cúmque poſtea à nonnullis nimiùm ſcrupuloſis, ùt ait hic Pontifex, dubitaretur, an præter Sixti IV. etiam aliorum Pontificum privilegia, conceſſiones, gratiæ & indulta fuerint confirmata, idem Paulus III. per aliam Bullam: *Dudum nos. 23. April. Anno 1541.* id teſtatum fecit ſequentibus verbis: „ Nos igitur, quorum intentionis „ fuit, prout etiam in dictis no- „ ſtris litteris apparet, etiam pri- „ vilegia, facultates, auctorita- „ tes, conceſſiones, gratias, & „ indulta aliorum Prædeceſſorum „ hujusmodi per dictas noſtras lit- „ teras approbare & confirmare, „ dubitationem prædictam, ne ex „ ea aliqua confúſio vel animorum „ veſtrorum perturbatio oriatur, „ claram facere, veſtrarúmque „ conſcientiarum ſerenitati proſpi- „ cere volentes, hujusmodi ſup- „ plicationibus inclinati, intentio- „ nis noſtræ fuiſſe per dictas noſtras „ litteras etiam privilegia, facul- „ tates, auctoritates, conceſſio- „ nes, gratias, & indulta aliorum „ Prædeceſſorum noſtrorum, quæ „ præfatus Sixtus Prædeceſſor in „ dictis ejus litteris, ùt præfertur, „ confirmavit, approbare & con- „ firmare fidem facimus & atteſta- „ mur per præſentes, & nihilomi- „ nus pro majori cautela, privile- „ gia, facultates, auctoritates, „ conceſſiones, gratias & indulta „ hujusmodi, quorum tenores hìc „ pro ſufficienter expreſſis haberi „ volumus, prout per dicti Sixti „ litteras approbata ſunt, appro- „ bamus & confirmamus & præſen- „ tis ſcripti patrocinio communi- „ mus &c. Non obſtantibus præ- „ miſſis ac conſtitutionibus & Or- „ dinationibus Apoſtolicis, privi- „ legiis quoque, indultis & litte- „ ris Apoſtolicis quibusvis etiam „ per nos conceſſis, quibus illo- „ rum tenorum, etiamſi pro illo- „ rum ſufficienti derogatione de „ eis eorúmque totis tenoribus ſpe- „ cialis, ſpecifica, & expreſſa, ac „ de verbo ad verbum mentio fo- „ ret habenda pro ſufficienter ex- „ preſſis, ac de verbo ad verbum „ inſertis habentes, hac vice dun- „ taxat, illis aliàs in ſuo robore „ permanſuris, ſpecialiter & ex- „ preſsè derogamus.

Julius III. quoque eorundem Canonicorum privilegia ſub ampliſſima forma confirmavit in Bulla: *Exponi nobis. 2do. Maij. Anno 1550.* in hæc verba: „ Nos igitur, qui etiam, „ dum in Minoribus eſſemus con- „ ſtituti, vos ſemper ob uberes fru- „ ctus, quos in Eccleſia Dei afferre „ non ceſſatis, ſpecialis amoris præ- 7

„ ro-

„ rogativa proſecuti fuimus, cupientes ſaluti veſtræ, & Monaſteriorum prædictorum directioni conſulere, omnia & ſingula privilegia, indulta, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, & prærogativas vobis & ſingulis veſtris Monaſteriis, Prioratibus, & Præpoſituris, ac Regularibus locis per Sixtum & alios Romanos Pontifices, nec non ritè & in augmentum ſtatûs & honoris ac libertatis Eccleſiaſticæ per Reges, Duces, Barones, Principes & Comites, ac alios Dominos temporales tam in genere, quàm in ſpecie conceſſa, ac etiam iteratis vicibus approbata & innovata, in quorum pacifica poſſeſſione vel quaſi exiſtitis, quorum omnium tenóres, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, dicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ex certa ſcientia approbamus & confirmamus, ac illis plenum & perpetuum firmitatis robur adjicimus, ſupplendo omnes & ſingulos Juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eisdem, eáque omnia ſuos plenarios effectus ſortiri, ac vobis in omnibus & per omnia ſuffragari debere decernimus &c. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non veſtris & Ordinis S. Auguſtini juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, ſub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clauſulis, & decretis quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteríſque contrariis quibuscunque.

Paulus V. eadem iterum privilegia prædictis Canonicis confirmavit Anno 1605. 8. Novembr. per ſequentem Bullam: „ Paterna noſtra erga Congregationem Lateranenſem Ordinis S. Auguſtini charitas, & ejusdem Congregationis Canonicorum viciſſim in Nos & Apoſtolicam ſedem devotio poſtulant, ut privilegia & indulta illis à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris & ſede prædictâ conceſſa, ut perpetuò firmiora & illibata ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter muniamus. Volentes igitur dilectos filios Celſum Mediolanenſem Rectorem generalem, & Canonicos dictæ Congregationis ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, omnia & ſingula privilegia, indulta, conceſſiones, immunitates, exemptiones, indulgentias etiam 8

„ plenarias & alias gratias tam ſpi-
„ rituales quàm temporales eidem
„ Congregationi ac ejus Generali
„ & aliis Rectoribus & Canonicis,
„ eorúmque Monaſteriis & domi-
„ bus ac Eccleſiis, Novitiis, Fra-
„ tribus & Converſis, Commiſſis,
„ Servitoribus, colonis & familia-
„ ribus per quoscunque Romanos
„ Pontifices Prædeceſſores noſtros
„ & noviſſimè per fel. re. Clemen-
„ tem VIII. & ſedem prædictam
„ quomodolibet conceſſa, confir-
„ mata, & approbata, ac pluries
„ innovata, nec non litteras Apo-
„ ſtolicas etiam in forma Brevis
„ ac omnia & ſingula in iis conten-
„ ta, quatenus licita & honeſta,
„ ac in uſu ſint, & non ſint revo-
„ cata, neque ſub aliquibus revo-
„ cationibus comprehenſas, ac SS.
„ Canonibus & Concilii Tridenti-
„ ni decretis non adverſentur, ac
„ debitæ Nobis & S. R. Eccleſiæ
„ obedientiæ & fidelitati non re-
„ pugnent, auctoritate Apoſtoli-
„ ca tenore præſentium perpetuò
„ confirmamus & approbamus, il-
„ liſque perpetuæ & inviolabilis
„ Apoſtolicæ firmitatis robur adji-
„ cimus, ac omnes & ſingulos tam
„ juris quàm facti defectus, ſi qui
„ in eisdem intervenerint, ſupple-
„ mus, ac ea omnia & ſingula per-
„ petuò valida, firma, & effica-
„ cia eſſe & fore, ac ſuos plena-
„ rios effectus ſortiri & obtinere,
„ & ab omnibus & ſingulis perpe-
„ tuò & inviolabiliter obſervari,
„ ſicque per quoscunque judicari
„ debere, ac irritum & inane,
„ quidquid ſecùs ſcienter vel igno-
„ ranter contigerit attentari de-
„ cernimus.

Gregorius XV. denique, ut 9
alios omittam, Anteceſſorum ſuo-
rum inſiſtens veſtigiis omnia rurſus
eisdem Canonicis confirmavit pri-
vilegia Anno 1622. die 23. Auguſt.
in Bulla, quam hìc per extenſum
ſubjicio: „ Injuncti nobis Apoſto-
„ lici muneris ratio poſtulat, ut SS.
„ Religionum gratos Domino fru-
„ ctus aſſiduè præſtantium pater-
„ nam curam gerentes privilegia,
„ gratias & indulta illis à Roma-
„ nis Pontificibus Prædeceſſoribus
„ noſtris conceſſa, quo validius
„ perpetuò ſubſiſtant, Apoſtolicæ
„ confirmationis robore libenter
„ comuniamus. Exponi ſiquidem
„ Nobis nuper fecit dilectus filius
„ Jacobus à Bononia, Procurator
„ generalis Canonicorum Regula-
„ rium Congregationis Lateranen-
„ ſis Ordinis S. Auguſtini, quòd
„ nonnulla Monachorum Congre-
„ gationis Caſſinenſis Ordinis S.
„ Benedicti, & alia diverſa privi-
„ legia, gratiæ & indulta à diverſis
„ Romanis Pontificibus Prædeceſ-
„ ſoribus noſtris, eidem Congrega-
„ gationi Lateranenſi tam per vi-
„ am communicationis, & exten-
„ ſionis, quàm aliàs conceſſa fue-
„ runt. Cùm autem, ſicut eadem
„ expoſitio ſubjungebat, Jacobus
„ prædictus plurimùm cupiat pri-
„ vilegia, gratias, & indulta hu-

jus-

jusmodi, pro eorum majori validitate & ſubſiſtentia, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri, & alia privilegia eidem Congregationi Caſſinenſi hucusque conceſſa, dictæ Congregationi Lateranenſi concedi: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Jacobum prædictum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula privilegia, gratias, & indulta prædicta per quoscunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros eidem Congregationi Lateranenſi tam per viam communicationis & extenſionis, quàm aliàs, ut præfertur, conceſſa dumodo tamen ſint in uſu & non ſint revcoata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa ſacrisque Canonibus & Concilii Tridentini decretis & Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ac noſtris Conſtitutionibus non adverſentur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac quatenus opus ſit, dictæ Congregationi Lateranenſi de novo concedimus. Præterea eidem Congregationi Lateranenſi, illiúsque Abbatibus, Superioribus, Canonicis, aliiſque perſonis, quòd omnibus & ſingulis aliis privilegiis, gratiis & indultis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus tam eidem Congregationi Caſſinenſi in hunc uſque diem, quàm Congregationi Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononienſis, illarúmque Abbatibus, Superioribus & perſonis quibuscunque etiam, ùt præfertur, aut aliàs quomodolibet per quoscunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros & etiam Nos conceſſis, ac quibus utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo ſimiliter ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, nec SS. Canonibus ac Concilii prædicti decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis repugnent, pari modo uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore præſentis etiam concedimus & indulgemus. Decernentes præſentes litteras perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere & fore, ac primò dictæ Congregationi; aliisque prædictis in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari: sicque per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit atten-

„ attentari. Non obſtante noſtra
„ de gratiis ad inſtar non conce-
„ dendis aliiſque Conſtitutionibus
„ Apoſtolicis, ac quatenus opus
„ ſit Ordinis & Congregationis
„ hujuſmodi, etiam juramento,
„ confirmatione Apoſtolica vel
„ quavis alia firmitate roboratis.
„ &c. &c. „

10 Dico 2dò. *Privilegia Canonicorum Regularium Congregationis S. Salvatoris Bononienſis fuerunt quoque à pluribus SS. Pontificibus ſub ampliſſimis ac fortiſſimis clauſulis, motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis confirmata.*

Concluſio hæc plurimis pariter poſſet probari SS. Pontificum Bullis, quibus hujus Congregationis privilegia ſub ampliſſima forma confirmantur, ex iis tamen brevitatis ſtudio nonniſi ſequentes, quæ ad rem maximè faciunt, ſeligere placuit. Inprimis itaque

Julius II. qui plura ac maxima huic Congregationi conceſſit privilegia, eidem etiam prius ab Anteceſſoribus ſuis jam collata firmiſſimè confirmavit in Bulla: *Inter cæteras. 4. Non. April. Anno 1512.* ſequentibus verbis: „ Sanè cùm ſi-
„ cut accepimus, aliàs plura, im-
„ munitates & diverſa privilegia,
„ gratiæ, favores, & indulta, ſpi-
„ ritualia & temporalia per diver-
„ ſos Romanos Pontifices Præde-
„ ceſſores noſtros præfatæ Con-
„ gregationi, illiúſque Monaſteri-
„ is, locis, perſonis, bonis & re-
„ bus conceſſa fuerint, Nos cupi-
„ entes, ut dilectus filius moder-
„ nus & pro tempore exiſtens Pri-
„ or generalis dictæ Congregatio-
„ nis & Canonici præfati, & eo-
„ rum curæ commiſſi, eò potiùs
„ poſſint Domino in ejus benepla-
„ citis famulari, quo cognoverint
„ hujuſmodi privilegia & immu-
„ nitates pro illorum ſubſiſtentia
„ firmiori, etiam noſtræ approba-
„ tionis robore communiri, ac e-
„ tiam Prioris Generalis & Cano-
„ nicorum ac Congregationis hu-
„ juſmodi commoditatibus, & aug-
„ mento, ſtatuíque proſpero & fe-
„ lici, quantum cum Deo poſſu-
„ mus adjuvante, ſalubriter con-
„ ſulere, omnia & ſingula Mona-
„ ſteria tam dictæ Congregationi
„ quam beneficia Monaſteriis di-
„ ctæ Congregationis unita: anne-
„ xa, incorporata, & poſſeſsa, ac
„ quæcunque alia & ſingula pri-
„ vilegia, gratias, favores, im-
„ munitates, exemptiones, & in-
„ dulta tam ſpiritualia, quàm tem-
„ poralia eidem Congregationi ac
„ illius Monaſteriis, locis & per-
„ ſonis ſub quibuſcunque tenori-
„ bus & per quoſcunque Roma-
„ nos Pontifices, Imperatores,

Re-

„ Reges, Principes, & quoscunq; „ alios Chriſti fideles conceſſa, illorúmque omnium tenores ac „ ſi de verbo ad verbum præſentibus infererentur, eisdem præſentibus pro expreſſis habentes, „ motu proprio, non ad Prioris „ Generalis & Canonicorum prædictorum, vel alicujus alteriuspro „ eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra „ mera liberalitate & deliberatione, certàque ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, „ litteras omnes, ac omnia & ſingula alia privilegia, gratias, favores, immunitates, exemptiones & indulta hujusmodi auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & innovamus, „ ac perpetuæ firmitatis robur „ obtinere atque omnia & ſingula „ inviolabiliter obſervari decernimus. „ Huic conformiter approbationi ac ampliſſimæ confirmationi.

11 Paulus III. deinde eadem iterum privilegia prædictæ Congregationi confirmavit *Anno 1548. die 18. Julii.* per hanc, quam ſubjicio, Bullam: „ Paſtoralis officii cura „ nobis, meritis licèt imparibus, „ ex alto commiſſa, Nos excitat „ & inducit, ut circa ſtatum perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim ſub ſuavi „ Religionis jugo ſtudio piæ vitæ „ vacantium ſalubriter dirigendum, operoſis ſtudiis jugiter „ intendamus, ac iis, quæ propterea proceſſiſſe dicuntur, ut firmiora perſiſtant, cùm à nobis „ petitur, Apoſtolici muniminis „ præſidium impartiamur, aliaque „ deſuper diſponamus, prout locorum ac temporum qualitate „ penſata in Domino conſpicimus „ ſalubriter expedire. Sanè dilectus filius noſter Marcellus tit. S. „ Marcelli Presbyter Cardinalis de „ Creſcentiis nuncupatus nobis nuper expoſuit, quòd licèt felic. „ recor. Gregorius XII. Martinus „ V. Eugenius IV. Calixtus III. „ Pius II. Paulus etiam II. Sixtus „ IV. Innocentius VIII. Alexander VI. & Julius ſimiliter II ac „ diverſi alii Romani Pontifices „ Prædeceſſores noſtri diverſa „ privilegia, gratias, facultates, „ immunitates, & indulta ſpiritualia & temporalia Congregationi S. Salvatoris Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium, eorúmque Monaſteriis, & „ aliis regularibus locis ac perſonis per diverſas eorum litteras „ conceſſerint, nihilominus à paucis annis nonnullæ perſonæ eandem Congregationem perturbare præſumpſerunt. Unde idem „ Marcellus Cardinalis, qui etiam „ eorumdem Congregationis apud „ Nos protector exiſtit, nobis humiliter ſupplicavit, ut omnibus „ & ſingulis privilegiis, gratiis, „ facultatibus, immunitatibus & „ indultis eisdem Congregationi „ ac eorum Monaſteriis & aliis re-

„ gularibus locis, nec non bonis „ & perſonis tam Apoſtolica quàm „ ordinaria auctoritate conceſſis, „ uſu receptis, & conſuetudine „ legitimè præſcripta acquiſitis, ut „ uberiorem roboris firmitatem „ obtineant, noſtrarum approba- „ tionis & confirmationis robur „ adjicere de benignitate Apoſto- „ lica dignaremur. Nos igitur hu- „ jusmodi ſupplicationibus inclina- „ ti omnia & ſingula privilegia, „ gratias, & facultates, immuni- „ tates & indulta eisdem Congre- „ gationi ac eorum Monaſteriis & „ aliis regularibus locis, nec non „ bonis & perſonis tam Apoſtolica „ quàm ordinariâ auctoritate con- „ ceſſa, uſu recepta, & conſue- „ tudine legitimè præſcriptâ acqui- „ ſita, quorum omnium tenores, „ ac ſi de verbo ad verbum, nihil „ penitus omiſſo, inſerti forent, „ Apoſtolicâ auctoritate tenore „ præſentium, ex certa ſcientia ap- „ probamus, & confirmamus, „ ac illis perpetuæ firmitatis robur „ adjicimus, omnésque & ſingu- „ los juris & facti defectus ſup- „ plentes ea omnia inviolabiliter „ obſervari decernimus. „

12 Julius III. Pauli III. Succeſſor in Bulla: *Cùm à nobis. 10. Cal. Nov. Anno 1551* poſtquam privilegia ab Anteceſſoribus ſuis Innocentio VIII. Alexandro VI. ac Julio II. huic Congregationi collata recenſuiſſet, eadem iterum approbat ac innovat ſequentibus verbis: „ Nos igitur „ veſtris in hac parte ſupplicatio- „ nibus inclinati, præmiſſa omnia „ & ſingula, ſicut per Innocenti- „ um & Alexandrum ac Julium „ Prædeceſſores præfatos indulta „ & decreta fuerunt & in uſu exi- „ ſtunt rata & grata habentes, illa „ nec non omnes libertates & im- „ munitates ab eisdem Innocentio „ & Alexandro ac Julio, nec non „ Paulo III. & aliis Romanis Pon- „ tificibus etiam Prædeceſſoribus „ noſtris, ſive per privilegia & a- „ lia vobis indulta comuniter con- „ ceſſa, omnésque immunitates, „ & exemptiones ſæcularium exa- „ ctionum ab Imperatoribus, Regi- „ bus, Ducibus, Principibus ac „ aliis Chriſtianis fidelibus vobis „ rationabiliter indultas, ſicut ea „ omnia & ſingula juſtè & pacifi- „ cè poſſidetis, vobis auctoritate A- „ poſtolicâ confirmamus, & præſen- „ tis ſcripti patrocinio comunimus.

13 Pius IV. poſtmodum Anteceſſorum ſuorum veſtigiis inhærens omnia rurſus eorumdem privilegia huic Congregationi conceſſa *Anno 1562. die 4. April.* ampliſſimè confirmavit ſequenti Bulla: „ Paſtoralis officii „ cura nobis, meritis licèt impari- „ bus, ex alto commiſſa nos exci- „ tat & inducit, ut circa ſtatum „ perſonarum Eccleſiaſticarum qua- „ rumlibet, præſertim ſub ſuavi „ Religionis jugo ſtudio piæ vitæ „ vacantium ſalubriter dirigendum „ operoſis ſtudiis jugiter intenda- „ mus, ac iis, quæ propterea præ-

ceſ-

,, ceſſiſſe dicuntur, ut firmiora per-
,, ſiſtant, cùm à nobis petitur, A-
,, poſtolici muniminis præſidium
,, impartiamur, aliàque deſuper di-
,, ſponamus, prout locorum &
,, temporum qualitate penſata in
,, Domino conſpicimus ſalubriter
,, expedire. Sanè dilectus filius
,, Jacobus Ferrarienſis Canonico-
,, rum Regularium Ord. S. Auguſt.
,, Congregationis D. Salvatoris
,, Prior generalis nobis nuper ex-
,, poſuit, quòd fel. recor. Innocen-
,, tius II. Eugenius III. Anaſtaſius
,, IV. Lucius II. Alexander III.
,, Lucius, Urbanus & Honorius
,, ſimiliter III. Gregorius IX. Gre-
,, gorius XII. Martinus V. Euge-
,, nius IV. Calixtus III. Pius II.
,, Paulus & ipſe II. Sixtus IV. In-
,, nocentius VIII. Alexander VI.
,, Julius II. Clemens VII. Paulus
,, III. Julius etiam III. ac diverſi
,, alii Romani Pontifices Prædeceſ-
,, ſores noſtri diverſa privilegia, gra-
,, tias, facultates, immunitates,
,, & indulta, tam ſpiritualia tum
,, temporalia, tam Congregationi
,, Canonicorum prædictorum, quàm
,, eorum Monaſteriis & aliis regulari-
,, bus locis ac perſonis per diverſas
,, eorum litteras conceſſerunt ac in-
,, dulſerunt. Quare idem Jacobus
,, Prior generalis nobis humiliter
,, ſupplicavit, ut omnibus & ſin-
,, gulis privilegiis, gratiis & facul-
,, tatibus, immunitatibus & indul-
,, tis eidem Congregationi & Ca-
,, nonicis ac eorum Monaſteriis, &
,, aliis regularibus locis, nec non
,, bonis & perſonis tam Apoſtolica
,, quàm ordinaria auctoritate, ut
,, ſupra, conceſſis & indultis, at-
,, que uſu receptis, & conſuetu-
,, dine legitimè præſcripta acqui-
,, ſitis, ut uberiorem roboris fir-
,, mitatem obtineant, noſtrarum
,, approbationis & confirmationis
,, robur adjicere de benignitate
,, Apoſtolica dignaremur. Nos igi-
,, tur hujuſmodi ſupplicationibus
,, inclinati, quæcunque privilegia,
,, gratias, facultates, immunita-
,, tes & indulta eidem Congrega-
,, tioni & Canonicis, ac eorum Mo-
,, naſteriis & aliis regularibus locis,
,, nec non bonis & perſonis tam
,, Apoſtolica quàm ordinaria au-
,, ctoritate conceſſa & indulta at-
,, que uſu recepta & conſuetudi-
,, ne legitimè præſcriptâ acquiſita,
,, quorum privilegiorum omnium
,, tenores, ac ſi de verbo ad ver-
,, bum, nihil penitùs omiſſo, in-
,, ſerti forent, præſentibus haberi
,, volumus pro expreſſis, Apoſto-
,, licâ auctoritate tenore præſenti-
,, um ex certa ſcientia approba-
,, mus & confirmamus, ac illis
,, perpetuæ firmitatis robur adjici-
,, mus, omnéſque & ſingulos ju-
,, ris & facti defectus, ſi qui for-
,, ſan intervenerint, ſupplemus
,, eaque omnia inviolabiliter obſer-
,, vari & Congregationi ac Cano-
,, nicis præfatis ſuffragari, ſicque in
,, præmiſſis omnibus & ſingulis
,, per quoſcunque Ordinarios &
,, alios Judices judicari & definiri
,, debere, nec non quidquid ſe-

„ cùs ſuper his à quoquam quavis „ auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum „ & inane decernimus. Non obſtantibus &c. „

14 Sixtus V. pariter quævis hujus Congregationis privilegia confirmavit *Anno 1587. die 18. Martii* in hæc verba: „ Romanus Pontifex „ Religioſis Altiſſimo famulantibus „ gratias & privilegia à ſede Apoſtolicâ conceſſa, ut firmiora permaneant, quo ſæpiùs Apoſtolico „ munimine roborantur, interdum „ confirmare conſuevit, prout eorumdem Religioſorum vota expoſcunt, & ipſe conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sanè „ dilectus filius Hieronymus tituli S. Petri ad vincula Cardinalis „ de Ruere nuncupat. Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Congregationis S. Salvatoris Vice-Protector tam ſuo, „ quam de Congregationis nomine Nobis nuper expoſuit, quòd „ cùm aliàs, tam eidem Congregationi, illiúsque Canonicis, quàm „ eorum Monaſteriis, domibus & „ aliis regularibus locis per diverſos Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros quam plura privilegia, gratias, facultates, immunitates, & indulta tam ſpiritualia quàm temporalia conceſſa, „ illàque etiam per eoſdem Prædeceſſores noſtros ſæpiùs confirmata, & innovata fuerint, prout „ in diverſis eorumdem Prædeceſſorum litteris deſuper confectis „ pleniùs continetur, cupiunt dilecti Filii D. Joannes Jacobus Rubeus Bononienſis modernus Prior „ generalis dictæ Congregationis & „ Canonici præfati privilegia, gratias, & indulta hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori & per „ Nos confirmari & approbari. „ Quare idem Hieronymus Cardinalis Nobis humiliter ſupplicavit, „ quatenus Prioris & Canonicorum „ prædictorum deſiderio annuere, „ aliáſque in præmiſſis opportunè „ providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur „ privilegiorum, gratiarum, & indultorum, ac litterarum deſuper confectarum hujuſmodi tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula „ privilegia, prærogativas, conceſſiones, facultates & exemptiones, „ libertates, immunitates, indulta, indulgentias, cæteràſque gratias ſpirituales & temporales eidem Congregationi, ac omnibus „ & ſingulis illius tam Virorum „ quàm Mulierum Monaſteriis, domibus, & aliis regularibus locis, „ nec non illorum Superioribus, Officialibus, & perſonis tam in genere, quàm in ſpecie ac aliàs quomodolibet, & quomodocunque „ per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros conceſſa, nec non deſuper confectas „ litteras, & ſcripturas quaſcunque, quatenus ſint in uſu, & decre-

„ cretis Concilii Tridentini non adverſentur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerunt, in iiſdem omninò ſupplemus, atque ea omnia dictæ Congregationi, Monaſteriis, domibus, & regularibus locis, illorúmque Superioribus, Officialibus & perſonis quibuſcunque perpetuò ſuffragari, ſicque & non aliter per quoſcunque ordinarios ac alios Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes & S. R. E. Cardinales ac cauſarum Palatii Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, nec non quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus quibusvis Apoſtolicis ac provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, nec non Congregationis & Ordinis prædictorum & juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis irritantibúſque & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis „

Dico 3tiò. *Privilegia cæterorum quoque Regularium fuerunt ex certa ſcientia, aliiſque fortioribus clauſulis à SS. Pontificibus confirmata.* 15

Ita certa ac indubitata ſententia, quemadmodum demonſtrant Emanuel Rodriquez *to. 1. QQ. RR. & in collect. privileg.* Miranda *in Manuali Prælator.* Tamburinus *to. 1. de Jur. Abbat.* Novarr. *in Lucer. Regul.* Confett. *de privil. Ord. Mend. & non Mendic.* Lezana *in ſum. QQ. RR.* Quaranta *in ſum. Bullar.* Alphonſ. de Caſſarubios & Hieronymus à Sorbo *in Compend. privil FF. Minorum.* Paſſarellus & de Peyrin. *in privil. Minimor.* Peregrinus *in compend. privil. Theat.* Auguſtinus à Virgine Maria *in privil. Ord. Relig.* Joan. Bapt. Pittonus *in Conſtit. Pontif. pro Regular.* ex quibus aliquas privilegiorum confirmationes pro ſingulis Ordinibus ſupra relatis hic referre pla-

Digitized by Google

cet. Et quidē privilegia Caſſinenſium fuerunt ex certa ſcientia confirmata à Paulo III in Bulla: *Benignitas.* *Anno 1537.* Præmonſtratenſium à Gregorio XIII. in Bulla: *Romanus Pontifex. 25. Septemb. Anno 1572.* & à Clemente VIII. in Bulla, quæ pariter incipit: *Romanus Pontifex. 20. Septemb. Anno 159*. Camaldulenſium à Gregorio XIV. in Bulla: *Ex injuncto nobis. 24. Septemb. Anno 1591.* Vallisumbroſanorum à Julio II. in Bulla: *Militantis Eccleſia. Idibus Julii. Anno 1507.* Ciſtercienſium à Gregorio XIII. in Bulla: *Superna diſpoſitione pridie Idus Junii. Anno 1574.* & à Sixto V. in Bulla: *Romanus Pontifex. 16. Calend. Junii Anno 1586.* Cœleſtinorum à Paulo V. in Bulla: *Injuncti. 29. April. Anno 1606.* Olivetanorum à Pio II. in Bulla: *Licèt ex debito. Anno 1462.* à Julio II. in Bulla: *Etſi ad univerſos. prid. Non. Junii Anno 1507.* & à Clemente VIII. in Bulla: *Romanus. Anno 1592.* Carthuſianorum à Sixto V. in Bulla: *pro noſtra propenſa. 3. Novembr. Anno 1588.* quorum omnium Ordinum ac Congregationum tam Canonicorum Regularium, quàm Monachorum privilegia in univerſum confirmata fuerunt à Pio V. in Bulla: *ex ſuperna diſpoſitionis. Cal. Septemb. Anno 1567.* tùm etiam à Clemente VIII. in Bulla: *cum ſuperiore. 5. Maij. Anno 1595.* tum à Paulo V. in Bulla: *Nuper 1. Maji. Anno 1620.* Ordinum verò Mendicantium privilegia univerſim ſimul fuêre confirmata à dicto S. Pio V. in Bulla: *Etſi Mendicantium 17. Cal. Junii Anno 1567.* In particulari verò fuerunt Prædicatorum privilegia præter aliàs ſæpiùs ampliſſimè confirmata à Clemente VIII. in Bulla: *Injuncti nobis. 5. Octobr. Anno 1604.* Minorum à Sixto V. in Bulla: *Etſi Mendicantium. 3. Octobr. Anno 1587.* & à Clemente VIII. in Bulla: *Ratio Paſtoralis. 20. Decembr. Anno 1597.* Eremitarum S. Auguſtini à Leone X. in Bulla: *In rerum Chriſtianarum. 10. Junii Anno 1513.* & à Clemente VII. in Bulla: *Romanus Pontifex. Anno 1530.* Carmelitarum à Gregorio XIII. in Bulla: *ut laudes. Anno 1577.* Servitarum à Julio III. in Bulla: *exponi. 10. April. Anno 1551.* Minimorum à pluribus SS. Pontificibus præſertim ab Urbano VIII. in Bulla: *Injuncti nobis. 28. Junii. Anno 1624.* Clericorum Regularium privilegia fuêre pariter à SS. Pontificibus ſæpiùs ex certa ſcientia confirmata: & quidem Theatinorum à S. Pio V. in Bulla: *Ad immarceſſibilem. 7. Februar. Anno 1567.* & à Gregorio XIV. *5. April. Anno 1591.* ac denique à Paulo V. *die 4. April. Anno 1612.* Barnabitarum à Paulo V. in Bulla: *Paſtoralis. 21. Januar. Anno 1606.* Jeſuitarum à Gregorio XIII. in Bulla: *Quanto fructuoſius. 1. Febr. Anno 1583.* à Gregorio XIV. in Bulla: *Eccleſia. 28. Junii Anno 1591.* & à Paulo V. in Bulla: *Quantum 4. Sept. Anno 1606.* Clericorum Regularium S. Majoli, aliàs de Somaſcha à Clemente VIII. in Bulla: *decet ex benignitate. 6. Cal. Maij Anno 1593.* Miniſtrantium infirmis à Gregorio XIV. in

in Bulla: *Illius, qui. 11. Cal. Octobr. Anno 1591.* & à Clemente VIII. in Bulla: *Superna diſpoſitione. Cal. Januar. Anno 1604.* Clericorum Regularium pauperum Matris Dei ſcholarum piarum à Gregorio XV. in Bulla: *ad uberes. 15. Octobr. Anno 1622.* Ex quibus omnibus ſatis ſuperque conſtat, privilegia Regularium tam Canonicorum & Monachorum, quàm Mendicantium & Clericorum Regularium in ampliſſima forma à SS. Pontificibus fuiſſe confirmata.

16 Verùm ex hucusque dictis ſuboritur nova quæſtio: an confirmatis ex certa ſcientia unius Ordinis privilegiis, cenſeantur pariter confirmata aliorum Ordinum privilegia, qui cum priore illo in privilegiis communicant? ut ſi v. g. confirmarentur modò à S. Pontifice Congregationis Caſſinenſis privilegia, an eo ipſo per hoc confirmari cenſeantur privilegia Canonicorum Lateranenſium, qui cum illa in privilegiis tam conceſſis quàm concedendis ampliſſimè communicant? ℞. affirmativè; quia confirmatio ex certa ſcientia vel aliis æquipollentibus terminis facta æquivalet novæ conceſſioni, imò dicitur nova gratia, novúmque privilegium: ſed per communicationem privilegiorum Caſſinenſium Canonicis Regularibus factam fuerunt omnia & quæcunque privilegia etiam in futurum quomodocunque illis concedenda hisce communicata: ergo etiam confirmatio privilegiorum Caſſinenſibus facta, cenſeri debet Canonicis quoque Regularibus facta & communicata, cùm & hæc ſit aliquod privilegium. Atque ita reipſa ſentiunt Rodriquez *to. 1. QQ. RR. quæſt. 8. art. 2.* Miranda *to. 2. quæſt. 42. art. 5. concluſ. 2.* Portel. *de dub. Regul. V. privileg. confirmatio.* Laur. de Peyriñ. *to. 1. Conſtit. 4. Julii II. n. 12.* Tamburin. *to. 1. D. 18. quæſt. 4.* Donatus *to. 1. tr. 11. quæſt. 9.* Suarez *de leg. L. 8. cap. 19. n. 10.* qui id etiam extendit ad caſum, quo confirmatio facta eſt in forma communi, cùm & talis confirmatio ſit gratia, favor, ac privilegium propriè dictum. Unde confirmatis unius Ordinis privilegiis, cenſentur etiam cæterorum Ordinum privilegia pariter eſſe confirmata, qui cum priore illo perfectam habent privilegiorum comunicationem, modò hæc communicatio ſe extendat ad privilegia non tantùm conceſſa, ſed etiam concedenda; nam ſi hæc ad conceſſa tantùm privilegia eſſet reſtricta, tunc enimverò confirmatis licèt unius Religionis aut Congregationis privilegiis, non cenſerentur confirmata alterius Religionis aut Congregationis privilegia; Ratio eſt, quia concedens alicui alterius privilegia tantùm conceſſa, intentionem ſuam ſolummodo dirigit ad præterita & conceſſa, non autem ad ea, quæ primùm in futurum erunt concedenda: ergo ſicut communicatio privilegiorum in tali caſu non extenditur ad privilegia concedenda, ita nec ad confirmationem poſtmodùm impertiendam; pri-

privilegium enim ad inſtar alterius conceſſum, per ſe loquendo & niſi aliud exprimatur, non reſpicit ſtatum venturum, nec refertur ad futurum privilegium, ſed ad illud tantùm, quòd præceſſerat, & erat exemplar: ac proinde de præteritis ſolùm eſt intelligendum, niſi tamen ex verbis colligi poſſit, quòd illud etiam privilegia futura & concedenda comprehendat, nam tunc procul dubio ad futurá etiá privilegiorũ confirmationẽ erit extendenda. Ubi tamen advertendũ eſt, quòd etſi in tali caſu confirmatis unius Ordinis privilegiis cenſeantur etiam confirmata aliorum Ordinum privilegia, qui cum illo plenè communicant, id tamen de iis tantum privilegiis accipiendum eſt, quæ religioſis his Ordinibus ſunt communia, non autem de illis, quæ alicui Ordini ſunt propria & ſpecialiter ac in particulari conceſſa; nam confirmatis etiam ex certa ſcientia, propriis ac particularibus alicujus Ordinis privilegiis non intelliguntur confirmata propria & particularia aliorum Ordinum privilegia; quia ſicut in generali communicatione privilegiorum non veniunt particularia, ùt ſupra pluribus explicavimus, ita nec in generali confirmatione veniunt privilegia propria & particularia: tum etiam, quia privilegiorum confirmatio non ſe extendit ad non intenta nec expreſſa per S. Pontificem: ſed hic non intendit privilegia particularia confirmare; cùm ea præſumatur ignorare: ergò ad ea ſe non extendit Confirmatio.

Sectio II.

De extenſione privilegiorum.

17 Privilegiorum extenſio fit, quando Princeps vel S. Pontifex privilegium pro certis perſonis, locis, aut caſibus per verba clarè expreſſa conceſſum ad ſimiles caſus, loca, vel perſonas porrigit aut extendit. Ex tribus potiſſimùm capitibus hæc fieri ſolet: 1mò. Ex diſpoſitione juris: 2dò. Propter vocis ſignificationem: 3tiò. Propter materiæ, perſonæ, aut cauſæ connexionem. Ex diſpoſitione juris extenduntur privilegia, quando ita jure ſtatutum habetur: ſic privilegia viri in favorem matrimonii extenduntur ad uxorem, in quantum eſt capax *L. Jamina ff. de Senator. L. fin. Cod. de Incol.* & *L. mulieres. eodem de dignit.* idque latè probant Ant. de Buttrio *in cap. fin. de conſuet.* Rebuffus *in L. 1. ff. de V. S.* & Aloyſius Riccius *Collect. 1109.* Sic ex ejuſdem juris diſpoſitione privilegia conceſſa nuptis & nubentibus extenduntur ad Virgines & Chriſto nuptas, ùt notant Gloſſ. Baldus *in L. Imperialis C.*

de

de nupt. & alii. *per cap. 3.& 4. de translat.* & *Authent. niſi rogati C. ad Trebell.* Unde benè inferunt Canoniſtæ, quod legatum relictum puellæ, ſi nubat, ei debetur, ſi Monaſterium pro ſervanda virginitate ingrediatur. Propter ſignificationem vocis extenduntur privilegia, quando ea, quæ alicui conceſſa ſunt ſub certo & expreſſo nomine, trahuntur ad omnes perſonas, quæ aliquo modo & analogicè comprehenduntur ſub tali nomine ſive ex ipſa ſignificatione vocis ſive ex communi uſu loquendi, aut ex diſpoſitione juris. Sic privilegia conceſſa filiis extenduntur ad nepotes, privilegia militum ad Clericos & Doctores, Clericorum ad Regulares. Propter connexionem materiæ, perſonæ vel cauſæ extenduntur privilegia, quando privilegiatus non poteſt uti ſuo jure ac privilegio, niſi facta extenſione illius ad alias quasdam perſonas, quibus tamen non eſt conceſſum privilegium, non enim eſt inconveniens, ut quis ex perſona alterius conſequatur, quod non habet ex ſua, ùt notat Gloſſ. in *cap. Ex litteris. 7. de jure patronat.* & ſic privilegium conceſſum Sacerdoti ad celebrandam Miſſam tempore interdicti extenditur etiam ad Miniſtrum ſervientem: aliàs inutile foret celebrandi privilegium, ùt notat Gloſſ. *in cap. Licèt vobis. 11. de privil. in 6. V. non debent.* Navarrus *in Sum. cap. 27. n. 180* & alii communiter. Sic etiam privilegium Sacerdoti conceſſum ad recitandum Breviarium brevius, quàm ſit chorale, aut ad illud perſolvendum in tempore non ſuo extenditur quoque ad ſocium adjuvantem: ùt docet Henriquez *L. 7. de Indulgent. cap. 30. n 4.* Portellus *in dub. Regul. V. Horæ Canonicæ n. 5.* Diana *part. 2. tr. de Hor. Canon Reſol. 35.* Sic etiam licentia Religioſo data ad ingrediendum Monaſterium Monialium extenditur ad ſocium, etſi non exprimatur. *arg. cap. Licet vobis 11. de privil. in 6.* & *cap. Auctoritate 4. eodem titulo*, ùt docet Rodriquez *QQ. RR. to. 3. Q. 6. de Monial. art. 2.* Miranda *de Monial. q. 2. art. 17.* Sanchez *in Sum. to. 2. L. 6. cap. 16. n. 46.* & alii quos citat & ſequitur Diana *part. 3. tr. 2. de dub. regular. Reſol. 51.* Cæterùm extenſio privilegiorum ſolummodò locum habet in favorabilibus non autem in odioſis, quæ ex R. J. 15. in 6. potiùs reſtringenda ſunt, quàm extendenda; ſicut enim in communicatione privilegiorum non veniunt odioſa, ſed tantùm favorabilia, ita & in extenſione. His poſitis ac præmiſſis dubium non unum hac in materia remanet hìc diſcutiendum: ac primò quidem, an privilegia perſonæ cuipiam aut loco conceſſa extendi poſſint ad alias perſonas in illis nec formaliter nec virtualiter comprehenſa? 2dò. Anne tunc ſaltem illa extendi poſſint ad caſus, loca, & perſonas in privilegio non expreſſas, quando pro his ſimilis aut etiam major & efficacior ſtat ratio? 3tiò. An privilegia Religioni aut Religioſis conceſſa extendantur

tur ad Prælatos ? 4tò. An privilegia conceſſa Canonicis aliiſque Regularibus extendantur ad Canoniſſas , aliáſque Moniales ? 5tò. An privilegia conceſſa Profeſſis extendantur ad Novitios ? 6tò. An ea etiam extendantur ad Converſos & Commiſſos? 7mò. denique an privilegia Profeſſis conceſſa extendantur ad eorum Oblatos, & Donatos?

18 Dico 1mò. *Privilegia cuipiam perſonæ aut loco determinatè conceſſa non extenduntur ad alias perſonas & loca in privilegio nec formaliter nec virtualiter expreſſa.*

Sumitur *ex cap. Sanè. 9. de privil.* & *Clement. Cùm ſit. 1. de Cenſib. & Exact.* quibus Authores concordant tam Theologi quàm Juriſtæ. Et probatur: ad eas tantùm perſonas & loca extenduntur privilegia, ad quas extenditur voluntas & intentio concedentis; nam tota virtus & efficacia privilegii pendet à voluntate & intentione concedentis: ſed voluntas & intentio concedentis non extenditur ad perſonas & loca in privilegio nec formaliter, nec virtualiter expreſſa; hæc enim aliter nobis non poteſt innoteſcere, quàm per verba privilegio inſerta, iſta verò perſonas alias ac loca nec virtualiter nec formaliter exprimunt, ùt ponitur: ergò ad eas non extenditur intentio. Unde tritum illud: privilegia tantùm valent, quantum ſonant, & quod alicui gratioſè conceditur, ab aliis trahi non debet in exemplum ait Reg. Juris. 74. in 6tò.; non enim quod uni ſigillatim conceditur, ſtatim omnibus convenit, ùt dicitur *Can. Hinc eſt. 39. cauſ. 18. Q. 1.* ubi Gloſſa V. *ſigillatim.* ait: quòd privilegium conceſſum uni non extendatur ad alios, & privilegia ſingulorum non poſſint communem legem facere. Deinde privilegium eſt Jus ſingulare *L. 16. ff. de Leg.* ſequitúrque perſonam privilegiatam, & cum ea vivit ac extinquitur, ùt habet Reg. Jur. 7. in *6.* ſed Jus ſingulare non tranſit ab una perſona ad aliam juxta *Reg. Jur. 68. ff. de Reg. Jur.* ergò neque privilegium.

Dices: Privilegium datum alicui ad celebrandum tempore interdicti extenditur ad Miniſtrantem: & privilegium audiendi Miſſam tempore interdicti conceſſum Domino extenditur ad famulos arg. *cap. Licet. 11. de privileg.*: privilegium ingrediendi Monaſteria Monialium conceſſum Principi extenditur ad perſonas comitantes: Nobilitas patris extenditur ad filios, & viri ad uxorem *per L. fœmina. 8. de Senator.* & *L. ſi ut propoſitis. 1. Cod. de dignit.* atqui Miniſtrans nec formaliter nec virtualiter exprimitur ſub nomine Sacerdotis, nec ſervus ſub nomine domini, nec perſonæ comitantes ſub nomine Principis, nec filius ſub nomine patris, nec uxor ſub nomine viri aut mariti: ergò privilegi- 19

um

um extendi poteſt ad perſonas nec formaliter nec virtualiter expreſſas in privilegio. ℞. Conc. maj. neg. min. Omnes enim perſonæ hactenus relatæ exprimuntur ſaltem virtualiter, & ob hanc ipſam continentiam virtualem ac connexionem quam habent inter ſe, comprehenduntur in privilegio, ne fortè conceſſum beneficium fruſtratorium fiat & inane. Cùm enim S. Pontifex concedit, ut tempore interdicti liceat celebrare, intendit & Jure præſumitur habilitare Sacerdotem ad celebrandum, ùt Juris & moris eſt ſcilicet cum ſolito ac debito miniſtro; & cùm concedit illuſtri cuipiam perſonæ, ut tempore interdicti Miſſam audire poſſit, præſumitur id concedere juxta ſtatum & perſonæ illius qualitatem, ſcilicet cum honeſto & conveniente comitatu famulorum. Idem eſt, cùm Principibus permittit licentiam ingrediendi Monaſteria Monialium, intelligitur enim etiam cum debita & decenti comitiva tum procerum, tum aliorum. Nobilitas patris ad filios & mariti ad uxorem non tam extenditur ex privilegio, quàm ex diſpoſitione legum ſupra relatarum, in quibus expreſsé ſtatuitur, quòd nobilitas patris transeat ad filios, & mariti ad uxorem.

20 Dico 2dò. *Privilegia perſonæ cuipiam vel loco determinatè conceſſa nequidem tunc extenduntur ad alias perſonas, loca & caſus in privilegio non expreſſos, quando ſimilis vel etiam major & efficacior pro his ſtat ratio.*

Ita rurſus communis DD. contra Sanchez, Saà, & alios. Probatur hæc concluſio eadem ratione qua prior; quia nempe tota virtus & efficacia privilegii non ex ratione aut paritate rationis dimetienda, ſed à voluntate concedentis deſumenda eſt, utpote à qua unicè dependet, quæ voluntas per verba in privilegio expreſſa nobis intimatur: Si igitur verba privilegii perſonam, locum, aut caſum non comprehendunt aut exprimunt, ad eum etiam privilegia extendi non poterunt, etſi ſimilis ſit ratio aut etiam major & efficacior. Et hinc ſiquis ob infirmitatem aut debilitatem oculorum privilegium à S. Pontifice habeat non recitandi horas canonicas, quamvis alius eadem vel etiam majori laboret infirmitate ac debilitate oculorum, non ideò diſpenſatus erit ab onere eaſdem horas recitandi; valor enim privilegii non eſt poſitus in ſimilitudine nec in paritate aut majoritate rationis, ſed in poteſtate & voluntate concedentis: nam ùt ait Alexander III. *in cap. Sanè 9 de privil. temerarium eſt & indignum aliquem ſibi ſua auctoritate præſumere, quod Romana Eccleſia alicui certa ratione inſpecta ſingularibus voluit* bene-

beneficiis indulgere. & Clemens V. in Concilio Viennenſi *Clement. 1. de Cenſib.* relatus hiſce verbis edixit: *Privilegia verò & exemptiones hujuſmodi ad Monaſteria ſeu Eccleſias, quæ ad eas obvenire continget, inpoſterùm volumus non extendi.* Ex quibus juris textibus cum concordantiis ſuis abundè patet non tantùm in odioſis, quæ per ſe ab ipſo jure reſtringuntur, ſed neque in favorabilibus, ùt volebat Sanchez, ac nequidem cum cauſa pia eſt, qualis eſt Eccleſiarum, extendi poſſe privilegia ob paritatem aut etiam majoritatem rationis. Et certè ſi ob hanc liceret extendere privilegia, nihil jam tutum eſſet ac firmum, cùm ſibi quisque fingeret aut ſaltem fingere poſſet, parem eſſe aut majorem rationem conceſſum alicui privilegium ſibi applicandi, eodémque utendi, ex quo ſumma quidlibet audendi aut fingendi licentia foret oritura, unde fruſtraneæ eſſent leges, eluderentur præcepta, riderentur mandata, cùm ſe quisque facilè tueri poſſet aliquo exemptionis privilegio ob paritatem vel majoritatem rationis ſibi accommodato, aut ſibi applicato. Verùm

21 *Objiciunt*: Leges ob identitatem rationis extenduntur de perſona ad perſonam, & de caſu ad caſum, ùt patet ex multis præſertim Juris civilis textibus, & tradunt Civiliſtæ communiter nec pauci ex Theologis & Canoniſtis, quos multis citatis ſequitur Merolla *to. 2. de leg. & Conſtitut. D. 4. cap. 9. diff. 2.* Sed privilegia ſunt leges ſaltem privatæ: ergò etiam extendi debent de perſona ad perſonam, & de caſu ad caſum. Id, quod etiam SS. Pontifices probâſſe videntur, dum hoc modo ſæpè privilegia ob paritatem & ſimilitudinem rationis extenderunt: Sic enim *cap. cùm dilecta 4. de confirm. util.* S. Pontifex confirmavit ac innovavit privilegia Abbatiſſæ & Sororibus Eccleſiæ Gandershemen: (ùt habetur in originali non Gardevenn, ùt hucusque ſatis erroneè legitur in Corp. Jur. Can.) non alia de cauſa, ùt ait ipſe, quàm æquitatis ſimilitudine provocatus à Jure civili deſumpta. Sic etiam *cap. Ex parte 27. de Decimis* S. Pontifex declarat, quòd privilegium ſuper decimas non ſolvendas Eccleſiaſticæ perſonæ conceſſum ad Novalia extendatur non alia de cauſa, quàm quia ubi majus conceditur Jus, etiam minus conceſſum eſſe videtur. Sic denique *in cap. Per venerabilem. 13. qui filii legit.* approbat S. Pontifex, quòd diſpenſatio illegitimo ad actus ſpirituales conceſſa extendatur etiam ad actus temporales, ex ea ratione, quia quod in majori conceditur, licitum eſſe videtur in minori. ℞ ad argumentum principale diſt. maj. Leges univerſales & communes ob identitatem rationis extenduntur de perſona ad perſonam tranſ. maj. neque enim deſunt, qui contrarium defendunt. Leges privatæ, quales ſunt privilegia. Neg. maj. Quòd Leges univerſales & communes exten-

ten-

tendantur de perſona ad perſonam, & de loco ad locum ob identitatem rationis, deſumunt DD. *ex L. Grammaticos. C. de Profeſſoribus*, & *ex L. 1. §. & licet. ff. de injur.* & aliis Juris textibus, qui idipſum videntur ſtatuere, talis autem conſtitutio Juris nulla habetur pro legibus privatis ſeu privilegiis, ſed potiús contrarium elicitur *ex cap. 9. de privileg.* & *Clement. 1. de Cenſib.* Accedit, quòd leges communes, eo ipſo quòd univerſales ſint, univerſaliter etiam interpretandæ veniant, ita ut omnes comprehendat, ubi eadem militat ratio finalis, integra & totalis, ut fusè probat Joannes de Plat. *in d. L. Grammaticos.* Econtra cum privilegium ſit Jus ſingulare, ſingulariter etiam accipiendum eſt ac pro eo tantùm, pro quo conceſſum eſt. Nec quidquam probant textus Juris Canonici in contrarium allati: nam quod *ad cap. cùm dilecta &c.* attinet, ℟. quod ea, quæ à S. Pontifice pro ratione decidendi congrua aſſumuntur, non ſint trahenda ad privatos, qui in hujusmodi conceſſionibus non rationem, ſed voluntatem S. Pontificis reſpicere debent. Quid? quòd in dicto *capit.* nulla omnino fiat extenſio privilegii; ſed pura tantùm innovatio privilegii quaſi jam nimia vetuſtate conſumpti, unde nihil prorſus ad rem noſtram facit citatum hoc capitulum. *Ad cap. ex parte.* ℟. quòd ibi non fiat extenſio de caſu ad caſum, ſed potius declaratio, quòd conceſſio decimarum comprehendat etiam novalia, & ad ea ſe extendat, quæ declaratio cùm ſit authentica & à concedente privilegium facta, malè trahitur ad privatos, qui neque Jus conſtitutum declarare, multò minùs Jus novum conſtituere poſſunt: unde potiùs interpretatio comprehenſiva dici meretur, in qua minus in majori, & pars in toto comprehenditur, quàm extenſio ſaltem propriè dicta *Cap. per venerabilem &c.* nobis objectum nihil omninò probat, cùm ea, quæ huc faciunt, ſint pura narratio ſupplicantis, non verò diſpoſitiva Juris, quæ ſola attendi debet. Deinde in d. c. non dicitur, quòd poteſtas legitimandi ad ſpiritualia ob rationis paritatem extendi poſſit ad legitimandum quoad temporalia, ſed potius quòd poteſtas legitimandi quoad temporalia tanquam minor includatur in poteſtate legitimandi quoad ſpiritualia tanquam in majori, utpote in qua eminenter illa continetur: non autem negamus, quòd ea, quæ in aliquo continentur aut comprehenduntur vel tanquam pars in toto, vel aliquid minus in eodem genere, vel ut acceſſorium aut aliàs arctè connexum cum expreſſo ſint extendenda ad ſimilia: verùm hæc, ut diximus, non eſt proprie dicta extenſio, ſed potiús interpretatio comprehenſiva, quæ ad ea omnia, quæ comprehendit, porrigitur. Sic enim cui conceſſa eſt poteſtas diſpenſandi in votis, conceſſa pariter cenſetur poteſtas commutandi: cui datur poteſtas teſtandi, cenſetur etiam

data poteſtas faciendi legata, codicillum, donationem mortis cauſa: privilegium datum filiis & fratribus, rectè porrigitur quoque ad filias & ſorores arg. *L. 93. §. 3. ff. de Legat.* & quæ ſunt alia hujusmodi, in quibus conveniunt Authores.

22 Dico 3tiò. *Privilegia Religioſis vel Religioni conceſſa extenduntur etiam ad Prælatos, etſi nulla de illis fiat in privilegiis mentio.* Ita Authores communiter, quos citat & ſequitur Barboſa *in tract. de appellativa verborum utriusque Juris ſignificat. Appellat. 153.* Rodriquez *QQ. RR. to. 3. q. 51. art. 8.* Tamburin. *to. 1. D. 1. q. 7. & D. 16. q. 3.* Donatus *to. 1. tr. 6. q. 19.* Ratio eſt; quia privilegium non ſolùm cenſetur conceſſum perſonis, quæ in illo expreſſæ ſunt, ſed etiam illis, quæ propter vocis ſignificationem in eo comprehenduntur: ſed in favorabilibus & in materia proportionabili nomine Collegii, Capituli, ac Religioſorum veniunt Prælati, ſicut nomine Monachorum veniunt Abbates, ùt dicitur *cap. fin. de ſimonia* & ibi Gloſſa: ergò privilegium Religioſis, Collegio, aut Capitulo vel Ordini conceſſum, cenſetur etiam conceſſum Prælatis: tum quia per aſſumptionem ad Prælaturam vel Abbatiam Prælatus vel Abbas non deſinit eſſe Religioſus vel Monachus *arg. cap. Ex ore, 17. de privil.* ſicut Rector ſcholarium per rectoratum non deſinit eſſe ſcholaris: tum quia Religionum Prælati & ſuperiores ob conſecutionem dignitatum ac Prælaturæ non fiunt pejoris conditionis, quàm ſint cæteri Religioſi, cùm dignitatis proprium ſit augere priorem ſtatum, non autem diminuere in præjudicium illius, cui dignitas collata eſt, ùt notat Mandoſa *de privileg. ad inſtar Gloſs. 6. n. 29.* & poſt eum Rodriquez, Tamburinus, Donatus ll. cc. tum denique quia beneficium Principis largiſſimè interpretandum eſt juxta *cap. Olim. 16. de V. S.* & *L. Beneficium ff. de Conſtit. Princip.* atqui privilegium favorabile eſt verè ac propriè beneficium: ergò interpretandum largiſſimè, ita ut conceſſum Religioſis comprehendat etiam Prælatos. Id tamen præcisè intelligendum eſt in favorabilibus, in odioſis enim Prælati nunquam veniunt nomine Religioſorum, nec Abbates nomine Monachorum per textum in ſimili. *cap. ſtatutum 22. de elect. in 6.* ubi dicitur, quòd nomine Eccleſiæ parochialis in materia odioſa non veniat Eccleſia collegiata etiamſi parochialis, quia licèt ſit parochialis, habet tamen qualitatem collegiatæ, quæ major eſt quàm parochialis, ex quo à ſimilitudine & paritate rationis deducunt DD. communiter, quòd etſi Prælatus regularis & Abbas ſit etiam Religioſus & Monachus, quia tamen habet qualitatem ſuperioris ſuper alios Religioſos ac Monachos, idcircò in materia odioſa

non

non debeat comprehendi ſub nomine Religioſorum & Monachorum.

23 Dico 4tò. *Privilegia conceſſa Canonicis ac viris Religioſis, extenduntur etiam ad Canoniſſas & Moniales in iis, quæ ipſis poſſunt aptari.*

Ita Rodriquez *to. 1. Q. 55.* Suarez *de leg. l. 8. cap. 10.* Lezana *in mari magno Carmelitarum n. 385.* Tamburinus *to. 1. D. 17. n. 49.* & *to. 4. D. 17. q. 1.* Donatus *to. 1. tr. 6. q. 3.* Andreas à Matre *n. 93.* Rotarius *to. 3. de privil. cap. 5. punct. 2. n. 8.* cum communi DD. quod tamen non tam de Jure communi procedit, quàm ex privilegiis Pontificiis diverſis Ordinibus Religioſis conceſſis. Sic enim Julius II. in Bulla: *inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* omnia & ſingula privilegia tum Canonicorum Regularium, tum aliorum quorumcunque Ordinum etiam Mendicantium extendit ad Canoniſſas Regulares in illis quæ ipſis coaptari poſſunt. Sic etiam alii SS. Pontifices extenderunt privilegia aliorum Ordinum Religioſorum ad Moniales præſertim eorum quorum habitum deferunt & obſervant regulam. Ita enim Moniales Ord. S. Dominici gaudent privilegiis conceſſis & concedendis tam Ordini Prædicatorum, quàm etiam Minorum, Eremitarum S. Aug. Carmelitarum, & Servorum B. V. M. ex ſpeciali indulto Leonis X. apud Rodriquez l. c. Moniales S. Claræ potiuntur omnibus gratiis ſpiritualibus & temporalibus conceſſis & concedendis Ordinibus S. Dominici & Franciſci ex conſtitutione Sixti IV. relata in Monument. Ord. Minor. Moniales S. Auguſtini communicant in omnibus gratiis & privilegiis Ordini Eremitarum S. Auguſtini conceſſis ex ſpeciali Bulla Julii II. relata in compend. privileg. Mendicant. Moniales B. V. de Monte Carmelo gaudent omnibus privilegiis non tantùm Carmelitarum, ſed etiam Prædicatorum & Eremitarum S. Aug. ex conceſſione Nicolai V. apud Auguſt. à Virg. Maria. Moniales S. Franciſci de Paula habent communicationem privilegiorum cum Fratribus ejusdem Ordinis ex ſpeciali indulto Julii II. à Peyrinis *to. 1. Conſtitut. 1.* relato, qui omnes SS. Pontifices extenderunt privilegia viris religioſis conceſſa ad Moniales, quæ etſi aliqui limitent ad Moniales, quæ Prælatis proprii Ordinis ſubjectæ ſunt, & eas ab hac participatione excludant, quæ Ordinariis ſubſunt, longè tamen probabilius eſt, & has etiam ſine exceptione gaudere ſui Ordinis privilegiis, modò aliquam habeant cum eo privilegiorum communicationem à S. Pontifice ſi non ſpecialiter, ſaltem generaliter conceſſam; quia privilegia conceduntur Monialibus alicujus inſtituti, non quia reguntur à Prælatis Regularibus, ſed quia eandem regulam ob-

obſervant, eodem utuntur habitu & idem profitentur inſtitutum, ita ut de his æquè verificetur, quòd ſint v. g. Canoniſſæ Regulares, Clariſſæ, Ordinis S. Dominici &c. quàm de illis. Nec obeſt, quòd in aliquibus Bullis reſtringatur conceſſio ad Moniales ſub obedientia Ordinis degentes; præterquam enim, quòd hæc clauſula non in omnibus reperiatur, ea denotat tantùm Ordinem & inſtitutum, quod nempe profitentur, non verò ſubjectionem, qua Prælatis Ordinis ſubduntur; tam enim vivunt ſub obedientia Ordinis, quæ ſubjectæ ſunt Epiſcopis, quàm quæ ſubduntur Prælatis Regularibus, cùm omnes eandem Ordinis regulam profiteantur, quæ eſt præcipua materia obedientiæ. Unde Paulus V. S. P. novas concedens indulgentias, antiquis revocatis, eas extendit ad Moniales Ordinum Regularium pariformiter ſive vivant ſub obedientia Prælatorum Regularium, ſive ſub illa Ordinariorum. Quorum omnium ratio ultimata eſt; quia ubicunque eſt eadem ratio, ibi debet eſſe eadem Juris diſpoſitio *L. illud. ff. ad Leg. Aquil.* & *L. à Titio. ff. de verbor. oblig.* ſed de omnibus Monialibus tam quæ Prælatis Regularibus, quàm quæ Ordinariis ſubjiciuntur, eadem videtur eſſe ratio: ergo de omnibus debet eadem eſſe Juris diſpoſitio, ita ut quoad hanc vel illam ſubjectionem nulla videatur eſſe diſparitas. Atque hinc inferre licet, quòd cùm in Monialibus alicujus Ordinis Epiſcopo ſubjectis vicem Prælati Regularis teneat Epiſcopus, poterit is ad illarum favorem uti privilegiis Ordinis, quibus uteretur Prælatus Regularis, ſi eſſent ipſi immediatè ſubditi; non enim quia ſubduntur Epiſcopis, debent fieri deterioris conditionis ac ſpoliari privilegiis, ac ſi eſſent ab Ordine excluſi. Verùm hæc, ùt dixi, de illis intelligenda ſunt Monialibus, quæ aliquam habent privilegiorum communicationem ſive generalem ſive ſpecificam.

24 Dico 5tò. *Privilegia Canonicis aliiſque Religioſis profeſſis conceſſa extenduntur etiam ad Novitios.*

Ita quoad Canonicos Regulares Sixtus IV. in Bulla: *Ad univerſos. 10. Cal. Septemb. Anno 1477.* & Julius II. in Bulla: *Inter cæteros 4. Non. April. Anno 1512.* in quibus uterque Pontifex privilegia Canonicis in Congregatione profeſſis extendit expreſsè ad Novitios; & ratio eſt, quia Novitii in iis, quæ gratiam & favorem concernunt, Profeſſorum appellatione veniunt, & in ipſa vocis ſignificatione comprehenduntur, licèt enim rigorosè & ſtrictè Religioſi non ſint, quatenus ad ſæculum redire poſſunt, tales tamen ſunt initiativè, quatenus nempe ſunt in via ad ſeſe Religioni incorporandos, eandémque profitendam, & eatenus defacto reputantur ùt membra & partes Religionis, à qua portan-

tantur velut in utero & in ventre matris. Hoc autem ſufficit, ut privilegia profeſſis conceſſa ad ipſos extendantur; gratiæ enim ſunt ampliandæ & favores latè interpretandi. Atque hinc Novitii gaudent privilegio Canonis, ùt deciditur *cap. Religioſo 21. de ſentent. Excommunicat. in 6.* unde injiciens in eum violentas manus in excommunicationem incidit; gaudet etiam privilegio fori, ita ut nullatenus poſſit conveniri coram Judice laico, imò nec coram Judice Eccleſiaſtico, ſed coram ſuperiore ac Prælato Religionis, cujus eſt Novitius, ùt docet Navarrus *L. 2. de foro competent. Conſil. 5. n. 4.* cum aliis multis; gaudent præterea privilegio exemptionis & immunitatis à Gabellis & impoſitionibus, quibus aliæ gaudent perſonæ Eccleſiaſticæ juxta *cap. non minùs 4.* & *cap. adverſus 7. de immunitat. Eccleſiaſt.* & *cap. 1. eodem in 6.* quia Novitii in Religionem admiſſi verè ſunt partes communitatis Eccleſiaſticæ, & in Jure veniunt ſub nomine Eccleſiaſticorum & Clericorum in favorabilibus, ùt habetur in *Can. duo ſunt genera 7. cauſ. 12. Q. 1.* gaudent ſimiliter omnibus gratiis & favoribus profeſſis conceſſis quoad abſolutionem & diſpenſationem, vi quorum abſolvi poſſunt ab omnibus peccatis & cenſuris etiam S. Pontifici reſervatis, ac diſpenſari in irregularitatibus, in quibuscunque votis, atque etiam in præceptis Eccleſiæ, ùt ſuo loco pluribus explicabitur; lucrari denique poſſunt omnes indulgentias profeſſis conceſſas.

Dico 6tò. *Privilegia* 25
Canonicis aliisve Regularibus profeſſis conceſſa extenduntur etiam ad Converſos & Commiſſos eorum. Ita rurſus quoad Canonicorum Regularium Converſos & Commiſſos Sixtus IV. in Bulla: *ad univerſos.* & Julius II. in Bulla: *inter cæteros.* ſupra citatis, ubi privilegia Canonicis conceſſa extendunt in ſpecie ad eorum Converſos & Commiſſos. Per hos autem intelliguntur illi, qui relicto ſæculo & habitu ſæculari in religioſum mutato ſeſe humilioribus Clericorum obſequiis ac corporalibus ſervitiis in approbata Religione addicunt ac præterea ſolemnem trium votorum profeſſionem emittunt, qui etiam communiter laici vocantur, non quòd ſæculares ſint, ſed quia ex inſtituto non poſſunt Ordines ſuſcipere, nec Choro deſervire, prout faciunt Religioſi Clerici. De his igitur ſub tali acceptione conſideratis probatur concluſio univerſaliter: quia illi debent gaudere privilegiis alicujus Religionis, qui ſunt verè ac propriè Religioſi ac membra talis Religionis: ſed deſcripti modò Converſi ac Commiſſi ſunt verè ac propriè Religioſi, ac membra Religionis: ergò debent gaudere privilegiis Religionis; major patet, quia S. Pontifex concedens alicui Ordini

vel Religioni certa privilegia, concedit ea omnibus illius membris, in quantum ſunt verè ac propriè Religioſi ac perſonæ Eccleſiaſticæ. Minor autem quamvis per ſe clara ſit, probatur tamen ex eo; quia illi ſunt verè ac propriè Religioſi, qui in aliqua à ſede Apoſtolica approbata Religione voverunt tria vota ſubſtantialia Religionis, nempe paupertatem, ſeu abdicationem proprii, caſtitatem, & obedientiam ſub certa aliqua regula approbata, ùt conſtat ex D. Thoma *2. 2. Q. 184. art. 5. in corp.* & *Q. 186. art. 9.* & ex Trident. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 1.* & habetur in cap. *cum ad Monaſterium. 6. de ſtatu Monach.* Sed tales Converſi & Commiſſi ſupra deſcripti voverunt in aliqua Religione approbata tria vota ſubſtantialia paupertatem, caſtitatem & obedientiam, & quidem ſub certa aliqua regula, ùt ponitur: ergò ſunt verè ac propriè Religioſi, ac membra illius Religionis quàm ſunt profeſſi. Atque hinc ejuſmodi converſi vel commiſſi gaudent privilegio Canonis, ac eos percutientes incurrunt excomunicationem: gaudent quoque privilegio fori, ita ut conveniri non poſſint niſi coram Prælato ſuo: gaudent denique omnibus & ſingulis privilegiis, quibus fruuntur Clerici profeſſi tam quoad abſolutiones ac diſpenſationes, quàm quoad lucrandas indulgentias ac cæteros Religionis favores, qui eorum ſtatui convenire poſſunt; quod procedit, etiamſi talis Converſus aut Commiſſus ſit tantùm Novitius; quia nomine Religioſi venit etiam Novitius, ùt ſupra diximus.

Dico denique 7mò. *Privilegia Canonicis aliisve Regularibus profeſſis conceſſa extenduntur etiam ad eorum Oblatos, & Donatos.* 26

Ita quoad Canonicorum Regularium Oblatos & Donatos Alexander VI. in ſuo Brevi ad Procuratorem generalem Congregationis Lateranenſis, quod incipit: *exponi nobis. 1. Nov. Anno 1499.* dato expreſſè conceſſit hiſce verbis: „ Nos votis & commodis Religioſarum „ perſonarum, ut eo ferventius „ Altiſſimo valeant famulari, quantum cum Deo poſſumus pater„ na charitate conſulere volentes, „ tuiſque hujuſmodi ſupplicationi„ bus inclinati, univerſis & ſingu„ lis Oblatis ſeu Donatis præſen„ tibus & pro tempore exiſtenti„ bus, ut omnibus & ſingulis pri„ vilegiis & immunitatibus Con„ gregationi Lateranenſi conceſſis, „ quibus prædicti Canonici utun„ tur, potiuntur & gaudent, ſeu „ uti, potiri & gaudere poterunt „ quomodolibet in futurum quoad „ Indulgentias & gratias ſpirituales, „ uti potiri & gaudere liberè & „ licitè valeant & poſſint in omni„ bus & per omnia, ac ſi ipſi in „ dictis litteris ſpecificè nominati „ &

„ & expreſſi fuiſſent, auctoritate „ Apoſtolica concedimus & indul- „ gemus. „ Similiter Julius II. in Bulla: *inter cateros.* citata repetitis vicibus privilegia Canonicorum Regularium ad præfatos eorum Oblatos ac Donatos utriúsque ſexûs extendit nec tantùm quoad Indulgentias ac gratias ſpirituales, ſed etiam quoad omnimodam exemptionem tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus. Quinam autem propriè intelligantur per Oblatos & Donatos, haud exprimunt SS. Pontifices, ſed nec conveniunt Authores in illis explicandis: Mihi videtur, quòd ad mentem SS. Pontificum per Oblatos & Donatos intelligantur illi, qui ſe ac ſua Religioni aut Monaſterio obtulerunt ac donârunt absque votorum ſaltem ſubſtantialium emiſſione, ſive dein ſint obſequiis humilioribus ac Monaſterii ſervitiis addicti ſive non. Hi autem ſunt in duplici differentia; nam quidam ex his dici merentur Oblati & Donati propriè & ſtrictè, qui nempe & ſe ipſos & omnia ſua, quæ habebant bona plenè ac in forma Juris valida perpetuò, & irrevocabiliter ac cum effectu Religioni ac Monaſterio obtulerunt atque donârunt. Alii verò nonniſi impropriè ac minùs ſtrictè dici merentur Oblati ac Donati, & ſunt illi, qui nec plenè, nec perfectè omnia ſua bona aut perſonas ſuas offerunt & donant Religioni vel Monaſterio, ſed vel ſibi aliquid ex bonis ſuis reſervant in uſum & proprietatem, vel ſe ipſos non donant totos Religioni vel Monaſterio. Ad Oblatum proinde propriè dictum requiruntur duo: primùm eſt oblatio ac donatio ſui ſub obedientia Prælati cum aliqua mutatione habitûs, quo à laicali ſtatu diſtinquatur juxta *cap. Ut privilegia 24. de privileg.* Ubi Gloſſa *V. mutato habitu ſæculari*, ita quòd habitus illos diſtinquat ab habitu ſæculari, licèt ex toto non habeant habitum Monachalem. 2dum. eſt, ut verè ac propriè dicti Oblati omnia ſua bona ex integro donent & offerant Religioni vel Monaſterio, & quidem donatione irrevocabili & cum effectu; ita ut hæc duo nempe plena donatio perſonæ, & plena donatio bonorum requirantur copulativè. Atque de his Oblatis ac Donatis intelligendus eſt Julius II., dùm ad eos in ſupra citata Bulla Canonicorum privilegia extendit tam quoad gratias ſpirituales, quàm quoad temporales & omnimodam exemptionem: hinc eos etiam non tantùm privilegio Canonis & fori, ſed & immunitate à vectigalibus gaudere, modò communis eſt præclariſſimorum Doctorum ſententia, quam plurimùm firmant binæ declarationes juſſu Urbani VIII. editæ, quæ cùm rem hanc maximè elucident, hìc apponere placet. Primò igitur fuit S. Congregationi Eminent. Cardinalium Conc. Tridentini interpretum infra ſcriptum dubium propoſitum: an Oblati alicujus Religionis judicandi ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, a-

deò ut fori privilegio & immunitate à vectigalibus gaudeant? reſpondit S. Congregatio, & dubio ſemel atque iterum examinato cenſuit: Oblatos privilegio & exemptione ita demùm debere potiri, ſi in forma juris valida perpetuo, irrefragabiliter & cum effectu ſeipſos & bona ſua omnia præſentia & futura, nulla prorſus quavis minima eorum portione neque in proprietatem, neque in uſum fructum ſibi reſervata, Religioni obtulerint, & habitum aliqualiter mutaverint; quodſi omnia prædicta ſimul non concurrant, neque fori privilegio, neque immunitate à ſæcularibus exactionibus frui poſſe, ùt in ſequentibus caſibus: 1mò. cùm quis obtulit perſonam nulla bonorum facta mentione, quippe quæ non includuntur in ſimplici oblatione perſonæ. 2dò. cùm quis obtulit perſonam cum reſervatione bonorum. 3tiò. cùm obtulit perſonam, & aliquam tantùm partem bonorum quamvis majorem. 4tò. cùm obtulit perſonam & bona omnia præſentia reſervato uſufructu. 5tò. cùm obtulit perſonam, & bona omnia præſentia tantùm. 6tò. cùm obtulit perſonam & bona omnia præſentia & futura, ſed poſtea à Superiore Religionis aliquam eorum partem quamvis minimam in Emphyteoſin recepit. 7mò. cùm obtulit bona vel omnia vel partem eorum abſque perſona, quo caſu perſonam offerentem fori privilegio non gaudere, ſed bona in Religionem cum effectu translata eſſe immunia à vectigalibus, dummodo offerens uſum fructum eorum ſibi non retineat, eo namque caſu bona immunia non eſſe, etiam quoad proprietatem. His tamen omnibus caſibus, quibus Oblati à privilegio & exemptione à Jure communi excluduntur, ſervandam eſſe cujúſque Religionis conſuetudinem, cujus vigore ipſi tale Jus privilegii vel exemptionis acquiſiviſſent. Similiter iisdémque verbis reſpondit S. Congregatio ad idem dubium aliàs ſibi propoſitum, cujus proinde verba reiterare ſuperſedeo. Videri poteſt Barboſa, qui decretum illud S. Congr. authenticè refert *L. 1. de Jure Eccleſ. cap. 39. §. 2. n. 44. & 45. de privileg. Clericor.* & *in Collectan. Bullar. V. Oblati*, Novar. *in Lucern. Regular. V. Oblati.* & *in tr. de elect. & variat. fori. quaſt. 64. ſect. 2.* & Lezana *to. 2. Sum. QQ. RR. cap. 8.* ac Peyrinis *in addit. ad Conſtit. Julii II. cap. 3. n. 34.* Etſi verò in caſibus à S. Congregatione relatis aliquis non cenſeatur Oblatus propriè dictus, qui ſe ſuàque bona non ex integro ac plenè obtulit Religioni ac Monaſterio, atque adeò neque gaudeat privilegio Canonis & fori ac immunitate à vectigalibus, valdè tamen probabile eſt, quòd Oblati ac Donati etiam minùs propriè ac ſtrictè ſumpti gaudeant ſaltem Indulgentiis cæteriſque gratiis ac favoribus ſpiritualibus illius Religionis aut Monaſterii, cui ſeſe ſuàque bona, licét non ple-

nè

nè ac perfectè obtulerunt, prout ſentiunt viri graviſſimi apud Barboſam l. c. idque deſumunt ex *cap. ut privilegia. 24. de privil.* ubi deciditur, ſufficere ad effectum, ut gaudeant Religionis privilegiis, quod manentes in ſæculo Ordini ſint Oblati mutato habitu ſæculari & quòd bona ſua dent Religioni inter vivos, retento ſibi, quamdiu in hoc ſæculo vixerint, uſufructu. Id ipſum deducunt *ex cap. cùm & plantare 3. §. de Confratribus. de Privileg. cap. per exemptionem 9. de privil in 6tò.* & *ex Clement. Religioſi. 1. de decimis*: quibus omnibus favent litteræ Alexandri VI. ſupra relatæ, ubi favores & gratias ſpirituales Canonicis conceſſas extendit ad eorum Oblatos, quod de minùs propriè dictis potiſſimúm intelligendum videtur, cùm de Oblatis ſtrictè ſumptis vix dubium eſſe potuerit.

Sectio III.

De interpretatione privilegiorum.

27 Interpretatio privilegii fit, quando verba illius obſcura & ambigua ad mentem concedentis explicantur & declarantur: atque adeò tunc ſolùm interpretatio neceſſaria eſt, cùm verba ſunt obſcura & ambigua; nam ſi clara ſint & mentem concedentis ſatis exprimant, nulla opus eſt interpretatione, ſed tenor privilegii inſpiciendus erit, ùt ſtatuitur *cap. Porrò 7. & cap. Recepimus 8. de privileg. & L. continuus. §. cùm ita. ff. de V. S.* cùm enim interpretatio ſit inſtituta ad indagandam concedentis mentem per verba privilegii non ſatis expreſſam, ſi illa nobis ex tenore privilegii ſufficienter innoteſcat, fruſtrà quæritur per interpretationem, niſi tamen manifeſtæ ſint conjecturæ, quòd in privilegio aliud ſonent verba, quàm intendat concedens, tunc enim ad mentem concedentis potiùs, quam ad verba attendendum, hæcque illi conformanda ſunt; quia, ùt habetur *cap. In his. 15. de V. S. non intentio verbis, ſed verba intentioni debent deſervire.* & *cap. Intelligentia. 6. eodem. non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus.* Interpretatio alia eſt authentica & authoritativa, ſeu ùt alii vocant, juridica & judicialis, alia doctrinalis ſeu magiſtralis. Interpretatio authentica ſeu authoritativa dicitur illa, quæ fit ab eo, qui poteſt condere legem, ac poteſtatem habet concedendi privilegia *cap. inter alia 31. de ſentent. Excom.* & tunc interpretatio eſt ejuſdem authoritatis, cujus eſt ipſa ſcriptura privilegii: attamen nil novi operatur; quia interpretatio nihil eſt quàm declaratio aut explicatio privilegii: qui autem declarat, nihil dat aut

ponit de novo, ſed datum ſignificat, aut factum demonſtrat. *L. ſed & ſi quæratur. ff. ſi ſervit. vindic. L. Hæredes palam. ff. de teſtam.* & Gloſs. *in cap. per tuas. 5. de Donat.* quòd ſi quidpiam ſuperadderet declarationi, non jam diceretur interpretatio, ſed jus novum, & novum privilegium, ùt præter alios advertit Rebuffus *in prax benefic. p. 1. tit. de non tollend. jur. tert. Gl. 5.* qui enim addit, jus novum efficit. *L. Jus autem. ff. de Juſtit. & Jur.* Interpretatio Magiſtralis ſeu doctrinalis fit, quando privatus quiſpiam Doctor vel etiam plures ſed privata authoritate (ſufficiente tamen ad formandum prudentem aſſenſum comparativè talem) privilegii verba obſcura & ambigua explicant, explanando ſenſum verborum ad mentem concedentis, quæ interpretatio non aliam vim habet, quàm opinionis probabilis, ſervitque ad tollendos ſcrupulos, ac ſerenandam conſcientiam, ita ut operans juxta talem interpretationem licitè operetur & ſecurus in conſcientia reddatur. Ex hiſce autem plures oriuntur difficultates hoc loco nobis tantò accuratiùs enotandæ, quanto magis ad meliorem privilegiorum intelligentiam ac uſum conducunt: unde examinabimus 1mò. Quam poteſtatem habeat S. Pontifex interpretandi Regularium privilegia ab Anteceſſoribus conceſſa? 2dò. Qualem habeant SS. Congregationes Eminentiſſimorum Cardinalium? 3tiò Quam Epiſcopi & alii Prælati Eccleſiaſtici? 4tò. Quam habeant Prælati & Canonici aliive Regulares privilegia ſua interpretandi facultatem? 5tò. Qualem Doctores aliique Jurium & rerum Canonicarum periti? 6tò. Quomodo privilegia purè favorabilia ſint interpretanda? 7mò. Quomodo odioſa & Juri communi adverſantia? 8vò. Quomodo illa? quæ in præjudicium tertii cedunt? 9nò. denique Quomodo privilegia in materia ambitioſa vel ſcandaloſa?

Dico 1mò. *Privilegia Regularium à SS. Pontificibus conceſſa ſolus per ſe poteſt authenticè & authoritativè interpretari S. Pontifex.* 28

Ita certa Theologorum, ac præſertim Juriſtarum ſententia. Ratio eſt: quia ad eum pertinet interpretari privilegia, qui illa poteſt concedere, ſicut ad eum pertinet interpretari legem authenticè & authoritativè, qui poteſt condere legem, ùt habetur *in cap. Inter alia 31. de ſent. excom.* & *cap. cùm veniſſent. de Jud.* & colligitur *ex L. Imperialis.* & *L. leges ſacratiſſimæ. C. de Leg.* ſed S. Pontifex poteſt Regularibus concedere privilegia, eáque quamplurima eiſdem conceſſerunt diverſi Pontifices Romani: ergò ad S Pontificem pertinet etiam privilegia Regularium authenticè & authoritativè inter-

pre-

pretari: ut proinde, ſi quandoque dubia circa privilegiorum uſum aut intellectum oriantur, per ſe recurrendum ſemper eſſet ad S. Pontificem, prout antiquioribus temporibus fieri ſolebat, quemadmodum ſatis patet ex toto Corpore Juris Canonici, quod plenum eſt ejusmodi caſibus ad S. Pontificem delatis, qui deinde fuerunt declarati ac deciſi ab ipſo S. Pontifice. Verùm multiplicatis ſubinde caſibus & cauſis cùm vixdum eſſet poſſibile, ut S. Pontifex tot tantisque curis diſtractus omnibus per ſeipſum intenderet, omnibúsque ſatisfaceret, hinc in alios curas ſuas dividere cœperunt aſſumptis in adjumentum Cardinalibus, utpote quorum Ordo cæteroquin ad hoc inſtitutus eſſe dignoſcitur, ut ipſi tanquam orbis cardines ac totius Reipublicæ Chriſtianæ ſenatores Romani in arduis negotiis aſſiſtant, & ut fideles officii ſacerdotalis coadjutores eidem adeſſent conſiliis, ùt dicitur *cap. Fundamenta 1. de Elect. in 6.* Ex quo factum eſt, quòd plures fuerint inſtitutæ Congregationes Cardinalium, qui ad certas rerum, negotiorúmque tractationes diſtincti S. Pontificem Romanum juvarent in orbis Chriſtiani regimine atque delatas ad ſe cauſas definirent. Primam ejusmodi Congregationem pro conſervanda rectæ fidei doctrina erexit Paulus III. edita Conſtitutione, quæ incipit: *Licet. 12. Cal. Aug. Anno 1542.* Huic alteram pro interpretatione Concilii Tridentini adjecit Pius IV. in Bulla: *Aliàs nonnullas. 4. Non. Auguſt. Anno 1564.* Harum Congregationum numerum maximè amplificavit Sixtus V. in Bulla: *Immenſa æterni Dei. Calend. Febr. Anno 1588.* edita, in qua hujusmodi Congregationes Cardinalium omninò quindecim inſtituit, quibus alii Pontifices alias ſuperaddidère, quæ videri poſſunt apud Cardinalem de Lauræa V. Congregatio. Inter has ſunt præcipuè tres notandæ, prout nempe ad noſtrum hùc faciunt propoſitum. Prima eſt ea, quæ pro SS. Ritibus, & Cæremoniis inſtituta maximè curat, ut veteres ritus ſacri ubivis locorum in omnibus urbis & orbis Eccleſiis etiam Capella pontificia, in Miſſis, divinis officiis, Sacramentorum adminiſtratione, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus à quibuscunque perſonis diligenter obſerventur. Altera eſt pro Conſultationibus Regularium erecta: Hujus Congregationis Cardinalibus facultas conceditur, ut Regularium quorumcunque ac cujusvis Ordinis controverſiis, & propoſitis dubiis reſpondeant. Tertia eſt pro executione & interpretatione Concilii Tridentini inſtituta, ut ſi quando in his, quæ de morum reformatione, diſciplina, & moderatione aliisque hujusmodi ſtatuta, dubietas vel difficultas emerſerit, ad ea reſpondeant Cardinales. Ex hoc ipſo autem nova exurgit quæſtio, qualem hæ ſacræ, aliæque ſimiles Congregationes Eminentiſſimorum Cardinalium habeant po-

poteſtatem interpretandi Regularium privilegia à SS. Pontificibus conceſſa, an authoritativam, an doctrinalem tantùm?

29 Dico 2dò. *SS. Congregationes Eminentiſſimorum Cardinalium per ſe nullam habent poteſtatem authenticè & authoritativè interpretandi privilegia Regularium, niſi conſulto priùs S. Pontifice, eóque probante.* Ita hodie communis Authorum ſententia, deſumitúrque ex Conſtitutione Sixti V. quæ incipit: *Immenſa æterni Dei. Cal. Febr. Anno 1588.* edita, ex qua proinde probatur concluſio: Eam tantùm habent SS. Congregat. Eminent. Cardinalium poteſtatem authenticè & authoritativè declarandi, & interpretandi, quam illis conceſſerunt SS. Pontifices, præſertim Sixtus V. qui prædictas Congregationes aut inſtituit aut confirmavit: ſed hic nullam eisdem Congregationibus conceſſit poteſtatem authenticè & authoritativè declarandi, aut interpretandi privilegia Regularium inconſulto S. Pontifice, prout idem Sixtus V. in citata Bulla clarè per illa verba expreſſit: *Nobis tamen conſultis*, quibus ſcientiam & voluntatem Papæ tanquam formam requirit ad hoc, ut declarationes Cardinalium vim habeant obligandi ac declarandi authenticè & authoritativè: ergò prædictæ Congregationes Eminent. Cardinalium nullam habent poteſtatem authenticè & authoritativè declarandi, aut interpretandi privilegia Regularium inconſulto S. Pontifice, & quod conſequens, nonniſi eodem probante. Ut autem hujusmodi interpretationes ac declarationes SS. Congregationum Eminent. Cardinalium etiam conſulto & probante S. Pontifice factæ fidem faciant in Judicio vel extra, requiritur præterea, ut nomen S. Pontificis, cujus auctoritate eduntur, expreſſum habeant, ùt ſtatuit idem Sixtus V. & in authentica forma producantur, ac ſolito ſigillo & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint, ùt ſtatuit Urbanus VIII. in Decreto à S. Congregatione Cardinalium ejusdem juſſu edito die 2do. Aug. Año 1631. quod pro majori hujus rei elucidatione apponendum duxi: cùm S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ſæpiùs & noviſſimè ſub die 29. Aprilis 1621. inhærendo Conſtitutioni fel. record. Pii IV. quæ incipit: *Benedictus Deus &c.* decreverit Indici librorum prohibitorum addendas eſſe omnes & quascunque declarationes, interpretationes, ſeu deciſiones ſub nomine ejusdem Congregationis Concilii absque illius authoritate impreſſas & imprimendas; cúmque ad il-

illius notitiam pervenerit, quamplures ex declarationibus, interpretationibus, ſeu deciſionibus juxta contingentiam caſuum, illorumq́ qualitates & circumſtantias à ſe diverſis temporibus factis ſecundùm ea, quæ proponebantur, fuiſſe alteratas, immutatas, diminutas, ac forſan aliàs mentito S. Congregationis nomine confictas, nullóque propterea authentico ſigillo munitas, iſtáſque per tribunalia tam in urbe, quàm per orbem circumferri & imprimi, conſideránſque quantum detrimenti recipi poſſit, ſi aliqua fides illis adhiberetur. Ex ſpeciali ſanctiſſimi Domini noſtri Urbani divina providentia Papæ VIII. juſſu mandat & præcipit hujusmodi declarationibus tam impreſſis & imprimendis, quàm manuſcriptis nullam fidem eſſe in Judicio vel extra à quoquam adhibendam, ſed tantùm illis, quæ in authentica forma ſolito ſigillo & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti & Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propria manu ſubſcripſimus & ſigilli noſtri impreſſione comuniri ac typis mandari juſſimus. Datum Romæ die 2. Auguſti 1631. R.Card.Ubaldinus. Franciſcus Paulutius S. Cong. C. Secr.

30 Ex quibus colligi poteſt, plures requiri conditiones ad hoc, ut declarationes Eminent. Cardinalium habeant vim legis & omnes obligent: 1mò. ut fiant conſulto S. Pontifice, ejúsque mandato edantur expreſſo in litteris illius nomine. 2dò. ut producantur in forma authentica, ſolito nempe ſigillo & ſubſcriptione Eminentiſſimi Card. Præfecti ac Secretarii munitæ. 3tiò. ut debito modo ſint publicatæ ac promulgatæ; cùm enim ad hoc ut lex aliqua obliget, neceſſariò requiratur illius promulgatio, ùt docet S. Thomas *1. 2. q. 90. a. 4.* & DD. cæteri communiſſimè, non eſt credendum, S. Congregationem velle, ut declarationes à ſe factæ obligent omnes & ubique, niſi præmiſſa debita promulgatione: imò propterea præcipere videtur, ut non adhibeatur fides niſi illis, quæ dicto modo ſubſcriptæ & ſigillo munitæ fuerint; quia illas tantùm publicat in Curia & in locis ordinariè deſignatis: cæteras verò declarationes non tantùm non promulgat, ſed etiam prohibet eas ſive in manuſcriptis ſive in impreſſis libris promulgari, quin imò libros promulgantes prohibet, ùt conſtat ex Decreto S. Congr. die 19. April. Anno 1621. & alio ſimili Indicis ſub die 9. Junii ejusdem anni edito; qua de re plura videri poſſunt apud Dianam *part. 5. tr. 2. Reſol. ult.* & *part. 11. tr. 2. Reſol. 42.* Quòd ſi verò tres illæ conditiones adſint, vix dubium eſſe poteſt, quin ejusmodi declarationes obligent in utroque foro, cùm tunc cenſeri debeant, emanâſſe à S. Pontifice, cujus decreta quocunque vocentur nomine aut fiant modo vim habent obligandi, ùt habetur *Can. 1. 2. & 4.* di-

diſtinct. 19. & ratio eſt, quia ad hoc, ut aliquod decretum à Pontifice emanatum obliget, nil aliud requiritur, quàm voluntas illius nobis legitimè intimata: ſed hæc reperitur in declarationibus Cardinalium factis cum prædictis tribus conditionibus; fiunt enim & publicantur juſſu & authoritate S. Pontificis, penes quem reſidet totalis Juriſdictio & plenaria poteſtas in totam Eccleſiam. Idque procedit non tantùm in iis declarationibus, quæ Jus novum condunt, ſed etiam, quæ antiquum declarant, & dubium interpretantur; quia tales declarationes Juris ac privilegii dubii interpretativæ ſunt veluti novi leges, unde cùm efficiuntur promulgari jubentur non ſecùs ac leges aliæ novæ. Hæc autem intelligenda ſunt de Declarationibus SS. Congregationum Eminent. Card. univerſalibus ſeu univerſaliter factis & ad [illegible] ſe extendentibus.

31 An verò Declarationes eorumdem Cardinalium particulares ſive in caſibus particularibus factæ præſertim ad inſtantiam ac requiſitionem partium & ad eas tantùm reſtrictæ vim habeant univerſaliter obligandi & ad omnes caſus ſimiles ſint extendendæ? controverſia eſt inter Authores non modica. Affirmat Anton. Cottonius *celebr. controver. L. 3. Controver. 8. cap. 3.* cum Garzia, Lambertino, Farinacio, Barboſa, Jordano, Riccio, Piaſeccio, Fagnano & aliis, qui fundantur tum *in L. non poſſunt. ff. de Leg.* ubi dicitur: cùm in aliqua cauſa ſententia eorum (id eſt Senatus Conſultorum) manifeſta eſt, is qui Juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque Jus dicere debet, tum etiam in ratione; quia ſimilium ſimilis eſt ratio & cauſa, forétque infinitum pro ſingulis caſibus ſingulas velle declarationes. Alii econtra apud Dianam *part. 11. tr. 2. Reſ. 42.* item Ledeſma, Bonacina, Pontius, Sanch. de matr. *L. 8. D. 2. n. 10.* Loth. *tr. 2. a. 10.* Delbene *de immunit. Eccleſ. c. 14. d. 5. S. 2.* cum pluribus aliis negant particulares hujusmodi Declarationes in materia morum ac privilegiorum factas habere vim legis, aut ad omnes caſus extendendas eſſe: tum quia tales Declarationes particulares quatenus ad inſtantiam & requiſitionem partium emanant, Jus tantùm inter partes faciunt, non extendendum ad alios: tum quia hujusmodi Declarationes à particularibus circumſtantiis dependent, quæ in quolibet caſu ſolent eſſe diverſæ. Unde Cardinalis de Luca & ipſe aliquando harum Congregationum ſplendidiſſimum lumen pluribus in locis omnem omninò fidem hujusmodi Declarationibus particularibus derogat, inquiens, erroneum eſſe, in ejusmodi Declarationibus cum conſueta cæca fide vim conſtituere; cùm illæ, quæ ſingulos particulares caſus concernunt, ex eorum particulari qualitate & circumſtantiis manare ſoleant. Quod ad L. in contra-

trarium allegatam attinet, ea plus non probat quàm quòd ſententiam à Senatûs Conſultis in aliqua cauſa latam ſequi deceat tanquam formulam ex convenientia aliqua & æquitate, ſiquidem eædem ſint circumſtantiæ & qualitates particulares, non autem tanquam legem & ex neceſſitate quadam; cùm enim in quolibet caſu ſint aliæ circumſtantiæ particulares non reperibiles in alio, & ſecundùm illas ferenda ſit ſententia, neceſſariò ad illas attendendum eſt, & juxta illas conformanda ſententia. Atque hinc videmus diverſiſſimas etiam declarationes in ſimilibus caſibus emanare à S. Congregatione, in quo nulla tamen eſt inconvenientia, quia Declarationes S. Congregationis ſemper intelliguntur juxta ea, quæ in facto proponuntur. *L 1 C. de diverſis Reſcript.* & latè tradit Rubeus *conſil. 12. Pariſ. L. 2. conſil. 9.* & Rot. apud Caſſad. *Deciſ. 6. de Reſcript.* quin etiam partibus ſæpiùs auditis & facto pleniùs juſtificato ſolet etiam mutare factam à ſe declarationem & decretum proprium, non ex parte ſui, ſed ex parte facti, quo caſu ſtandum erit ultimæ ſententiæ non autem primæ, ùt ex *L. non eſt novum cum duab. ſeq. ff. de Leg.* & *cap. Caterùm. 3. de Reſcript.* docet Donatus *to. 1. tr. 8. q. 4.* cum aliis; ſicut enim lex poſterior abrogat præcedentem ſibi contrariam, ita una deciſio ac declaratio tollit priorem ſibi contrariam. Etſi igitur ſimilium ſimilis ſit ratio & cauſa, ubi eædem ſunt circumſtantiæ & qualitates particulares, non tamen ſimilis ratio eſt, ubi diverſæ ſunt ac prorsùs aliæ circumſtantiæ. Quamvis autem Declarationes hujusmodi particulares Eminent. Cardinalium legem non faciant, nec veluti leges ad ſimiles caſus ſint extendendæ, nemo tamen facilè negaverit, quòd ſi de iis authenticè conſtet, maximi ſint ponderis, ſummæque authoritatis, utpote à viris ſapientiſſimis ac conſultiſſimis profectæ, & quidem re maturè & ad Juris apices diſcuſſa emanatæ: atque adeò ſumma cum reverentia recipiendæ ſunt, nec facilè ab illis recedendum ſine validis fundamentis & urgentiſſimis rationibus; unde etiam Authores haud ægrè deferunt dictarum Congregationum Declarationibus, licèt factæ ſint inconſulto S. Pontifice & ſigillo ac ſubſcriptione debita munitæ non producantur, modò referantur à probatis & fide dignis Authoribus, & aliunde non reddantur ſuſpectæ, vel quòd à Jure communi aut à recta ratione recedant, vel quòd extendantur ultra propriam & communi uſu receptam verborum ſignificationem, tunc enim in praxi meritò obſervantur ac recipiuntur, quod & nobis propoſitum eſt hoc in opere, ubi eaſdem ſæpiſſimè in confirmationem dictorum ſuis locis referemus atque laudabimus (*Adde*; à me Romæ interrogatum S. Cong. Rituum Secretarium RR. Archiepiſcopum Tedeſchi, an decreta hujus S. Cong.

obligent totam Eccleſiam? reſpondiſſe, quòd inter ſeptuaginta tomos, in quibus continentur Acta S. Congregationis, non plura reperiantur pro tota Eccleſia decreta, quàm circiter tria.)

32 Dico 3tiò. *Epiſcopi aliiq; Prælati Eccleſiaſtici nullam habent poteſtatem authenticè & authoritativè interpretandi privilegia Regularium à S. Pontifice conceſſa.*

Ita Innocentius III. *in cap. Cùm veniſſent. 12. de Judiciis*, ubi ſtatuit: Cùm ſuper privilegiis ſedis Apoſtolicæ cauſa vertatur, nolumus de ipſis per alios judicari. Clemens IV. pariter in Bulla: *Ordinis veſtri. 7. Julii Anno 1268.* editâ diſtrictius inhibet, ne Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati alii gratias & privilegia ab Apoſtolica ſede conceſſa, ſive clara, quæ interpretatione non indigent, ſive dubia contineant, de cætero interpretari præſumant, ſed cùm ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, interpretatio hujusmodi relinquatur ſedis Apoſtolicæ judicio. Idipſum ſtatuit Urbanus VI. in Bulla: *Glorioſa. Anno 1378.* & Paulus III. in Bulla: *Licet debitum. 18. Octobr. Anno 1549.* ſimiliter ſancivit, quòd contra privilegia à ſede Apoſtolica conceſſa non poſſint ferri cenſuræ, nec dari eorum interpretatio; quæ omnia poſtmodum renovavit ac confirmavit Clemens X. in Bulla: *Superna magni Patrisfamilias. 11. Cal. Julii Anno 1670.* hisce verbis: Si privilegiorum Regularibus conceſſorum verba obſcura ſint & ambigua, non eſſe ad Metropolitanum recurrendum, ſed cùm ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum privilegiorum interpretationem ſedis Apoſtolicæ judicio, prout aliàs conſtitutione Prædeceſſoris noſtri felic. record. Clementis IV. ſtatutum fuit, eſſe requirendam; & ratio eſt; quia ſicut inferioris non eſt authoritativè interpretari legem ſuperioris, ita nec interpretari privilegium, utpote quod etiam eſt lex quædam privata. Accedit, quòd ſi liceret Epiſcopis privilegia à S. Pontifice conceſſa interpretari, id facerent in propria cauſa; cùm ea, quæ exemptionem concernunt, adverſentur eorum Jurisdictioni: ſed nemo poteſt Judicem agere in propria cauſa *Can. 1. & 2. cauſ. 4. Q. 4.* & *L. unic. C. ne quis in re ſua.* Neque obeſt, quòd in *cap. Cùm perſonæ. 7. de privilegiis in 6.* dicatur, quòd allegantes privilegium exemptionis, illud debeant Epiſcopis oſtendere & exhibere: ergò ad Epiſcopum pertinebit de exemptionis privilegio judicare. Nam in dicto Capitulo non ideò præcipitur, ut Regulares exhibeant Epiſcopis privilegia ſua, ut de eo judicent, ſed ut ſe informent de illo, an in eos poſſint ſuam exercere Jurisdictionem, an verò ab ea debeant abſtinere, ùt benè no-

tat

Digitized by Google

tat Panormitanus in *cap. Cùm venerabilis. 7. n. 3. de Relig. domibus.* Hæc autem intelligenda tantummodo ſunt de privilegiis à S. Pontifice conceſſis, quemadmodum in concluſione innui; vix enim dubium eſſe poteſt, quin Epiſcopi aliique hujusmodi Prælati Eccleſiaſtici poſſint ſua aut anteceſſorum ſuorum privilegia Regularibus conceſſa authoritativè interpretari; cùm univerſim ad eum ſpectet authoritativè privilegium interpretari, cujus eſt dare privilegium: ſed Epiſcopi aliiq; hujusmodi Prælati Eccleſiaſtici poſſunt dare, multáque hactenus conceſſerunt Regularibus privilegia: ergò etiam ad eosdem ſpectabit ſua aut anteceſſorum ſuorum privilegia authoritativè interpretari.

33 Dico 4tò. *Canonici aliive Regulares habent poteſtatem privilegia ſua in favorem animarum largiſſimé interpretandi.*

Ita conceſſit Sixtus IV. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis in Bulla: *Dum ad univerſos. 23. Aug. Anno 1477.* ubi ſic ſtatuit: „ Ut autem mentes dictorum Ca„ nonicorum à dubiis, quæ ſuper „ præſentibus aut aliis gratiis hujus„ modi per Nos & Prædeceſſores „ noſtros Romanos Pontifices, Im„ peratores, Reges, Principes, & „ alios prædictos conceſſis & im„ poſterum concedendis apud præ„ fatos Canonicos quomodolibet „ oriri poſſent, releventur, volu„ mus, ut ubi in aliquo redderen„ tur ancipites ſeu dubii, ſecundùm „ bonam æquitatem in favorem ſa„ lutis animarum ſuarum largiſſimè „ intelligantur & interpretentur, „ non autem ſecundùm rigorem „ vel Doctorum opiniones & ſub„ tilitates. „ Idipſum conceſſit Julius II. Canonicis Regularibus Congregationis Bononienſis in Bulla: *Inter cæteros 4. Non. April. Anno 1512.* hisce verbis: „ Volumúsque quic„ quid dubii in dictis privilegiis, „ ſeu aliquo eorum pro tempore „ emerſerit, id data verborum am„ biguitate & varia peritorum in„ terpretatione in favorem dictæ „ Congregationis, & locorum par„ ticularium ejusdem interpretari „ debere: & ubi ipſi in aliquibus „ redderentur dubii ſeu ancipites, „ ſecundùm bonam æquitatem, ad „ favorem ſalutis animarum ſuarum, „ illa etiam largiſſimè intelligantur „ & interpretentur, non autem „ ſecundùm Juris rigorem, aut Do„ ctorum opiniones & ſubtilitates. „ Idem conceſſerunt alii SS. Pontifices aliis Ordinibus, ùt Alexander VI. Caſſinenſibus in Bulla: *inter cæteros. 1. April. Anno 1501.* & Paulus III. in Bulla: *Benignitas. Anno 1537.* Julius II. Olivetanis in Bulla: *Etſi ad univerſos. 4. Junii Anno 1407.* Leo X. Camaldulenſibus in Bulla: *Etſi à ſummo. Anno 1513.* & Clemens VII. iisdem in Bulla: *inter multiplices. Anno 1529.* ſic etiam Julius II. in Bulla:

la: *Conſiderantes. 14. Decemb. Anno 1508.* Generali Prædicatorum poteſtatem facit declarandi privilegia Ordinis ſi aliqua ambiguitas emerſerit quoad ſerenitatem conſcientiarum ſuarum, quæ illi ſubditæ ſunt duntaxat, idem conceſſit Leo X. vivæ vocis oraculo Generali, Provincialibus, Vicariis & cuſtodibus Minorum inſtante & teſtante Cardinali Laurentio. Ut autem hæc ipſa privilegiorum interpretatio ritè fiat, magna requiritur prudentia ac diſcretio, nec minor Jurium ac privilegiorum ſcientia: unde conſultum foret, ut harum rerum minùs periti ac intelligentes conſilio virorum prudentum utantur, itaque moderentur ſuam interpretationem, ut ſemper ſit Juri ac rationi conſona, & conducat ad ſalutem animarum; ſecùs enim hæc poteſtas foret potiùs in deſtructionem, quam in ædificationem & abuſus poteſtatis ſibi conceſſæ contra expreſſam SS. Pontificum intentionem. Cæterùm cùm SS. Pontifices in privilegiis ſupra relatis ac Canonicis Regularibus conceſſis non exprimant à quo aut à quibus fieri debeat hæc interpretatio & in genere verbo Canonicorum utantur, relinquitur, quòd quisque Canonicus dictarum Congregationum in contingentia caſus poſſit taliter in favorem animæ ſuæ privilegia interpretari. Verùm curandum, ne quiſpiam neceſſaria deſtitutus ſcientia huic ſeſe muneri ingerat ſine prudentum conſilio, ne ſibi & aliis damnationis laqueum injiciat.

Dico 5tò, *Doctores aliique Viri SS. Canonum ac Juris periti poſſunt quidem Canonicorum aliorúmve Regularium privilegia interpretari, ſed doctrinaliter tantùm ac magiſtraliter atque ita, ut ea ſemper in favorem dictorum Canonicorum largiſſimè interpretentur, non autem ſecundùm Juris rigorem & Authorum opiniones ac ſubtilitates.* 34

Ita expreſſis verbis præcipit Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos.* & Julius II. in Bulla: *Inter cæteros.* Canonicis Regularibus datâ ac ſupra relatâ, vi cujus privilegii poſſunt Canonici tuta conſcientia omnibus ſuis uti ac frui privilegiis, facultatibus & gratiis maximè pro foro conſcientiæ, de quibus diverſa habentur placita Doctorum & opiniones utut minùs probabiles ac minùs tutæ, & ex iſtis ſibi ſeligere magìs favorabiles; licèt enim ex his fortè aliquæ à parte rei non ita ſe habeant, aut omnino falſæ ſint, earum defectum ſupplere cenſendi ſunt SS. Pontifices hoc ipſo quòd velint, ut ejusmodi privilegia latiſſimè in favorem dictorum Canonicorum interpretari ac intelligi de-

be-

beant. Quòd autem cuilibet privato Doctori ac Jurisperito liceat privilegia aliásque Conſtitutiones Pontificias interpretari & explanare, idque non obſtantibus clauſulis prohibitivis non declarandi, nec interpretandi, communis habet Authorum ſententia, & quotidiana docet experientia ac praxis virorum doctorum tam Jurisperitorum, quàm Theologorum: ſic enim etſi Pius IV. præcipiat Prælatis ſub pœna interdicti, & reliquis omnibus ſub pœna excomunicationis latæ ſententiæ, ne commentaria, Gloſſas, annotationes, ſcholia, nullúmve interpretationis genus ſuper Concilii Tridentini decretis quoquomodo edere aut ſtatuere audeant, etiam prætextu majoris corroborationis aut executionis ipſius Concilii, hoc tamen non obſtante nullo non tempore fuêre Theologi ac Canoniſtæ, qui labore oppidò laudabili prædictum Concilium ad regulas SS. Canonum ſunt interpretati, illúdque præclariſſimis notis ac ſcholiis illuſtrârunt ad mentem ipſius Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. de Reform. decret. 2.* ubi hortatur Doctores ac Magiſtros, ut Canones & decreta hujus S. Synodi integrè recipiant, & ad eorum normam doceant ac ea interpretentur: quæ ſanè licèt videantur eſſe contraria ſupradictæ Pii V. prohibitioni, revera tamen non ſunt, ſed optimè conciliari poſſunt, ſi quæ prohibet Pius IV. referantur ad interpretationem authenticam & authoritativam ſoli Pontifici competentem: econtra verò verba Concilii intelligantur de interpretatione doctrinali ac magiſtrali, quæ cuivis juris ac rerum perito licet, ùt bene obſervat Aug. Barboſa in Prologo apologetico. Sic etiam Clemens VIII. in decretis pro reformatione Regularium omninò interdicit ac prohibet Superioribus, ne Concilii Tridentini aut hæc ſua decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo poſſint: & tamen Doctores de dictis decretis doctrinaliter multa ſcripſerunt. Sic etiam Urbanus VIII. in Bulla: *Romanus Pontifex.* prohibuit omnibus cujuscunque ſtatûs præfatam Bullam declarandi vel interpretandi, & quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari irritum & inane pronunciavit. Nec tamen ideò defuerunt, qui præfatæ Bullæ ambiguitates magiſtraliter ac doctrinaliter miro labore & induſtria ſingulari declarârunt. Ex quibus patet, quòd ex communi praxi & conſuetudine cuilibet debitâ ad hoc ſcientia inſtructo liceat doctrinaliter explanare & interpretari Pontificias Conſtitutiones, Bullas, & privilegia etiam clauſulis prohibitivis declarandi & interpretandi inſtructa. Ad hoc verò haud vulgaris requiritur ſcientia præſertim SS. Canonum, Conciliorum & Conſtitutionum Pontificiarum, quibus veluti manuduci debet, quisquis cupit facere legitimam & rationi conſonam

in-

interpretationem. Quam in rem Juriſperiti permultas tradidêre regulas ſemper præ oculis habendas, quarum cùm multiplex ſit uſus, potiſſimas ac ſcitu neceſſarias hic referre placet, ut ex illis quisque diſcere poſſit, quid in ſimili faciendum ſibi & agendum.

35 Inprimis itaque in quavis interpretatione privilegiorum attendi debet ad uſitatam ſignificationem ac proprietatem verborum, quibus ſolent concedi; cùm enim omnis virtus privilegii dependeat ex voluntate concedentis: hæc verò nobis ſignificetur per verba, evidens eſt horum propriam ſignificationem debere retineri, ne omnia ſint incerta, modò ex propria ſignificatione non ſequatur abſurdum; ſi ergo verba ſecundùm communem acceptionem ſint clara, aut ex aliis circumſtantiis conſtet de mente concedentis privilegium, huic erit omninò inſiſtendum: ſi verò ſint ambigua, indagandum in circumſtantias, ex quibus mens concedentis poſſit conjecturari: ad hoc verò ſerviet, ſi attendas magis ad cauſam, quæ movit S. Pontificem, quam ad ipſa verba privilegii; quia non ſermoni res, ſed rei ſermo debet eſſe ſubjectus, ùt expreſsè dicitur *in cap. Intelligentia. 6. de V. S.* Advertendum 2dò. ad ſupplicationem petentis privilegium: nam S. Pontifex cenſetur ſe accomodare ſupplicationi & precibus porrectis *cap. Inter dilectos 6. V. cæterùm de fide Inſtrum.* & *L. ſi preces ff. de Legib.* 3tiò attendendum ad verba proœmii & ad initium ipſius privilegii; proœmia enim cauſam finalem continent & diſponentis animum declarant *L. fin. de Hæred. inſtituend. Can. Marcion. 64. cauſ. 1. Q. 1.* & *cap. in his 15. de V. S.*: ſi tamen verba proœmii non ſufficiant, procedendum ad media & extrema, nam unum extremum per aliud indagatur. ùt dicitur *in cap. ſecundò requiris 41. de appellat.* ubi tamen notandum, quòd verba privilegiorum enuntiativa & narrativa diſpoſitionem non inducant. *ex cap. Si Papa 10. de privil. in 6.* 4tò. Inſpicienda eſt materia, circa quam verſatur privilegium; quia ex re & materia ſubjecta optimè intentio concedentis inveſtigatur. *L. Si uno anno. ff. de Locat.* 5tò. Inſpiciendum pariter eſt ipſum genus privilegii, an favorabile ſit, an odioſum, an contra jus, an præter jus, an in præjudicium tertii cedat, an in materia ambitioſa aut ſcandaloſa verſetur; nam ex hoc, ùt ex dicendis patebit, maxima ex parte pendet interpretatio privilegii. 6tò. Conſideranda ſunt ſimilia privilegia aliis conceſſa, & quid jura & privilegia in ſimilibus circumſtantiis diſpoſuerint, & ex illis interpretatio deſumenda; nam jura & privilegia nova per antiqua limitationem recipiunt, quando ſcilicet in aliquo per antiqua jura ſpecialiter fuit facta proviſio, quæ quidem ſpecialis proviſio per jura nova non corrigitur; videndum tamen, ut talis interpretatio conformetur foro concedentibus ejúsque legibus, atque adeò quan-

quando privilegium verſatur circa materiam fori Eccleſiaſtici, utendum SS. Canonibus ac Conſtitutionibus Pontificiis ad illud explicandum: aut legibus & Conſtitutionibus civilibus, ſi verſetur circa materiam fori civilis. Quod ſi nihilominus intentio concedentis maneat ambigua, à ſimili erit indaganda, ſpectatis nempe circumſtantiis loci, temporis ac perſonarum, quæ concedit privilegium, & cui illud conceditur; qui enim arguit à veroſimili, arguit à ratione naturali; quia veriſimilitudo eſt germana naturæ, & qui pro ſe habet veroſimile, habet cauſam legis pro ſe, ùt ait Cravetta *Conſil. 292. n. 6.* Qua de re videri poteſt Suarez *L. 8. de Leg. cap. 29.* Donatus *to. 1. p. 1. tr. 8. Q. 1.* Auguſtinus Michelius *de privil. punct. 4. & alii.* Ex regulis porrò hactenus ſtatutis plurimæ poſſunt, quæ hac in re occurrere ſolent, difficultates reſolvi, verùm cùm potiſſima ſit in interpretatione privilegii favorabilis & odioſi, hinc ulterius

36 Dico 6tò. *Privilegia purè favorabilia latè ſunt interpretanda, quantum patitur juridica verborum ſignificatio & proprietas.*

Ita Navarrus *in Sum. cap. 12. n. 79.* Sylveſter *V. privilegium q. 3.* Suar. *de Leg. L. 8. cap. 27.* Haunoldus *de J. & J. tr. 1. n. 189.* Donatus *to. 1. tr. 8. Q. 6.* Auguſt. Michelius *de privil. punct. 4.* & alii communiſſimè. Ratio eſt; quia privilegia purè favorabilia ſunt merum beneficium, ac purus favor ac gratia: ſed beneficium, favor & gratia latè quin & latiſſimè ſunt interpretanda juxta *cap. Quia circa 22. de privileg.* ubi dicitur: in privilegiis pleniſſimam interpretationem adhibendam eſſe. & *cap. Olim 16. de V. S.* Beneficia Principum largiſſimè interpretanda. & *L. Beneficium 3. ff. de Conſtitut. Princip.* Beneficium Imperatoris quàm pleniſſimè interpretari decet, quibus accedit regula Juris 15. in 6. juxta quam favores convenit ampliari. Inter privilegia verò favorabilia referuntur ea omnia, quæ in Corpore Juris clauſa ſunt; eo ipſo enim, quòd iſtius Corpore claudantur, cenſentur eſſe pars Juris communis, ſimúlque continet rationem legis & favoris communis: unde ſicut Jus commune favorabile eſt, ita & hujuſmodi privilegia ſunt favorabilia, & conſequenter ſub hac ratione latè ſunt interpretanda. Huc referunt quoque Doctores privilegia omnia, quæ in perpetuum conceduntur Religionibus, non præciſè quia favent Religioni, ſed quia ob ſuam perpetuitatem reputantur, ac ſi Corpori Juris eſſent inſerta. 2dò. Privilegia in favorem Religionis, Eccleſiæ, aut cauſæ piæ conceſſa cenſentur pariter eſſe purè favorabilia, etiamſi aliquo modo derogent Juri communi; nam, ùt ait Papinianus. *L. ſunt perſona 43. ff. de Relig.*

Digitized by Google

Relig. & ſumpt. funer. ſumma eſt ratio, quæ pro Religione facit: huc quoque referenda ſunt privilegia, quæ cedunt in bonum commune Reipublicæ, qualia ſunt privilegia militum, & Profeſſorum atque his ſimilia, expedit enim ſummopere Reipublicæ & bono communi his perſonis & cauſis favere, ut alii alliciantur ad arduas hujusmodi functiones obeundas: unde largiſſimam quoque recipiunt interpretationem. 3tiò. Privilegia ex certa ſcientia aut motu proprio conceſſa, inter favorabilia numerantur atque adeò latè interpretanda ſunt *arg. cap. ſi motu. 23. de Prabend. in 6.* tum quia hujusmodi privilegia ſunt propriè beneficia Principis: proinde decet ejus honorem & liberalitatem larga interpretatio: tum quia hæ clauſulæ privilegiis inſertæ habent vim ſpecialis derogationis, ac derogant omni legi & privilegio ſibi contrario, & tollunt omne Juris obſtaculum *L. Idem Ulpianus. §. fin. ff. de excuſat. tutor.* 4tò denique privilegia, quibus conceditur generalis poteſtas abſolvendi aut diſpenſandi, purè favorabilia ſunt & conſequenter latiſſimá patiuntur interpretationem; tum quia nec communi nec privatorum Juri præjudicant, tum quia continent meram gratiam & favorem, ſolique præjudicant concedenti, qui volens lubénsque hanc poteſtatem ſibi competentem cenſetur aliis communicare. Aliud eſt dicendum de ipſa diſpenſatione, utpote quæ ſtrictam habet interpretationem ex Reg. Jur. *141. & 28. in 6tò.* quia diſpenſatio eſt relaxatio quædam Juris communis & contra Jus: quæ autem ſunt contra Jus & ad relaxationem illius tendunt, ſtrictè interpretari debent, ùt mox videbimus. Unde

Dico 7mò. *Privilegia odioſa & Juri communi adverſantia ſtrictè ſunt interpretanda.* 37

Ita rurſus communiſſima Doctorum, deſumitúrque *ex cap. porrò 7. & cap. ſanè 9. de privileg.* & *ex cap. Cum dilectus 8. de Conſuet.* quibus accedit Reg. Jur. 15. in 6. ubi dicitur, quod odia reſtringi conveniat. Ratio eſt; tum quia derogatio Juris communis utpote odioſa vitari debet, quantum patitur proprietas verborum & materia privilegii, ita ut concedens non debeat cenſeri plus Juri communi derogáſſe, quàm expreſsè per verba declaret: tum quia ex ea parte, qua privilegium derogat Juri communi, continet diſpenſationem in Jure, quæ tanquam vulnus legis ſtricte interpretanda eſt: 38
tum denique, quia pro Jure communi militat bonum commune ac favor communis: econtra pro privilegiato ſtat tantùm bonum particulare & favor privatus; bonum autem commune & favor communis prævalere debet bono particulari ac favori privato, ùt benè diſcurrit Auguſtin. Michelius *de privil. punct. 4. n. 6.* Atque hinc juxta eundem qui

ha-

habet privilegium eligendi ſibi Confeſſarium, non poteſt eligere non approbatum, ſed debet unum ex approbatis eligere: ſic etiam Religioſus habens licentiam extra clauſtrum manendi, non tamen propterea poteſt absque habitu religioſo incedere: ratio eſt, ùt idem addit; quia permiſſio in genere mediocritatem reſpicit, *arg. L. ult. §. 1. C. communia de Legatis.* & *L. Legato generaliter ff. de Legat.* tum quia in dubio Jus commune eſt in poſſeſſione: ergò quàm minimum fieri poteſt lædi debet. Hæc autem non ita ſtrictè accipienda ſunt, ut privilegium reddant inutile & inefficax aut illuſorium, ac præter Jus commune nihil concedant; eſt enim de ratione privilegii, ut aliquid concedat *arg. cap. in his. 30. de privil.* & *L. non dubium 5. de Leg.* & nos pluribus docuimus ſupra; & ratio eſt, quia indecens eſt, ut voluntas concedentis ſit inanis ac fruſtranea: cùm ergò hæc ſemper tendat ad aliquid concedendum privilegiato ſupra id, quod aliàs licebat, ſequitur, ſemper ita illius mentem eſſe interpretandam, ut aliquid concedat, (quantumvis ſit aliquando odioſum, nonnunquam etiam expreſsè exceptivum aut diſpenſativum à jure communi) atque hinc docent Authores communiter, quòd privilegium utcumque odioſum ad ea quoque extendi debeat, quæ neceſſariò & inſeparabiliter connexa ſunt, & ſine quibus privilegium habere non poſſet effectum; qui enim dat formam rei, dat etiam ea, quæ ad illam requiruntur. Multo minùs ita ſtrictè interpretanda ſunt privilegia utut odioſa ac Juri communi adverſantia, ut onerofa fiant privilegiato, eidémque potiùs aliquid auferant, quam tribuant; nam ùt habet Reg. Jur 61. in 6. quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. Quomodo verò interpretandum ſit privilegium ſtatuto aut conſuetudini particulari contrarium, non conveniunt Authores, aliis latè, aliis ſtrictè interpretandum cenſentibus. Mihi verò hac in re diſtinquendum videtur: vel enim privilegium eſt quidem contrarium ſtatuto aut conſuetudini particulari, ſed tamen conforme Juri comuni & tunc eo ipſo, quòd faveat Juri comuni ejusmodi privilegium, favorabile eſt, & conſequenter latè interpretandum: vel privilegium adverſatur ſtatutis & conſuetudinibus particularibus haud tamen contrariis Juri communi, & tunc erit ſtrictè interpretandum, cùm ſit æquè odioſum ac ipſum privilegium repugnans Juri comuni, atque adeò eadem quoque eſt utrobique ratio.

38 Dico 8vo. *Privilegia, quæ cedunt in notabile præjudicium tertii ſtrictè ſunt interpretanda & reſtringenda quantum patitur verborum proprietas.*

Ita deſumitur ex pluribus Juris utriusque textibus, quibus vel apertè innuitur aut omnino ſupponitur, S. Pontificem aut Principem ſupremum non poſſe ſubditis ſuis auferre Jus ſuum, niſi bonum Reipublicæ id expoſcat; quia Jus naturale dictat, neminé eſſe lædendū, Jus ſuum unicuiq; tribuendum *§. Juris 3. Inſtit.* & *L. Juſtitia. 10. §. Juris 1. ff. de J. & J.* atqui Jure naturali indiſcriminatim omnes tam SS. Pontifices, quàm ſupremi Principes obligantur: ergò non poſſunt aliquem lædere, aut Jus ſuum cuiquam auſferre: ſed quidquid fit in notabile præjudicium tertii, vel Jus illius lædit, vel Jus quæſitum auffert: ergo nihil fieri poteſt in notabile præjudicium tertii, aut ſi quidquam vel à S. Pontifice vel ab alio in illius præjudicium fieri contingat, ſtrictè interpretandum eſt, atque ita reſtringendum, ut quàm minimùm lædatur Jus tertii. Ex quo fit, quòd S. Pontifex aut Princeps concedens privilegium, nunquam præſumatur velle derogare vel tollere Jus alteri quæſitum, aut Jure ſuo privare, niſi exprimat, cùm dicat Imperator *L. nec avus. 4. C. de emancipat. liberor. nec in cujusquam injuriam beneficia tribuere moris eſt noſtri.* ſimilia habentur *L. Prætor. 2. §. merito. 10. & ſequenti. ff. ne quid in loco publico.* & *L. impuberi. 4. de Adminiſtrat. Tutor.* quibus maximè concordat Jus Canonicum *cap. licet. 12. de Off. Jud. Ord. cap. certificari 9. de ſepultur. cap. Quamvis 8. de Reſcript. in 6.* ubi expreſsè dicitur: *quidquid fit, intelligitur fieri ſine præjudicio tertii. cap. Ex tuarum 5. de auct. & uſu Pall.* ubi Gloſſ. *V. permittat* ait: licet Papa alicui det privilegium, non vult tamen, ut eo utatur in præjudicium alicujus; & *cap. Super eo 15. de Offic. Jud. deleg.* S. Pontifex inquit: *non eſt noſtræ intentionis alicui præjudicium generare.* & *cap. Sua nobis. 9. de confirm.* ait: *cùm nolimus Jura quæ Diœceſanis debentur lædi vel minui, mandamus &c.* Atque hinc in privilegiis vel expreſsè additur vel ſaltem ſubintelligitur clauſula: *Salvâ Juſtitia*, aut *ſalvo Jure tertii*, docéntque Authores communiter, verba privilegii potiùs in ſenſu minùs proprio ſumenda eſſe, quàm ea in aliorum detrimentum ac præjudicium interpretari. *L. ſi quis à Principe 3. ff. ne quis in loco publico*: quin etiam aliqui volunt cum Auguſtino Michelio *hìc n. 16.* quòd ſi iſtud non ſufficiat, privilegium potiùs pro inani ac irrito habendum tanquam ſub- vel obreptitiè impetratum, quàm ut cenſeatur S. Pontifex aut Princeps alicui Jus ſuum auferre velle; quia minus abſurdum eſſe videtur, in Principe actum odioſum fateri quâm injuſtum, cùm non poſſit, neque etiam ex citatis Juribus velit quemquam ſuo Jure privari, niſi ob cauſam publicam ac urgentem neceſſitatem: idque procedit, etiamſi tale privilegium adjunctas habeat clauſulas, motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, niſi eidem etiam addatur

clauſula: non obſtante Jure & præjudicio tertii; per hanc enim clauſulam privilegio inſertam ſatis intelligitur velle tertio præjudicare etiam in magnis Juribus, ùt notat, *Tuſchus litt. C. concl. 340. n. 13.* Idipſum cenſetur Princeps vel S. Pontifex facere velle tunc, quando aliquam concedit gratiam, quam ſcit non poſſe verificari nec ſuum habere effectum, niſi cum præjudicio tertii, ùt cùm alicui Ordini aut Monaſterio concedit exemptionem à jurisdictione Epiſcopali, hoc ipſo cenſetur etiam aliquid velle in præjudicium Epiſcopi concedere, ac Jus aufferre, quod priùs habebat in talem Ordinem ac Monaſterium, prout pluries per Rotam deciſum fuiſſe refert Aloyſius Riccius & Tamburinus *to. 1. D. 15. Q. 4. n 31.* in diverſis materiis exemptionis, penſionis, dotis, decimarum, uſusfructus, & beneficiorum: ſed hæc ſcientia verificanda eſt in Principe, & ſimul qualitas læſionis, quam per ſuum infert privilegium. Caſu verò, quo Princeps vel S. Pontifex aliquid concedit in præjudicium tertii, cenſetur is uti abſoluta qua gaudet poteſtate, gravémque habere cauſam id concedendi, ſaltem ſi præjudicium ſit grave ac notabile: ſi verò tantummodò leve ſit ac modicum, æſtimari non ſolet *arg. cap. Ad aures 8. junct. Gloſſ. V. intentionis, de Reſcript.*, idque tollit clauſula; Ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis, ùt ſupra diximus de clauſulis.

Dico denique 9no. *Privilegia in materia ambitioſa, vel ſcandaloſa ſtrictè quoque interpretanda ſunt, & in iis ſemper minimum verborum ſignificatum accipiendum.* 39

Ita communiſſima tum Canoniſtarum tum Theologorum ſententia; & quoad primam quidem partem id expreſsè deciſum habetur *cap. Quamvis. 4. de Præbend. in 6.* ubi dicitur: quòd litteræ ſeu privilegia ſuper beneficiis impetrandis, cùm ſint ambitioſæ, reſtringi debeant. Dicitur autem materia ambitioſa, quam multi competitores ambire & prenſare ſolent, quod præcipuè contingit in beneficiis Eccleſiaſticis, ubi ſubreptiones vel aliæ importunæ preces facilè interveniunt, & S. Pontificem vel invitum cogunt concedere, quod aliàs non eſſet conceſſurus: unde illa reſtringi vult S. Pontifex. Et ratio eſt; quia hujusmodi privilegia ac reſcripta continent mandatum de proviſione facienda: ſed fines mandati diligenter cuſtodiendi ſunt, nec excedendi, *L. diligenter. 5. ff. mandat.* ergò & hujusmodi privilegia ac reſcripta. Atque hinc, ut rem hanc caſibus in Jure expreſſis illuſtrem, ſi alicui uſque ad certam ſummam provideri mandet S. Pontifex, ei non in penſione ſed in beneficiis Eccleſiaſticis provideri debet, niſi

de penſione ſpecialis & expreſſa fiat mentio. *cap. Quamvis. 4. de Prabend. in 6.* 2dò. Si cui Papa privilegium conceſſit, quo mandat ei beneficium conferri in civitate vel Diœceſi, conceſſio non eſt extendenda ad beneficium Eccleſiæ Cathedralis, quamquam ſub nomine Eccleſiarum civitatis comprehendatur. *cit. cap. quamvis.* 3tiò. Litteræ ſuper conferendo alicui beneficio vacaturo directæ, ad beneficium poſt datam ipſarum erectum, extendi non debent. *Clementin. fin. de Reſcript.* 4tò. Si cui Papa mandet conferri beneficium vacans aut vacaturum per reſignationem, non poteſt nec debet illi conferri beneficium vacans aut vacaturum per mortem, aut viciſſim *cap. ſuſceptum 6. de Reſcript. in 6.* 5tò. Si cui concedatur privilegium ad plura beneficia, de ſimplicibus erit intelligendum; & ſi Principi ſæculari concedatur privilegium præſentandi ad vacantia beneficia, extendi non debet ad beneficia ab Ordinario providenda, ſed reſtringi ad beneficia ab ipſo Pontifice conferenda. Quod autem ad alteram concluſionis partem & privilegia in materia ſcandaloſa attinet, res eſt longè magis certa; etenim cùm univerſim ea omnia, quæ ad peccatum inducunt vel occaſionem peccandi præbent, ſint illicita, multò magis ea privilegia, ex quibus occaſio ſumitur peccandi, erunt illicita, atque adeò reſtringenda; quin & reſcindenda, præſertim cùm ea ſint contra finem privilegii, ac intentionem concedentis, qui privilegium non vult concedere in diſpendium, ſed in ſalutem animarum; & ſic reſtringi debet privilegium exemptionis, ex quo aliquis occaſionem accipit liberiùs delinquendi, aut alteri injuriam inferendi, ſpe immunitatis aut difficilioris conventionis conceptâ ex privilegio. Ad hæc referri debent ea, quæ dant occaſionem litigandi & vexandi alios, ùt ſunt privilegia Juriſdictionalia.

Sectio IV.

De uſu privilegiorum.

40 QUemadmodum omnis potentia ad actum, ita quodvis privilegium ad uſum ordinatur; ad quid enim privilegium, ſi eo non utamur, nec uti liceat? & ad quid theſaurus in terra defoſſus, nî refodiatur, aut in commodum noſtrum aut aliorum vertatur? utendum igitur privilegiis, ſed prudenter & ſobriè, ne limites excedas, quod ſolent parùm docti, omnia ſibi licere putantes: neque tamen ita meticuloſè, ut ad omnem illorum uſum trepides, ac immodicis angaris

ris ſcrupulis, ne fortè in aliquo offendaris. Dedêre SS. Pontifices Regularibus privilegia in ſalutem animarum tum ſuarum tum proximorum, ut quid igitur trepidamus illa in uſum deducere, qui vitam noſtram ſaluti propriæ ac proximorum devovimus? nemo inde læditur, gravatur nemo. Sed fortè times, ne excedas, ſed inanis hic timor eſt, modò debitam tibi comparaveris ſcientiam; fateor equidem plurimos hac noſtra ætate reperiri etiam inter Religioſos, qui, poſtquam unum alterúmve Authorem pluribus ſæpè damnatis propoſitionibus refertum perluſtrârunt, omnium ſe doctiſſimos, ac omnibus pares caſibus reſolvendis arbitrantur, dum interim ne unicum quidem ex fundamento debitè reſolvere, ac nequidem quid ſit privilegium explicare poſſint. Hos ego ſicut à S. Tribunali & à cura animarum, ita & ab uſu privilegiorum longiſſimè arcendos puto, certus quòd iis nonniſi in ſuam aliorúmque perniciem ſint uſuri: ii verò, qui ſcientia morali Juriſque Canonici doctrina probè inſtructi debitam privilegiorum Ordinis ſui habent notitiam, non eſt quod timeant illis uti, modò diſcretè & cautè id faciant, ne nimia in iis utendis facilitate aliis occaſionem præbeant liberiùs peccandi. Quæ autem in præſentiarum de uſu privilegiorum maximè controverſa ſunt: ad ſequentia capita referri poſſunt: 1mò. an quis teneatur uti privilegio in ſui favorem principaliter conceſſo? 2dò. an quis teneatur uti privilegio in favorem communitatis principaliter conceſſo? 3tiò. an privilegiatus poſſit uti privilegio ſuo adverſus alium pariter privilegiatum? 4tò. an Regulares participantes alterius Ordinis privilegia poſſint iiſdem uti contra eundem Ordinem, cui primitùs fuêre conceſſa? 5tò. an iidem ſuis poſſint uti privilegiis contra alios quoſcunque Papâ inferiores? 6to. an ubivis locorum illis uti poſſint?

41 Dico 1mò. *Nemo per ſe loquendo tenetur uti privilegio ſingulari, & in ſuum favorem principaliter conceſſo.*

Ita deſumitur ex *cap. Si de terra 6. de Privileg.* ibi: cùm liberum ſit unicuique ſuo Juri, ſeu privilegio, renuntiare; & ratio eſt; quia juxta Reg. Jur. *61. in 6.* quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium & gravamen retorquendum: atqui magnum foret gravamen, ſi quis teneretur uti privilegio ſingulari & in ſui favorem principaliter conceſſo contra ſuam voluntatem: ergo per ſe loquendo non tenetur. Dico *per ſe loquendo*; nam per accidens poteſt privilegiatus aliquando obligari, ut ſuo utatur privilegio in ſui favorem principaliter conceſſo, caſu quo concurrat alia lex, quæ ad talem actum obliget, qui ſecluſo privilegio foret illicitus, ſup-

ſuppoſito verò privilegio redditur licitus & obligatorius; ſic v. g. die feſto audiendum eſt Sacrum ex præcepto Eccleſiæ, quod tempore interdicti non licet, niſi quis habeat privilegium, quo tamen habito, teneri tunc eo privilegiatum uti, ut ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto docent communius AA. cum Bonacina *D. 1. Q. 3. §. 1.* Suarez *de Leg. L. 8. cap. 23. n. 8.* Sanchez *L. 9. de matr. D. 6. n. 15.* Aug. Michelio *to. 1. tr. 4. de Leg. Q. 7. punct. 3.* ex ratione; quia per privilegium fit licitum, quod antea non erat licitum, & reſpectu talis privilegiati deſinit in hoc caſu ac ſuſpenditur interdictum, quo ſublato aut ſuſpenſo redit etiam ac reviviſcit præceptum Eccleſiæ obligans ad audiendum Sacrum; contrarium tamen, & ne tunc quidem teneri privilegiatum ad audiendum Sacrum & utendum ſuo privilegio tradunt ſatis probabiliter Alterius *de Cenſur. to. 2. D. 2. cap. 3. in fin.* & Diana *tr. de Hor. Canonic. Reſolut. 43.* cum aliis ob hanc ipſam, quam pro concluſione noſtra probanda adduximus rationem.

42 Dico 2dò. *Privilegio communi tenentur omnes uti, qui ſunt de communitate, in cujus favorem privilegium principaliter conceſſum eſt.*

Ita communis Authorum, ſumitúrque ex *cap. Si diligenti 12. de foro compet.* ubi dicitur: pacto privatorum Juri publico minimè derogari poſſe; unde etiam probatur concluſio: nemo de communitate poteſt renuntiare privilegiis principaliter in ſuæ favorem communitatis conceſſis, ùt inferius pluribus probabitur: ſed ſi quis de communitate caſu aliquo dato non uteretur privilegiis in favorem communitatis conceſſis, cenſeretur iiſdem renuntiare: ergò tenetur dato caſu privilegiis uti in communitatis favorem conceſſis. Atque hinc tam Prælati, quàm cæteri Religioſi diviſivè ſumpti, caſu quo aliquod privilegium in bonum Ordinis aut Monaſterii conceſſum occurrat utendum, tenentur eodem uti, ne cenſeantur renuntiare, quod neque licitè neque validè poſſunt *arg. cap. cùm tempore 5. de arbitr.* Sic etiam Clerici tenentur uti privilegiis in favorem Ordinis Clericalis & Eccleſiaſtici conceſſis: atque ideò citati ad tribunal ſæculare tenentur uti ſuo privilegio exemptionis fori, & non poſſunt coram illo comparere, ne præjudicent toti ſtatui Clericali, cujus indiviſim quaſi unius perſonæ eſt iſtud privilegium immunitatis & exemptionis à Judicio ſæculari, ùt expreſsè ſtatutum habetur in cit. *cap. Si diligenti 12. de for. compet.* ubi S. Pontifex ſic infert: unde manifeſtè patet, quòd non ſolùm inviti, ſed etiam voluntarii paciſci non poſſunt, ut ſæcularia Judicia ſubeant,

cùm

cùm non ſit beneficium hoc perſonale, cui renuntiari valeat, ſed potiùs toti Collegio Eccleſiaſtico ſit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non poteſt. Similiter in caſu, quo imponuntur onera, collecta, angariæ &c. tenentur ſe Clerici ac Religioſi tueri exemptione fori ac immunitatis ab hujusmodi exactionibus, utpote à quibus liber eſt ſtatus Eccleſiaſticus per Bullam Cœnæ, per *cap. non minùs 4.* & *per cap. adverſus 7. de immunit. Eccleſiar.* Sic etiam tenentur uti privilegio Canonis, eóque ſe tueri debent, nec eidem quantumvis velint renuntiare poſſunt, ùt habetur *cap. Contingit. 36. de ſentent. excommunic.* ubi S. Pontifex rationem addit: quia Canon *Si quis ſuadente* non tam in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis Clericalis fuit promulgatus. Ex quibus patet mortaliter peccare tum Clericos, ſi privilegiis fori & Canonis quid adverſum committant, tum etiam Religioſos, ſi ſuis non utantur privilegiis in grave præjudicium Monaſterii aut Ordinis, prout ſæpiſſimè & in dies fieri videmus, dum Prælati vel ex innata vecordia, aut ex inſcitia prorſus ſupina, vel ex humano reſpectu & inani reſpectu negligunt ſua defendere privilegia & Jura, aut certè iis non utuntur cùm deberent, unde Monaſterio ſuo ac toti etiam Ordini graviſſima damna accerſunt, nullo ampliùs tempore, nullisque impendiis reparanda: qua in re quis dubitet, quin graviſſimè peccent; cùm faciant contra præceptum graviter obligans ad bonum communitatis procurandum vel ùt illius caput, vel ſaltem ùt membra. (*Adde*; hanc concluſionem tunc ſolùm admitti poſſe, quando privilegium jam habet uſum univerſalem in toto Ordine, aut in integro regno, ita ut particularis per non uſum toti Ordini inferat grave præjudiciũ. Præterea requiritur, ut illud privilegium ſit maximi momenti; alioquin non erit reus peccati mortalis, imò nullius, qui privilegio non utitur, niſi ſit ſimul præceptivum.)

Dico 3tiò. *Privilegiatus poteſt uti ſuo privilegio adverſùs alium pariter privilegiatum, ſi ſit in poſſeſſione, aut agat de damno vitando.* 43

Ita clarè deciſum videtur *L. fin. ff. ex quibus cauſis major.* juncta Gloſs. marg. ibidem, ubi abſens Reipublicæ causâ reſtituendus dicitur contra alium pariter privilegiatum & abſentem Reipublicæ causâ, ſi aliquid damni juſtè queratur in abſentia ſua paſſum fuiſſe; quia licèt par utriusque ſit cauſa, hic tamen agit de damno vitando, quale nullum alter eſt paſſus, & conſequenter huic præfertur ille, qui damnum eſt paſſus. Sic etiam *L. minor 25. annis. ff. de Minorib.* ſtatuitur, quòd ſi minor viginti quinque annis filiofami-

familias minori pecuniam mutaverit, qui dein illam conſumpſit, melior ſit cauſa conſumentis, niſi ex hoc locupletior inveniatur ille, qui accepit: quod fieret in caſu, quo pecuniæ ſaltem æquivalenter adhuc extarent penes minorem mutuarium, tunc enim procul dubio concedenda foret minori mutuanti reſtitutio L. *34. ff. de Minorib.* & *arg. cap. auditis 3. de in integr. reſtitut.* & ratio eſt, quia in ejusmodi caſibus nullius privilegium derogat alteri, neque per hoc, quòd unus habeat ſimile privilegium, poteſt illum alter impedire ab illius uſu: & univerſim ſemper eſt melior conditio rei ac poſſidentis. Atque hinc etiamſi quis habeat privilegium exemptionis à decimis ſolvendis, ſimiléque privilegium habeat alius exigendi decimas in toto ſuo territorio aut Parochia, prior poteſt uti ſuo privilegio adversùs hunc decimas exigentem, tum quia eſt in poſſeſſione ſuarum decimarum, tum quia agit de damno vitando.

44 Neque obſtat vulgatum ac commune Juriſtarum axioma, quo dicunt: Privilegiatum contra pariter privilegiatum uti non poſſe nec gaudere privilegio ſuo, prout expreſsè dicitur L. *ſed & milites. ff. de excuſat. Tutor.* & *in Authent. quas actiones. C. de Sacroſ. Eccleſ.* & *Authent. de ſanct. Epiſc. coll. 9. §. ſed hac præſenti.* & *L. verum. cum ſeq. ff. de Minor.* ubi expreſsè habetur, quod habens privilegium non utitur eo contra habentem ſimile privilegium, ex quo natum eſt proverbium, quòd inter perſonas privilegiatas confunduntur & conquaſſentur privilegia, & quòd inter eas attendendum ſit jus commune, & hoc ideò, quia inter pares ſubintrat eadem Juris diſpoſitio *cap. inter corporalia 2. de transl. Epiſc.* Etſi verò hæc ita ſe habeant, & hoc Juriſtarum axioma procedat in iis, ubi concurrit omnimoda æqualitas, & par eſt utriusque ratio, aliter tamen diſcurrendum in illis, ubi unus agit de damno vitando, aut eſt in poſſeſſione rei ſuæ; ſi enim duo privilegia omninò æqualia ſimul concurrant, cùm unum alteri reſiſtat, non poteſt haberi aut ſequi uſus unius privilegii contra uſum alterius, & ſic unus privilegiatus contra alium pariter privilegiatum ſuo non poteſt uti privilegio, & in tali caſu confunduntur & conquaſſantur privilegia, & tunc Jus commune erit attendendum, ùt poſt multos allegatos docet Covarruvias *Reg. poſſeſſor. p. 2. §. 2.* & *Quæſt. practic. cap. 7.* cujus rei clarum habetur exemplum in L. *verum 11. §. fin. ff. de Minorib.* ubi minor mutuans pecuniam alteri minori, quam iſte amiſit, non poteſt contra hunc uti privilegio reſtitutionis in integrum; quia uterque ratione ætatis & læſionis habet privilegium reſtitutionis in integrum, & uterque agit de damno vitando, & conſequenter unus contra alterum non poteſt uti privilegio reſtitutionis in integrum, ſed in hoc caſu confunduntur & conquaſſantur privilegia.

Quam-

45. Quamvis igitur hoc axioma locum habere poſſit in iis, in quibus datur omnimoda æqualitas, & par eſt utrobique ratio, fallit tamen in pluribus aliis, & quidem ùt dictum eſt, ubi agitur de damno vitando, & ex parte altera de lucro captando, & multò magis, ubi unus poſſidet ùt reus, & alter prætendit ùt actor, prout ſtatuitur *cap. fin. de ſent. & re Judicat.* Similiter non procedit in iis, ubi privilegia ſunt diverſa, unum generale, & alterum ſpeciale, generali enim præfertur ſpeciale; quia ſpecies derogat generi *Reg. Jur. 34. in 6.* aut ſi unum ſit magis abſolutum, alterum autem habeat imbibitam conditionem, & tunc reſpectu prioris manebit ſuſpenſum: & hinc ſi una Eccleſia habeat privilegium non ſolvendi decimas, altera verò exigendi, non poteſt hæc priorem cogere ad ſolvendas decimas; quia privilegium exigendi decimas cenſetur eſſe conditionatum, niſi alter habeat privilegium exemptionis à ſolvendis decimis. Sic neque procedit hoc axioma in iis, ubi privilegia eadem quidem concurrunt in ſpecie, ſed unum eſt potentius altero, tunc enim is, qui potentius habet privilegium poterit illo uti contra alium ſimile privilegium habentem. Illud autem dicitur privilegium potentius, vel quod eſt conceſſum ex cauſa magis favorabili, ùt eſt illud viduarum ac pupillorum: vel quod eſt majoris indigentiæ ac neceſſitatis, ùt eſt illud minorum reſpectu aliorum ſub patria poteſtate ſtantium: vel quod eſt utilius bono communi ac minùs nocens Juri communi, ad quod magis attenditur quàm ad illud, quod eſt minùs utile bono communi, & magis nocet Juri communi; & ſic de aliis, quorum multa refert exempla Covarruv. l. c. Utrum verò hoc ipſum axioma locum habeat in eo caſu, quo inter duos Ordines Regulares oritur controverſia, & unus eorum alterius Ordinis privilegia participat per communicationem, an nempe hic poſſit iisdem uti contra priorem Ordinem, cujus communicat privilegia, an verò ita confundantur ac conquaſſentur, ut unus nequeat contra alium ſuis gaudere privilegiis? major difficultas eſt, pro cujus deciſione

Dico 4tò. *Regulares participantes alterius Ordinis privilegia, poſſunt iisdem uti contra eundem Ordinem, cui primitùs fuêre conceſſa, & cujus privilegiis per communicationem gaudent.* 46

Probatur: Privilegia alicui Ordini primitùs conceſſa, facta aliis communicatione ita perfectè & adæquatè illis communicantur, ut eisdem cenſeantur propria, & abſolutè ac de novo conceſſa ita quidem, ut ſine ulla à privilegiis primò conceſſis dependentia poſſint uti communicatis ſibi privilegiis non ſecùs ac ſi ipſis pri-

primitùs fuiſſent conceſſa, ùt patet ex natura communicationis, quæ ferè ſemper eſt nova & abſoluta privilegiorum conceſſio: ſed ſi participantes alicujus Ordinis privilegia poſſunt æquè principaliter, abſolutè, & independenter uti communicatis ſibi privilegiis & quidem tanquam propriis, non eſt ratio, cur non poſſint iisdem uti contra illum Ordinem, cujus communicant privilegia; cùm ab illo nullatenus in eorum uſu dependeant, ac non aliter ſe habeant, quàm ſi ipſis eadem privilegia in ſpecie fuiſſent primò conceſſa: ergò poſſunt communicatis ſibi privilegiis uti etiam contra illum Ordinem, cujus per communicationem gaudent privilegiis. Atque hinc licèt FF. Minoribus primitùs fuerit conceſſum privilegium, quo prohibetur, ne quis alius Ordo infra ſpatium 140. Cannarum ædificare poſſit Monaſterium, ſi deinde ipſi velint aliquod ædificare intra tale ſpatium, poſſunt alii Ordines privilegia FF. Minorum participantes, ùt ſunt Minimi aliique hoc ipſum, quod ab ipſis habent, privilegium objicere, eóque ſe tueri, ac illis prohibere novi Monaſterii intra tale ſpatium ædificationem, idq́ ideò, quia per communicationem privilegia FF. Minorum prædictis Ordinibus ita propria ſunt effecta, ac ſi illis primitùs in ſpecie fuiſſent conceſſa; & ſic de aliis diſcurrendo privilegiis. Hæc ipſa tamen de iis tantùm privilegiis intelligenda ſunt, quæ perfectè, independenter, & abſolutè communicantur, non verò de illis, quæ tantùm communicantur imperfectè, relativè & acceſſoriè propter connexionem, dependentiam, & conjunctionem, quam habent cum illis, quorum gaudent privilegiis, ùt ſunt Converſi, Commiſſi, Oblati & Donatti; hi enim quamvis communicent in privilegiis Religionis, cui adſcripti ſunt, non tamen iis poſſunt uti contra illos, quorum intuitu talibus gaudent privilegiis, & eorum fruuntur communicatione. Ratio eſt; tum quia hujusmodi Converſi, Commiſſi, Oblati & Donati non gaudent principaliter & independenter aliorum Ordinum aut ſuæ Religionis, cui adſcripti ſunt, privilegiis, ſed ſolùm dependenter & acceſſoriè: unde Religione deſtructa, aut ejus revocatis privilegiis, eorum quoque ceſſant privilegia; quia nempe tam in eſſe, ac fieri, quàm in uſu & conſervari dependent à Religione: & conſequenter iis uti nonpoſſunt, niſi in quantum permittit ipſis Religio: ſed hæc ipſis non permittit uti privilegiis contra ſeipſam: ergò neque poſſunt contra illam communicatis ſibi privilegiis uti; neque enim, quod in alicujus favorem eſt conceſſum, in ejus odium ac diſpendium retorquendum eſt juxta *Reg. Jur. 61. in 6.* ſed retorqueretur in ejus diſpendium, ſi liceret illis uti privilegiis contra propriam Religionem aut Monaſterium, cujus intuitu gaudent privilegiis: ergò &c.

Di-

47 Dico 5tò. *Canonici aliive Regulares privilegiati poſſunt uti ſuis privilegiis contra alios quoscunque Papa inferiores.*

Ita communis DD. cum Rodriquez *to. 1. QQ. RR. quæſ. 9. art. 8.* & patet, tum quia S. Pontifex ſupremus eſt & abſolutus totius orbis Chriſtiani Princeps, & omnes illo inferiores ſunt ejusdem ſubditi: ſed Regulares ex vi ſuorum privilegiorum poſſunt iisdem uti contra omnes S. Pontificis ſubditos: ergo etiam contra quoscunque Papâ inferiores: tum quia SS. Pontifices in ſuis privilegiis Regularibus conceſſis paſſim præcipiunt locorum Ordinariis, ut eos in uſu privilegiorum ſuorum manuteneant, defendant, ac tueantur, ùt conſtat ex Bulla Sixti IV. quæ incipit: *dum ad univerſos. 10. Cal. Sept. Anno 1477.* Canonicis Regularibus Lateranenſibus data, ubi omnibus & ſingulis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis mandat ac præcipit, *ut Congregationem Lateranenſem ejúsque Canonicos faciant pacifica poſſeſſione ſuorum privilegiorum & conceſſionum liberè gaudere, non permittentes eos contra privilegiorum tenorem per Ordinarios & Rectores Eccleſiarum Parochialium ſeu alios quoscunque indebitè moleſtari, aut eis gravamen inferri, ſeu quomodocunque irrogari, contradictores quoslibet per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis*: graviſſimas præterea pœnas ac cenſuras in eos decernunt ac ſtatuunt, qui prædictos Canonicos auſi fuerint in uſu privilegiorum ſuorum perturbare, aut impedire, ùt iterum conſtat ex eadem Sixti IV. Bulla, ubi ita proſequitur: *Diſtrictiùs inhibentes eisdem Ordinariis locorum ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ & ſuſpenſionis à divinis ac regiminis & adminiſtrationis Eccleſiarum ſuarum, Rectoribus verò Parochialium Eccleſiarum, & quibusvis aliis perſonis ſub excommunicationis latæ ſententiæ & privationis earumdem Parochialium Eccleſiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitatis ad illa & alia obtinenda inpoſterum, pœnis, quas ſcienter contrafacientes eo ipſo incurrere volumus, ne Ordinem & Congregationem Canonicorum Regularium hujusmodi ac illius Canonicos, Eccleſias, Monaſteria & loca prædicta præter ac contra tenorem ac formam hujus præſentis noſtri indulti, & aliarum conceſſionum, ùt præmittitur, Congregationi prædictorum Canonicorum Regularium ſeu Eccleſiis, Monaſteriis, membris, & locis ſuis prædictis factarum quoquomodo inquietare præſumant.* Idem his ipſis penè verbis ſtatuit pro Canonicis Regularibus Congregationis Bononienſis Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Nonas April. Anno 1512.* data: idem quoque ſtatuerunt alii SS. Pontifices pro aliis Ordinibus religioſis, ùt Sixtus IV. pro Prædicatoribus ac Minoribus, pro Eremitis S. Auguſtini ac Carmelitis,

ùt videri licet in eorum mari magno: & Innocentius VIII. pro Servitis, ac Sixtus IV. pro Minimis, ùt pariter conſtat ex eorum mari magno. Jam verò ſi graviſſimæ pœnæ ac cenſuræ in eos ſtatuuntur, qui Canonicos aliósque Regulares privilegiatos in uſu privilegiorum ſuorum inquietant aut divexant: ſi omnibus ac ſingulis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis præcipitur, ut eosdem Canonicos ac Regulares in uſu privilegiorum ſuorum manuteneant ac defendant *contra quascunque perſonas cujusvis qualitatis, conditionis, gradus, Ordinis, dignitatis, nobilitatis, præeminentiæ & ſtatûs, quacunque etiam mundana vel Eccleſiaſtica aut Patriarchali præfulgeant dignitate*, ùt habet Sixtus IV. in præcitata Bulla: *dum ad univerſos*, neceſſariò ſequitur, quòd Canonici aliive Regulares privilegiati ſuis poſſint uti privilegiis contra quoscunque Papa inferiores. (*Adde*; niſi ex circumſtantiis colligatur, aliam in eo caſu futuram fuiſſe intentionem Pontificis, ſi ad has circumſtantias reſpexiſſet; quia Legislator tantùm cenſendus eſt, ſua lege vel privilegio comprehendere caſus ordinarios, non prorſus extraordinarios, quos non facile potuit prævideri)

48 Dico 6tò. *Canonici Regulares, aliique privilegiati poſſunt ubique ac in omni loco ſuis uti privilegiis, niſi ſpecialiter ſint reſtricta.*

Ita deſumitur ex innumeris SS. Pontificum Conſtitutionibus, quibus tum Canonicis tum aliorum Ordinum Regularibus illimitatè & abſolutè plurima conceſſère privilegia, nulla facta ad certum locum reſtrictione, ſic enim Sixtus IV. in Bulla: *Sedes Apoſtolica 6. Cal. Jan. Anno 1474. apud Peyrinis* expreſsè concedit, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, conceſſionibus, gratiis, & indultis conceſſis & concedendis in quacunque civitate & Diœceſi ac ubique & in quocunque loco auctoritate Apoſtolica uti & gaudere, eáque omnia & ſingula cujusvis Superioris ſuper his aut aliqua præmiſſorum licentia minimè requiſita, ac quibuscunque etiam contradictionibus, exceptionibus & impedimentis remotis prædicta auctoritate Apoſtolica liberè & licitè exercere poſſint & valeant. Et ratio eſt; quia cùm S. Pontifex ſit in Spiritualibus Dominus totius orbis Chriſtiani, & ejus territorium per omnes mundi partes ſe extendat, ejúsque poteſtas nullo loco concludatur, eo ipſo, quod Regularibus abſolutè & illimitatè privilegia concedat, præſumitur poteſtatem facere in omni loco illis utendi, ſi enim voluiſſet ea pro aliquo determinato loco non valere, debuiſſet id exprimere: ſed in plurimis privilegiis id non expreſſit:

er-

ergò præſumi debet poteſtatem feciſſe ubique & in omni loco privilegiis utendi, juxta Reg. Jur. 57. in 6. contra eum, qui legem dicere potuit apertius, facienda eſt interpretatio. Dixi tamen, niſi ſpecialiter ſint reſtricta; quia multa dantur privilegia, quæ vel ab ipſis SS. Pontificibus privilegia concedentibus ad certum locum reſtringuntur, ùt ſunt ea, quæ Prælatis concedunt facultatem benedicendi aut conſecrandi res ſacras pro ſuis tantùm Eccleſiis: vel à Succeſſoribus SS. Pontificibus aut etiam à Conciliis Generalibus, præſertim Lateranenſi, ac Tridentino, qualia ſunt ea, quæ concedebant Regularibus poteſtatem ubique Sæcularium confeſſiones audiendi & abſolvendi à peccatis & cenſuris, quæ modo ſunt ita reſtricta, ut id non amplius liceat ſine prævia approbatione Epiſcopi illius loci, in quo audiuntur, quæ & alia plura his ſimilia ſuis quæque locis examinabuntur. (*Adde*; aliqua privilegia cenſenda eſſe reſtricta ex intentione rationabiliter præſumpta concedentis, ea videlicet, quæ ſi exercerentur loco & tempore incongruo, facilè inducerent indecentiam publicam, aut perturbationem, aut ſcandalum, aut præjudicium. Quilibet enim tenetur interpretari mentem & intentionem concedentis, prout conſonat principiis prudentiæ, & ſanæ rationis.)

49 Cæterùm etſi Regularibus uti liceat, atque etiam taliter utendum ſit privilegiis ſibi conceſſis, cavendum tamen, ne quis excedat in uſu privilegiorum, ac paſſim illis abſque ulla neceſſitate utatur; ſunt enim privilegia media extraordinaria contra Jus aut ſaltem præter Jus, & quædam diſpenſationis ſpecies ac vulnus legis: ipſa verò ratio cuique dictat, mediis extraordinariis non eſſe utendum, nec diſpenſationem in Jure ſine cauſa adhibendam, niſi raro admodùm & quando media ordinaria non ſufficiunt, ac diſpenſationem ſuadet gravis ratio, ne aliàs ob frequentiorem uſum vileſcant ac contemnantur tam ipſa privilegia, quàm res Eccleſiaſticæ, ac prætereà Regulares ipſi adhuc magìs exoſi fiant adverſariis ſuis, qui ſemper invidis ſolent oculis reſpicere tot privilegia iisdem conceſſa, ex quibus deinde occaſionem ac anſam ſumere ſolent, frequentes ac penè innumeras ad ſedem Apoſtolicam deferendi querelas, prout hactenus factum eſt, & in dies fieri contingit, quibus tandem & effectum eſt, ut immoderatior hic uſus privilegiorum in immenſum fuerit reſtrictus, pluràque fuerint privilegia omninò revocata, quæ fortè etiamnum vigerent, ſi in iis utendis moderatiores fuiſſent quidam Regulares. Utendum fateor equidem privilegiis, ſed ſobriè & cum grano ſalis, túncque tantùm quando id ſuadet urgens neceſſitas & bonum aliquod conſecuturum allucet, ſi inde major Dei gloria ſperatur, & ad animarum ſalutem conducit, ùt rectè monet Alviſetus *S. 3. c. 7.* TRA-

DISPUTATIO IV.

De revocatione privilegiorum.

COnſideravimus hactenus, quæ ad naturam, acquiſitionem, ac privilegiorum conſtitutionem pertinere videbantur, nunc nobis eorum quoque interitus ſpectandus eſt, ac videndum, quomodo iterum deſinant. Inter varios autem ejusmodi modos is facilè princeps eſt ac præcipuus, quo privilegia revocantur iterum & ad nihilum reducuntur. An verò & quomodo privilegia præſertim Regularium revocari poſſint, aut re ipſa fuerint revocata, difficultas hic eſt, ſi quæ alia longè maxima, quam augent SS. Pontificum Conſtitutiones admodùm variæ, declarationes Cardinalium ſibi invicem contrariæ, Authorum ſententiæ inter ſe tanquam pro aris & focis pugnantes, dum quisque in ſuo ſenſu abundat, & pro ſuo affectu Jus dicit, ac pro arbitrio recipit quod placet, damnat quod diſplicet, ut ita vix integrum ſit, certi aliquid divinare, aut probabile ab improbabili ſecernere, his pro ſe diverſas Cardinalium declarationes ac Conſtitutiones Pontificias, illis alias atque alias pro ſe allegantibus, ut ſanè in hoc labyrintho, ſi in ulla alia materia Ariadne filo ſit opus, quo ſe quispiam ab eodem expediat, & neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinet. Id equidem hìc nobis unicè propoſitum, an verò metam ſimus aſſecuti, æquus ac prudens Lector ſepoſito partium ſtudio arbitrabitur; nobis enim ſufficiet, probabiliora ac magis certa propoſuiſſe. Ea porrò quæ hic præ cæteris diſcutienda veniunt, ad ſequentia potiſſimùm capita referri poſſunt: 1mò. Qualiter & quibus modis derogetur Juri communi, privilegiis, ac Conciliis generalibus præſertim Tridentino? 2dò. Quænam privilegia revocari poſſint? 3tiò. An & à quibus revocari poſſint privilegia Regularibus conceſſa? 4tò. Quænam privilegia Regularium fuerint revocata à Concilio Lateranenſi quinto & Tridentino? 5tò. An & quænam vivæ vocis oracula fuerint à SS. Pontificibus Gregorio XV. & Urbano VIII. revocata? quæ omnia longam ſibi diſputationem depoſcunt. Sit igitur

Sectio

Sectio I.

Quibus modis revocari poſſint privilegia?

1 REvocatio privilegii ex vi nominis ſui nil aliud eſt, quàm gratiam alicui à ſe factam, ad ſe iterum vocare, fitque tunc, quando concedens privilegium aut ejus ſucceſſor declarat, ſe nolle, ut illud amplius ſubſiſtat: hæc verò revocatio dupliciter fieri poteſt tacitè & expreſſè. *Tacita* revocatio privilegii fit, quando Princeps vel concedens non quidem verbis expreſſis illud revocat, attamen actum facit ipſi privilegio contrarium & incompoſſibilem, per quem actum ſubſiſtere non poteſt privilegium, nec ſuum effectum habere, ut, ſi concedens Regularibus exemptionem à tributo, juberet poſtea id ab eis exigi; ad hoc autem requiritur, ut Princeps notitiam habeat privilegii priùs conceſſi; ſi enim nullam illius habuerit, nec præſumi poſſit ex verbis poſterioris privilegii aliquam habuiſſe notitiam prioris, huic nullatenus derogatur per poſterius; nàm ad revocandum privilegium, aut eidem derogandum requiritur voluntas Principis eidem derogandi: hanc autem voluntatem habere non poteſt, ſi nullam illius habet notitiam, ut colligitur *ex cap. Nonnulli. 28. de Reſcript.* & multò clariùs *ex cap. licet. 1. de Conſtitut. in 6tò.* ubi dicitur: *Licèt Romanus Pontifex Conſtitutionem poſteriorem, priorem, quamvis de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcatur: quia tamen locorum ſpecialium & perſonarum ſingularium conſuetudines & ſtatuta poteſt probabiliter ignorare, ipſis per Conſtitutionem noviter editam (niſi expreſsè caveatur in ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.* Revocatio *expreſſa* fit, quando Princeps privilegium revocat per verba expreſſa & clara, dicendo: *revocamus, annullamus, derogamus &c.* Hæc rurſus eſt vel *ſpecialis* vel *generalis. Specialis* eſt, quando revocatur ſpeciale aliquod Jus vel privilegium in particulari: *Generalis* eſt, cùm in genere & in communi revocantur omnia privilegia, indulta, & Jura in contrarium facientia abſque ſignificatione particularis alicujus privilegii, indulti, aut Juris, prout faciunt SS. Pontifices per hæc verba: *non obſtante quocunque Jure* aut *quibuscunque privilegiis*: ex quo ipſo tamen multiplex naſcitur difficultas: an & quando ſufficiat hæc clauſula generalis ad derogandum: quandò econtra requiratur ſpecialis, & expreſſa mentio illius Juris aut privilegii, cui derogatur; & quidem dubitatur 1mò, An ad derogandum

Juri comuni ſufficiat generalis clauſula, an verò requiratur in privilegio expreſſa mentio illius Juris, cui per id derogatur? 2dò. An talis expreſſa mentio requiratur ad derogandum privilegio in Corpore Juris contento? 3tiò. An ad derogandum Conſtitutionibus Conciliorum generalium requiratur in privilegio ſpecialis & expreſſa illius mentio? 4tò. Denique an ad derogandum decretis Concilii Tridentini talis requiratur ſpecialis & expreſſa illius mentio? Quibus ut ſatisfaciam

2 Dico 1mo. *Ad derogandum Juri communi ſimplici non requiritur in privilegio ſpecialis illius mentio, ſed ſufficit generalis.*

Deſumitur *ex cap. Licèt. 1. de Conſtitut. in 6.* ubi dicitur: quòd Romanus Pontifex (qui Jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) Conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamvis de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcatur: ergò ad hoc, ut privilegium deroget Juri communi ſimplici, nulla requiritur ſpecialis mentio, ſed ſufficit generalis ſub hac vel ſimili forma: *quibuscunque in contrarium non obſtantibus*: quin imò ne hæc quidem requiritur, ſi privilegium ſit ita Juri communi contrarium, ut ſuum non poſſit effectum ſortiri aut aliquam habere utilitatem, niſi Juri comuni deroget, tunc enim eidem derogat, etiamſi in eo S. Pontifex nec in ſpecie nec in genere illius faciat mentionem; quia aliàs privilegium redderetur inutile & eluſorium contra diſpoſitionem Juris ac mentem S. Pontificis, utpote qui vult, ut privilegia & ſingula eorum verba aliquid operentur, ùt habetur expreſsè ſtatutum *in cap. Si Papa 10. de privileg. in 6.* & deciditur *cap. In his. 30. de privileg.* Dixi tamen: *ad derogandum Juri communi ſimplici &c.* ſive quod nullis munitum eſt clauſulis cuicunque privilegio in futurum derogantibus; ſi enim Jus etiam commune hujusmodi clauſulis ſit munitum, aut ſpecialem & expreſſam mentionem requirat, tunc enimverò non derogatur illi per clauſulam generalem, ſed requiritur ſpecialis & expreſſa illius mentio, ùt iterum expreſsè ſtatuitur *cap. Nonnulli 28. de Reſcript.* & *cap. ex parte tua. 3. de Capell. Monach.* aut certè requiruntur aliæ eidem æquivalentes clauſulæ, quales ſunt, ſi privilegium concedatur ex motu proprio, aut ex certa ſcientia vel de plenitudine poteſtatis, quæ æquivalent ſpeciali & expreſſæ Juris communis mentioni, eidemque derogant, licèt clauſulis derogatoriis ſit munitum. Atque ſic conciliari videntur oppoſitæ Juriſtarum opiniones, dum hi volunt ad derogationem Juris communis requiri clauſulam ſpecialem: illi vero generalem ſufficere contendunt.

Dico

3 Dico 2dò. *Ad derogandum privilegio in Corpore Juris communis contento ſufficit clauſula generalis: requiritur verò ſpecialis mentio ad derogandum privilegio particulari & extra Jus commune contento.*

Deſumitur iterum *ex cap. Licet. 1. de Conſtitut. in 6.* & ex eo ſimul probatur: quòd privilegia particularia & extra Jus comune contenta cenſetur S. Pontifex probabiliter ignorare, ùt cit. cap. dicitur: econtra verò ſcire præſumitur Jus commune; cenſetur enim habere Jura omnia in ſcrinio pectoris ſui, ùt iterum citato cap. dicitur: ſed privilegia in Corpore Juris communis contenta ſunt re ipſa nihil aliud, quàm Jus commune, cùm illud conſtituat: ergò præſumitur & illa ſcire, quæ ſunt contenta in Corpore Juris communis: dum igitur privilegium concedit contrarium alteri privilegio, quod in Corpore Juris communis continetur, præſumitur eidem velle derogare etiam per clauſulam generalem tantùm: non autem cenſetur velle derogare privilegio particulari, & extra Corpus Juris communis contento, niſi ſpecialem illius & expreſſam mentionem faciat, eo quòd præſumatur nullam illius habere notitiam. Excipi tamen & hìc iterum debent ea privilegia, in Corpore Juris contenta, quæ clauſulam habent præſervativam, ut non cenſeantur revocata, niſi de illis fiat ſpecialis mentio in ſequentibus Conſtitutionibus ac privilegiis, tum enimverò non ſufficit clauſula generalis, ſed requiritur etiam ſpecialis. An verò privilegium habens clauſulam derogatoriam ad omnes futuras diſpoſitiones, ita ut non cenſeàtur revocatum in futurum, niſi nominatim & ſpecialiter de tali privilegio fiat mentio in Conſtitutione futura, cenſeatur revocatum, ſi poſtea S. Pontifex Conſtitutionem edat cum ſequentibus clauſulis derogatoriis: *Etiamſi de verbo ad verbum fieri deberet ſpecialis mentio*, aut *quorum tenores pro expreſſis habeantur &c.* valde controverſum eſt, ubi DD. haud pauci, quos ad longum recenſet Sanctarellus *Var. Reſolut. Q. 17. n. 9.* ſentiunt, non propterea per poſteriorem Conſtitutionem aut privilegium cenſeri revocatum primum privilegium. Verùm omninò tenenda eſt oppoſita ſententia, pro qua idem Sanctarellus multò plures refert Authores, additis etiam rationibus, ob quas probabiliùs judicat ejuſmodi clauſulas ſufficere ad derogandum prioribus privilegiis, præſertim quando conſtat, talem eſſe mentem S. Pontificis, cujus poteſtas à ſuis Anteceſſoribus neutiquam limitari vel minui poteſt; quamvis contrariam multorum DD. opinionem ùt probabilem defendere ni-

Digitized by Google

tatur pluribus rationibus Bonagratia *in Sum. QQ. RR. §. 9. Iſag. à n. 34.*

4 Dico 3tiò. *Ad derogandum Conſtitutionibus Conciliorum Generalium requiritur ſpecialis aliqua & expreſſa eorum mentio.*

Ita colligitur *ex cap. Ex parte tua 3 de Capell. Monach.* in quo Honorius III. S. Pontifex rejicit privilegium Apoſtolicum, ejúſque nullam haberi voluit rationem, eò quòd Concilii Generalis Lateranenſis (ſub Alexandro III. celebrati) nullam fecerit mentionem, & ratio eſt; quia Conſtitutiones conciliares ob ſuam gravitatem ſi non expreſsè ſaltem tacitè continent clauſulam derogatoriam, cui non poteſt per clauſulam generalem derogari, ùt *ex cit. cap. Ex parte* habetur, ac pluries deciſum refert Aloyſ. Riccius *Collect. 894.* requiritur ergò ſpecialis aliqua & expreſſa mentio ad derogandum Conſtitutionibus Conciliorum Generalium ſub hac vel alia æquivalenti clauſula: *Non obſtantibus Conciliorum Generalium Conſtitutionibus*, iſtáque ſufficit ad derogandum illis, nec eſt neceſſarium ut nominatim exprimantur, quod maximè locum habet in privilegiis motu proprio & ex certa ſcientia conceſſis, quibus ſuppoſitis non poteſt in S. Pontifice præſumi ignorantia Conciliorum, utpote quæ inter cætera Jura præcipuum locum obtinent.

An verò idipſum procedat quoad Concilium Tridentinum, controvertunt Authores, & plures quidem exiſtimant, ad derogandum illi non ſufficere qualemcunque illius ſpecialem mentionem ſub terminis generalibus Conciliorum Generalium factam, ſed requiri individuam, atque nominatim eſſe exprimendum; quo majori enim authoritate aliquid conſtitutum eſt, eo majori ac fortiori revocatione habet opus: ſed conſtat, Concilium Tridentinum maxima authoritate & maturitate conſtitutum fuiſſe: ergò etiam majori ac fortiori habet opus revocatione, & conſequenter non tantùm qualemcunque ſpecialem, ſed etiam individuam pro ſui revocatione requirit mentionem. Verùm utut hæc ſententia multis videatur valde probabilis, probabiliorem tamen cenſeo oppoſitam, cum qua proinde

Dico 4tò. *Ad derogandum Concilio Tridentino non requiritur individua illius mentio, ſed ſufficit ea, quæ ad derogandum aliis Conciliis Generalibus requiritur.* 5

Probatur concluſio 1mò. ex motu proprio S. Pii V. *23. Decembr. Anno 1570.* edito, quem Garzias *to. 1. de Benefic. p. 4. cap. 5.* de verbo ad verbum refert, in quo declarat, opus non eſſe derogatione Concilii Tri-

Tridentini in quibusvis Conſtitutionibus Apoſtolicis manu Papæ ſignatis; atque ſic à ſacra quoque Congregatione Concilii Tridentini declaratum, & à S. Rota ſæpiùs deciſum referunt tum idem Garzias l. c. & Quaranta *in Summa Bullar. V. Confeſſor.* tum Ricciull. *L. 5. de Jure perſonar. cap. 14. n. 15.* & *L. 8. cap. 4. n. 6.* aliique apud Donatum *tr. 14. quaſ. 4.* & Card. Petra *ad Conſtitut. 18. Innocent. IV. num. 20.* Probatur 2dò. ex Tridentino, quod ſeſs. 25. cap. ult. declarat, omnia in dicto Concilio ſtatuta de morum reformatione & Eccleſiaſtica diſciplina ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper authoritas ſedis Apoſtolicæ ſit & eſſe intelligatur: quibus ex verbis inferrê licet, quòd ſummus Pontifex aliquid decernendo Tridentino contrarium utatur Jure ſuo & facultate à Patribus in Concilio expreſſa, qui ſicut illud in totum ſubjecerunt S. Pontificis approbationi, ita multo magis poteſtatem reliquerunt, illius Decretis in parte derogandi, quin eidem ullam præſcripſerint formam in derogatione ſervandam, ſed liberrimæ illius diſpoſitioni reliquerunt, quam vellet in abrogandis hujusmodi decretis obſervare, neque conſtat ullum Pontificem aliquam præſcripſiſſe, ſed potiùs contrarium elicitur ex relato S. Pii V. motu proprio, ex declarationibus Cardinalium Tridentini interpretum, deciſionibus Rotæ, & communi praxi ac ſtylo Curiæ, ex quibus habetur, quòd non ſoleant SS. PP. de Tridentino, ſi quandoque eidem derogant, expreſſam in individuo mentionem facere, prout idipſum patet ex Bulla Sixti V. *Decet Romanum. 9. Sept. Anno 1586.* Presbyteris Congregationis Oratorii data, in qua illis contra expreſſum decretum Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15.* prohibentis, ne quis absque proriorum Diœceſanorum examine audeat Confeſſiones audire, facultatem concedit, ut Romæ approbati poſſint ubique Confeſſiones audire absque prævio Ordinariorum examine, nulla usquam Tridentini facta mentione: cúmque poſtea petiiſſent ſibi declarari, an neceſſaria fuerit ſpecifica Tridentini derogatio? reſpondit S. Congregatio, obſervandum eſſe privilegium, quamvis nullam faciat Tridentini mentionem, prout refert Quaranta loc. ſupra citato. Probatur denique 3tiò. Quia omnia Concilia Generalia & Oecumenica ſunt ejusdem roboris & authoritatis, nec dici poteſt Tridentinum fuiſſe aut eſſe majoris authoritatis aut roboris, præſertim ſi comparetur cum antiquioribus Nicæno I. tempore S. Sylveſtri celebrato Anno 325. cum Epiſcopis ſanctiſſimis 318. Calcedonenſi ſub Leone I. Anno 451. per Epiſcopos 630. Lateranenſi III. ſub Alexandro III. Anno 1180. cum Epiſcopis 300. Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. Anno 1215. cum Epiſcopis 400. Lugdunenſi ſub Gregorio X. Anno 1274. cum Epiſcopis 700. Viennenſi ſub Clemente V. Anno 1311. per Epi-

Digitized by Google

ſcopos 300. Conſtantienſi ſub Joanne XXIII. congregato, & ſub Martino V. completo Anno 1414. cum Epiſcopis 240. Florentino ſub Eugenio IV. præſente Patriarcha Conſtantinopolitano, & Imperatore Græco Anno 1439. cum Epiſc. 141. ac denique Lateranenſi V. ſub Leone X. Anno 1516. cum Epiſcopis 114. Si igitur de his aliiſque Conciliis Generalibus non requiritur ſpecifica ac individua mentio, nulla videtur eſſe ratio, cur talis exigatur ad derogandum Tridentino.

Sectio II.

Quænam privilegia revocari poſſint?

6 CErtum nobis eſſe videtur, poſſe ſupremum Principem ac S. Pontificem validè revocare privilegia ſubditis conceſſa; ad hoc enim nihil aliud requiritur quàm voluntas concedentis revocatoria legitimè intimata: nam tota ſubſtantia, vis & efficacia privilegii pendet à voluntate concedentis, qui ſicut ſola ſua voluntate etiam ſine cauſa illud concedere potuit, ita & ſola voluntate ſua id poteſt revocare ſaltem validè; per quaſcunque enim cauſas res naſcitur, per eaſdem iterum diſſolvitur: idque non ab eo tantùm fieri poteſt, qui conceſſit privilegia, ſed etiam ab ejus ſucceſſore; quia hic ſuccedit in æquali poteſtate, & fictione Juris habetur pro eadem perſona cum anteceſſore, neque hic ligare poteſt manum ſucceſſoris. Solùm igitur controverſia hic eſt de licita revocatione privilegiorum, an & quænam revocari poſſint, qua in re tamen diſtinguendum eſt inter diverſas privilegiorum ſpecies; alia enim ſunt privilegia merè gratioſa, alia remuneratoria, alia denique conventionalia. Merè gratioſa dicuntur illa, quæ Princeps concedit ex mera ſua liberalitate nullo habito reſpectu ad aliqua præcedentia merita, vel ſi ad ea quidem reſpiciat, non intendit tamen ea remunerari ex debito, ſed ex mera benignitate ſua ac benevolentia. Privilegia remuneratoria ſunt illa, quæ Princeps concedit in præmium meritorum, quorum intuitu ad ea remuneranda movetur tum ex titulo gratitudinis & obligatione antidorali, tum etiam ex debito juſtitiæ; tunc autem dicuntur remuneratoria ex juſtitia, quando merita, ob quæ conceſſa ſunt, dant privilegiario Jus agendi & actionem, aut implorandi officium Judicis pro ſatisfactione meritorum, ùt fit in ſervitiis famuli ſine pacto explicito inſervientis domino, vel in obſequiis & laboribus militis liberè in bello pugnantis pro Principe ſuo, quorum intuitu dominus aut Princeps illis privilegium elargitur; cùm

enim

enim ejusmodi privilegium nitatur meritis in contractu implicito fundatis, cenſetur dari ex merito juſtitiæ, licèt ob ſervitia, ùt videbatur, liberaliter præſtita. Privilegia remuneratoria ex gratia ſeu ex titulo gratitudinis & obligatione antidorali dicuntur illa, quæ conceduntur ob ſervitia & obſequia vel ex aliis titulis jam debita, vel certé ita liberaliter exhibita, ut nullum pactum neque implicitum contineant; & hujusmodi privilegia cenſentur eſſe privilegia Regularium à SS. Pontificibus conceſſa in præmium laborum, quos paſſi ſunt, & in dies patiuntur, & obſequiorum, quæ ſedi Apoſtolicæ præſtiterunt, & etiamnum præſtant. Privilegia conventionalia ſeu ex contractu ſunt illa, in quibus intervenit pactum aut conventio, quod fieri poteſt vel per contractum lucrativum, quo Princeps per privilegium transfert in privilegiatum alicujus rei dominium, donando v.g. villam, aut Jus aliquod v. g exigendi decimas & tributa: vel per contractum oneroſum, quo Princeps concedit privilegium pro re quapiam ſibi cedenda, aut pecuniæ ſumma ſibi perſolvenda, aut pro 6
onere aliquo ſubeundo & certo ſervitio ſibi exhibendo, vi quorum quodammodo cenſetur emi & compenſari privilegium. Atque hæc privilegiorum diſtinctio ac diverſitas benè notanda eſt ac mente retinenda, ad faciliorem eorum intellectum, quæ tum hic tum in ſequentibus dicturi ſumus; ſine hac enim neceſſe eſt, ut omnia ſint obſcura, nec minùs confuſa: hac verò ſuppoſita diverſiſſimæ Authorum ſententiæ haud difficulter conciliari poſſe videntur, quæ aliàs plurimis obnoxiæ ſunt difficultatibus, in quibus diſſolvendis haud pauci fruſtra laborârunt. Juxta trinam autem hanc diſtinctionem ac diverſitatem privilegiorum trina quoque hìc nobis reſolvenda eſt controverſia, quæ faciliori ſequentium controverſiarum reſolutioni viam ſternent, in quibus de Regularium privilegiis agemus in particulari, quæ maximum faceſſunt negotium, in præſenti autem inquirendum eſt primò: An privilegia ſubdito conceſſa, ac merè gratioſa, quæ nullum transferunt dominium, ſed ſolùm poteſtatem concedunt aliquid faciendi vel omittendi contra vel præter Jus, licitè revocari poſſint à Principe vel ejus ſucceſſore ex Juſta & legitima cauſa? 2dò. An & ex qua cauſa poſſint à Principe vel ejus ſucceſſore revocari privilegia remuneratoria tam ex debito juſtitiæ, quàm ex titulo gratitudinis? 3tiò. An & ex qua cauſa revocari poſſint à Principe vel ejus ſucceſſore privilegia conventionalia?

Dico 1mo. *Privilegia ſubdito conceſſa, ac merè gratioſa, quæ nullum transferunt dominium ſed ſolùm po-* 7

Google

poteſtatem concedunt aliquid faciendi vel omittendi, licitè revocare poſſunt à Principe vel ejus ſucceſſore ex juſta & legitima cauſa.

Ita communis Doctorum, & ratio eſt; quia Princeps aut ejus ſucceſſor licitè utitur in ſubditos Jurisdictione ſua præſertim accedente juſta & legitima cauſa: ſed revocando privilegium ſubdito conceſſum ac merè gratioſum quod nullum transfert dominium, ſed ſolùm poteſtatem concedit aliquid faciendi vel omittendi, Princeps utitur Jurisdictione ſua; per hoc enim, quòd ſubditus fuerit privilegiatus, Princeps aut ejus ſucceſſor non amittit ſuam, quam in illum habuit Jurisdictionem, qui ſicut privilegiatum ex mera ac libera ſua voluntate exemit ab obſervantia legis communis, ita illum iterum poteſt eidem ſubjicere præſertim accedente juſta & legitima cauſa: & conſequenter hac ſuppoſita poterit etiam licitè revocare privilegium ſubdito conceſſum ac merè gratioſum, quod nullum transfert dominium aut Jus in privilegiatum (id enim revocari non poteſt, niſi ex cauſa publica, ùt poſtea dicetur) ſed ſolùm poteſtatem facit aliquid faciendi vel omittendi, ùt ſunt exemptiones aut diſpenſationes ab aliqua lege, Jurisdictiones & delegationes, præeminentiæ & alia his ſimilia, quæ validè etiam absque ulla cauſa, cum legitima verò cauſa licitè revocari poſſe dicimus; cauſæ porrò hujusmodi cenſentur eſſe tum publicæ, ùt eſt honor Dei, ſalus animarum, favor fidei, bonum commune & utilitas publica, quæ etiam magnæ & graviſſimæ dicuntur: tum privatæ, ùt, ſi privilegium fiat nocivum, quemadmodum habetur *cap. Suggeſtum 9. de decimis.* ubi privilegium revocatur ex eo, quòd poſt conceſſionem inciperet eſſe ac fieri nocivum; aut ſi privilegiatus abutatur conceſſo ſibi privilegio; quia, ùt dicit Innocentius III. *cap. licet. 18. de Regular.* privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate; vel ſi privilegiatus aliorum privilegia non ſervet, ùt habetur *cap. dilecti. 4. de privileg.* ubi Gloſſa ait, quod ei Jura non ſint ſervanda, qui aliorum Jus violare non metuit: & ùt dicitur *cap. Cum omnes 6. de Conſtitut.* quod quisque Juris in alterum ſtatuit, ipſe debeat eo uti. Sine cauſa tamen nequit Princeps vel ejus ſucceſſor privilegia etiam ſubdito gratis conceſſa revocare licitè; quia decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum, ùt habetur *cap. Decet. 18. de R. J. in 6.* eſtque manifeſtum ſignum inconſtantiæ ac levitatis, quæ in Principe damnatur, cui juxta *R. J. 21 in 6.* quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non debet, niſi nova ſuperveniat cau-

cauſa aut circumſtantia. Atque hinc ſi Princeps revocet ſine cauſa privilegium, cenſent Suarez, Baſſæus, Antonius à Spiritu ſancto, Salas, Petrus ab Angelis, Andreas à Matre Dei, & alii communiter, eum ſaltem peccaturum venialiter ob hanc ipſam levitatem, inconſtantiam, ac indecentiam, quæ inde conſequitur, quamquam etiam graviter peccare poſſit ratione odii, avaritiæ, ſcandali, aut damni, quod per ejusmodi revocationem ſine cauſa factam infertur privilegiato. Non tamen tenetur hoc ipſum, quod ex tali revocatione ſequitur, damnum recompenſare; quia non videtur peccare contra juſtitiam, ex qua ſola oritur obligatio reparandi damnum alicui illatum: multò minùs autem tenebitur, ſi habuerit legitimam privilegium revocandi cauſam; quia tunc Princeps tam licitè quàm validè illud revocat, quin imò revocare tenetur ex debito juſtitiæ, ſi iſtud poſtulet utilitas publica.

8 Dixi autem in concluſione: *privilegia merè gratioſa ac ſubdito conceſſa revocari* poſſe; nam privilegia non ſubdito conceſſa etiam merè gratioſa revocari non poſſunt à Principe, niſi ex cauſa publica, ac niſi tanta ſuperveniat mutatio rerum, ut privilegium cenſeatur graviter pernicioſum Principi aut bono communi, quemadmodum poſt Abbatem *in cap. Novit. 13. de Iudiciis n. 23.* Felinum *ibidem à n. 8.* Decium *n. 4.* & Card. Tuſchun. *L. P. concluſ. 351.* docet Baſſæus *V. Privilegium 3. n. 2.* Donatus *to. 1. tr. 13. Q. 3.* Lezana *to. 2. V. Privilegium. n. 20.* Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 2. punct. 3. n. 28.* aliique communiter. Ratio eſt; quia privilegia non ſubdito conceſſa poſt ejusdem acceptationem tranſeunt in naturam contractus & donationis inter vivos, per quem privilegiato acquiritur Jus ſtrictè dictum: atqui Jus privilegiato non ſubdito acquiſitum auferri non poteſt, cùm nullam neque in illius bona, neque in perſonam illius habeat poteſtatem aut Jurisdictionem: & certè ſi Princeps non poteſt ſubditum privare Juribus acquiſitis, quanto minùs non ſubditum, cùm nulla ad revocandum pateat via. Ex cauſa tamen publica, & ſi privilegium inciperet vergere in grave & notabile damnum ac diſpendium Reipublicæ aut ipſius Principis vel ejus ſucceſſoris, poſſet utique tum ipſe Princeps illud reſcindere, tum ejus ſucceſſor revocare, præſertim ſi & injuſtum evadat ac pernicioſum: ùt ſi Princeps non ſubdito concedat, ut poſſit per provinciam ſuam omnis generis merces transportare absque ullo vectigali, eásque etiam pro libitu ſuo divendere, ſi jam ex ejusmodi privilegio tota provincia grave pateretur damnum, tum quod viliori pretio, quàm cæteri poſſint, divendantur, & ob id ad incitas adigantur, aut quod merces toti Provinciæ aut Principi nocivæ inve-

hantur, poterit utique Princeps aut ejus ſucceſſor tale abolere privilegium: & ratio eſt; quia hujusmodi privilegia habent ex natura ſua imbibitam conditionem: dummodo non ſint damnoſa aut pernicioſa Reipublicæ vel ipſi Principi; ſine hac enim conceſſio illa foret irrationabilis & iniqua, quam facere non poteſt Princeps in ſui ac Reipublicæ grave damnum & nocumentum. (*Adde*; talia privilegia etiam revocari poſſe ſine cauſa, ſi non liquido conſtet, quòd conceſſa ſint etiam pro ſucceſſoribus, aut pro caſu & circumſtantia controverſis. Cùm enim Legislatoris & Romani Pontificis ſit, interpretari authenticè mentem ſuorum anteceſſorum, ejusmodi revocatio declarativa potiùs, quàm derogatoria eſſe cenſetur)

9 Dico 2do. *Privilegia remuneratoria revocari non poſſunt à Principe vel ejus ſucceſſore, niſi ex cauſa gravi & publica.*

Ita re ipſa communis Authorum, qui licet nonnihil differant in modo loquendi, in re tamen conveniunt. Probatur autem concluſio noſtra: Quidquid concedit Princeps intuitu meritorum, illud concedit vel ex titulo Juſtitiæ vel ex titulo gratitudinis: quocunque autem ex his modo concedat privilegia, non poſſunt revocari absque cauſa gravi vel etiam publica, hoc ipſo quòd ſint debita, illa quidem ex juſtitia, hæc verò ex gratitudine & obligatione antidorali: ergò privilegia remuneratoria, & intuitu meritorum conceſſa non poſſunt revocari niſi ex cauſa gravi, vel etiam publica. Tantò gravior autem ad revocanda hujusmodi privilegia requiritur cauſa, quo gravius eſt ac fortius vinculum, quo Princeps obligatur ad conferenda ac conſervanda ejusmodi privilegia, & conſequenter ſi ex titulo juſtitiæ tenebatur ad præmianda merita, longè gravior requiritur cauſa ad hujusmodi privilegia revocanda, quàm requiratur ad ea revocanda, quæ tantùm conceſſa ſunt ex gratitudine; cùm obligatio juſtitiæ multò gravior ſit, quàm obligatio antidoralis. Atque hinc ad revocanda privilegia remuneratoria ex juſtitia, requiritur cauſa publica ſeu talis, quæ concernit bonum publicum: ad revocanda verò privilegia remuneratoria ex gratitudine ſufficit cauſa alia gravis nova tamen, vel antiqua quidem, non prævisa tamen tempore conceſſionis, quæ ſi fuiſſet cognita aut prævisa, Princeps non conceſſiſſet. An verò caſu, quo revocantur privilegia remuneratoria, compenſari debeant à revocante, controverſia hìc movetur inter Authores, pro qua dirimenda diſtinguendum eſt iterum inter privilegia remuneratoria ex titulo juſtitiæ, vel ex titulo gratitudinis, ac di-

dicendum, quòd privilegia remuneratoria ex juſtitia recompenſari debeant, quia ſapiunt naturam contractûs oneroſi, quæ nunquam revocari poſſunt, niſi adverſæ parti fiat compenſatio, ùt in ſequenti concluſione dicetur: privilegia verò remuneratoria ex gratitudine non tenetur Princeps compenſare ſaltem de Jure; quia ſicut gratitudo non obligat ex Jure ſtricto ad conferendum privilegium, ita neque ex eodem Jure obligat ad illud recompenſandum, caſu quo revocetur, quamvis id fieri ſit maximè conveniens, cùm deceat Principem, ut benemeritis conferat præmia, eaque recompenſet. Cæterùm ad hoc, ut privilegium ſit propriè remuneratorium, requiritur, ut merita in privilegio exprimantur in ſpecie, nec ſufficit, quòd meritorum fiat generalis mentio, ſed debet eſſe ſpecialis, hæc vel illa recenſendo; quia probari debet, præceſſiſſe merita; quia generalis mentio meritorum potiùs cenſetur pro honore privilegiati, quàm pro veritate fieri, quapropter reputatur ac ſi facta non fuiſſet, prout colligitur ex *L. Si verò. §. idem Papinianus ff. mandati* & adhuc clarius ex *L. Si donatione. V. poſtulas. C. de collat.* & tradunt DD. communiter, quos refert Maſcardus *de Probat. concluſ. 560.* Donatus *to. 1. tr. 13. q. 10.* & Andreas à Matre Dei *de Privil. cap. 2. punct. 3.*

10 Dico 3tiò. *Privilegia conventionalia revocari non poſſunt à Principe aut ejus ſucceſſore, niſi ex cauſa publicam utilitatem ac neceſſitatem reſpiciente.*

Ita Baſil. Pontius *L. 8. de matr. cap. 19. §. 2. n. 11. & 13.* Bonacina *Diſp. 1. quæſt. 3. punct. 8. §. 2. n. 5.* & *§. 3. n. 2. & 12.* Lezana *to. 2. V. Privilegium n. 20.* Suarez *L. 8. cap. 37. n. 7.* Tamburin. *to. 1. D. 16. quæſ. 12 n. 5.* Baſſæus *V. Privilegium. 3. n. 2.* Donatus *to. 1. tr. 13. quæſt. 8.* Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 2. punct. 3. n. 29 & 30.* Rotarius *to. 3. de privil. cap. 5. punct. 4. n. 3.* & alii communiter; & probatur: vel enim ejusmodi privilegia fuêre ſubdito conceſſa per contractum oneroſum, vel per contractum lucrativum ſeu per donationem? utrovis modo id factum fuerit, non poteſt illa Princeps vel ejus ſucceſſor revocare; non ea quæ per contractum oneroſum conceſſa ſunt; quia Princeps tenetur ſervare pacta & contractus etiam cum ſuis ſubditis initos, cùm hæc obligatio deſcendat à Jure naturæ, cui Principes non minùs ſubjecti ſunt, quàm alii: nec minùs illius ſucceſſor ſtare tenetur pactis & conventionibus ſui prædeceſſoris, aliàs nil firmum ageretur cum Principe, quod eſt contra Jus gentium, & contra rectam gubernandi rationem: neque etiam illa revocari poſſunt, quæ per contractum lu-

lucrativum fuère conceſſa; quia privilegia ſubdito conceſſa per donationem, qua transfertur alicujus rei dominium in privilegiatum, poſt acceptationem tranſeunt in illius dominium: atqui Princeps vel ejus ſucceſſor non poteſt ſubdito rei ſuæ Jure acquiſitæ dominium auferre: ergo nec revocare privilegia, quibus per donationem transfertur in privilegiatum alicujus rei dominium. Addidi tamen: *niſi ex cauſa publicam utilitatem ac neceſſitatem reſpiciente*; quia ſi talis adſit, aut id poſtulet bonum commune ac publicum, haud dubiè tam ea, quæ per contractum onerofum, quàm quæ per contractũ lucrativum conceſſa ſunt, revocari poterunt; tum quia Princeps in caſu publicæ neceſſitatis poteſt etiam ſubditis ſuis juſtè ſua bona auferre: ergò multò magis reſcindere contractum à ſe initum: tum quia in caſu publicæ utilitatis ac neceſſitatis hujusmodi privilegia videntur conceſſa ſub tacita conditione, ut tamdiu valeant, quamdiu eorum revocationem non exigit bonum commune, quo tamen caſu non tam eſt revocatio propriè dicta, quàm ceſſatio privilegii; quia ſicut alia ſubditorum bona cenſentur in ejusmodi caſibus ſubjecta diſpoſitioni Principis, ita & eorum privilegia quocunque modo illis conceſſa ſive per contractum lucrativum, ſive onerofum. An verò in hoc caſu teneatur Princeps recompenſare damnum, ſi, quod ex tali revocatione privilegii patiatur ſubditus? dubium moveri poteſt, pro quo diſſolvendo videtur iterum diſtinguendum eſſe inter privilegia, quæ ex contractu lucrativo, & ea quæ ex contractu oneroſo conceſſa ſunt: & hæc quidem recompenſare non tenetur Princeps, ſi tanta ſit utilitas ac neceſſitas publica, ut poſſit ſubditis ſuis auferre eorum bona, quin ea teneatur illis recompenſare: ſi verò tanta non ſit, ſed aliæ tantùm fuerint urgentes cauſæ, tunc ſicut tenetur ſubditis recompenſare bona illis ablata, ita etiam tenebitur recompenſare damna, quæ ſequuntur ex revocatione privilegii per contractum oneroſum conceſſi; quia Princeps non eſt abſolutus Dominus rerum ſubditorum ſuorum, neque iſti tenentur proprium quod ex titulo oneroſo acquiſierunt Jus remittere aut ei cedere. Econtra verò ad revocanda privilegia per contractum lucrativum conceſſa nulla requiritur compenſatio, quia licet privilegiato ſit Jus quæſitum ad rem illam, quæ per privilegium ſibi fuerat conceſſa, illi tamen gratis donata fuit: ergò ſicut donatio & conceſſio fuit gratioſè & ſine onere ex parte privilegiati facta, ita revocatio ex juſtâ cauſa poteſt ſine onere & compenſatione ex parte revocantis fieri. Accedit, quòd in hoc caſu ceſſet ratio, ob quam in privilegio per contractum oneroſum conceſſo compenſari debet, cùm nulla compenſatio rei ad rem intercedat, atque longe minores

cau-

Digitized by Google

cauſæ & omnes illæ ſufficiant ad revocanda ejuſmodi privilegia, quæ ſufficiunt ad hoc, ut donationes acceptatæ poſſint à donante validè & licitè revocari, ut præter AA. citatos docet Palao. *D. 4. punct. 21. §. 2. n. 6.*

Sectio III.

An & à quibus revocari poſſint privilegia Regularibus conceſſa?

11 QUamplurima jam à ſæculo ſeptimo contulerũt SS. Pontifices Regularibus privilegia, quæ ſucceſſu temporis aucta in iṁenſũ creverunt, id exigentibus eorum meritis ac indefeſſis laboribus, quos nullo non tempore perpeſſi ſunt, & etiamnum patiuntur pro S. R. Eccleſiæ dilatatione ac incremento, pro ſedis Apoſtolicæ defenſione, pro converſione infidelium, ac reductione hæreticorum; enimverò quæ uſquam regio eorum non plena laboribus ac madefacta ſanguine? quæ gentes non eorum opera ad fidem catholicam converſæ? qui populi non eorum prædicatione ac miraculis ad ſanctiorem vitam traducti? Horum aliorúmque meritorum conſideratione permoti SS. Pontifices tot tantáque Regularibus conceſſerunt privilegia, ut majora conferre vix poſſe videantur. SS. Pontifices æmulati Principes ſæculares, Imperatores Orientis & Occidentis, Reges, Duces, & Comites non modo ampliſſima in eorum ſuſtentationem congeſſerunt bona, ſed etiam innumera penè contulerunt privilegia, quo eorum merita ſibi ſuisq; ſubditis exhibita remunerarentur. Verùm cùm poſtea hinc inde Regularium privilegia præſertim à SS. Pontificibus revocari cœpiſſent, nata eſt exinde controverſia inter DD. an ejuſmodi revocatio privilegiorum afficiat etiam Regulares illos, quibus conceſſa ſunt privilegia intuitu meritorum & in remunerationem laborum, quæ cùm aliàs revocari non poſſint modo ordinario ſine urgenti boni publici cauſa & abſque debita compenſatione, docuêre plures & Regularium privilegia revocari non poſſe: quantum autem huic opinioni tribuendum ſit, in præſenti diſcutiendum eſt, 1mò quidem: An privilegia à SS. Pontificibus ſine onere conceſſa Regularibus, utut remuneratoria, poſſint ab illis revocari abſque compenſatione? 2dò. An ab iis revocari poſſint privilegia cum onere conceſſa? 3tiò. An ad revocanda Regularium privilegia requiratur ſpecialis eorum mentio? 4tò. An

Digitized by Google

etiam ſpecialis intimatio eisdem facienda? 5tò. An privilegia à SS. Pontificibus Regularibus conceſſa revocare poſſint Epiſcopi & eorum Prælati? 6tò. denique: An privilegia per Imperatores, Reges, aut Principes ſæculares Regularibus conceſſa ab iisdem iterum revocari poſſint?

12 Dico 1mò. *Privilegia à SS. Pontificibus ſine onere conceſſa Regularibus, utut remuneratoria, poſſunt ab illis iterum revocari etiam absque compenſatione.*

Ita communior hodie Authorum ſententia, quæ ex dictis etiam probatur 1mò. Privilegia Regularibus à SS. Pontificibus ſine onere conceſſa ſunt aut merè gratioſa, aut remuneratoria quidem, ſed ex gratia & gratitudine: atqui privilegia hujusmodi merè gratioſa, aut remuneratoria quidem ſed ex gratia & gratitudine conceſſa, revocari poſſunt à S. Pontifice etiam absque compenſatione, ùt patet ex dictis: ergò privilegia Regularibus à SS. Pontificibus ſine onere conceſſa poſſunt ab illis iterum revocari absque compenſatione. 2dò. quia SS. Pontifices concedentes Regularibus privilegia ex gratia & gratitudine, non cenſentur velle ſe obligare ex juſtitia ad compenſationem, ſi fortè revocare voluerint, niſi ſolùm ex eadem gratia & gratitudine, ſicut ex illa tantùm fuère moti ad ea concedenda. 3tiò. Privilegia Regularibus conceſſa, fuerunt hactenus ſæpiùs à diverſis Pontificibus revocata præſertim à Leone X. per ſuam Conſtitutionem: *Dum intra mentis arcana. 19. Decembr. Anno 1516.* à Pio IV. per Bullam: *Benedictus Deus, 7. Cal. Febr. Anno 1563.* à Gregorio XV. in Bulla: *Inſcrutabili. Nonis Februarii Anno 1622.* idque factum eſt absque aliqua illorum compenſatione ob cauſas juſtas ab illis judicatas: ergò privilegia Regularibus conceſſa juſtis de cauſis revocari poſſunt etiam absque aliqua compenſatione; ab actu enim ad potentiam bona eſt argumentatio. Quòd autem S. Pontifex, quando revocat aliqua Regularium privilegia, juſtas habeat cauſas, præſumi debet, atque adeò cenſendus eſt nunquam ea tollere ſine gravi cauſa. *Can. Privilegia 2. & ſeqq. cauſa 25. q. 2.* & *Can. 10. in fin. diſtinct. 63.* etenim S. Pontifici jure applicatur, quantum ad conſtantiam in privilegiis conceſſis illud, quod debeat eſſe ſicut lapis angularis, aut polus in cœlo. Baldus *Volum. 1. conſilio 377. ſub n. 4.* & alii apud Barboſam *de Jur. Eccleſ. L. 1. cap. 2. n. 115.* Juſtas porrò cauſas, quibus SS. Pontifices fuère moti ad revocanda quædam Regularium privilegia, aſſignat Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 11.* Quoniam privilegia & exemptiones, quæ variis titulis conceduntur, hodie perturbationem in

Epi-

Epiſcoporum Jurisdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur; quibus verbis Concilium pro ſufficienti privilegia revocandi cauſa deſignat perturbationem Jurisdictionis Epiſcopalis, & amputationem laxitatum, quæ cùm redundent in totam Eccleſiam, meritò cenſentur eſſe juſtæ. Quibus omnibus accedit, quòd SS. Pontifices conceſſis à ſe privilegiis frequenter inſerant clauſulam: *Salvâ ſedis Apoſtolicæ anthoritate*, per quam denotare volunt, quòd ſibi reſervent Jus derogandi dictis privilegiis, prout advertit Lezana *to. 3. ad mare magn. Auguſtin. circa* §. *29. n. 91.*

13 Neque dicas: Privilegia Regularibus per SS. Pontifices conceſſa ſunt in prœmium tot meritorum, & ſtipendium maximorum laborum & obſequiorum pro Eccleſia etiam cum periculo vitæ ſuſceptorum, ùt ex ipſis SS. Pontificum Bullis ſatis patere videtur, & in ſpecie de Canonicis Regularibus fatetur Eugenius IV. in Bulla: *Cùm ad ſacratiſſimam. Cal. Jan. 1446.* Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Cal. Sept. 1477.* & Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* De Prædicatoribus & Minoribus in Bulla: *Sacri Prædicatorum. 26. Julii. Anno 1479.* & de Mendicantibus univerſim S. Pius V. in Bulla: *Etſi Mendicantium. 27. Julii Anno 1567.* De Jeſuitis Paulus III. in Bulla: *Licet debitum. 18. Octobr. Anno 1549.* De Carmelitis diſcalceatis Clemens VIII. in Bulla: *Cùm dudum.* & ſic de aliis Ordinibus Religioſis alii SS. Pontifices: atqui privilegia in prœmium meritorum & ſtipendium tot laborum ac obſequiorum pro Eccleſia ſuſceptorum non ſunt conceſſa tantùm ex gratia & gratitudine, ſed etiam ex debito juſtitiæ, & æquiparantur privilegiis ex pacto & contractu oneroſo conceſſis, quæ revocari non poſſunt, niſi in caſu urgentis ac publicæ neceſſitatis, & cum debita compenſatione, ùt patet in obſequiis famuli domino inſervientis ſine pacto, & militis ſine ſtipendio militantis pro Principe ſuo: ergò privilegia Regularibus conceſſa revocari non poſſunt, niſi in caſu urgentis ac publicæ neceſſitatis, & cum debita compenſatione. Verùm ℞. quòd etſi merita Regularium ipſorum confeſſione Pontificum ſint maxima in Eccleſiam ac ſedem Apoſtolicam, ea tamen fuerunt tantùm cauſa alliciens ac motiva concedendi Regularibus tot privilegia non quidem ex debito juſtitiæ, ſed ex titulo gratitudinis, & obligatione antidorali, ſeu ùt ipſimet aſſerunt SS. Pontifices, ex benignitate ſedis Apoſtolicæ: quod autem ex benignitate fit, non eſt ex juſtitia debitum, ſed merè gratuitum ac liberale, atque adeò revocari poteſt accedente præſertim gravi ac juſta cauſa, quæ ſemper in S. Pontifice præſumitur. Accedit, quòd labores pro ſalute animarum ac fidei propagatione ſuſcepti, aliáque ob-

ſe-

ſequia Eccleſiæ Catholicæ ac ſedi Apoſtolicæ præſtita ſint quodamodo debita, cùm Religiones præſertim vitæ mixtæ ad hæc munia & ad hos labores ſint deſtinatæ, & adſtrictæ tum ex fine & inſtituto Ordinis, tum ex obligatione Regulæ & ſtatûs Religioſi: ſi autem ſunt aliquo modo debita, nulla illis ex juſtitia debetur remuneratio, & ſiquidem aliqua eisdem datur, ea merè liberalis eſt & gratuita; ſicut enim à principio potuit non dari, ita ſine ulla injuria poterit iterum aufferri, maximè ſi interveniat gravis cauſa publicam utilitatem ac neceſſitatem reſpiciente; & licét aliqua ſint obſequia à Regularibus Eccleſiæ & ſedi Apoſtolicæ præſtita, quæ limites obligationis ſuæ plurimùm excedebant, ut conſtat ex rebus maximè arduis ac difficillimis in ſe ſuſceptis cum ſummo propriæ ſalutis ac vitæ periculo, quæ nullo modo ſunt debita, ſed merè ſupererogatoria; quia tamen unicè fiunt ac fieri debent ex amore Dei & proximi, liberaliter ac gratuitò fiunt, retributionem non à S. Pontifice, ſed à ſolo Deo exſpectando. Ex quibus patet latiſſima diſparitas inter Regulares pro majori Dei gloria unicè laborantes, & famulos domino ſuo ſine pacto inſervientes, & milites ſine ſtipendio militantes; hi enim pro fine ſuorum obſequiorum habent mercedem quamdam temporalem, qua eorum ſervitia ac merita compenſentur: illi verò nullam talem ambiunt, ſed omnes labores ſuos ad Deum referunt, omniáque opera ſua eidem conſecrant, nulla habita conſideratione ad præmia temporalia, quibus pridem renuntiârunt, nec frui volunt hìc in terris, ſed majora exſpectant à bonorum omnium largitore laborum ſuorum præmia, quibus in perpetuam æternitatem perfruantur in cœlis. Quòd autem nihilominus SS. Pontifices eorum merita & labores conceſſis privilegiis remunerari voluerint, id eorum benignitati ac gratitudini adſcribendum eſt, ex quo tamen nullum illis accreſcit Jus aliquid ab eo ex juſtitia poſtulandi: neque labores pro ſede Apoſtolica impenſi dant illis actionem aut Jus agendi contra S. Pontificem ad remuneranda eorum merita, aut implorandi officium Judicis, cùm ſuperiorem non recognoſcat in terris, ac ipſe ſupremus ſit Judex, qui judicat omnes & à nemine judicatur: unde fruſtra exigerent Regulares pro meritis ſuis præmia & privilegia, & inaniter quererentur revocari conceſſa; & hæc quidem ita ſe habent, ſi privilegia ſint merè gratioſa, aut remuneratoria quidem, ſed ex gratitudine tantùm, & ex benignitate ſedis Apoſtolicæ conceſſa.

Verùm longè aliter loquendum videtur de iis privilegiis, quæ per contractum oneroſum ſoluta certa pecuniæ ſumma à SS. Pontificibus vel de novo Regularibus quibusdam conceſſa, vel ſaltem ſub hoc one- 14

onere confirmata fuĕrunt: pro quo tamen ſciendum, S. Pium V. publicis graviſſimiſque preſſum difficultatibus exegiſſe à duodecim Congregationibus & Ordinibus non Mendicantium, ſcilicet à Congregatione Lateranenſi Canonicorum Regularium, Congregatione S. Salvatoris Bononienſi pariter Canonicorum Regularium, & Congregatione S. Georgii in Alga etiam Cañ. Regg. à Congregatione Caſſinenſi Ord. S. Benedicti, Camaldulenſi, Vallisumbroſæ, Montis Oliveti, Carthuſianorum, Ciſtercienſium Lombardiæ, Cœleſtinorum, Cruciferorum & Hieronymitanorum ſummam quadringentorum millium ſcutorum auri in auro, & cum iis etiam ſuper his tranſegiſſe per Card. Aloyſium Cameræ Apoſtolicæ Præpoſitum, in quorum vicem & compenſationem eiſdem omnia & ſingula privilegia, gratias & facultates, immunitates, & indulta, aliáque eiſdem Congregationibus conceſſa confirmavit, & inviolabiliter obſervari mandavit, cum obligatione Cameræ Apoſtolicæ omnia manutenendi privilegia & immunitates earum. Idem poſtea fecit Clemens VIII. pro ſubſidio ſexaginta millium aureorum à prædictis Congregationibus ſibi exhibito, ùt patet ex ejuſdem Bulla, quæ incipit: *Cùm ſuperiore Anno. data 5to. Maij Anno 1595.* & ex alia, quæ incipit: *Cùm nobis in tanto. 29. April. Anno 1601.* ubi ſic ait: Ideò privilegia, immunitates, exemptiones & gratias prædictas, ac etiam omnes & quaſcunque alias gratias, immunitates, & privilegia per quoſcunque prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſa, quatenus tamen ſunt in uſu, & decretis S. Concilii Tridentini non adverſentur, harum ſerie, quatenus opus ſit, de novo confirmamus, approbamus, illáque eiſdem Congregationibus inviolabiliter obſervari mandamus. Eadem pariter ac iiſdem verbis confirmavit Paulus V. pro ſubſidio ſcutorum centum millium monetæ Romanæ à prædictis Congregationibus exhibendo, ùt etiam conſtat ex illius Bulla, quæ incipit: *Nuper ut chariſſimo. 1. Maij Anno 1620.* Alexander VII. denique cùm ab iiſdem Congregationibus ſubſidium centum quadraginta millium ſcutorum pro bello turcico exegiſſet, eiſdem ſimiliter omnia & ſingula privilegia de novo confirmavit, approbavit, & innovavit, illáque dictis Congregationibus inviolabiliter obſervari mandavit in Bulla: *Nuper ut nomini. 21. Novembr. Anno 1661.* quæ & plurima alia in hanc rem videri poſſunt in Bullario Cañ. Regg. Congr. S. Salvatoris Bononienſi to. 2. per totum. Ex quibus ſatis conſtare videtur, quòd privilegia tum Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis, tum aliis Ordinibus ac Congregationibus ſupra relatis conceſſa ſunt & confirmata per contractum oneroſum & ex cauſa verè oneroſa: unde jam oritur quæſtio, an hæc aliáve hujus-

juſmodi privilegia revocari poſſint ſine urgentiſſima cauſa publicam utilitatem ac neceſſitatem reſpiciente, & caſu quo revocentur, compenſari debeant? ad quam ℞. & ulteriùs. (*Adde*; hanc concluſionem propriè loquendo admitti non poſſe. Quia in ejuſmodi privilegiis non intercedit propriè *contractus* ſeu *pactio*, ſed tantum remuneratio gratuita ac liberalis ad actionem aliunde Jure debitam, quæ faciliùs tamen ponitur intuitu prœmii. Sicut antiquitùs, quando concedebantur indulgentiæ porrigentibus manus auxiliatrices v. g. ad fabricam Eccleſiæ, non interceſſit *contractus* aut *pactio*, ſed *conditio*. Ratio eſt, quia in Italia Congregationes Regulares etiam nunc obligantur ad ejuſmodi contributiones, quin propterea illis Pontifex debeat aut ſoleat conferre gratiam)

15 Dico 2dò. *Privilegia à SS. Pontificibus per contractum verè oneroſum Regularibus conceſſa, eisdemque ſub hoc onere confirmata, non poſſunt ab illis revocari ſine compenſatione aut urgentiſſima cauſa publicam utilitatem & neceſſitatem reſpiciente.*

Ita plurimis citatis Aſcanius Tamburinus *to. 1. D. 16. quaſ. 12. à n. 5.* Barboſa *in Collectan. ad cap. 1. de Probat.* Sanctarellus *var. Reſol. L. 1. Q. 17.* Suarez *L. 8. de Leg. cap. 27.* Pellizarius *tr. 8. cap. 1. S. 5. n. 101.* Caſtropalao *D. 4. punct. 21. §. 2.* Antonius à Spiritu ſancto *tr. 1. D. 1. Sect. 7. n. 34.* Alviſet *Sect. 4. dub. 7. n. 10. & ſeq.* & cæteri communiter, qui licèt in ſpecie non loquantur de caſu noſtro, ex eorum tamen principiis neceſſariò fluit, dum univerſim ſtatuunt, privilegium oneroſum per modum contractûs conceſſum, quodque conceditur ratione pretii dati aut ratione operis injuncti, revocari non poſſe a concedente vel alio, niſi ex urgentiſſima cauſa boni publici, & tunc ſi Princeps pretium recepit illud reddere tenetur; & ſi onus injunxit, recompenſationem per æquivalentiam illius, aliàs nulla eſſet revocatio. Probatur autem concluſio noſtra tum ex relatis num. præced. Bullis Pontificiis, in quibus omnibus SS. Pontifices privilegia illa Regularibus dictarum Congregationum per contractum oneroſum conceſſa & confirmata mandant inviolabiliter obſervari, tum ex aliis pluribus præſertim Innocentii X. in Bulla: *Etſi ea. 27. Nov. Anno 1645.* Alexandri VII. in Bulla: *in ſublimi ſedis Apoſtolica. 22. Aug. Anno 1656.* & Clementis IX. in Bulla: *Paterna. 20. Decemb. Anno 1667.* in quibus dum exemptiones, immunitates, & privilegia quibuscunque perſonis, Univerſitatibus, ac Ordinibus conceſſa revocant, ſemper

per excipiunt ea, quæ conceſſa fuerunt dictarumCongregationum Regularibus *in vim contractus, & ex cauſa verè oneroſa*: ex quo factum eſt, quòd, ſi quando coram ſacr. Congregatione Cardd. aut ſac Rota vel aliis tribunalibus fuerunt impugnatæ earum exemptiones, immunitates & privilegia, in earum quoque favorem fuerit pronuntiatum, ùt videre licet in citato Bullario Cann. Regg. ubi plures hujusmodi deciſiones referuntur, manifeſto ſanè indicio, quòd hæc privilegia revocari non poſſint; præſertim cum ipſa Camera Apoſtolica ſeſe obligaverit ad manutenenda hæc privilegia & immunitates dictarum Congregationum, ùt patet ex transactione cum Card. Aloyſio dictæ Cameræ Apoſtolicæ Præpoſito die 10. April. Anno 1571. inita, & inde ſecuta approbatione S. Pii V. per Bullam: *Sacro huic loco. 12. Calend. Jun. Anno 1571.* ùt per extenſum refertur in dicto Bullario à fol. 71. & ſeqq. Præterea probatur concluſio noſtra ratione univerſali: quia SS. Pontifices non minùs tenentur ſtare contractibus præſertim oneroſis abs ſe initis cum Regularibus, quàm alii Principes contractibus initis cum ſubditis ſuis, cùm id ſit de Jure naturæ, à quo nemo exemptus eſt: ſed exemptiones, immunitates, ac privilegia dictarum Congregationum Regularibus conceſſa ſunt & confirmata in vim contractûs & ex cauſa verè oneroſa ac ſub conditione immenſæ auri ſummæ perſolvendæ: tenentur igitur iisdem ſtare SS. Pontifices: atqui ſi iisdem ſtare tenentur, revocare non poſſunt ejusmodi privilegia per contractum oneroſum conceſſa & confirmata, niſi ex urgentiſſima cauſa publicam utilitatem ac neceſſitatem reſpiciente, & compenſatione pro pretio ſoluto. Atque hinc etiam Authores, quos citat & ſequitur Andreas à Matre Dei *tom. 4. tr. 18. cap. 2. punct. 3. n. 30* communiter docent, privilegia perBullam cruciatam conceſſa neque per Bullam Cœnæ, neque per Jubilæum revocari; quia privilegia Bullæ cruciatæ conceſſa ſunt per modum contractûs oneroſi; conceduntur enim, quia ſinguli certam pecuniam tribuunt, & ſic ut validè revocentur, præter urgentiſſimam cauſam reddi debet eleemoſina, aliàs nulla erit revocatio. Sic etiam, ùt iidem tradunt Authores, non poteſt S. Pontifex revocare diſpenſationes, quas dedit contrahendi matrimonium in gradibus prohibitis injunctâ certâ pecuniæ ſummâ, niſi ex urgenti cauſa, & redditâ, quam diſpenſatus dedit, pecuniâ. (*Adde*; neque hanc concluſionem propriè loquendo debere admitti; quia, licet aliqua privilegia ſint ejus naturæ, ut potuerint aut etiam fuerint deducti in pactum pro alia re ordinata ad finem ſpiritualem, v. g pro contributione ad bellum ſacrum, non tamen omnia privilegia in confirmatione generali contenta ſunt hujus naturæ, ut honeſtè pro pecunia, ut-

utut ordinata ad finem ſpiritualem poſſint deduci in pactum. Hinc Pontifex benè quidem jubet ſervari Bullas confirmatorias ac remuneratorias, aut conceſſas etiam ſub titulo oneroſo, quia ſaltem aliqua privilegia in confirmatione aut conceſſione generali contenta ſunt idonea materia contractûs ac pactionis, non tamen vera eſt iſta concluſio, quòd omnia privilegia, in ejusmodi confirmatione vel conceſſione generali contenta, ſint materia idonea contractûs ac pactionis, ac proin irrevocabilia. In quà re non tam culpandus eſt Author Cl. præſentis operis, quàm ejus duces, quos allegat.)

16 Dico 3tiò. *Ad revocanda Canonicorum aliorúmve Regularium privilegia requiritur ſpecialis eorumdem mentio.* (*Adde; per ſe,* & in ſenſu infra explicando)

Ita Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. 23. Aug. Anno 1477.* in favorem Canonicorum Regularium Congr. Lateran. conceſſa, ubi ita ſtatuit: „Cùm contingat plerumq; „ex importunitate petentiũ & negotiorum multitudine, ac ſuppreſſione veritatis SS. Pontifices fatigatos & circumventos ea concedere, quibus aliàs nullatenus annuerent, auctoritate præſentium ſtatuimus & ordinamus, quòd „quæcunque litteræ Apoſtolicæ „etiam proprio motu confectæ, „aut in futurum conficiendæ, etiamſi in eis clauſulæ: Privilegiis „& indultis dictæ Congregationi „conceſſis non obſtantibus, & de „quibus expreſſa mentio fieri debeat, expreſsè contineantur, quæ „obvient & contrafaciant huic „privilegio præſenti, aut quibuslibet earum particulis, niſi appareat evidentiſſimè, & apertiſſimè, „quòd S. Pontifex, qui pro tempore fuerit, huic indulto vel alicui ejus parti vellet per Apoſtolicas litteras derogare, faciendo ſpecialem mentionem de verbo ad verbum ex certa ſcientia „de hujusmodi privilegio, & ipſa „Congregatione, diverſis nominibus eam nominando per hæc „præciſè vocabula: Congregationem, unitatem de obſervantia „aliàs de Frixionaria nunc Lateranenſem appellatam, cauſásque „legitimas allegaverit, cur his obviare intendat decretis, nullius „ſit roboris vel momenti.„

Julius quoque II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* 17
pro Canonicis Regularibus Congr. Bonon. edita idipſum ſed amplioribus & efficacioribus terminis ſtatuit in hæc verba: „Nec non quòd „deinceps per quascunque revocatorias ſeu alias Apoſtolicas conceſſiones vel litteras quibuscunque verborum formis ac tenoribus vel clauſulis derogatoriis, „etiamſi illæ motu & ſcientia ſimi-

„ milibus emanaverint, nulla ex
„ prædictis conceſſis, & quæ ei-
„ dem Congregationi pro tempo-
„ re concedentur, exemptionibus,
„ immunitatibus, gratiis, indultis,
„ privilegiis & conceſſionibus quo-
„ modolibet revocari, caſſari, vel
„ annullari, ſeu ipſis vel ipſorum,
„ ſeu quibusvis in eis contentis par-
„ ticulis & clauſulis derogari vale-
„ at, niſi in derogatoriis vel aliis
„ litteris ſeu caſſationibus hujus-
„ modi, illa vel illæ ex litteris,
„ quæ revocari vel caſſari ſeu an-
„ nullari viderentur, aut cui vel
„ quibus derogari appareret, eo-
„ rúmque totus tenor de verbo ad
„ verbum integrè inſererentur, &
„ de omnibus & ſingulis Congre-
„ gationis hujusmodi Monaſteriis
„ nominatim ſpecifica mentio fiat,
„ ac in eisdem revocatoriis, caſſa-
„ toriis vel aliis litteris manifeſtè
„ & expreſsè appareat, quòd Ro-
„ manus Pontifex privilegiis, in-
„ dultis, & litteris, de quibus tunc
„ actum fuerit, voluerit ſpecia-
„ liter derogare vel illa revocare
„ aut caſſare, ſeu annullare, &
„ tunc demùm urgens, ſufficiens
„ & rationabilis, per quam dero-
„ gatio, revocatio, caſſatio vel an-
„ nullatio ipſa meritò fieri debeat,
„ cauſa exprimatur, alias deroga-
„ tiones, revocationes, caſſatio-
„ nes, irritationes, & annullatio-
„ nes, & quæcunque exinde ſecu-
„ ta nullius ſint roboris vel momen-
„ ti, ipſis conceſſis litteris, privi-
„ legiis, indultis, gratiis, exem-
„ ptionibus, & libertatibus in
„ ſuo priſtino, plenario atque
„ integro robore duraturis. „

Simile privilegium conceſſit Eu- 18
genius IV. in Bulla: *Regularem vi-
tam. pridie Calend. Julii. Anno 1436.*
Congregationi S. Juſtinæ ſeu Caſſi-
nenſi ſub tenore ſequenti: „ Au-
„ ctoritate præſentium ſtatuimus,
„ quòd quæcunque litteræ Apo-
„ ſtolicæ etiam motu proprio con-
„ fectæ, aut in futurum conficien-
„ dæ, etiamſi in eisdem clauſula,
„ privilegiis & indultis dictæ Con-
„ gregationi conceſſis non obſtan-
„ tibus, & de quibus expreſſa men-
„ tio fieri debeat, expreſsè conti-
„ neatur, quæ obvient & contra-
„ faciant huic præſenti privilegio,
„ aut cujuslibet ejus particulæ, ni-
„ ſi appareat evidentiſſimè & aper-
„ tiſſimè, quòd S. Pontifex, qui
„ pro tempore fuerit, huic indul-
„ to vel alicujus ejus parti vellet
„ per litteras Apoſtolicas deroga-
„ re, facientes ſpecialem mentio-
„ nem de verbo ad verbum, & ex
„ certa ſcientia de hujusmodi pri-
„ vilegio ac ipſa Congregatione,
„ diverſis nominibus eam nomi-
„ nando per hæc prætenſa vocabu-
„ la, Congregationem Unitatis a-
„ liàs de obſervantia ſanctæ Juſti-
„ næ nuncupatam, cauſáſque le-
„ gitimas allegaverit, cur his ob-
„ viare intendat decretis, nullius
„ ſint roboris vel momenti. „ Idem
fermè ſtatuit præfatus Eugenius in a-
lia Bulla: *Etſi ex debito. 7. Cal. Mart. An-*

no 1434. Similia privilegia conceſceſerunt alii SS. Pontifices quibuſdam Ordinibus aliis, ùt montis Oliveti Julius II. in Bulla: *Etſi ad univerſos. 4. Junii Anno 1507.* Camaldulenſibus Leo X. *Etſi à Summo. 4. Julii Anno 1513.* & Clemens VII. in Bulla: *inter multiplices. Anno 1529.*

19 Ex relatis hactenus Bullis ſatis clarè patet, ad revocanda Canonicorum, aliorúmve quorumdam Regularium privilegia requiri ſpecialem eorum mentionem, quin & ſpecialiſſimam ac expreſſiſſimam. Verùm hodie longè alia videtur eſſe praxis & ſtylus Curiæ Romanæ, utpote in qua raro hodie vel nunquam tam expreſſa fit in revocandis privilegiis mentio, qualis in præcitatis requiritur Bullis: pro quo proinde notandum cum Petro de Murga *ad Conſtit. 7. Alexandri IV.* hujuſmodi mentionem eſſe poſſe triplicem, genericam ſcilicet, ùt ſi dicatur: *non obſtantibus quibuscunque Conſtitutionibus etiam petentibus expreſſam mentionem pro illarum derogatione.* vel ſpecialis: *non obſtante privilegio ſub quacunque forma conceſſo,* & *etiamſi de illo expreſſa de verbo ad verbum mentio fieri debeat,* aut *quorum tenores hic pro ſufficienter expreſſis habemus &c.* Et individualem: *non obſtantibus talibus & talibus privilegiis,* eas nominando in ſpecie Quo ſuppoſito certum eſſe videtur, quòd ad revocanda Canonicorum aliorúmve Regularium ſupra relatorum privilegia non ſufficiat mentio illorum generalis, ùt docent Authores communiter. Et ratio eſt; quia ad revocanda hujusmodi privilegia requiritur, ut revocans voluntatem ſuam ſufficienter exprimat, quò conſtet illa voluiſſe revocare: atqui per clauſulas generales non ſufficienter exprimit voluntatem ſuam, nec ſatis conſtat illa revocare voluiſſe: ergò &c. Unde S. Pontifex revocans privilegia per clauſulam aliquam generalem non cenſetur revocare privilegia clauſulas præſervativas habentia. Quamvis autem juxta relatas ſuperiùs privilegiorum Bullas requireretur omninò individualis dictorum privilegiorum mentio ad ea revocanda, hodie tamen ex ſtylo Curiæ Romanæ communiter recepto, & juxta deciſiones S. Rotæ non amplius neceſſariam eſſe talem individualem, qualem requirunt Pontifices in allegatis Bullis ſuis, docent plures, quos recenſet Covarruv. *in rubr. de teſtament. part. 1. n. 20.* quibus ſubſcribit Lezana *to. 3. ad mare magn. Minorum n. 43.* & Murga *L. c. n. 8.* ex ratione, quia cùm privilegia conſiſtant in facto, & S. Pontifex omnium habere memoriam non poſſit, nec ſit ei poſſibile de talibus privilegiis mentionem facere, nec Papa antecedenter illa concedens, poſſit ad id ipſum obligare aut ejus reſtringere poteſtatem, ſequitur quòd poſſit privilegia quantumcunque qualificata, aut quibuscunque clauſulis munita absque illa individuali mentione revocare: requiri tamen ad ea revocanda ſaltem ſpecialem

ac

ac ſpecificam mentionem ſupra explicatam, docent Authores communiſſimè, quos inter Panormitanus in *cap. Cùm inſtantia. n. 6. de Cenſib.* Ancharanus *ibidem n. 7.* Navarrus *tit. de privileg. Conſil. 7. & 12. & in cap. Si quando. except. 1. per totam de Reſcript.* doctè & latè, Felinus *in cap. Accedentes n. 4. de præſcript.* & latè *in repertorio V. privilegium 2dum. an tollat primum habens clauſulam derogatoriam. col. 2. & 4. in fin.* Bonacina *de Leg. D. 1. q. 3. punct. 8. §. 3. n. 11.* Suarez *L. 8. cap. 38. n. 2.* Sylveſter *V. privilegium. n. 6.* Rodriquez *to. 1. q. 9. art. 6. & to. 2. q. 77. art. 8.* Miranda *to. 2. q. 45. art. 6. & alii plures,* quos citat & ſequitur Petrus de Murga *l. c. n. 9.* Barboſa *in tr. de clauſul. uſufrequent. clauſul. 83. n. 7.* & Aſcan. Tamburinus *to. 1. D. 16. quaſ. 8.* ubi refert *Rotam Deciſ. 213. n. 1. part. 1. & Deciſ. 161. n. 1. part. 2. & Deciſ. 88. ſub num. 4. lib. 2. part. 3. diverſ. & Deciſ. 466. num. 5. & Deciſ. 666. n. 4. part. 1. recent.* apud Gregorium XV. *Et in Cornaclen. & Ferrarien. Præpoſituræ & beneficii 15. Decembr. 1625. coram Remboldo & coram eodem in Toletana indulti 2. Maij. 1625.* in quibus fuit dictum, clauſulam: *quorum tenores &c.* fuiſſe adjunctam, ut daretur modus, quo Papa derogare poſſet gratiis præcedentibus, de quibus notitiam non habet; aliàs enim nimis arctaretur, ſi propter ignorantiam illas revocare non poſſet; videatur Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar. gloſſ. 36. n. 30.* & per tot. Et ratio hujus ulterior eſt; quia non eſt cogendus S. Pontifex, ut de verbo ad verbum talia referat privilegia, quæ fortaſſe ſcire non poteſt, neque eſt privandus poteſtate illa revocandi, quando oportuerit: ergò ſatis eſt, ut per alia verba generalia, quæ priora comprehendunt, ſufficienter mentem explicet ſuam. Petrus de Murga loc. cit. Addunt inſuper alii, quòd ſi aliunde clarè conſtet de voluntate S. Pontificis, quòd velit privilegium aliquod revocare etiam per clauſulam generalem, per hoc jam ſufficienter revocetur, licèt non utatur verbis ſpecificam privilegiorum mentionem facientibus, vel ad hoc ſignificandum inſtitutis; quia hæc vel illa verba adhibet ad explicandam mentem ſuam: ſi ergo de hac jam conſtat, etiamſi non adhibeat formam communem ac præſcriptam clauſulæ derogatoriæ, nihilominus cenſebitur privilegium revocatum. Verùm hoc ipſum in praxi captu difficile videtur; cùm enim S. Pontificis voluntas cognoſci non poſſit, niſi per verba ſpecialiter derogantia & expreſſa, neceſſariò ſequitur, quòd mentem ſuam ac voluntatem exprimere debeat per verba, quæ ſignificent, ejusmodi privilegia ſpecialiter revocari. (*Adde*; cum Pontifex ſuos ſucceſſores non poſſit obligare ad certas verborum formulas in ordine ad exprimendam ſuam mentem, cùm par in parem imperium non habeat, ſequitur, validam fore revocationem privilegiorum Regularibus conceſſorum, quacun-

cunque verborum formula concepta, dummodo ex ſubjecta materia & ex intentione Pontificis aliunde nota de ſenſu verborum revocatorio conſtet. Imò ſic practicavit Paulus V. in revocatione omnium Indulgentiarum prius Regularibus conceſſarum.)

20 Dico 4tò. *Ad revocanda Canonicorum aliorúmve Regularium privilegia requiritur quoque ſpecialis intimatio, qua eisdem legitimè conſtare poſſit de facta privilegiorum ſuorum revocatione.* (*Adde*; iterum *per ſe*, niſi mutetur ſenſus)

Ita deſumitur ex variis SS. Pontificum Bullis præſertim Clementis VII. qui poſt Leonem X. in Bulla: *Rationi congruit. Anno 1523.* Canonicis Regularibus S. Antonii Viennenſis conceſſit: quòd ſi dictæ Religionis privilegia per ipſum aut ejus ſucceſſores Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes importunitate aut etiam motu proprio aut aliàs revocari, ſuſpendi, aut modificari contingeret, revocationes, ſuſpenſiones & modificationes hujusmodi, niſi illæ de conſilio Venerabilium S. R. Eccleſiæ Cardinalium tunc & pro tempore exiſtentium conſiſtorialiter habito & cum trina intimatione per litteras Apoſtolicas ſub plumbo fierent, ſuffragari non poſſent, ùt ex Cherubino refert Auguſtinus à Virgine Maria in privileg. V. Revocatio. n. 3. Paulus quoque III. in Bulla; *Benignitas. 5. Novembr. Anno 1537.* confirmans ex certa ſcientia omnia Congregationis Caſſinenſis privilegia, decernit: per quascunque litteras Apoſtolicas nullatenus derogari poſſe, nec derogatum cenſeri ejusdem privilegiis, niſi de illarum ac præſentium litterarum tenoribus de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, ac ſpecificâ datâ ſpecialis & expreſſa mentio facta fuerit ac hujusmodi derogationes per tres diſtinctas litteras, eundem tenorem continentes, tribus ſimiliter diſtinctis vicibus, pro tempore exiſtentibus Præſidenti, Definitoribus, & Viſitatoribus legitimè inſinuatæ & intimatæ fuerint ac ipſorum Præſidentis, Definitorum, & Viſitatorum ad id expreſſus accedat aſſenſus. Item Clemens VII. in Bulla: *Clementia diſponente. 2. Jan. Anno 1534.* pro Ordine S. Joan. Hieroſolymit. ſtatuit: non poſſe per ullam revocationem ejus privilegia tolli, niſi per trinas litteras Apoſtolicas tribus diſtinctis vicibus revocatio intimetur Magiſtro Generali & Conventui, ac ab ipſis acceptetur. Denique Gregorius XIII. in Bulla: *Æquum reputamus 25. Maij Anno 1572.* Societati JEſu conceſſâ decernit, quòd nulla abrogatio vel revocatio ſub quavis forma facta præjudicet privilegiis eisdem conceſſis, niſi tribus diſtinctis vicibus eidem fuerit intimata, & quidem per litteras quo-

que

que diſtinctas eundem tenorem continentes. Ex quibus omnibus clarè iterum patet, quòd ad revocanda Canonicorum aliorúmve Regularium privilegia requiratur trina & quidem diſtinctis vicibus per litteras facta intimatio, nec ſufficiat una aut per Nuntium vel oretenus facta, ùt etiam docet Amicus *to. 5. de J. & J. D. 9. ſ. 10. n. 148.* cùm SS. Pontifices expreſsè requirant & trinam intimationem & per litteras factam, idque ideò ne privilegia tam facilè convelli poſſent, ſed ſemper ſervarentur integra, & obviaretur ſubreptitiis & ſollicitatis revocationibus eorundem privilegiorum; id enim valdè clarè expreſſit Sixtus IV. in B. *Dum ad univerſos.* hisce verbis: Cùm plerumque contingat ex importunitate petentium & negotiorum multitudine ac ſuppreſſione veritatis SS. Pontifices fatigatos & circumventos ea concedere, quibus aliàs nullatenus annuerent &c. eadem verba habet Eugenius IV. in B. *Etſi ex debito:* & in B. *Regularem vitam* ad Caſſinenſes data, quibus incommodis vix meliùs obviari poterat, quàm præſcribendo hanc formam, ut nempe revocatio tribus vicibus per diſtinctas litteras intimaretur privilegiato, quâ non ſervatâ, revocatio juxta relatas SS. Pontificum Bullas ac privilegia eſſet nulla, nec quidquam conceſſis præjudicaret privilegiis.

21 Verùm his omnibus hodie in contrarium ſtare videtur ſtylus Curiæ Romanæ; ex multis enim Pontificum Bullis apparet, hanc formam non ampliùs obſervari, ſed privilegiis etiam ſocietatis ſufficienter derogari, ſi in Bullis Pontificiis apponatur clauſula: *Ac ſi eis perſonaliter fuiſſent intimata.* Interim tamen certum eſt, quòd aliqua revocationis intimatio ac promulgatio omninò ſit neceſſaria; quia omnis lex & conſtitutio ad hoc ut obliget, de Jure debet eſſe ſufficienter propoſita & intimata; eſt enim intimatio unum de ſubſtantialibus ad obſervanda ſuperiorum mandata, aliàs ex legitima ignorantia excuſarentur ſubditi à legum obſervantia: ergò etiam ut revocatio alicujus privilegii obliget ad hoc, ut ab ejus uſu abſtinere cogatur privilegiatus, eidem legitimè inſinuari ac intimari debet; aliàs excuſabitur, ſi pergat uti privilegio ſuo. Quænam verò modò requiratur ac ſufficiat intimatio, difficultas eſt haud levis momenti, in qua duæ ſunt ſententiæ ſibi oppoſitæ: prima putat, teneri privilegiatum ab uſu privilegii ſui abſtinere, quamprimùm intelligit illud eſſe revocatum, quomodocunque hæc notitia ad illum pervenerit; quia revocatio pendet à voluntate revocantis: ergò obligat quandocunque fuerit facta revocatio, & conſequenter obligat etiam privilegiatum, quamprimum & quomodocunque illius notitiam acquiſierit. 2da verò ſententia requirit, ut hæc intimatio fiat per Nuntium aut reſcriptum authenticum, quo ſigni-

ſignificetur privilegiato, revocatum eſſe privilegium; quia revocans privilegium debet intimare privilegiato, ne ampliùs utatur privilegio ſuo; aliàs imprudenter ageret: quouſque igitur non intimat debito modo, præſumitur velle, ut revocatio non obliget, ſicut præſumitur legiſlator non velle obligare ad obſervandam legem ſuam, niſi eam debito modo intimet aut promulget. Hos inter opinionum fluctus indubitatum mihi videtur eſſe, quòd ad hoc, ut revocatio obliget, non ſufficiat qualiſcunque notitia aut popularis rumor, qui plerumq; fallax eſt, & ſi fortè verus eſſet, variat in circumſtantiis ac clauſulis in revocatione appoſitis, ſine quarum tamen notitia ſciri non poteſt, quouſque ſe illa extendat: Neque etiam ſufficere videntur vulgatæ à minùs peritis ac detruncatæ Cardinalium Declarationes, utpote quibus nullam fidem adhibendam eſſe juſſit Urbanus VIII. atque ipſa etiam S. Congregatio Card. niſi exhibeantur in forma authentica ac juſſu S. Pontificis ſint editæ & cum ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti ac Secretarii, præſertim cùm falſiſſimæ ſæpiùs ac confictæ circumferantur: multò minùs cuicunque authori revocationem alleganti credendum eſt, cùm experientia conſtet, quòd multi juxta privatum ſuum ſcribant affectum re non ſatis examinata, aut non ſatis cognita, niſi talis ſit, qui Romanæ Curiæ habet notitiam, aut eam authenticè refert. His ſuppoſitis

Diſtinguendum eſt inter Regularium privilegia, quæ à Jure, & ea, quæ ab homine revocantur. 22 Et ea quidem, quæ à Jure revocantur per modum legis univerſalis à S. Pontifice ſtabilitæ, ea requiritur ac ſufficit intimatio ac promulgatio revocationis, quæ de Jure communi ſufficit ad valorem & obligationem legis communis, ita ut ſicut lex obligat poſt legitimam promulgationem, ita & privilegium ceſſet poſt legitimam revocationis promulgationem. Atque hoc & non alio modo in revocandis quibusdam Regularium privilegiis uſi fuerunt SS. Pontifices, præſertim Gregorius XIII. Clemens VIII. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Innocentius X. & Clemens X. eorúmque ſucceſſores, qui ſi quandoque Regularium privilegia revocârunt, non alia ad hoc promulgatione ſunt uſi, quàm qua utuntur in legibus promulgandis: nec alia uſum eſt Tridentinum in revocandis Regularium privilegiis promulgatione, quàm qualem in conditis à ſe legibus fecit. Quemadmodum autem de lege civili & Canonica plures iique inſignes Authores docent, quòd non obligent, niſi poſt duos à facta publicatione menſes, ut in omnium poſſint venire notitiam, idem multò magis dicendum eſt de revocatione privilegiorum per modum legis univerſalis facta, ob vitanda innumera, quæ aliàs ſequi poſſunt, inconvenientia, prout etiam poſt Layman *L. 1. tr. 4. cap. 23. n. 28.* Suarez *L. 8.*

L. 8. cap. 40. n. 3. Portel. *V. privilegii revocatio. n. 1.* Lezana *to. 2. V. privileg. Regul. n. 40.* tenet Andreas à Matre Dei *to. 4. tr. 18. cap. 2. n. 45.* facta autem legitima publicatione legis revocatoriæ, ita ut ejus notitia ad Ordines Regularium ac Monaſteria ejusmodi privilegium habentia aut communicantia pervenire poſſit, manet ex tunc privilegium revocatum, ita ut acta per illud non valeant, etiamſi ignoranter & ſine culpa fiant, ut iterum tradit Andreas à Matre Dei *l. c. n. 46.* & *to. 3. tr. 11. de Leg. cap. 1. punct. 6.* quia ignorantia excuſare poteſt à culpa, non tamen ad actum præbere facultatem illis, qui talem non habent facultatem. Excipi tamen debent actus publici facti cum errore communi & titulo colorato; nam iſti validi ſunt non vi privilegii, ſed adminiculo Juris ſimiles actus ſuſtinentis ac Jurisdictionem ſupplentis ex *L. Barbarius ff. de Offic. Prator.* Andreas à Matre Dei *loc. ſupra cit.* cum pluribus aliis ibidem relatis.

23 Quod ſi revocatio fiat ab homine ſeu mandato concedentis privatim revocando privilegium, tunc enimverò requiritur ſpecialis aliqua intimatio aut per Nuntium, aut per reſcriptum authenticum facta, quia quælibet revocatio debet habere aliquam publicationem, qua ſignificetur privilegiato, revocatum eſſe privilegium: hæc autem alio modo intelligi aut concipi non poteſt, quàm quòd privilegiato intimetur vel per Nuntium ad hoc miſſum, vel per authenticum reſcriptum ad hoc transmiſſum: neque enim ſufficere poteſt notitia revocationis aliunde habita, utpote nec legitima nec authentica; atque adeò nullam meretur fidem, nec per notitiam revocationis dubiam deturbari quis debet à poſſeſſione certa privilegii certi, ſed debet eſſe orta ex vi legitimæ publicationis, quæ niſi vel per Nuntium vel reſcriptum haberi non poteſt. Atque de hac ſpeciali intimatione intelligenda concluſio noſtra, eàmque ad minimum requirunt Bullæ ſupra relatæ, quamvis illæ non unam tantùm ſed trinam requirant, ſicque diverſæ Authorum ſententiæ utcunque conciliari poſſe videntur; quibus omnibus accedit praxis hodie recepta, per quam habemus, quòd ſi revocatio fiat per modum legis univerſalis, ea fit vel per Conſtitutionem Pontificiam legitimè publicatam, vel per Decreta Cardinalium juſſu & mandato S. Pontificis edita & debitè promulgata. Si verò revocatio fiat privatim, ea intimatur Generalibus Ordinum Religioſorum, Abbatibus, Præpoſitis, aut eorum vices gerentibus, vel etiam Procuratoribus generalibus in Curia exiſtentibus, & ad hoc ſpecialiter vocatis, aut per litteras certioratis, quibus intimatur, S. Pontificem hoc vel illud privilegium revocâſſe, cum mandato, ut eam revocationem toti Ordini aut Congregationi omnibúsque illius Provinciis notificent, à quibus deinde,

quamprimùm ordinatè fieri poteſt, talis revocationis notitia int cæteros derivari debet. Quòd ſi negligenter ſe gerant illi, ait Andreas à Matre Dei n 48. quibus hoc incumbit, absque dubio peccabunt graviter, ipſi tamen ſubditi ignorantes invincibiliter revocationem, licitè uterentur privilegio, quoadusque certam ejus notitiam habeant, quamvis actus ita exerciti ſint invalidi. (*Adde*; hoc totum dependere ab intentione Pontificis aliunde nota: ſive enim ſint privilegia communia, ſive ſingularia ac prorsus extraordinaria; ſive ſint veroſimiliter nota ſummo Pontifici, ſive non; ſi tamen ex circumſtantiis, & ex fine loquentis moraliter conſtet, ſub ejus revocatione intendi annullationem generalem omnium; reverà erunt annullata eo momento, pro quo Pontifex in actu ſecundo intendit derogationem aut abrogationem valoris.)

24 Dico 5tò. *Privilegia Regularibus à SS. Pontificibus conceſſa nec Epiſcopi nec eorum Prælati revocare poſſunt, aut eorum uſum reſtringere, niſi ſpecialem ad hoc habeant à S. Pontifice poteſtatem.* (*Adde*; niſi per Epikiam)

Concluſio hæc quoad Epiſcopos videtur eſſe certa; tum quia Epiſcopi non poſſunt judicialiter & authenticè interpretari Regularium privilegia, ùt ſupra de interpret. privil. pluribus oſtendimus: ergò multo minùs ea revocare; cui enim minus non licet, utique nec majus licet: tum quia inferior non poteſt revocare privilegia à ſuperiore conceſſa nec ejus actus infringere: ſed Epiſcopi ſunt S. Pontifice inferiores, nec ejus poſſunt actus infringere: ergò nec poſſunt revocare privilegia à S. Pontifice conceſſa Regularibus. Quoad Prælatos verò Regularium, licèt concluſio noſtra majorem patiatur difficultatem, deſumitur tamen ex ipſis SS. Pontificum Conſtitutionibus, in quibus directè Regularibus conceduntur privilegia absque ulla reſtrictione aut à Prælatis in eorum uſu dependentia, neque legitur eisdem eſſe conceſſam poteſtatem eorum uſum pro libitu reſtringendi, aut omnino revocandi, niſi Societati JEſu, cui privilegia ita fuère conceſſa, ut cenſeantur conceſſa Generali, & hoc mediante primùm cæteris: ergò alii, quibus hanc poteſtatem non fecerunt SS. Pontifices, non poſſunt eorum uſum reſtringere aut privilegia Regularium omninò revocare; & ratio ulterior eſt, tum quia privilegia habent naturam legis, imò ſunt leges privatæ à S. Pontifice latæ, nec inferiores, quales ſunt Regularium Prælati, poſſunt tollere aut reſtringere legem à ſuperiore ac S. Pontifice latam: tum quia ſicut nemo dat, quod non habet, ſic neque

que auferre poteſt, quod non dedit: ſed Prælati non dederunt Regularibus privilegia; ergò neque poſſunt ea auferre, nec aliunde oſtendere valent, hanc illis poteſtatem eſſe conceſſam à S. Pontifice revocandi pro libitu Regularibus privilegia, aut illis eorum uſum reſtringendi. Dicunt equidem: non eſſe præſumendum, quòd Pontifex ùt zelator obſervantiæ regularis velit, quòd ſubditus utatur privilegiis contra voluntatem ſuperiorum: verùm cùm præſumptio cedat veritati *L. natura ff. de Jur. dot.* & *Leg. cùm de debito ff. de probat.* & conſtet de voluntate Pontificis, quòd ſubditi habeant proprium Jus ad uſum privilegiorum, dum omnibus & ſingulis concedit atque adeò perſonaliter, non eſt inducenda præſumpta voluntas contraria, præſertim quia non eſt contra regularem obſervantiam, quòd ſubditus utatur gratiis majorum ſuperiorum ſcilicet SS. Pontificum independenter & contra voluntatem minorum ſcilicet Prælatorum, cùm minores debeant ſe conformare majoribus, non minùs quàm ſubditi immediatis ſuperioribus; nec privilegia ſunt contra regularem diſciplinam, ſi non contineant abuſum. Ita Pasqualigo *QQ. mor. cent. 4. Q. 331. n. 7.* ſed hoc non obſtante

25 Opponunt auctoritatem SS. Pontificum, ac imò quidem Clementis IV. qui in Bulla: *Ne propter inſolentias. 5. Idus Julii Anno 1265.* ad Ciſtercienſes data ſic ait: Nos ex hoc paci veſtræ ac Ordinis veſtri tranquillo ſtatui paterna ſollicitudine conſulentes, indulgentias omnes & litteras, per quascunque perſonas ejusdem Ordinis contra communia ſtatuta ipſius à ſede Apoſtolica vel ejus Legatis ſub quacunque forma vel expreſſione verborum de cætero impetrandas, irritas & inanes præſentium auctoritate decernimus &c. ergò, inferunt, poſſunt Prælati privilegia Regularibus ſuis à SS. Pontificibus conceſſa revocare eorúmque uſum reſtringere. Verùm nego conſequentiam; ex hoc enim, quòd S. Pontifex litteras omnes & indulgentias contra ſtatuta Ordinis impetratas declaret irritas, haud quaquam ſequitur aut deduci poteſt, quòd Prælati poſſint Religioſorum ſuorum privilegia revocare; unde meritò negatur illegitima hæc illatio, aut ad ſummum diſtinguitur: poſſunt Prælati revocare privilegia Ordinis ſtatutis & regulari obſervantiæ conformia N. repugnantia tr. ſed nego ſuppoſitum, quòd privilegia Regularibus à SS. Pontificibus conceſſa repugnent aut adverſentur ſtatutis Ordinum aut obſervantiæ Regulari, ſed huic potiùs maximè ſunt conformia, utpote plerumque conceſſa ſub hac explicita conditione: quamdiu manſerint in regulari obſervantia, & ad hoc à SS. Pontificibus data, ut ferventiùs propriæ ſtudeant ſaluti & alacriùs ad majorem gloriam Dei ac animarum ſalutem promovendam in-

Digitized by Google

incumbant. Deinde quamvis hoc, quod intendunt Adverſarii (quod falſum tamen eſſe conſtat) per citatam Clementis IV. Bullam reipſa fuiſſet ſtatutum, id tamen ad ſolos pertineret Ciſtercienſes, nullatenus trahendum ad alias Religiones, cùm odia & onera non veniant in communicatione privilegiorum, ùt ipſimet Adverſarii paſſim docere ſolent.

26 Opponunt ſecundò auctoritatem Leonis X. qui Minoribus conceſſit, quòd eorum Generalis in ſuo Capitulo generali, vel Provincialis in Capitulo provinciali cum conſenſu tamen ejuſdem Capituli vel majoris illius partis declarare poſſit, & valeat, ùtrum ab alicujus conceſſionis vivæ vocis oraculo factæ abſtinere debeat, idque eandem vim habeat, ac ſi conceſſio hujuſmodi per ſuam Sanctitatem ſuſpenſa fuiſſet & revocata, ùt habetur in ſupplemento Ordinis conceſſ. 296. ex quo iterum inferunt, poſſe Prælatos Religioſorum ſuorum privilegia revocare, aut reſtringere. Verùm hoc ipſum Leonis X. privilegium ſubvertit præcipuum ac fermè unicum adverſariorum argumentum, quo probare volunt, quòd S. Pontifex concedendo Regularibus privilegia præſumatur ea concedere cum debita ſubordinatione ac dependentia à Prælatis ſuis; ſi enim id verum eſſet, non opus habuiſſent Minores ſpeciali privilegio Pontificio ad declarandum, utrum ab alicujus conceſſionis vivæ vocis oraculo factæ abſtinere debeant, cùm hæc poteſtas juxta Adverſarios jam inſit omni privilegio; longè majori Jure ex hoc Minorum privilegio in contrarium ſic argui poſſe videtur: ad declarandum, an ab alicujus conceſſionis vivæ vocis oraculo factæ abſtinere debeant Minores, opus iſti habuerunt ſpeciali privilegio: ergo ſignum eſt, quòd hæc poteſtas non inſit cuilibet privilegio. Deinde hæc poteſtas à Leone X. conceſſa Minoribus, expreſsè reſtricta eſt ad vivæ vocis oracula: ergò non eſt extendenda contra mentem S. Pontificis ad privilegia in ſcriptis & per Bullas conceſſa; ſi enim & hæc voluiſſet comprehendere, non tam expreſsè reſtrinxiſſet ad vivæ vocis oracula: verùm circa hæc fuerat ſpecialis ratio; cùm enim idem Pontifex conceſſiſſet prædictis Minoribus, ut poſſint in conſcientia omnibus uti & frui vivæ vocis oraculis prout in libris Ordinis reperiuntur, cúmque plura invenirentur, de quibus dubium erat, an ſint authentica, an ſuppoſititia, aut eorum Ordini conducibilia, meritò commiſit S. Pontifex prædictis Capitulis, ut ea examinarent, atque authentica à ſuppoſititiis ſecernerent, hiſque rejectis ſtatuerent, quænam ſervanda forent, & à quibus abſtinendum: at nobis ſermo hic eſt de privilegiis in ſcripto, iiſque certis & authenticis ac Religioſis immediatè conceſſis ſine ulla reſtrictione

&

& à ſuis Prælatis dependentia: non autem de vivæ vocis oraculis, iiſq; dubiis aut omninò ſuppoſititiis. Denique concluſio noſtra intelligenda eſt de Prælatis particularibus, non autem de congregatis in Capitulo generali totum Ordinem repræſentantibus, de quibus haud abnuo, ſed ultra fateor, quòd poſſint revocare aut reſtringere privilegia in favorem Religioſorum à SS. Pontificibus conceſſa, non quidem ex ratione communiter afferri ſolita, quòd SS. Pontifices præſumantur concedere privilegia Regularibus cum dependentia à ſuis Prælatis, neque ob auctoritatem Clementis IV. & Leonis X. hactenus allatam, quæ nihil hic probat, ſed ideò, quia in ejuſmodi Capitulo generali, ad quod confluunt ex toto Ordine deputati præcipui viri cum facultate ſtatuendi, quæ è re Ordinis eſſe videbuntur, adeſt interpretativa voluntas omnium Religioſorum ac totius Religionis vel Congregationis, quæ in Capitulo generali cenſetur exiſtere congregata: atque adeò ſicut quivis poteſt renuntiare privilegio in ſui favorem principaliter introducto, aut illius uſum moderari, ita quoque tota Religio poteſt renuntiare privilegiis in ſui ſuorúmque favorem principaliter introductis, præſertim ſi id toti Religioni expedire videatur; in hoc enim conſentire cenſentur omnes Religioſi per ſuos ad Capitulum generale deputatos. Atque hoc & non plus velle videntur Authores, quos magno numero refert & ſequitur Diana coordinat: *tr. 1. de dubiis Regular. Reſolut. 14.* defendentes, quòd Capitulum generale alicujus Religionis poſſit reſtringere aut limitare uſum privilegiorum; qui proinde nobis haud ſunt contrarii, ſed noſtræ potiùs accenſendi ſententiæ.

27 Opponunt deniquè tertiò auctoritatem Gregorii XIII., qui in Bulla: *Decet. 3. Maij. Anno 1575.* Societati Jeſu conceſſit, quòd omnia privilegia eidem conceſſa aut concedenda non intelligantur conceſſa aut concedenda inferioribus, ſed immediatè Præpoſito Generali, qui per ſe vel per alios ab ipſo electos, ſingulis comūnicare liberè poſſit: & ſic nec licitè nec validè abſque tali licentia ſui Generalis uti poterunt aliquo privilegio Societatis Religioſi: ergo neque aliorum Ordinum Religioſi poterunt uti privilegiis ſibi conceſſis ſine licentia ſuorum Prælatorum ob communicationem privilegiorum, quam habent cum dicta Societate: atque adeò Prælati poſſunt reſtringere ſuis Religioſis uſum privilegiorum, aut ea omninò revocare. ℟. negando utramque conſequentiam, quam etiam negare debent Authores illi, qui hoc nobis Gregorii XIII. privilegium objiciunt, cùm ipſimet doceant, quòd Religioſi aliorum Ordinum, cum Societate in privilegiis communicantes, uti poſſint privilegiis Societati conceſſis abſque dicta reſtrictione

&

Digitized by Google

& licentia Generalis vel Provincialis, aut aliorum Prælatorum, prout re ipſa nobiscum præter ſupra citatos docent Hieronymus Garzias *tr. 8. diff. 1 dub 4. n. 5. in fin.* Cœleſtinus *in compend. Theolog. moral. tr. 8. cap. 15.* Corduba *in compend. privil. V. Communicatio.* Bruno Chaſſaing. *to. 1. tr. 1. cap. 3. propoſ. 8.* Alviſet *Sect. 1. cap. 7. n. 20. & 21.* Petrus ab Angelis *in ſpecul. Diſp. 2. Sect. 2. n. 3.* Antonius à Spiritu ſancto *tr. 1. D. 1. n. 50.* & communis aliorum, quidquid in oppoſitum dicat Bordonus *to. 2. Reſol. 82. n. 57.* Eſt autem latiſſima diſparitas quoad hoc inter privilegia Societatis & aliarum Religionum; nam in Societate dantur privilegia à S. Pontifice immediatè Generali, & hoc mediante primùm cæteris Religioſis Societatis, idque omninò exigit illius regimen & commoda dependentia ab uno capite, ùt ipſemet S. Pontifex Gregorius in ſua Bulla agnoſcit, cùm ait: *propter Inſtituti ipſius ab aliis Religionibus diverſitatem*: quando verò hæc ipſa Societatis privilegia communicantur aliis religioſis Ordinibus, talis communicatio non fit eorum Generali, ſed immediatè ipſis Religioſis abſque ulla reſtrictione aut dependentia à ſuis Prælatis. Idque magis adhuc patet ex eo; quia Religioſi Societatis, etiamſi communicent privilegia aliarum Religionum, ſemper illa communicant cum illa dependentia à ſuo Generali, quamvis in privilegiis aliarum Religionum non petatur talis dependentia; quia hoc eſt conveniens pro illo inſtituto: ergò quando aliæ Religiones participant illa privilegia Societatis, hoc erit abſque dependentia à ſuo Generali aut Prælatis; quia non eſt neceſſaria nec pro inſtituto, nec pro bono regimine illarum, ùt benè notat Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 1. n. 105.* Et ratio ulterior eſt; quia quando communicatur privilegium, communicatur ipſa gratia in ſua ſubſtantia, non verò modus utendi, & quo is, cui primò fuit conceſſum, illo utitur; quia illa reſtrictio licentiæ ſeu conditio Generalis in Societate JEſu requiſita non eſt privilegium nec ad gratiam ſpectat: unde quidquid recipitur & communicatur, ad modum recipientis recipitur, & modus, quo alii Ordines recipiunt, non fert, ut illa recipiant cum tali dependentia, ideò quando aliquod illis datur aut communicatur privilegium, poſſunt eodem liberè uti, eo modo quo alii utuntur, & abſque ejusmodi licentia Generalis vel Prælati ſui, ùt advertit Alviſetus l. c. atque hinc, ſi defacto contingat aliquod privilegium tolli vel limitari in aliquo Ordine, non tenebitur alius eodem abſtinere, aut factæ hujusmodi limitationi acquieſcere aut ſe conformare, etiamſi fortè illud acquiſierit per ſolam viam communicationis ab illo primo, cui fuit limitatum vel ſublatum, cujus ratio eſt; quia Ordines regulares utuntur

pri-

privilegiis independenter à ſe invicem, non ſecùs ac ſi illis primitùs fuiſſent conceſſa. (*Adde*: cum privilegium ſit lex; & lex ſit ordo rationis ad bonum comune; atque intentio Pontificis ſubſtet regulis prudentiæ, manifeſtum eſt, eam intentionem eſſe conformem cujusvis ſubjecti aut objecti reſpectivæ exigentiæ, decentiæ, & honeſtati. Itaque ſi circumſtantiæ & natura privilegii pro bono publico & honeſtate publica exigit, ut actualis uſus dependeat à nutu ſuperioris, reverà dependebit à nutu ſuperioris.)

28 Dico denique 6tò. *Privilegia Regularibus ab Imperatoribus, Regibus, ac Principibus ſæcularibus conceſſa non poſſunt ab illis ampliùs revocari* (*Adde*; per ſe)

Ita, pluribus citatis Sanchez *L. 8. de matr. D. 33.* Suarez *L. 8. de Leg. cap. 37.* Donatus *to. 1. p. 1. tr. 13. Q. 4.* Tamburinus *to. 1. Diſp. 16. quaſ. 13.* Lezana *to. 2. V. privilegium. n. 20.* Diana *part. 3. tr. 1. Reſolut. 57. & part. 5. tr. 1. Reſol. 14.* Baſſæus *V. Privilegium 3. n. 2.* Antonius à Spiritu S. in Director. Regul. *tr. 1. D. 1. ſect. 8. n. 134.* Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 2. n. 28.* Rotarius *to. 3. L. 3. cap. 5. punct. 4. n. 5.* & Canoniſtæ communiſſimè. Probatur autem concluſio noſtra 1mò. Quia privilegia etiam merè gratioſa non ſubdito conceſſa revocari non poſſunt neque à concedente, neque ab ejus ſucceſſoribus, ùt ſupra pluribus demonſtratum fuit: ſed Regulares tanquam perſonæ Eccleſiaſticæ non ſunt ſubditæ Imperatoribus, Regibus & Principibus ſæcularibus: ergò privilegia ab his conceſſa Regularibus revocari non poſſunt, niſi ſuperveniat notabilis mutatio rerum, quà privilegium fieret notabiliter pernitioſum regno aut bono communi vel ipſimet Regi; minor patet, *ex cap. Si diligenti. 12. de foro competenti. cap. Etſi Clerici 4.* & *cap. Clerici 8. de Judiciis. Can. 1. & ſequentibus. cauſ. 11. Q. 1.* ex quibus clarè deducitur, quòd Clerici aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ à Jurisdictione Principum ſæcularium penitùs exemptæ ſint, prout pluribus etiam oſtendit Oliva *fori Eccl. p. 1. q. 9.* Idipſum conſtat ex Conſtitutionibus Juris civilis præſertim *Authent. ſtatuimus. C. de Epiſcop. & Cleric.* & *Auth. Caſſa. C. de ſacroſ. Eccl.* ubi privilegium hoc exemptionis à Conſtantino M. conceſſum ab Impp. Theodoſio & Valentiniano confirmatum, & ab Eccleſia acceptatum, novis ſanctionibus ſtabilitur. Probatur 2dò. quia privilegia Regularibus conceſſa ſunt à Principibus ſæcularibus intuitu maximorum meritorum, quæ ſibi comparârunt, ac in dies comparant per converſionem tot regnorum ac provinciarum, per reductionem tot populorum ſub eorum obedientiam, per

tot labores & ſudores, ipsúmque profuſum ſanguinem, quibus ſubditos ab hæreſi præſervárunt, divino verbo, ac doctrinis Chriſtianis imbuunt, atque etiam pro eorum ſalute animam ponunt: ſed privilegia intuitu tot tantorúmque meritorum conceſſa revocari non poſſunt; cùm ſint debita tum ex titulo gratitudinis tum ex titulo juſtitiæ: ergò privilegia Regularibus à Principibus ſæcularibus conceſſa, ab iis revocari non poſſunt. Probatur 3tiò. quia privilegia à Principibus ſæcularibus conceſſa Regularibus fuerunt à SS. Pontificibus ſæpiùs confirmata & approbata, & Canonicorum Regularium quidem à Nicolao V. in Bulla: *Ex proviſione &c. Calend. Januar. Anno 1450.* Sixto IV. *Dum ad univerſos. 10. Cal. Septembr. Anno 1477.* Julio II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April.* ſed privilegia à SS. Pontificibus confirmata non poſſunt amplius revocari; cùm inferior non poſſit revocare privilegium à ſuperiore confirmatum, ùt tenet communiſſima DD. ergò privilegia à Principibus ſæcularibus conceſſa Regularibus nequeunt ampliùs revocari. Probatur 4tò. quia privilegia Eccleſiæ conceſſa firmata fuerunt univerſali conſenſu totius Reipublicæ Chriſtianæ, à qua Principes ſuam habent Jurisdictionem: quod autem conſenſu totius Reipublicæ Chriſtianæ fuit firmatum, revocari non poteſt à Principe, ùt docet Bellarmin. *to. 1. p. 2 D. de exempt. Clericor. cap. 2.* (*Adde*; cum ejusmodi privilegia in non ſubditos facta habeant vim donationis, clarum eſt, quòd etiam contineant conditiones & reſervationes tacité imbibitas, tales videlicet, ut ſi de iis expreſsè fuiſſet cogitatum aut tractatum, convenienter potuiſſent & debuiſſent deduci in pactum. Cùm autem non deceat, in donationibus ad Deum & ejus miniſtros exprimere varias reſervationes aut conditiones illiberales, ſequitur, tales donationes ſine cauſa graviſſima neceſſitatis manifeſtæ & magnæ revocari non poſſe.)

(o)

Sectio

Sectio IV.

An & quænam privilegia Regularium fuerint revocata à Concilio Lateranenſi, & Tridentino.

29 Difficillimam, maximóque partium ſtudio agitatam aggredimur controverſiam, nec minùs odioſam quàm practicam, Regularibus pro conſervatione ſuorum privilegiorum tanquam pro aris & focis certantibus, Regularium econtra Adverſariis viribus omnibus ea impugnantibus, aut jam eſſe revocata contendentibus majori conamine, quàm effectu, utpote cùm plerique ex iſtis non tam veris ac ſolidis argumentis, quàm fucatis ac falſa ſuppoſitione laborantibus pugnent, ſuiſque potiùs affectibus litare ſoleant quàm veritati. Pro meliori autem dicendorum intelligentia ſciendum, quòd inter varias privilegiorum revocationes prima fuerit illa, quæ facta eſt in Concilio Lateranenſi V. quod ſub Julio II. Anno 1512. cœptum, & ſub Leone X. continuatum, demùm Anno 1516. finitum fuit, in quo plura privilegia Mendicantium Ordinibus conceſſa moderata fuerunt, aut omninò revocata, quod deinde ad omnes cæteros Religioſos Ordines fuit extenſum eo fine, ut pax & concordia inter Epiſcopos & Regulares, per ejuſmodi privilegia labefactata, iterum reſarciretur, prout ipſe refert Leo X. in Bulla, quæ incipit: *Dum intra mentis arcana 19. Decembr. Anno 1516. edita*: qua tamen non obſtante moderatione aut revocatione à Concilio facta, credidêre Canonici Regulares ſeſe ab eadem eſſe exemptos, quia non fuerat in eo facta expreſſa & individua mentio privilegii à Sixto IV. eiſdem conceſſi, vi cujus non poſſunt eorum privilegia revocari, niſi certa & ibi expreſſa in revocatione privilegiorum ſuorum ſervetur forma: cùm autem hæc non fuiſſet ſervata, dubium exortum eſt, an & ipſi comprehendantur ſub revocatione privilegiorum à dicto Lateranenſi Concilio facta, pro cujus reſolutione ipſum adière S. P. Leonem, ut illud expediret.

30 Altera revocatio privilegiorum Regularibus conceſſorum facta eſt in Concilio Tridentino, quod Anno 1545. ſub Paulo III. initium habuit & abſolutum fuit ſub Pio IV. Anno 1563. ubi longè plura, quàm in Concilio Lateranenſi, & ſi non omnia, ſaltem pleraque revocata fuiſſe privilegia non tantùm Mendicantibus, ſed & aliis Regularibus quibuſcunque, contendunt nonnulli eiſdem malè affecti, & rerum harum non ſatis periti. Hæc autem pri-

Digitized by Google

privilegia, de quibus hic eſſe poteſt controverſia, in triplici ſunt differentia; nam aliqua fuerunt revocata cum annexa expreſſa clauſula derogatoria: non obſtantibus quibuscunque privilegiis, aut aliis ſimilibus verbis concepta, quorum plura exempla affert Joannes à Cruce *de ſtat. Religioſ. L. 2. cap. 3. dub. 6.* talis autem derogatio privilegiorum aliquando ponitur in fine capitis vel decreti, ùt patet *ſeſſ. 5. cap. 2* & *ſeſſ. 23. cap. 12.* ac aliis locis: aliquando ponitur in fine ſeſſionis, in qua multa capita ſeu decreta comprehenduntur, ùt patet *ex ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 22.* Alia verò privilegia ſunt quidem decretis Concilii Tridentini contraria, quibus tamen nulla fuit clauſula derogatoria privilegii ſibi contrarii appoſita, & talia ſunt plura, quæ recenſet Hyacintus Donatus *to. 1. part. 1. tr. 1. Q. 16.* Alia denique neque adverſantur decretis prædicti Concilii, neque aliquam habent annexam clauſulam derogatoriam, de quibus hic omnibus inſtituitur quæſtio, in qua examinandum eſt nobis 1mò. An privilegia Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis conceſſa, fuerint à Concilio Lateranenſi vel Leone X. revocata aut moderata? 2dò. An omnia Regularium privilegia fuerint à Concilio Tridentino revocata? 3tiò. An illa privilegia, quæ quidem adverſantur Decretis Concilii Tridentini, nullam tamen habent annexam clauſulam privilegiorum revocatoriam, cenſenda ſint eſſe revocata, aut contineri in clauſula: *Dummodo SS. Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adverſentur?* 4tò. An ea ſaltem privilegia, quæ adverſantur Decretis contentis in ſeſſione 25ta. de Regular. atque illa etiam, quæ adverſantur alicui tali decreto, quod clauſulam privilegiorum revocatoriam habet annexam, ſint revocata? 5tò denique: An Regulares poſſint in foro conſcientiæ privilegiis ſuis uti, quæ ſunt expreſsè revocata per Tridentinum?

Dico 1mò. *Nullum privilegium Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis conceſſum, fuit à Concilio Lateranenſi vel Leone X. revocatum aut moderatum.* 31

Concluſio hæc non alia indiget probatione, quam ipſa S. P. Leonis X. Bulla, qua declarat, eosdem Canonicos in moderatione privilegiorum per Concilium Lateranenſe facta non fuiſſe comprehenſos nec comprehendi potuiſſe; ea verò ſic habet: „ Decet Romanum Pontificem geſta per eum, ſuper quibus dubia oriuntur, ſuæ declarationis arbitrio ita plana reddere, ut nullum valeat exinde dubitationis involucrum exoriri. Cùm itaque ſicut nobis nuper exponi feciſtis, inter alia privile-

Digitized by Google

„ gia immunitatis, exemptionis, „ conceſſionis, & gratiarum, in„ dulta Congregationi veſtræ ac „ illius locis & perſonis pro tem„ pore exiſtentibus ab Apoſtolica „ ſede conceſſa & confirmata, fe„ licis recordationis Sixtus IV. mo„ tu proprio Congregationem ip„ ſam Canonicorum Regularium „ Lateranenſium Ordinis S. Augu„ ſtini, illiúsque Monaſteria, mem„ bra, Eccleſias, loca, perſonas, „ & eorum Capellanos, qui pro „ tempore forent in Eccleſiis & Pa„ rochiis ejusdem Congregationis „ curam animarum habentes à quo„ rumcunque Legatorum, Dele„ gatorum, Sub-Delegatorum, nec „ non Nuntiorum dictæ ſedis, Pa„ triarcharum, Archiepiſcoporum, „ Epiſcoporum, & aliorum quo„ rumcunque Judicum ordinario„ rum, & extraordinariorum, alia„ rúmve quarumcunque perſona„ rum, quantacunque ampla præ„ fulgeant dignitate ſeu præemi„ nentia, Jurisdictione, auctori„ tate, poteſtate, dominio, viſi„ tatione, Jure cathedratici, & cha„ ritativi ſubſidii, ſubventione & „ exactione quarumcunque, præ„ ſtatione, nec non ſynodalibus & „ alterius cujuscunque Congrega„ tionis, ſeu Proceſſionum evoca„ tione. Ita quod in Congrega„ tionem Canonicorum, perſonas, „ Monaſteria, Eccleſias, membra „ & loca præfata, utpote prorſus „ exempta, nullam excommunica„ tionis, ſuſpenſionis, aut Inter„ dicti ſententiam ſeu alias cenſu„ ras ſeu pœnas ſpecialiter & ge„ neraliter eorum auctoritate or„ dinaria promulgare, nec ullam „ aliam in Monaſteria, Eccleſias, „ perſonas, & loca hujusmodi præ„ eminentiam, ſuperioritatem & „ Jurisdictionem quomodolibet ex„ ercere poſſent, etiam ratione „ contractus vel delicti ſeu rei, „ de qua ageretur ubicunque ini„ retur contractus, committeretur „ delictum, & res ipſa conſiſteret, „ etiam cum decreto irritante per „ quasdam litteras prorſus exeme„ rit, & totaliter liberaverit, Con„ gregationémque & omnia præfa„ ta in Jus & proprietatem B. Petri „ & ſedis ejusdem, & ſub eorum „ ſpeciali protectione atque ſua re„ ceperit: ac per easdem ſuas lit„ teras motu ſimili ſtatuerit, & or„ dinaverit, quòd quæcunque lit„ teræ Apoſtolicæ, etiam motu pro„ prio confectæ aut in futurum „ conficiendæ, etiamſi in eisdem „ clauſula: *privilegiis & indultis dictæ* „ *Congregationi conceſſis non obſtanti*„ *bus, & de quibus expreſsè mentio fieri* „ *deberet*, expreſsè non teneretur, „ quæ obviaret & contraveniret „ hujusmodi privilegio, aut qui„ buslibet ejus particulis ùt ſupra, „ niſi evidentiſſimè & apertiſſimè „ appareret, quòd S. Pontifex, qui „ pro tempore eſſet, hujusmodi in„ dulto, vel alicui ejus parti vel„ let per Apoſtolicas litteras dero„ gare, faciendo ſpecialem de ver„ bo ad verbum ex certa ſcientia

Digitized by Google

„ de hujuſmodi privilegio & ipſa
„ Congregatione diverſis nomini-
„ bus eam nominando per hæc præ-
„ ciſa vocabula: *Congregationem, Uni-*
„ *tatem de Obſervantia, aliàs de Friſio-*
„ *nariam nunc Lateranen. appellatam*, cau-
„ ſáſque legitimas allegaret, quæ
„ his obviare intenderet, decre-
„ tum nullius eſſet roboris, & mo-
„ menti, aliáque quamplura con-
„ ceſſerit, decreverit, ſtatuerit,
„ atque mandaverit, prout in præ-
„ dicti Sixti Indultis, privilegiis ac
„ litteris latiùs dicitur contineri.

„ Quia verò ipſo Nos ſacro ap-
„ probante Concilio, Conceſſiones
„ Fratribus Mendicantibus per Ro-
„ manos Pontifices prædeceſſores
„ noſtros & ſedem præfatam factas
„ ſub certis modo & forma tunc
„ expreſſis, per certas noſtras lit-
„ teras moderavimus, ac hujuſmo-
„ di moderationem ad Religioſos
„ Ordinum quorumcunque exten-
„ di & per eos etiam ſervari debe-
„ re voluimus & decrevimus (ùt
„ per illas aſſeritur) privilegiis, im-
„ munitatibus, exemptionibus, con-
„ ceſſionibus, gratiis, & indultis
„ hujuſmodi dictæ Congregationi
„ conceſſis præjudicatum fuiſſe &
„ Congregationem & alias perſo-
„ nas hujuſmodi, illis juxta mode-
„ rationem hujuſmodi duntaxat uti,
„ & gaudere debere. Quamob-
„ rem Nos, ad quos ex commiſſi
„ nobis officii debito pertinet om-
„ nem ex Apoſtolicis Conſtitutio-
„ nibus dubietatis ſcrupulum amo-
„ vere, ne propter veritatis ſup-
„ preſſionem quis Jure ſuo fruſtre-
„ tur, volentes ſuper hoc dictæ
„ Congregationis ſtatui & indem-
„ nitati providere.

„ Motu proprio & ex certa ſci-
„ entia, ac de Apoſtolicæ poteſta-
„ tis plenitudine decernimus & de-
„ claramus per moderationem &
„ litteras noſtras prædictas nullum
„ privilegiis, immunitatibus, ex-
„ emptionibus, conceſſionibus, gra-
„ tiis & indultis Congregationi præ-
„ fatæ & in illius favorem, ùt præ-
„ fertur, per tot Romanos Ponti-
„ fices conceſſis & iteratis vicibus
„ confirmatis, præjudicium inferri,
„ quemadmodum neque ea ſub hu-
„ juſmodi moderatione compre-
„ henſa fuiſſe vel eſſe, aut conti-
„ neri, & potuiſſe comprehendi
„ vel poſſe, ſed quoad hujuſmodi
„ moderationem illos permanſiſſe &
„ permanere liberos, Congrega-
„ tionémque, & illius pro tempo-
„ re exiſtentem Rectorem genera-
„ lem, Viſitatores, Abbates, Præ-
„ poſitos, Priores Canonicos, per-
„ ſonas, Capellanos, & omnes præ-
„ fatos illis abſque hujuſmodi mo-
„ deratione liberè juxta eorum te-
„ norem uti poſſe & debere in om-
„ nibus & per omnia, perinde ac
„ ſi à moderatione hujuſmodi &
„ deſuper confectis litteris vos ex-
„ preſsè excepti fuiſſetis. Sicque
„ per quoſcunque Judices & Com-
„ miſſarios etiam cauſarum ſacri Pa-
„ latii Auditores, ſublata eis & eo-
„ rum cuilibet quavis aliter inter-
„ pre-

„ pretandi facultate, judicari & „ ſententiari debere, irritum quoque & inane ſi ſecùs ſuper his à „ quoquam, quavis auctoritate „ ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus „ præmiſſis, ac Conſtitutionibus & „ Ordinationibus Apoſtolicis, nec „ non omnibus illis, quæ in dictis „ noſtris litteris voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, „ quòd tranſumptis manu Notarii „ publici confectis & alicujus Prælati ſigillo munitis eadem fides adhibeatur in Judicio & extra, quæ „ præſentibus adhiberetur, ſi illæ „ eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud S. Petrum „ ſub annulo piſcatoris die - - - „ Septembris Anno 1519. Pontificatûs noſtri Anno VII.

32 Ex recenſita hactenus Bulla certum jam eſt, quòd Canonicis Regularibus non tantùm non fuerint ulla per Concilium Lateranenſe moderata aut revocata privilegia, ſed eos nequidem ſub revocatione ac moderatione in dicto Concilio facta fuiſſe comprehenſos, aut comprehendi potuiſſe, ídque ideò, quòd nec in illo, nec in Bulla Leonis X. *Dum intra mentis arcana* citat. fuerit eorum facta ſpecialis aliqua mentio juxta modum ac formam à Sixto IV. præſcriptam, inſinuat Leo ipſe in relata primùm Bulla: *Decet Romanum Pontificem.* ex quo ipſo vel maximè confirmatur illud, quod ſupra diximus, quòd nempe ad revocanda Canonicorum Regularium privilegia requiratur ſpecialis illorum mentio. Privilegia porrò, quæ à Concilio Lateranenſi & à Leone X. Mendicantibus cæteriſque Religioſis Ordinibus fuerunt revocata ac moderata, potiſſimùm verſantur circa Parochiales eorum Eccleſias, proceſſionum advocationes, prædicationem verbi divini, confeſſiones ſæcularium, adminiſtrationem ſacratiſſimæ Euchariſtiæ & extremæ Unctionis, ac ſuſceptionem Ordinum, atque id genus plura alia, quæ in dicta Leonis X. Bulla: *Dum intra mentis arcana Anno 1516.* edita continentur, atque etiam referuntur à Tamburino *to. 1. D. 18. quaſ. 3. n. 40.* ex quibus multa poſtmodum etiam revocavit Concilium Tridentinum, de cujus revocatione privilegiorum pluribus jam agendum eſt, unde ulterius. (*Adde*; dum hoc loco dicitur, Canonicos Regulares non potuiſſe comprehendi ſub ea revocatione, haud dubiè ſenſus eſt de potentia *ordinaria* decentiæ, reſpectiva ad mentem Bullæ Sixtinæ, quam modeſtus Pontifex nolebat infringere, non de potentia *abſoluta*, qua potuiſſet abolere diſpoſitionem Sixti IV.)

Dico 2do. *Non omnia privilegia Regularium fuerunt à Concilio Tridentino revocata.* 33

Ita certa tam Theologorum quàm Canoniſtarum ſententia, & probatur

batur imò ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 20. in fin.* ubi ait: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum* Religioſorum *privilegia & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca & Jura concernunt, firma ſint & illæſa.* enimverò quid clarius in rem noſtram dici poſſit? non video. Probatur tamen 2dò. SS. Pontifices confirmârunt omnibus Religioſis Ordinibus ſua privilegia etiam poſt Tridentinum, eáque in dies confirmare pergunt, ſoláque excipiunt privilegia, quæ Decretis ejusdem Concilii adverſantur, aut ab eodem expreſsè fuerunt revocata: ſed non omnia Regularium privilegia ejusdem adverſantur decretis: ergò nec omnia privilegia Regularium fuerunt ab eodem revocata. Neque dicas: Quamvis privilegia Regularium non fuerint omnia ab ipſo Tridentino revocata, fuerunt tamen illa omnia revocata à Pio IV. qui Concilium Tridentinum confirmavit & obſervari mandavit, ùt patet ex Bulla: *In Principis Apoſtolorum ſede 13. Cal. Martii Anno 1565. edita,* in qua revocat omnia privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, & indulta Confeſſionalium, maris magni, & aliarum quarumcunque ſimilium gratiarum, quibuscunque locis ac perſonis conceſſa. Nam etſi Pius IV. revocet omnia ejusmodi privilegia, addit tamen expreſsè *in omnibus & ſingulis, in quibus illa ſtatutis, decretis Concilii hujusmodi adverſantur.* ex quibus utique clarè patet, Pium IV. nullatenus voluiſſe omnia Regularium privilegia revocare, ſed ea tantùm, quæ dictis decretis contrariantur; aliàs revocationem non ita reſtrinxiſſet, quod ex eo adhuc magis elucet, quòd ipſemet hic Pontifex quorumdam Ordinum Regularium privilegia, ac in ſpecie Canonicorum Regularium S. Salvatoris in Bulla: *Paſtoralis Officii.* confirmaverit, & ex certa ſcientia approbaverit: confirmatio verò ſupponit exiſtentiam rei confirmatæ. Quibus omnibus accedit praxis univerſalis omnium Ordinum liberè ac ſine contradictione plurimis ſuis privilegiis utentium.

Dico 3tiò. *Neque illa pri-* 34
vilegia, quæ quidem adverſantur Decretis Concilii Tridentini, nullam tamen habent annexam clauſulam privilegiorúm revocatoriam, cenſentur eſſe revocata, aut contineri in clauſula: Dummodo SS. Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adverſentur.

Ita teſte Anacleto Reiffenſtuel probabiliſſima ac ſolida ſententia eámque tenent ac defendunt Navarrus *in Manuali cap. 27. n. 109.* Rodriquez *to. 1. quæſt. 8. art. 7.* Miranda

to. 2. quaſt. 42. art. 3. Suarez *L. 8. de Leg. cap. 18.* Hieronym. Garzia *tr. 8. diff. 1. dub. 5.* Joan. à Cruce. *L. 2. cap. 3. dub. 6to* Bordonus *to. 2. Reſolut. 51.* Lezana *to. 2. cap. 1. n. 58.* Pellizarius *tr. 8. cap. 2. n. 81.* Tamburin. *to. 1. D. 18. Quaſ. 6. n. 2.* & *to. 2. D. 17. quaſ. 6. n. 3.* Thomas à JEſu *de procur. omnium ſalut. L. 12. cap. 8.* Petrus ab Angelis *D. 7. ſect. 2. n. 19.* Diana *part. 11. tr. 2. Reſolut. 6ta.* & coordinat. *tr. 1. de dub. Regular. Reſol. 255. n. 3.* Anacletus Reiffenſtuel *tit. de privilegiis n. 139.* & ſeqq. Andreas à Matre Dei *to. 4. tr. 18. cap. 1. punct. 4. n. 50.* Rotarius *to. 3. libr. 3. cap. 5. punct. 1. n. 13.* & plures alii contra Donatum *to. 1. p. 1. tr. 11. à n. 4.* & paucos alios. Probatur autem concluſio noſtra 1mò. Ad revocanda privilegia Canonicorum aliorúmve Regularium requiritur ſpecialis aliqua mentio ac clauſula eorum revocatoria, ùt patet tum ex recenſita Leonis X. Bulla, in qua declarat, Canonicorum Regularium privilegia non fuiſſe comprehenſa in moderatione à Concilio Lateranenſi facta, quia non fuerat ſpecialis eorum mentio facta cum clauſula derogatoria: tum etiam ex ſupradictis, ubi oſtendimus, quòd ad revocanda Canonicorum aliorúmve Regularium privilegia ſi non individualis, ſaltem ſpecialis eorum fieri debeat mentio cum clauſula derogatoria: atqui privilegiorum, quæ quidem adverſantur decretis Tridentini, nullam tamen habent annexam clauſulam eorum revocatoriam, nulla fuit ſpecialis mentio facta, nec ulla addita clauſula derogatoria, út ponitur, ác per ſeipſum patet: ergò privilegia, quæ quidem adverſantur decretis Tridentini, nullam tamen annexam habent clauſulam eorum revocatoriam, non cenſentur eſſe revocata, nec contineri in clauſula: *Dummodo SS. Canonibus & Decretis Tridentini non adverſentur.* Probatur 2dò. Nulla lex, conſtitutio, aut decretum, quamvis generaliter & univerſaliter latum, derogat particularibus locorum aut perſonarum ſtatutis, conſuetudinibus aut privilegiis, niſi hoc exprimat, ùt patet ex ſupra dictis, & docet communiſſima DD. tam Theologorum, quàm Canoniſtarum *ex cap. ſicut Romana 1.* & *cap. Cùm Ordinem. 6. de Reſcript. cap. veniens de Præſcript.* & *cap. 1. de Conſtitut. in 6.* ubi expreſsè dicitur: quia locorum ſpecialium & perſonarum particularium conſuetudines & ſtatuta, cùm ſint facti & in facto conſiſtant, poteſt probabiliter ignorare S. Pontifex: ipſis per conſtitutionem à ſe noviter, niſi expreſse caveatur, non intelligitur in aliquo derogare: ergò neque Tridentinum derogat Regularium privilegiis per ſua generaliter facta decreta, in quibus non exprimit, quòd velit derogare, nec ullam apponit clauſulam derogatoriam: quod ex eo longè magis patet ac confirmari poteſt, quia Concilium Tridentinum per ſua generaliter facta decreta, quibus nullam apponit clauſulam

derogatoriam, non derogat particularibus locorum & perſonarum ſtatutis & conſuetudinibus, ùt habet communis DD. ſententia: ergò nec privilegiis Regularium, quæ extra Corpus Juris communis verſantur; cùm eadem de his, quæ de illis ſit ratio, & conſequenter etiam eadem Juris diſpoſitio, ùt etiam advertit Reiffenſtuel. loc. cit. Probatur 3tiò. Si Concilium Tridentinum per ſua decreta revocaret etiam illa privilegia, quæ eisdem quidem adverſantur, nullam tamen annexam habent clauſulam revocatoriam, tunc fruſtra addidiſſet aliis ſuis decretis ejusmodi clauſulam, hoc ipſo, quòd jam ſufficienter cenſeantur privilegia Regularium etiam ſine tali clauſula eſſe revocata: ſed hoc dici non poteſt de tanto Concilio, in quo nihil debet eſſe fruſtraneum, nec aliquid redundare, *argum. cap. 10. de privil. in 6.* ergò non cenſentur eſſe revocata; hoc ipſo enim, quòd Tridentinum quibusdam ſuis decretis addiderit clauſulam revocatoriam, aliis verò nullam talem appoſuerit, meritò præſumitur, noluiſſe Concilium ea revocare privilegia, quæ nullam ejusmodi clauſulam derogatoriam habent adjunctam, ſed ea reliquiſſe in ſuo vigore ac valore. Atque pro hoc ſtat etiam conſuetudo optima legum interpres, ùt dicitur *cap. cùm dilectus 8. de Conſuetud.* quæ ubiquè habet, quòd Regulares liberè utantur ſuis privilegiis, quæ per Tridentinum non ſunt expreſsè revocata cum clauſula derogatoria, etſi alioquin contra aliquod ejusdem decretum absque derogatione tamen privilegiorum poſitum militent, ùt pluribus per decurſum hujus operis de privilegiis in particulari demonſtrabimus; interim ex his omnibus ſequitur, quòd Regulares hujusmodi privilegiis tam in foro externo, quàm interno validè & licitè utantur. (*Adde*; hanc ſententiam non eſſe admittendam. Quia Tridentinum ſeſſ. 25. finali. C. ultimo, ubi concludit materiam de Regularibus, expreſsè addit hanc generalem derogatoriam omnium clauſularum in privilegiis reperibilium clauſulam: *Hæc omnia & ſingula in ſuperioribus decretis contenta S. Synodus obſervari præcipit in omnibus cœnobiis, ac monaſteriis, Collegiis ac domibus quorumcunque Regularium non obſtantibus eorum omnium & ſingulorum privilegiis ſub quibuscunque verborum formulis conceptam, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Conſtitutionibus & Regulis etiam juratis, atque etiam conſuetudinibus, vel præſcriptionibus etiam immemorabilibus.* Quæ clauſula non eſt ſolùm referenda ad decreta ſeſſionis 25. ſed etiam ad decreta omnium præcedentium ſeſſionum. Id deſumitur ex eo, quia Pius IV. in ſua Bulla executoria Tridentini dicit, omnia privilegia Regularium, quæ repugnant quibuscunque decretis Concilii, jam ex eo tempore, quo Concilium obligare cœpit, eſſe invalida. Ergò ſupponit, jam in Tridentino talia privilegia fuiſſe revocata, utique

[illegible] ſeſſ.

ſeſſ. 25. C. 22. Hinc inanis eſt reſponſio ad ſequentem objectionem, dum Cl. Author etiam Bullam Pii IV. conatur trahere ac reſtringere ſolùm ad decreta ſeſſionis 25. Nam eam Bullam eſſe referendam ad omnia decreta Concilii in quibuscunque ſeſſionibus edita, clarum eſt, legenti Bullam; ſic enim habet: *Cùm in Concilio quamplura decreta ſint edita, quibus multa privilegia, quæ variis tam Cathedralibus etiam Metropolitanis, quàm Collegiatis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Militiis, Univerſitatibus, ſtudiorum generalium Collegiis, tam ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, nec non Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quàm regularibus conceſſa fuerunt, in plerisque contrariantur &c.* Hæc autem non ſolùm reſpicere ad materiam de Regularibus manifeſtum eſt.)

35 Verùm objiciunt Adverſarii: Tridentinum *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 22.* præcipit: *omnia & ſingula in ſuperioribus decretis contenta obſervari à quibuscunque Regularibus etiam Canonicis, non obſtantibus eorum omnium & ſingulorum privilegiis ſub quibuscunque verborum formulis conceptis ac Mare magnum vocatis &c.* per quam clauſulam derogatoriam revocantur ſufficienter omnia privilegia, quæ adverſantur cuicunque decreto Concilii, etíamſi ſpecialem derogatoriam non habeant annexam clauſulam: accedit hisce Pius IV. qui poſtquam præfatum Concilium per Bullam; *Benedictus Deus. 7. Cal. Febr. Anno 1563.* cum fortiſſimis clauſulis derogatoriis privilegiorum confirmáſſet, aliam ſpecialiter edidit, quæ incipit: *In Principis Apoſtolorum ſede. 13. Cal. Mart. Anno 1565.* in qua omnia & ſingula Regularium quorumcunque privilegia ſub quacunque excogitabili forma, & ex quacunque cauſa conceſſa, univerſaliter & indiſtinctè revocat & annullat *in omnibus & ſingulis, in quibus illa ſtatutis & decretis Tridentini contrariantur.* ℞. Concilium Tridentinum dicta *ſeſſ. 25. & cap. 22.* tantùm derogare privilegiis Regularium, quæ adverſantur alicui ex decretis illius ſeſſionis 25tæ. ipſos Regulares concernentibus, quæ non obſtantibus privilegiis obſervari ibidem præcipit: neutiquam verò derogare privilegiis, quæ militant contra aliquod decretum in præcedentibus ſeſſionibus absque derogatione poſitum, idque colligitur, tum quia ibidem non præcipit, ut obſerventur omnia contenta in omnibus *ſuperioribus ſeſſionibus*, ſed *in ſuperioribus decretis* ſeſſionis 25tæ. ſpecialiter de Regularibus habitæ: tum ex ipſo textu cap. 22 citati, in quo Concilium, dum ibidem in terminis expreſſis præcipit, ut omnia & ſingula in ſuperioribus decretis contenta à cunctis Regularibus non obſtantibus eorum privilegiis obſerventur, manifeſtè indicat, ſe tantùm loqui de decretis illius ſeſſionis 25tæ non verò de omnibus & ſingulis decretis totius Concilii, cùm non omnia & ſingula, ſed pauciſſi-

Digitized by Google

ciſſima tantùm priorum ſeſſionum decreta Regulares concernant, ùt benè obſervat P. Reiffenſtuel loc. cit. Quod ad Bullam Pii IV. attinet, ℞. non alio ſenſu eam intelligi poſſe, quàm quo intelligitur Tridentinum, nec alio modo revocari per eam privilegia, quàm quo revocantur ab ipſo Tridentino: ſicut ergò Tridentinum non cenſetur revocare privilegia illa, quæ quidem ejusdem decretis adverſantur, nullam tamen annexam habent clauſulam derogatoriam, ita etiam Bulla in ejusdem confirmationem facta non cenſetur ea revocare; quia cùm ſit edita ad majorem obſervantiam & robur Concilii, intelligenda etiam eſt & explananda prout idem Concilium intelligitur & explanatur, id quod idem Pontifex Pius ſatis indicat per illa verba Bullæ ſuæ: *Nos quibus inprimis cordi eſt, ut tam ſancta & Eccleſiæ Dei ſaluberrima decreta ſuos, ùt par eſt, effectus ubique conſequantur, & ab omnibus obedienter obſerventur*, quibus manifeſtum facit, non aliam ſibi mentem fuiſſe, quàm ut Concilii decreta corroboraret, amotis omnibus in contrarium, quæ fortè obſtare poterant, atque omnia eo modo obſervarentur ab omnibus, quo ea obſervari petit ipſum Concilium, nihil de novo ſuperaddendo: ſicut igitur omnis Conſtitutio interpretanda eſt juxta ſenſum & mentem legis quam corroborat, easdémque limitationes & extenſiones, quas habet vel recipit corroborata, recipere etiam debet corroborans; cùm referens ſe ad aliquid, debeat intelligi ſecundùm id, ad quod ſe refert *arg. L. in teſtamento. ff. de condition. & demonſtrat.* ita etiam Bulla Pii IV. referens ſe ad decreta Tridentini, debet ſecundùm mentem & ſenſum dictorum decretorum intelligi & explicari: & conſequenter quia ipſa decreta Concilii ſine clauſula privilegiorum derogatoria poſita non derogant privilegiis juxta dicta n. præc. nec ipſa Bulla corroborans dicta decreta eisdem derogat, ſed ea eodem modo & ſenſu relinquit in ſuo valore, quo ea relinquuntur in decretis, prout benè docet ac diſcurrit Reiffenſtuel n. 146. (Hæc admitti non poſſe oſtenſum eſt in additione præcedente.)

Dico 4tò. *Omnia tamen & ſingula privilegia ante Tridentinum conceſſa, quæ adverſantur decretis contentis in ſeſſione 25ta. de Regular. atque illa etiam, quæ adverſantur alicui tali decreto, quod clauſulam privilegiorum revocatoriam habet annexam, ab eodem revocata cenſeri debent, adeóque illa Regulares omnes obſervare tenentur.* 36

tur, niſi aliqua rurſus poſt Tridentinum fuerint de novo conceſſa.

Ita certa & unanimis DD. ferè omnium ſententia contra Alviſetum, qui putat, probabiliter ſuſtineri poſſe, nullum privilegium Regularium eſſe ſufficienter revocatum ad hoc, ut illo abſtinere teneantur, idque *Sect. 4. dub. 7.* pluribus probare conatur argumentis & rationibus, quas tamen refellit Illſung. *tr. 1. Diſp. 3. art. 10. à n. 65.* Patet autem concluſio noſtra quoad primam partem ex hac ipſa ſeſſione 25. ejúsque capite 22. ubi *S. Synodus omnibus & quibuscunque Regularibus præcipit omnia & ſingula in Superioribus* hujus ſeſſionis *decretis contenta obſervari, non obſtantibus eorum omnium & ſingulorum privilegiis ſub quibuscunque formulis verborum conceptis ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione, nec non Conſtitutionibus & regulis etiam juratis, atque etiam conſuetudinibus vel præſcriptionibus etiam immemorabilibus*: quæ privilegiorum verba revocatoria, ſaltem de editis in hac Seſſ. 25. ſunt intelligenda. Nec minùs certa eſt altera concluſionis pars; quia ubi privilegiorum expreſſa clauſula revocatoria habetur, de revocatione dubitare non licet, cùm in claris & expreſſis non detur interpretatio, aut voluntatis conjectura, ùt ex alibi dictis conſtat. Neque dicas: clauſula generalis, quæ habetur in Tridentino privilegiis quibuscunq; non obſtantibus, aut quoad hoc penitus excluſis, vel alia ſimilis non ſufficit ad revocanda privilegia Regularium, præſertim Canonicorum; quia ex privilegio Sixti IV. in Bulla: *Dum ad univerſos*, & Julii II. in Bulla: *inter cæteros*. idem eſt de Benedictinis ac Caſſinenſibus ex privilegio Eugenii IV. in Bulla: *regularem vitam*. derogari non poteſt, niſi de illis fiat de verbo ad verbum expreſſa, ſpecifica, & individua mentio juxta formam à relatis SS. Pontificibus requiſitam: atqui talis facta non eſt in Concilio Tridentino, ùt patet: ergo non cenſentur revocata. ℞. D. maj. non ſufficit generalis illa clauſula, niſi conſtet aliunde de mente Concilii, quòd velit non obſtantibus illis particularibus privilegiorum clauſulis derogare privilegiis, aut ea omnino revocare C. ſi de hoc ſatis conſtet. N. conſtat autem aliunde ex mente Patrum, qui Concilio interfuerunt, quòd ea voluerint revocare, hoc ipſo, quòd omnia privilegia ſub quibuscunque verborum formulis concepta, & decretis ſuis cùm clauſula derogatoria factis repugnantia abſolutè revocent; & licèt Tridentinum id non ſatis exprimeret, ſufficienter tamen expreſſit Pius IV. in Bulla: *in Principis Apoſtolorum ſede* expreſsè hanc in rem edita Anno 1565. in qua omnia privilegia decretis Tridentini contraria, ac ſi eorum tenores de verbo ad verbum insererentur, penitus revocat, ea omnia pro ſufficienter expreſſis ac plenè inſertis ha-

habens. Privilegia porrò, quæ à Tridentino fuerunt expreſſe revocata cum adjuncta clauſula revocatoria, haud admodùm multa ſunt, eaque collegit Rodriquez. *to. 1. QQ. RR. quæſt. 8. art. 6. n. 7.* & Joannes à Cruce *de ſtat. Religioſ. L. 2. cap. 3. dub. 6.* penes quos videri poſſunt.

37 Quamvis autem hæc ita ſe habeant ac certa ſint apud omnes, non deſunt tamen plures iique graves Doctores, quos longa ſerie referunt Diana *part. 11. tr. 3. Reſolut. 5.* & *coordinat. tr. 1. de dub. Regular. Reſolut. 52.* ac Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 1. n. 131.* qui licet admittant, quòd privilegia decretis Tridentini clauſulam derogatoriam habentibus contraria ab eodem fuerint revocata, volunt tamen, quòd eadem privilegia per ſubſecutas eorumdem confirmationes ex certa ſcientia factas fuerint iterum à SS. Pontificibus revalidata & redintegrata, quódque modo vim habeant etiam pro foro externo, atque illis uti poſſint Regulares, ac ſi revocata non fuiſſent. Quam in rem afferunt Bullam S. Pii V. quæ incipit: *Etſi Mendicantium. 17. Cal. Julii Anno 1567.* Mendicantibus primùm conceſſam, & deinde per aliam ejusdem Bullam: *Ex ſuperna diſpoſitionis arbitrio.* eodem adhuc Anno Cal. Sept. ad Congregationes Canonicorum Regularium Lateranenſem, S. Salvatoris Bononienſem, & S. Crucis Conimbricenſem aliàsque ibidem expreſſas ampliſſimè extenſam, quibus ùt ſanctus hic Pontifex Regulares ab illatis gravaminibus liberaret, & ab inferendis præſervaret, haud pauca eisdem reſtituit ablata privilegia, multa revocat & longè plura in favorem Regularium declarat Concilii Tridentini decreta clauſulam etiam derogatoriam habentia, *ex quorum falſa ſeu minùs vera intelligentia,* ùt ait ipſemet Pius V., ortum habuerunt illa gravamina, atque inſuper, *ut præmiſſa omnia illibata perſiſtant, omnia & ſingula privilegia, immunitates, Indulgentias, facultates, & libertates, Indulta, diſpenſationes, favores & gratias etiam vivæ vocis oraculo in genere vel in ſpecie per quoscunque Romanos Pontifices quomodolibet conceſſa, confirmata & innovata, nec non ſuas & prædeceſſorum ſuorum, & alias quascunque deſuper confectas litteras auctoritate Apoſtolica perpetuò approbat, confirmat, & de novo concedit:* ex quibus clare patere opinantur, quòd S. Pius V. reſtituerit Regularibus revocata per Tridentinum privilegia, & ejusdem decreta in illorum præjudicium facta iterum aboluerit. Quòdſi ad hæc reſpondeas, Gregorium XIII. immediatum S. Pii V. ſucceſſorem præcitatas ejusdem Bullas per aliam quæ incipit: *In tanta rerum & negotiorum mole 1. Martii Anno 1573.* editam ſi non ex toto ſaltem ex parte, & quatenus Concilio Tridentino adverſabantur revocâſſe, & ad terminos Juris communis ejusdemque Concilii reduxiſſe, atque omnia, quæ ſecundùm præmiſſa quorum-

cun-

cunque Regularium Ordinibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium conceſſerat S. Pius V. motu proprio reſtrinxiſſe ſequentibus verbis: *Nos hac tanta varietate cognita, præſentibus & futuris diſcriminibus occurrere volentes, de nobis attributa poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus, de prædictis & aliis omnibus litteris & Conſtitutionibus, quæ ab eodem prædeceſſore eisdem de rebus pro quorumcunque Regularium etiam Mendicantium Ordinibus & Congregationibus quomodolibet emanárunt, ac omnibus & quibuscunque in eis contentis, eam deinceps diſpoſitionem atque deciſionem pro ſubjecta materia futuram eſſe, quæ ſive ex Jure veteri, ſive ex ſacris dicti Concilii decretis ſive aliàs legitimè ante dictarum litterarum & Conſtitutionum editionem erat, &, ſi ipſæ non emanaſſent, futura fuiſſet, ad quam diſpoſitionem & deciſionem, ſuúmque priſtinum ſtatum ac terminum illa omnia reducimus*: huic revocationi utut verbis ſat claris conceptæ nullatenus acquieſcunt, ſed potiùs in contrarium

38 Opponunt 1mò. prædictam Conſtitutionem: *in tanta rerum &c* licèt eam decreverit Gregorius XIII. ac intentum habuerit publicandi, nunquam tamen fuiſſe publicatam aut uſu receptam, idque probant auctoritate viri celeberrimi ac teſtis omni exceptione majoris Martini noſtri Navarri, qui tunc in Curia Romana præſens erat, ac ejuſdem Gregorii XIII. conſiliarium ac pœnitentiarium agebat; is enim cùm in Manuali *cap. 21. n. 5.* promiſiſſet inſerere tenorem Bullæ: *Etſi Mendicantium* & illius moderationem à Gregorio XIII. per Bullam: *In tanta rerum &c.* factam, ſi hæc interim exiret, quia tamen poſtea non exivit, ſolam *cap. 27. in fine* ejusdem ſummam ſubjicit. Ex quibus conſtat, quòd cùm iſta moderatio debuiſſet eſſe facta Anno 1573. ſi Anno 1588. quo Manuale Navarri fuit impreſſum, nondum exierat, nec erat publicata, ùt habetur ex verbis Navarri, non potuit ampliùs ſub nomine Gregorii XIII. exire, aut publicari, cùm dicto Anno 1588. jam vitâ functus eſſet Gregorius, & in tertium jam annum regnaret Sixtus V. ejus ſucceſſor. Unde cùm non conſtet ab aliis Pontificibus fuiſſe ſufficienter promulgatam, nec obligare cenſenda eſt; quibus permoti haud pauci AA. ùt Henriquez *L. 7. de indulgent. cap. 24.* & *tr. 1. de pœnitent. cap. 6. n. 6.* Liamas *in method. part. 1. cap. 7. §. 6.* Rodriquez *in addit. ad Sum. to. 4. cap. 105.* & *in expoſit. Bul. Cruciat. §. 5. n. 26.* Sorbo *V. Proceſſiones.* & *V. Interdictum.* Laur. de Peyrinis *ad Conſtit. 7. Pii V. n. 2.* Thomas à JEſu *L. 2. cap. 8.* Baſſæus *in Flor. theolog. V. Miſſa. cap. 8. n. 9.* Hinojoſa ex Ord. Prædicat. *in Directorio Deciſion. Regular. V. Confirmatio.* Bruno Chaſſaing. *tr. 1. cap. 5. propoſ. 6.* ubi plures refert, multis pariter hanc in rem adductis rationibus, qui omnes abſolutè negant, prædictam Gregorii Bullam aut promulgatam aut uſu receptam. Sed

his

his non obſtantibus aliis, qui pro valore Bullæ Gregorii XIII. pugnant, immobiles aſſerunt eam fuiſſe prout Juris & moris eſt publicatam Anno Dni. 1573. Calend. Martii & affixam ad valvas Baſilicarum Principis Apoſtolorum & S. Joannis Lateranenſ. de urbe, & in acie campi Floræ per Joannem & Marcum Antonium Brutum curſores ejusdem Pontificis, ac appoſitam inter alias Bullas Cameræ Apoſtolicæ atque regiſtratam per Cæſarem Secretarium, ùt refert Cherubinus to. 2. inter Bullas Gregorii XIII. cúmque ſecuti Machado *to. 2. L. 4. part. 6. tr. 10. document. 11. n. 4* Nicolaus Bravo *in tract. Monaſt. cap. 1. n. 9.* Quaranta ad hanc ipſam Bullam Gregorii XIII. Tamburin. *to. 1. D. 17. quaſ. 1. n. 16.* Piaſeccius *in prax. Epiſcop. part. 2. cap. 3. art. 6.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 3. allegat. 76. n. 29.* Donatus *to. 1. tr. 11. quaſt. 17. n. 18.* Diana *part. 11. tr. 3. Reſol. 5.* Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 1. n. 132.* & alii communius, qui ad auctoritatem Navarri in contrarium allegati dicunt, quòd loc. cit. non loquatur de Bulla revocatoria Gregorii XIII. ſed de alia Bulla ipſius Pii V., quâ ſuam voluit moderari primam Bullam propter magna inconvenientia, præter ſuam ſpem ſecuta ex priori illa: *Etſi Mendicantium* Bulla, morte tamen præventus non potuit illam edere aut publicare; atque de hac loqui Navarrum oſtendit Lezana *to. 2. cap. 1. n. 14.* & illius verbis ex profeſſo adductis **Petrus ab Angelis in ſpecul. Privil.** *D. 7. ſect. 1. à n. 4.* unde primus Author, qui ſecutus eſt Navarrum, cum malè intellexit, & alii eundem ſecuti, manifeſtè fuerunt decepti, ùt ait Andreas à Matre Dei loc. cit. Verùm contra

Opponunt 2dò. Quamvis tranſ- 39
mittatur, quòd hæc Gregorii XIII. Bulla fuerit legitimè promulgata, poſtea tamen idem Gregorius hanc ipſam ſuam Bullam revocâſſe cenſendus eſt, dum in Bulla: *Ex benigna 25. Maij. Anno 1575.* motu proprio & ex certa ſcientia Minoribus omnia privilegia tam vivæ vocis oracula, quam bullata, ſive per conceſſionem ſive per communicationem obtenta confirmavit cum clauſula derogatoria antedictæ ſuæ Conſtitutionis. Similiter idem Gregorius XIII. in Bulla: *Superna diſpoſitione pridie Idus Julii Anno 1574.* Ciſtercienſibus omnia & ſingula à prædeceſſoribus ſuis & in ſpecie à Pio V. hactenus conceſſa privilegia, & gratias, earum tenores pro ſufficienter expreſſis ac inſertis habens motu proprio, non ad alicujus inſtanti-
am, ſed de mera ſua liberalitate & 21
ex certa ſcientia confirmat, innovat ac renovat cum ampliſſimis non obſtantiis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis &c. Ad hæc tamen facilis eſt reſponſio; ſi dicas: neutram ex his Bullam obeſſe Gregorii XIII. Conſtitutioni: *In tanta rerum &c.* nec eam labefactare, ſed illam potiùs confirmare, hoc ipſo, quod in Bulla Minoribus conceſſa ad-

addatur clauſula: *quatenus ſunt in uſu, & SS. Canonibus ac decretis S. Concilii Tridentini non adverſantur*: & in altera Ciſtercienſib9 conceſſa renoventur tantū privilegia *licita & honeſta ac decretis Concilii Tridentini non adverſantia*, quibus utique verbis ſatis innuit Gregorius XIII. ſe nihil velle concedere Concilio Tridentino contrarium, ſed potiùs cupere ſuam: *In tanta rerum* Conſtitutionem quoad hoc punctum ſalvam atque integram remanere. Majori longè efficacia

40 Opponunt 3tiò. Privilegium Gregorii XIII. quod incipit: *quanto fructuoſius 1. Februar. Anno 1583.* Societati conceſſum, in quo eidem omnia privilegia motu proprio, & ex certa ſcientia & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmat, nulla addita clauſula reſtrictiva, *dummodo Tridentino non adverſentur* aut alia ſimili. Ejuſmodi privilegium conceſſit etiam Camaldulenſibus Gregorius XIV. in Bulla: *Ex injuncto. 24. Sept. Anno 1591.* in qua eiſdem omnium Ordinum privilegia communicat, etiam ea, quæ ſpecialem & individuam mentionem ac de verbo ad verbum inſertionem requirerent abſque ulla limitatione eorum, quæ non ſint contra Tridentinum, cum ampliſſimis ac fortiſſimis derogatoriarum derogatoriis, & non obſtantibus Conciliis generalibus. Simile privilegium dedit quoque Urbanus VIII. Congregationi S. Mauri per Bullam: *In ſupereminenti. 21. Januar. Anno 1628.* in qua illi conceſſit & iñovavit omnia privilegia abſque exceptione, quòd non ſint contra Tridentinum. Ex quibus hoc formant argumentum: quoties SS. Pontifices in Bullis ſuis Regularium privilegia communicantibus aut confirmantibus nullam addunt clauſulam reſtrictivam: *dummodo Tridentino non ſint contraria*, cenſentur etiam ea communicare vel confirmare privilegia, quæ eidem Concilio adverſantur; tum quia qui nihil excipit, omnia concedere cenſetur, & contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio facienda eſt *v. J. 58. in 6.*: tum quia SS. Pontifices reſpectu Tridentini ſibi plenam reſervârunt poteſtatem illius revocandi decreta, aut aliquid contra illud ſtatuendi pro libitu ſuo: tum etiam quia ſi eidem nolunt derogare, id exprimunt, addúntque prædictam clauſulam: ſi hanc igitur non addant, præſumitur, quòd velint derogare; tum quia denique ad derogandum Tridentino nulla requiritur ſpecialis illius & individua mentio, ſed ſufficit: *non obſtantibus Conciliis Generalibus*, ùt ſupra diximus: ſed relatæ Bullæ Pontificiæ prædictis Ordinibus communicantes & confirmantes privilegia, nullam habent annexam clauſulam: *dummodo Tridentino non ſint contraria*, nec aliam ſimilem: ergo cenſentur etiam ea communicare & confirmare privilegia, quæ eidem Concilio ſunt contraria: atque adeò hodie dicta pri-

Digitized by Google

privilegia etiam Tridentino contraria manent in ſuo robore, ac illis uti poterunt Regulares in utroque foro. Verùm hiſce quoque reſponderi poteſt: quòd etſi aliquæ atque ſupra relatæ Bullæ nullam habeant clauſulam ſibi annexam: *dummodo decretis Tridentini non adverſentur*, praxis tamen & uſus tribunalium ac præſertim Curiæ Romanæ oſtendit illas explicandas eſſe cum tali clauſula ſubintellecta; quia per hoc, quòd SS. Pontifices non addant illam clauſulam, non ſequitur, quòd eidem etiam Concilio velint derogare, niſi talem addant clauſulam derogatoriam, ex qua ſufficienter colligi poſſit, quòd velint dicto derogare Concilio. Deinde ex alibi dictis conſtat, quòd in generali conceſſione non veniant ea, quæ vel nunquam vel ſaltem rariſſimè ac difficillimè conceduntur: ſed privilegia, quæ Tridentino repugnant, vel nunquam aut ſaltem rariſſimè conceduntur: ergo non veniunt in generali conceſſione: & conſequenter tenendum eſt cum Salmanticenſibus & Andrea à Matre Dei *l. c. n. 136.* aliiſque ab hoc citatis, quòd privilegia decretis Tridentini clauſulam derogatoriam habentib9 contraria, maneant revocata, neque fuerint reſtituta per ſubſequentes confirmationes, quamvis ex motu proprio, & ex certa ſcientia aut de plenitudine poteſtatis factas, pariterque dicendum videtur, quòd utraque S. Pii V. Bulla: *Etſi Mendicantium &c. & ex ſuperna diſpoſitionis &c.* quoad ea privilegia, quæ contra expreſſa Tridentini decreta conceſſit, à Gregorio XIII. fuerit per Bullam: *in tanta rerum &c.* revocata.

41 Dico tamen: *quoad ea privilegia, quæ contra expreſſa Tridentini decreta conceſſit*; nam quoad cætera utramque D. Pii Bullam manere illibatam conveniunt Authores, utut in ſuperioribus diſcordes, cum pluribus aliis, qui firmiſſimè tenent, quòd nō tantùm confirmatio privilegiorū, & eorumdē cōmunicatio activa & paſſiva Mendicantib9 & non Mendicantib9 conceſſa, ſed etiā factæ declarationes Tridentini in ſuo etiā vigore ac robore perſiſtant non ſecùs ac ſi eadem Gregorii XIII. Bulla: *in tanta rerum* nunquam emanâſſet: idque etiam ſatis patet ex eo, quòd de his declarationibus aliiſque in utraque S. Pii V. Bulla contentis ne verbo quidem ullam faciat mentionem Gregorius XIII. neque declarationes illæ, aut cætera ibidem contenta adverſentur decretis Tridentini; cùm declarans legem nil novit agat, ùt dicitur Clementin. *Exivit de V. S.* neque mutet naturam & eſſentiam legis: atque hinc eſt, quòd declarationes Tridentini in Bulla Pii V. contentæ haud poſſint cenſeri revocatæ per Bullam Gregorii XIII. hæc enim ultra proprium verborum tenorem non eſt extendenda; cùm igitur verba illius Bullæ ferantur tantum contra privilegia Tridentino repugnantia, ad declarationes non ſunt extendenda ut-

po-

pote eidem Concilio non tantùm non adverſantes ſed etiam conformes, prout ipſemet Pius V. profitetur ſe eas feciſſe ad mentem Concilii ad obviandum variis interpretationibus ex falſa & minùs vera intelligentia factis. Et certè, ſi & haſce revocaret Gregorius XIII. concludendum eſſet, Pium V. ſanctiſſimum & doctiſſimum Pontificem peſſimè Concilium declaràſſe, atque ideò ejusdē declarationes tanquam contra Concilii mentem factas à Gregorio XIII. fuiſſe rejectas aut omninò damnatas, ſicque fatendum foret, eumdem in materia morum erràſſe, cùm tamen ſanctus hic Pontifex Pius, poſtquam ingentia gravamina Regularibus illata, & graves exceſſus, quæ ex falſa ac minùs veræ intelligentia decretorum irrepſerant, retuliſſet, iisdem ex paſtoralis Officii debito providendum, & Tridentini decreta, quorum declarationem non niſi ad ſe ſpectare aſſerit, modo & forma infraſcriptis declaranda cenſuerit: vel igitur ea benè & legitimè declaravit decreta contra falſam & minùs veram intelligentiam, & revocari non poterunt eorum declarationes, niſi vel ipſa revocentur decreta Concilii: vel malè declaravit, & tunc fatendum erit, erràſſe in materia morum, ſicque ruunt præcipua de infallibilitate S. Pontificis dogmata, quibus ſubverſis ruit quoque præcipua ejusdem auctoritas, novàque ad ea oppugnandam adverſariis tela ſubminiſtramus; nec major ratio dicendi foret, erràſſe potiùs S. Pium V. in decretis Tridentini ex Officii paſtoralis & ad ſe ſolùm ſpectantis debito declarandis, quàm Gregorium XIII. in iis pro libitu ſuo revocandis. Dicendum proinde firmiterque tenendum, eas declarationes nullatenus fuiſſe à Gregorio revocatas: id quod ex eo adhuc magis convincitur, quia multæ ex dictis declarationibus in Bulla Pii V. contentis reperiuntur confirmatæ à Clemente VIII & Urbano VIII, à Clemente X. & à S. Congregatione Tridentini. Nam declaratio Pii V. *circa ſeſſ. 22. cap. 9.* videlicet, quòd Regulares poſſint Miſſas audire & conciones in Eccleſiis Regularium diebus feſtivis, eſt confirmata à Clemente VIII. ùt refert Hieronym. Rodriquez *reſolut. 25. n. 5.* & ab Urbano VIII. Anno 1625. Declaratio illa, quòd ſemel approbati ad confeſſiones ſæcularium audiendas poſſint in diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore etiam Paſchali, & quorumcunque etiam infirmorum confeſſiones audire absque ulla Parochorum vel ipſius Epiſcopi licentia, fuit approbata à Clemente X. in B. *Superna magni Patrisfamilias. Anno 1670.* & declaratio illa, quòd concionatores ad prædicandum in propriis Eccleſiis non ſint examinandi ab ordinario, fuit confirmata à S. Congregatione, prout refert Reginaldus *L 18. n. 123.* atque etiam à Clemente X. in Bul. cit. Declaratio illa *ſeſſ. 23. cap. 15.* & *ſeſſ. 25. cap.* 10. quòd Confeſſa-

rii Monialium exemptarum non examinentur ab ordinario, confirmata fuit a S. Congregatione Tridentini, ùt refert Barboſa *in remiſſ. ad cap.* 10. *ſeſſ.* 25.; & declaratio illa, quòd Epiſcopus non poſſit dare licentiam ingrediendi Monaſteria Monialium exemptarum, confirmata fuit ab eadem S. Congregatione, ùt inquit Barboſa *ad ſeſſ. 25. cap. 5. Tridem.* & declaratio, quòd quarta funeralis non intelligatur niſi de illo quod affertur, fuit etiam confirmata à S. Congregatione, ùt refert Portell. *p. 2. caſ. 3.* & ſic de aliis ejuſdem S. Pii V. declarationibus, de quibus in particulari ſuis locis acturi ſumus pluribus.

42 Ex quibus omnibus ſequitur, multò minùs per eandem Gregorii XIII. Bullam revocata fuiſſe cætera privilegia, quæ S. Pius V. per memoratam *Etſi Mendicantium* Bullam primùm Mendicantibus conceſſit, deinde per aliam *Ex ſupernæ diſpoſitionis* ad Canonicorum Regularium aliáſque ibidem expreſſas Congregationes extendit, communicavit, & confirmavit; cùm enim de his nihil omnino ſtatuat Gregorius, & iſtorum privilegiorum nullo verbo mentionem faciat, nec ea Tridentino ullatenus adverſentur, ſequitur, quòd ea Gregorius XIII. omnia in ſuo vigore & antiquo ſtatu reliquerit, nihilque ex iis, quæ conceſſerat Pius V., detractum voluerit: id quod ipſemet ſatis teſtatum fecit, dum pluribus Religioſis Ordinibus omnia omninò privilegia confirmavit iis ſolùm exceptis, quæ Tridentino adverſantur. Sic enim in Bulla: *Ex benigna. 25. Maij. Anno 1575.* Minoribus, motu proprio, & ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis confirmavit & innovavit privilegia per quoſcunque Romanos Pontifices ſub quibuscunque verborum formis, etiam per ſolam ſignaturam aut vivæ vocis oraculo, etiam per modum communicationis & extenſionis inter ſe & cum aliis quibuscunque Ordinibus conceſſa, quatenus tamen Concilio Tridentino non adverſantur; non obſtantibus quibuscunq; Conſtitutionibus & Concilio Lateranenſi ultimò aliiſque Conciliis ac per ſe ipſum etiā editis cū quibusvis clauſulis privilegiorum irritativis, annullativis, caſſativis, etiam privilegiorum eorumdem revocativis, quibus omnibus pro hac vice ſpecialiter & expreſſè derogat. Simile privilegium dedit idem Gregorius Præmonſtratenſibus Anno 1572. Ciſtercienſibus Anno 1574. Minimis Anno 1575. Carmelitis Anno 1477. Jeſuitis Anno 1582. & 1584. quod & alii SS. Pontifices ejuſdem Gregorii ſucceſſores fecerunt quemadmodum Sixtus V. Gregorius XIV. Clemens VIII. Paulus V. Gregorius XV. & Urbanus VIII., qui omnes diverſorum Ordinum privilegia ſub ampliſſimis clauſulis confirmârunt etiam ea, quæ à S. Pio V. fuerant Regularibus conceſſa & quatenus opus erat de novo conceſ-

ceſſerunt, manifeſto ſanè indicio, quòd neque Gregorius XIII. neque ſucceſſores Pontifices voluerint unquam præjudicare aut derogare privilegiis Regularium, niſi in quantum erant contraria Tridentini decretis: cùm igitur hæc ſola excipiantur, cætera cenſentur eſſe conceſſa; nam exceptio unius eſt incluſio alterius. Manet proinde inconcuſſum, quòd licèt etiam permittatur, revocâſſe revera Gregorium XIII. per ſuam Bullam: *In tanta rerum*, illa privilegia, quæ contra Tridentinum Regularibus conceſſerat S. Pius V. in Bulla: *Etſi Mendicantium*, & in altera: *Ex ſuperna diſpoſitionis*, reliqua tamen omnia in iſtis Bullis contenta reliquerit intacta, neque unquam ſive declarationes Tridentini ſive privilegia eidem non contraria revocaverit, prout etiam unanimiter tenent Authores, qui rem hanc ex inſtituto examinârunt.

43 Cæterùm, quæ hactenus de privilegiorum revocatione per Tridentinum facta diximus, intelligenda præcipuè ſunt quoad forum externum: reſtat nunc alia quæſtio hic pro coronide decidenda, an nempe eadem privilegia per Tridentinum expreſsè revocata quoad forum externum, non habeant locum nec practicari poſſint in foro interno? Etenim Pius V. 13. Martii Anno 1566. oraculo vivæ vocis confirmavit omnia privilegia Minorum pro foro conſcientiæ etiam illa, quæ ſunt contra Concilium Tridentinum, cujus authentica copia ſervatur in Archivio Conventûs S. Joannis Regum Ord. Prædicat. ùt ex compend. priv. Societ JEſu & ex Rodriquez refert Donatus *tr. 11. Q. 17. n. 11.* quod privilegium per communicationem extenditur ad alios Ordines, nec revocatum fuit hoc oraculum per Bullam revocatoriam Gregorii XIII. cùm ibi ſolùm loquatur de privilegiis, non de oraculis: oracula autem in odioſis & revocationibus non veniunt nomine privilegiorum, niſi de illis expreſſa fiat mentio: & licèt oracula vivæ vocis fuerint à Gregorio XV. & Urbano VIII. univerſim revocata, quia tamen hoc ipſum, ſicut & cætera omnia vivæ vocis oracula ante ipſum expedita, fuerunt ab ipſomet confirmata per Bullam, tranſierunt in privilegium bullatum, proindéque revocatum non fuit in generali revocatione vivæ vocis oraculorum. Hujuſmodi privilegium jam antea conceſſerat Minoribus etiam vivæ vocis oraculo Leo X. Anno 1516. ut nempe pro foro conſcientiæ uti poſſint omnibus à ſede Apoſtolica ſive per Bullas ſive per Brevia ſive vivæ vocis oraculo conceſſis privilegiis, prout in libris Ordinum repeṙiuntur, & quòd hujuſmodi oracula non ſint minoris efficaciæ & valoris, quàm ſi per Bullam aut Breve ad perpetuam rei memoriam eſſent conceſſa, ùt fidem facit ac teſtatùr Laurentius Presbyter Cardinalis tit. quatuor Coronatorum, & Protector dicti Ordinis Minorum

& refert Rodriquez pluribus in locis, quibus aliisque rationibus moti inſignes iique graves Authores, quos refert, eorúmque ſententiam probabilem agnoſcit Andreas à Matre Dei *cap. 1. n. 138.* Portel. *in dub. Regular. V. privilegium n. 64.* Diana *part. 3. tr. 2. de dub. Regul. Reſolut. 59.* Donatus *tr. 11. Q. 17. à n. 16. & ſeq.* tenuerunt abſolutè, poſſe Regulares uti privilegiis ſuis in foro conſcientiæ etiam illis, quæ à Tridentino fuerunt expreſsè revocata. Verùm etſi hæc ſententia tum ab authoritate, tum ex ratione magnam olim habuerit probabilitatem, hodie tamen contrarium omninò tenendum, atque adeò ulteriùs

44 Dico 5tò. *Regulares non poſſunt in foro conſcientiæ privilegiis ſuis uti, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.*

Ita certa hodie ſententia, poſtquam oppoſita ac contradictoria ab Alexandro VII. in terminis fuit prohibita die 18. Anno 1666. propoſitione 36. Cùm igitur, ùt ex hactenus dictis conſtat, omnia & ea ſola privilegia ſint à Concilio Tridentino expreſsè revocata, quæ alicui ex decretis ſeſſionis 25. de Regular. vel etiam alicui decreto priorum ſeſſionum cum expreſſa clauſula privilegiorum derogatoria poſito adverſantur., hinc iis omnibus non licebit ampliùs uti etiam in foro conſcientiæ tantùm. Ex quo patet privilegium illud ſupra relatum & à Pio V. vivæ vocis oraculo conceſſum utendi pro foro conſcientiæ privilegiis à Tridentino expreſsè revocatis manere hodie revocatum, nec ampliùs practicari poſſe; cùm enim illud contineatur in propoſitione prohibita, etiam hoc prohibitum eſſe cenſendum eſt, atque ſic quoque ſuam, quam prius habuerat hæc opinio probabilitatem in eo privilegio fundatam amiſit. Privilegium Leonis X nihil facit ad rem, cùm plurimis annis præceſſerit Tridentinum, utpote quod primùm Anno 1563. fuit abſolutum, cùm privilegium illud Leonis X. jam fuerit conceſſum Anno 1516, adeóque iſtud, ſicut & cætera omnia tum à Leone, tum ab aliis SS. Pontificibus ante Tridentinum conceſſa regulari debent juxta hujus diſpoſitionem, neque iis ampliùs licet uti ſive in foro externo ſive interno, quæ eidem adverſantur.

Sectio

Sectio V.

An & quænam vivæ vocis oracula fuerint revocata?

45 Difficillimam quam hactenus tractavimus quæſtionem excipit alia non minùs difficilis, cujus difficultatem augent tum diverſæ SS. Pontificum Conſtitutiones, tum variæ Authorum inter ſe diſſidentium opiniones, qui rem per ſe ſatis intricatam novis identidem excogitatis argumentis longè faciunt intricatiorem: éſtque hæc quæſtio quoad praxin maximi momenti, cùm ab ejus deciſione pendeat plurimorum valor & uſus privilegiorum, quæ per ſe ipſa in fumum abeunt, ſiquidem hìc pro omnimoda oraculorum vivæ vocis extinctione ac revocatione ſententiam tuleris. Unde accurato examine, ſi quæ alia quæſtio tractari meretur, quo veritas à multis obfuſcata in apricum educatur, & ſuo reſtituatur ſplendori; priusquam autem hac de re noſtram ſtatuamus ſententiam, multa hìc nobis ſunt præmittenda, ac inprimis ex dictis rememorandum, vivæ vocis oraculum nihil aliud eſſe, quàm privilegium oretenus à S. Pontifice conceſſum, ad quod nullam requiri ſcripturam quoad forum conſcientiæ jam ſupra diximus, licèt ea, vel ſaltem atteſtatio teſtium requiratur pro foro externo ad probandam privilegii conceſſionem. Cæteroquin oracula vivæ vocis ejusdem ſunt valoris, cujus ſunt privilegia ſcripta aut bullata; nihil enim intereſt ſive ſcripto, ſive oretenus S. Pontifex conferat gratiam, ùt habetur *Can. Si quis cum Clerico* & *ibi Gloſſa: cauſ. 11. Q. 1.* & *Can. Inſtitutionis 7. cauſ. 25. Q. 2.* ſicut enim is poteſt oretenus ferre leges, ita etiam oretenus ab earum obſervantia eximere; atque ita quoque in favorem Minorum declaravit Leo X. Anno 1516. quòd non ſint minoris efficaciæ privilegia vivæ vocis oraculo quàm per Bullam vel Breve conceſſa; quin imò majoris eatenus ſunt efficaciæ, quatenus revocatis privilegiis in genere non cenſentur revocata oracula, niſi ſpecificentur; quia licèt iſta quoque ſint propriè dicta privilegia, in communi tamen acceptione & in odioſis non veniunt nomine privilegii, cùm ſub iſta conſideratione ſolùm denotentur privilegia ſcripta, ùt ex communiſſimo Authorum ſenſu colligitur: cùm igitur in odioſis reſtrictio ſit facienda, ſicut in favorabilibus ampliatio, hinc ſub generali privilegiorum revocatione utpote odioſa non intelliguntur oracula, licèt ſub nomine privilegiorum veniant in generali communicatione

ne utpote favorabili; differunt autem oracula à ſcriptis privilegiis per hoc, quòd ad horum ſubſtantiam neceſſariò requiratur ſcriptura manu Papæ ſubſcripta, aut certè per ſignaturam notata: oracula verò vivæ vocis nullam ad ſui ſubſtantiam, ùt dixi, requirant ſcripturam, ſed ſolùm pro foro externo, ut conſtet, quòd fuerint ore conceſſa, quamvis id etiam fieri poſſit per duos teſtes, qui conceſſioni interfuerunt, aut per aliud teſtimonium authenticum. Hinc Leo X. conceſſit Minoribus, ut poſſint ſecura conſcientia uti & frui omnibus gratiis à ſede Apoſtolica conceſſis, quæ reperiuntur in libris Ordinis; quæ enim in his reperiuntur, præſumuntur habere authenticum teſtimonium; an verò ſufficiat unius teſtimonium Cardinalis, aut Officialis Papæ? poſtea videbimus. Interim pro meliori dicendorum intelligentia (*Adde*; Hoc principium, quòd privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa non comprehendantur ſub generali revocatione privilegiorum, profectò admitti non poteſt. Si enim Concilium vel Pontifex efficaciter intendit revocare privilegia *omnia*, etiam ſcripta, adeòque matura deliberatione edita, ob probationis & determinationis prærogativam minoribus difficultatibus ac minori confuſioni obnoxia, neceſſariò intendit etiam revocare vivæ vocis oracula, ob defectum majoris deliberationis, probationis & determinationis confuſioni obnoxia.)

Sciendum SS. Pontifices conceſſiſſe ſolo vivæ vocis oraculo plurima privilegia Regularibus diverſorum Ordinum, eáque nonnunquam prohibuiſſe etiam in ſcriptis redigi, aut Bullas & Brevia deſuper fieri, idque juſtis de cauſis, teſte Donato. *tr.* 2 *q.* 3. *n.* 5. tum ne alii ſimilia peterent, tum ne conquererentur Ordinarii. Quæ autem & qualia ſint hujusmodi vivæ vocis oracula Religioſis conceſſa, ex compendiis privilegiorum intelligi poteſt: eorum plura refert Rodriquez in Bullario ſuo circa ſingulos Pontifices, qui illa conceſſerunt, poſt illorum Conſtitutiones: multa etiam recenſet Auguſtinus à Virgine Maria in ſuo opere de privilegiis omnium Religioſorum, & nos ipſi multa ſpecialia ac notatu digniora referemus ſuis locis in hoc opere. Hæc ipſa porrò vivæ vocis oracula Regularibus magno numero conceſſa, poſtmodum eisdem confirmârunt multi SS. Pontifices per ſuas Bullas eáque cum aliis privilegiis innovârunt motu proprio, ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis imò cum clauſulis: *quorum tenores*, aliisque ſimilibus; ſic enim, ut ex pluribus hic aliquas ejusmodi Bullas afferam, eadem vivæ vocis oracula confirmavit Innocentius VIII. Prædicatoribus in Bulla: *Sacra Religionis.* 12. *Martii Anno* 1488. Julius II. Eremitis S. Auguſtini in Bulla: *Religionem.* 30. *Junii Anno* 1508. Julius III. Prædicatoribus in Bulla: *In ſacra B. Petri.* 10. *Julii Anno* 1551. Paulus IV. Minoribus 45

ribus in Bulla: *Ex clementi. 1. Julii. Anno 1555.* S. Pius V. Mendicantibus omnibus in Bulla: *Etſi Mendicantium. 17. Cal. Julii Anno 1567.* Idémque eodem Anno Cal. Sept. Canonicis Regularibus Congr. Lateran. Bononienſis, & Conimbricenſis aliisque ibidem expreſſis Congregationibus in Bulla: *Ex ſuperna diſpoſitionis arbitrio.* Gregorius XIII. Minoribus in Bulla: *Ex benigna. 21. Mart. Anno 1575.* Idem eodem Anno. Minimis in Bulla: *Regimini. 10. Octobr.* & idem rurſus eodem Anno Ordini SS. Trinitatis in Bulla pariter incipiente: *Regimini &c. 18. Novemb.* Sixtus V. Minoribus in Bulla: *Etſi Mendicantium. 3. Octobr. Anno 1587.* idémque Ciſtercienſibus in Bulla: *Pontifex Romanus. 16. Cal. Junii Anno 1586.* Idémque rurſus Carthuſianis in Bulla: *Pro noſtra 3. Novembr. Anno 1588.* Clemens VIII. Minoribus in Bulla: *Ratio Paſtoralis. 20. Decembr. Anno 1595.* Paulus V. Prædicatoribus in Bulla: *Injuncti nobis 5tò. Octobr. Anno 1604.* & rurſus iisdem Paulus V. *23. Maij. Anno 1605.* Idémque Paulus Carmelitis diſcalceatis in Bulla: *Decet Romanum. 3 April. Anno 1610.* ac iterum Cœleſtinis in Bulla: *Injuncti. 29. Aprilis. Anno 1606.* Gregorius XV. Theatinis in Bulla: *In Apoſtolica. 16. Octobr. Anno 1621.* Ex quibus omnibus clarè patet, SS. Pontifices non modò plurima Regularibus privilegia vivæ vocis oraculo conceſſiſſe, ſed eadem quoque ſubſecutis temporibus ſæpius per plures Bullas abs ſe editas confirmâſſe ac innovâſſe & quidem motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, quibus conformiter iisdem etiam Regulares usque ad Gregorium XV. liberè & pacificè fuerunt uſi, non minùs quàm privilegiis in ſcripto conceſſis.

Verùm cùm ſucceſſu temporis 47
hic uſus oraculorum nimium invaleret, & multa circumferrentur non authentica, & non ſine fraude ac dolo magis crederetur oraculis vivæ vocis, quàm litteris Apoſtolicis, ſeu ùt loquitur Urbanus VIII. cùm experientia rerum magiſtra compertum eſſet, conceſſiones & gratias vivæ vocis oraculo etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas ſæpè ab his in quorum favorem emanârunt, minùs canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari, hinc factum, quòd SS. Pontifices exceſſivum horum vivæ vocis oraculorum uſum ſufflaminandum cenſuerint, id quod primitùs fecit Gregorius XV. per Bullam, quæ incipit: *Romanus Pontifex. 2dò. Julii Anno 1622.* qui cùm inaudiiſſet, nonnulla oracula minus certa circumferri, volens hac in parte omnem abuſum ab Eccleſia reſecare, revocavit primò omnia vivæ vocis oracula tam à ſe quàm à ſuis prædeceſſoribus conceſſa usque ad illud tempus, illis ſolummodo exceptis, quæ ſuum ſortita fuerunt effectum,

ac quæ ad ſupplicationem Regum conceſſa fuerant, & manu alicujus Cardinalis ſubſcripta. Cùm autem ne ſic quidem ſatis adhuc proviſum videretur, & plures circa hanc Conſtitutionem emergerent difficultates, eas omninò tollere cupiens Urbanus VIII. novam edidit Bullam, quæ incipit: *Aliàs felicis recordationis 20. Decembr. Anno 1631.* per quam Gregorii XV. Conſtitutionem non tantùm confirmavit & innovavit, ſed etiam ampliavit & extendit ad omnia & quæcunque vivæ vocis oracula etiam illa, quæ Gregorius XV. exceperat, ad cujuſcunque demùm inſtantiam fuiſſent conceſſa, aut cujuſcunque etiam S. R. E. Cardinalis manu firmata aut ſubſcripta. Poſtea tamen idem Urbanus VIII. temperavit hanc ipſam ſuam Conſtitutionem per aliam à ſe editam, quæ pariter incipit: *Aliàs felicis recordationis. 11. April Anno 1635.* ubi declarat, ſuam priorem Conſtitutionem revocantem omnia vivæ vocis oracula non comprehendere oracula per illos Pontificis Officiales ac Miniſtros expedita, quibus ratione munerum ſuorum antea de S. Pontificis oraculo fides haberi ſolebat, ùt videri poteſt in ipſis Urbani litteris apud Donatum & Cherubinum. Etſi verò hæc ita ſe habeant, ac per relatas hactenus Bullas revocata fuerint vivæ vocis oracula quibuscunque Ordinibus, Collegiis, ac Capitulis Regularium tam Mendicantium quàm non Mendicantium à quocunque demùm Pontifice usque ad Gregorium XV. & Urbanum VIII. conceſſa, ita ut illis nec in foro interno nec externo ampliùs uti liceat, quamvis ad ſupplicationem Regum ſint conceſſa, ac de iisdem verè conceſſis Cardinales propria manu ſcriptum ferant teſtimonium, maxima tamen remanet inter Authores controverſia, quænam vivæ vocis oracula comprehendantur ſub generali hac oraculorum revocatione: qua in re, ut certa ab incertis ſeparemus

48 Certum eſt imò. ſub hac generali oraculorum revocatione non comprehendi oracula illa, quibus declarantur privilegia Regularium aut Conſtitutiones Pontificiæ, aliiq; Canones ac decreta Concilii Tridentini; tum quia hujusmodi oracula & declarationes ſunt puræ ac meræ explicationes eorum, quæ in decretis & privilegiis continentur, neque cenſentur eſſe privilegia aut gratiæ, quæ aliquod Jus & poteſtatem conferunt: ſed per dictas oraculorum revocationes ſolùm revocantur ea, quæ ſunt verè privilegia & gratiæ, aut aliquod Jus aut poteſtatem concedunt, non autem quæ nihil conferunt, ſed tantùm declarant & explicant, quid Juris ſit; aliud eſt enim explicare & declarare, aliud poteſtatem ad aliquid faciendum dare, & à diverſis non fit illatio: tum quia præfati SS. Pontifices ea ſolùm revocare voluerunt oracula, quæ minùs canonica interpretatione extendebantur in detrimentum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ùt loquitur Ur-

Urbanus VIII. in prima ſua Bulla: ſed declarationes privilegiorum ac decretorum à SS. Pontificibus oretenus factæ non poſſunt dici minùs canonica interpretatione extendi in detrimentum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſed potiùs cenſeri debent eſſe factæ ad eam ſtabiliendam: ergò illa oracula noluerunt revocare. (*Adde*; inter declarationes alias eſſe *authenticas, diſpoſitivas*, ac novæ legis *conſtitutivas*: alias verò tantùm eſſe *doctrinales*, ac *magiſtrales*, quæ non habent vim legis. Itaque ſi ex circumſtantiis conſtet, declarationé in re indeterminata per legem eſſe novæ legis conſtitutivam, aut à lege generali, non per Epikiam, ſed ex gratia exceptivam, eadem ratio erit de his oraculis declarativis, quæ de aliis. Intentio enim Pontificis privilegia revocantis talis eſſe præſumenda eſt, qualis debuit eſſe; talis autem debuit eſſe, qualem exigit urgens ratio.) Certum eſt 2dò. Neque indulgentias oretenus conceſſas ſub hac generali oraculorum revocatione comprehendi; quia indulgentiæ in odioſis non veniunt nomine privilegiorum aut gratiarum, licèt ſæpè veniant in favorabilibus, eò quòd odia non ſint extendenda ad non expreſſa ſed reſtringenda ex R. J. 15. *in 6to*. econtra gratiæ & beneficia ſint amplianda per eandem Regulam & *L. Beneficium. ff. de Conſtitut. Princip.* cùm indulgentia non conferat Jus aut poteſtatem aliquid faciendi vel non faciendi, quam privilegium aut gratia ſpecialiter ſignificant, ſed tantùm ſit abſolutio quædam ſeu relaxatio pœnæ debitæ. (*Adde*; à me in opere *de indulgentiis* in quæſt. 56. Not. 5. oſtenſum eſſe, etiam indulgentias vivæ vocis oraculò conceſſas ex ſtylo & praxi S. Congregationis indulgentiarum haberi pro revocatis. Idque meritò; quia etiam indulgentiæ ſunt *indulta, gratia &c.* quæ in Bulla Urbani VIII. revocantur. Imò majus eſt confuſionis, deceptionis, aut ſcandali ex ejusmodi incertis indulgentiis periculum, quàm ex aliis privilegiis.) Certum eſt 3tiò. ſub dicta generali revocatione oraculorum non comprehendi privilegia pro omnibus fidelibus, aut pro omnibus Eccleſiaſticis vel aliis quàm Regularibus conceſſa; quia in præfatis Bullis exprimuntur tantùm privilegia oretenus collata perſonis Regularibus Ordinum tam Mendicantium quàm non Mendicantium, non verò privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa pro aliis, aut pro omnibus fidelibus, vel pro omnibus Eccleſiaſticis; atque hinc ſi privilegium aliquod vivæ vocis oraculo conceſſum ſit pro omnibus Eccleſiaſticis, id non cenſetur comprehendi ſub hac generali revocatione oraculorum, ſed eo uti poterunt quicunque Eccleſiaſtici etiam Regulares, utpote qui ſub nomine Eccleſiaſticorum continentur; quod ipſum tamen intelligendum eſt de privilegiis vivæ vocis oraculo conceſſis primò & per ſe ipſis fidelibus aut Eccleſiaſticis, non vero de conceſſis alicui Ordini

aut Communitati Religioſæ, licèt in utilitatem fidelium concedantur ſecundariò; ſic enim facultas vivæ vocis oraculo conceſſa quibusdam Regularibus abſolvendi vel diſpenſandi cum omnibus fidelibus in reſervatis cenſetur eſſe revocata, licèt in favorem omnium fidelium ſit conceſſa, quia nempe in horum favorem tantùm ſecundariò, principaliter verò in favorem Regularium fuit indulta. Certum denique hic eſt 4tò. per dictas revocatorias SS. Pontificum Bullas revocata tantùm fuiſſe privilegia vivæ vocis oraculo eousque conceſſa, non verò impoſterum concedenda; quia de his ne verbo quidem mentionem faciunt, ſed contrarium potiùs evincitur ex eo, quòd Gregorius XV. reſtringat expreſsè Bullam ſuam ad oracula *hactenus* conceſſa, & Urbanus VIII. ad ea, quæ vel à ſe vel à prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus fuerant conceſſa, ac proinde omnia oracula poſt Urbanum VIII. emanata omnem ſuam retinent vim & efficaciam, quam haberent, ſi prædictæ revocatoriæ nunquam emanâſſent. His igitur extra controverſiam poſitis, utpote certis aut ab Authoribus communiter receptis,

49 Præcipua ac maxima difficultas conſiſtit in ſequentibus, & primò quidem: An privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, quæ ante revocationem Gregorii XV. ſuum ſortita fuerunt effectum, ſint revocata, aut comprehendantur in Conſtitutionibus revocatoriis oraculorum etiam tunc quando effectus tractum habet ſucceſſivum? 2dò. An privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa & per aliquem ex Officialibus & Miniſtris S. Pontificis, quibus vi munerum ſuorum de gratiis & privilegiis per Pontifices oretenus conceſſis fides haberi ſolebat, & debebat, authentizata, eorúmque teſtimonio roborata, fuerint revocata? Non enim deſunt Authores, qui univerſaliter omnia oracula ſine exceptione revocata fuiſſe volunt, quod fortè ex eo accidit, quòd 2dam Urbani VIII. Bullam aut non inſpexerint aut omninò ignoraverint, ſed ſolùm primam præ oculis habuerint, eodem utriusque Bullæ initio decepti: ubi pariter indagandum erit, quinam ſint illi Officiales & Miniſtri S. Pontificis, quorum atteſtatio de conceſſis oraculis facta eadem eximit à revocatione? 3tiò. An privilegia vivæ vocis oraculo primitùs conceſſa, deinde verò per Bullas Pontificias motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis præſertim cum clauſula: quorum tenores pro ſufficienter expreſſis habemus non ſecùs ac ſi de verbo ad verbum forent inſerta; confirmata maneant caſſata, ac comprehenſa in generali revocatione oraculorum? 4tò. An privilegia primò alicui Religioni per Bullam Pontificiam conceſſa, & alteri deinde per oraculum vivæ vocis tantùm communicata per prædictas Conſtitutiones revocatorias cenſeantur

eſſe revocata reſpectu illius Religionis, cui fuêre tantùm per oraculum communicata? quibus denique omnibus pro coronide 5tam. addemus quæſtionem, etſi minùs controverſam, & à plerisque Authoribus potiùs ſuppoſitam, quàm ex inſtituto tractatam, ſcitu tamen maximè neceſſariam pro dicendis in hoc opere: An nempe privilegia per ſimplicem ſignaturam conceſſa ſint revocata, aut comprehendantur in Conſtitutionibus revocatoriis oraculorum?

50 Dico 1mò. *Privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, quæ ante revocationem Gregorii XV. ſuum ſortita fuerunt effectum, non ſunt revocata, nec comprehenduntur in Conſtitutionibus revocatoriis oraculorum, etiamſi effectus tractum habeat ſucceſſivum.*

Ita deducitur ex ipſa Gregorii XV. Conſtitutione: *Romanus Pontifex 2. Julii Anno 1622.* in qua dum revocat vivæ vocis oracula expreſsè excipit illa, quæ ante dictam oraculorum revocationem ſuum ſortita fuerunt effectum, hiſce verbis: *in his videlicet, quæ non ſunt ſortita ſuum effectum.* ex quo Authores communiter inferunt, quòd ea oracula, quæ ante dictam Bullam oraculorum revocatoriam ſuum ſuerunt ſortita effectum, non ſint revocata; nam exceptio firmat regulam in contrarium; & licèt hæc oracula expreſsè non exceperit Urbanus VIII. in Bullis ſuis, haud dubium tamen eſt, quin & ipſe voluerit iſta eſſe excepta; quia in iis, quæ non expreſſit Urbanus, præſumitur ſe conformare Bullæ revocatoriæ Gregorii, utpote quam confirmat & pro fundamento ſuarum habet Bullarum; etenim ſi id noluiſſet, explicaſſet utique, ſicut ſeſe in aliis explicavit ac expreſſit, quòd & ea voluerit oracula eſſe revocata, quæ ad inſtantiam ac ſupplicationem Regum fuerant conceſſa, aut manu alicujus Cardinalis ſubſcripta, quæ tamen etiam exceperat Gregorius XV. in ſua Bulla. At verò cùm hæc clauſula diverſimodè poſſet accipi & intelligi, & non leves faceſſeret difficultates, P. Dominicus de Molina Ord. Prædicat. tam nomine ſuæ Religionis, quàm aliarum Mendicantium & non Mendicantium, quarum munus Procuratoris Generalis gerebat in Curia Romana, petiit à S. Congregatione Epiſc. & Regular. declarari, an ſtante præfata revocatoria Gregorii XV. gratiæ & privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa Generalibus, Vicariis Generalibus, & Procuratoribus Generalibus ac eorum Ordinibus, quæ ſortita erant effectum ante revocationem, licèt effectus tractum haberet ſucceſſivum, vel alias reſpi-

cerent perſonas particulares, ùt ſunt præſentaturæ vel magiſteria, maneant in ſuo robore, & valida cenſeantur ac ſi in dicta Conſtitutione revocatoria non eſſent comprehenſa: an verò aliqua indigeant revalidatione tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus. *S. Congregatio Cardinalium negotiis Regularium Præpoſita, Illuſtriſſimo de Cremona referente, prædictas gratias & privilegia, in dicta revocatoria conſtitutione non comprehendi, nullàque revalidatione indigere, proindeque validas fore & eſſe, eisdemque ſecurè uti poſſe cenſuit, prout alias fuit reſponſum. Romæ die 2. April. Anno 1625.* prout per extenſum & authenticè refert Caſtellinus Ord. Prædicat. *de elect. Canon. cap. 5. n. 37.* & ex eo Laurent. de Peyrinis *ad Conſtit. 3. Gregorii XV. n. 1.* & alii communiter. (*Addes*) Hanc concluſionem admittendam quidem eſſe quoad privilegia perſonalia, de quibus agit illa Molinæ interrogatio, & S. Congregationis reſponſio. Non verò extendenda eſt ultra perſonas actu gaudentes uſu privilegii. Ratio eſt, quia intentio illius clauſulæ exceptivæ Pontificiæ præſumenda eſt eſſe, qualis debuit eſſe juxta leges prudentiæ. Cum ergò prudentia ſolùm ſuadeat excipi perſonas, non ſucceſſores, ſolùm inter exceptos cenſendi ſunt tempore Gregorii XV. actu gaudentes uſu privilegii.)

51 Quamvis autem hæc certa ſint, & ab omnibus recipiantur Authoribus, diſcrepant tamen plurimùm in modo intelligendi & explicandi dictam Conſtitutionem & declarationem S. Congregationis. Aliqui enim cum Donato *to. 1. tr. 16. Q. 4.* ac Leandro à SS. Sacramento *tr. 9. de matr. D. 24.* ita explicant: quòd ea oracula, quæ ſortita ſunt effectum ſuum quoad actũ primariũ, maneăt in ſuo robore quoad omnes futuros, licèt non ſint ſortita ſuum effectum, quoad actus ſecundarios, ac ſucceſſivos: per actum primarium intelligunt acceptationem gratiæ per oraculum conceſſæ: per actum verò ſecundarium & ſucceſſivum actuale exercitium dictæ gratiæ aut facultatis obtentæ: atque ſic gratia ſemel facta per vivæ vocis oraculum & acceptata ante dictas revocationes Gregorii XV. ſive fuerint reducta ad exercitium ſive non, quoad omnes actus pro futuris temporibus occurrentes, manet in ſuo robore etiam poſt dictas revocationes; juxta præfatos enim Authores gratia ſemel facta per ipſam acceptationem jam fuit ſortita primarium ſuum effectum, utpote qui conſiſtit in ipſa acceptatione, & ſic poterit exerceri circa omnes actus pro futuris temporibus, ut ſi quis v. g. vivæ vocis oraculo obtineat poteſtatem abſolvendi quoſcunque à caſibus S. Pontifici reſervatis, aut diſpenſandi in votis, ſi eam ante revocationem oraculorum à Gregorio factam acceptaſſet, jam illud oraculum ſortitum fuiſſet ſuum effectum primarium per ipſam accepta-

ptationem, licèt non obtinuerit effectum ſuum quoad actus ſecundarios, ſeu quoad actuale exercitium juriſdictionis, & uſum poteſtatis conceſſæ, utpote qui habet tractum ſucceſſivum pro reliquis actibus in futurum exercendis. Alii econtra Authores per oracula, quæ ſortita ſunt ſuum effectum, intelligunt ea, quæ in ſuo effectu principali tantùm habent unicum actum licèt ſucceſſive tranſeuntem, vel certè unum principalem effectum cum pluribus actibus ſecundariis cum illo neceſſariò connexis, & in futurum ſuccedentibus; quod explicant per exemplum in Religioſo, qui à S. Pontifice obtinuit per vivæ vocis oraculū gradum Doctoratûs aut Magiſterii; talis gaudet gradu recepto, & præeminentiis illi annexis quamdiu vivit etiam poſt prædictas revocationes, cùm effectus principalis ſit conſtituere graduatum in tali dignitate, & cum præeminentiis, honoribus & exemptionibus illi annexis, quibus per totam vitam gaudeat, & cùm talis effectus ſit completus ante revocationem, illud oraculum jam eſt ſortitum ſuum effectum ante illam, & ſic pro executione effectuum ſubſequentium, quia nectuntur illi dignitati, habet ſuum robur illud privilegium. Aliud exemplum ponunt de his, qui habent unicum effectum primarium ſucceſſivè tranſeuntem: ſi quis per vivæ vocis oraculum haberet facultatem comedendi lacticinia per totam quadrageſimam, ſi poſtquam cœpit uti privilegio v. g. transacta media quadrageſima adveniret revocatio oraculorum, non ideò intelligeretur revocatum tale oraculum, ſed poterat illo uti per totam quadrageſimam; quia cùm tale oraculum haberet unicum actum ſucceſſivè perficiendum per totam quadrageſimam, ſemel jam ſortito ſuum effectum ante revocationem, non maneret revocatum quoad complementum ipſius effectûs ſucceſſivè perficiendi; faciunt enim poſtremi dies cum primis quaſi unicum indiviſibile tempus, & comeſtio lacticiniorum per totum illud tempus eſt quaſi unicus effectus ſucceſſivè perfectus. Similiter ſi per vivæ vocis oraculum fuiſſent ante revocatorias confirmata ac revalidata aliqua privilegia bullata, quæ per non uſum erant extincta, tale oraculum confirmatorium illorum privilegiorum non intelligeretur revocatum, nec comprehenſum in dictis revocationibus; quia ſuum effectum principalem & unicum, nimirum confirmationem & innovationem privilegiorum ſortitum fuit ante revocationes.

Atque in hoc ſenſu intelligenda eſt concluſio noſtra, atque tenendum, quòd oracula, quæ in ſuo effectu principali unicum tantùm habent actum, licèt ſucceſſivè tranſeuntem vel certè unum principalem effectum cum pluribus actibus ſecundariis cum illo neceſſariò connexis & in futurum ſuccedentibus, 52

non

Digitized by Google

non ſint revocata, nec comprehendantur ſub dictis revocatoriis Gregorii XV. & Urbani VIII. hic enim videtur eſſe ſenſus verborum Gregorii XV. vivæ vocis oracula revocantis *in iis videlicet, quæ non ſunt ſortita ſuum effectum,* hæcque etiam videtur eſſe mens S. Congregationis declarantis, quòd gratiæ & privilegia vivæ vocis oraculo facta, quæ ſortita fuerunt ſuum effectum ante revocationem, licèt effectus habeat tractum ſucceſſivum, non comprehendi in dicta revocatione, nullàque revalidatione indigere: quæ verba juxta poſteriorem potiùs acceptionem, & explicationem intelligenda eſſe, quàm Donati & Sequacium ſuadetur ex eo, quòd ex horum ſententia ſequeretur, dictas revocationes Gregorii XV & Urbani VIII. eſſe prorſus inutiles & fruſtraneas, nullúmque habere effectum: quia cùm omnes gratiæ & facultates Regularibus per vivæ vocis oracula conceſſæ ſint acceptatæ & multæ poſitæ in executione quoad aliquos actus, ſi hoc ſufficeret ad hoc, ut dicatur, quòd ſortitæ ſint ſuum effectum cum tractu ſucceſſivo pro futuris temporibus, & nullæ iſtarum ſub relatis revocationibus comprehendantur, nihil ſanè foret, quod revocâſſent SS. Pontifices, cùm nullum oraculum fuerit tempore revocationis, quod non eſſet acceptatum vel à Religionibus vel à Religioſis, & per conſequens, quod tunc non fuiſſet ſortitum ſuum effectum ſaltem primarium, imò & ferè omnia etiam ſecundarium quoad aliquos actus cum tractu ſucceſſivo quoad omnes futuros. Atque ſic in ſpecie docent Petrus ab Angelis *Diſp. 7. Sect. 3. à n. 11.* & *Diſp. 8. S. 4.* & Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 2. punct. 6. §. 3.* poſt Caſtellin. *de Elect. cap. 5. n. 37.* Peyrinis *ad Conſtit. 3. Gregor. XV.* Bordon. *to. 1. part. 2. de oracul. reſol. 31. n. 8.* Lezana *in Sum. Quæſt. regul. cap. 3. n. 21.* & *præcipuè 2. part. V. oracula. n. 6.* (*Adde;*) In hac doctrina bene impugnatur ſententia prima; ſed eoipsò etiam rejicienda eſt ſententia tertia, quòd privilegia cenſeri poſſint conſecuta eſſe *ſuum* effectum per confirmationem vivæ vocis oraculo factam. Confirmationes enim ſunt *cauſa* conſtitutiva, effectiva, aut conſervativa privilegii, non *effectus.* Itaque ſola ſecunda ſententia admittenda eſt, ubi privilegia jam habent actualem uſum, & ne tunc quidem ultra perſonas actú exercentes uſum privilegii, ſi ſine earum præjudicio uſus ſuſpendi nequeat.)

Dico 2dò. *Privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & per Officiales ac Miniſtros S. Pontificis, quibus vi muneris ſui & officii de gratiis & privilegiis per SS. Pontifices oretenus* 53

nus conceſſis fides haberi ſolebat ac debebat, authentizata, eorúmque teſtimonio roborata, non ſunt revocata, ſed omnia & ſingula à quocunque Pontifice conceſſa in utroque foro valida manent, validéque & licitè practicari poſſunt.

Ita expreſsè Urbanus VIII in ada. Bulla: *Aliàs felicis recordationis.* 11. *April. Anno* 1635. edita, in qua poſtquam per extenſum adduxiſſet Bullam Gregorii XV. ſuámque primam de Anno 1631. Oraculorum revocatoriam, ſic ſtatuit: cùm autem pro tempore exiſtentibus nonnullis noſtris & ſedis Apoſtolicæ Officialibus ſeu Miniſtris, qui eorum officiorum ſeu munerum ratione de gratiis, conceſſionibus, & diſpoſitionibus quibuscunque per nos faciendis, mandatiſque & juſſionibus noſtris exequendis, aliisque rebus & negotiis gerendis nobiscum diverſa tractant per ſe, ſeu de eorum mandato facienda, gerenda, & executioni mandanda vivæ vocis oraculo commiſerimus, & in dies circa ea, quæ ad cujuslibet eorum officium ſeu munus, quo funguntur, pertinent, committamus: nos firmiori geſtorum de mandato noſtro per eosdem Officiales ſeu Miniſtros validitati, eorumdémq; Officialium ſeu Miniſtrorum ſecuritati conſulere volentes, motu proprio, certáque ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Officiales ſeu Miniſtros prædictos, quibus aliàs ante emanatas prædictas Conſtitutiones ex officiorum ſuorum auctoritate & prærogativa de oraculo per eos à Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus habito fides haberi ſolebat, quoad ea, quæ, ùt præfertur, ad cujuslibet eorum officium ſeu munus, quo funguntur, pertinent, in litteris etiam noſtris prædictis, ſuper revocatione oraculorum hujusmodi emanatis, minimè comprehenſos fuiſſe, nec eſſe, nec comprehendi debere declaramus, & decernimus, & ad abundantiorem cautelam eosdem Officiales ſeu Miniſtros adversùs easdem Conſtitutiones, quatenus opus ſit, reſtituimus & plenariè reintegramus in omnibus & per omnia perinde, acſi quoad illos prædictæ Conſtitutiones non emanâſſent, decernentes, præſentes litteras validas, firmas & efficaces exiſtere & fore, ac irritum & inane, ſi quid ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Gregorii prædeceſſoris hujusmodi, noſtrisque litteris præfatis, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris conceſſa ſunt non obſtare, cæterisque contrariis quibuscunque. Ex quibus relatæ hactenus Bullæ verbis luce meridiana cla-

clarius efficitur, oracula illa, de quibus Officiales Papæ teſtimonium ferunt, ac revera fuiſſe conceſſa teſtantur, nullatenus eſſe revocata ſed ea omnia in ſuo valore perſiſtere, quæ cùm permulta ſint, permulta quoque etiamnum vigere neceſſe eſt, unde mirari ſæpiùs contigit, quòd Authores aliqui tam præfractè contendant, oracula omnia hodie revocata eſſe ac penitus caſſata, nullúmque amplius pro foro interno, multò minùs externo valere, cui falſiſſimæ ſuppoſitioni ac arenoſo fundamento non verentur plures inædificare ſententias, quibus Regulares ab immemorabili privilegiorum ſuorum poſſeſſione deturbare conantur; cùm tamen Urbanus tam clarè ſtatuat ac ediſſerat, S. Pontificis Officiales in litteris ſuis minimè comprehenſos fuiſſe aut eſſe, & conſequenter oracula illa, de quibus præfati Officiales atteſtantur, in dictis Conſtitutionibus revocatoriis, minimè fuiſſe & eſſe comprehenſa. (*Adde*; ejusmodi privilegia ab Officialibus Papæ ad id deputatis ſcriptò authentizata non eſſe quidem revocata à Gregorio XV. & Urbano VIII. utpote quæ eo ipſò quòd ſint authenticè redacta in ſcripturam, jam non mereantur numerari inter vivæ vocis oracula, ſed inter privilegia ſcripta; eadem tamen revocata eſſe à Pio IV. & à Tridentino, ſi hujus decretis, vel aliis Bullis revocatoriis adverſentur; quia intentio Romanorum Pontificum revocatoria longè fortius tendere præſumenda in ſcripturas ejusmodi privilegiorum imperfectas, quàm in perfectas, puta in Brevia vel Bullas.

Verùm dubium hic eſt, qui- 14
nam veniant nomine Officialium ac Miniſtrorum S. Pontificis, quorum teſtimonium & facta de conceſſis vivæ vocis oraculis atteſtatio ſufficit ad hoc, ut non ſint revocata? ℞. iſtos enumerati à Benedicto XII. S. P. *in Extravagante: ad regimen 13. de Præbend. & dignitat.* ubi inter Officiales S. Pontificis recenſentur Camerarii, Vice Cancellarii, Notarii, Auditores litterarum contradictarum, & Apoſtolici Palatii cauſarum Auditores, Correctores, & Scriptores litterarum Apoſtolicarum ac Pœnitentiarius præfatæ ſedis: Abbreviatores nec non Commenſales, & alii quicunque Capellani ejusdem ſedis, & etiam quicunque Legati ſive Nuntii, ac in terris Eccleſiæ Romanæ Rectores, & Theſaurarii; de quibus ſingulis agit Cardinalis Tuſchus V. Officialis. Concluſ. 82. n. 6. & 16. quibus omnibus jure merito accenſeri debent Protectores Ordinum Religioſorum, tum quia per eos ùt plurimùm voluntas S. Pontificis Religionibus intimatur, ac gratiæ conferuntur: tum quia hi ipſi in Religionem ſibi commiſſam exercent jurisdictionem tanquam S. Pontificis Miniſtri, habéntque in eam ab ipſo ſupremam auctoritatem ac ſuperintendentiam; ille enim propriè dicitur Officialis, qui ſub alio mi-

Digitized by Google

miniſtraliter jurisdictionem exercet, ùt docet Card. Tuſchus *V. Officialis. concluſ. 88.* Quamvis autem fortè aliqui ex enumeratis ſupra S. Pontificis Officialibus hodie non am-
54 plius ſoleant de conceſſis à S. Pontifice oraculis teſtimonium ferre, poſtquam tot ſacræ Cardinalium Congregationes fuerunt inſtitutæ, quarum Præfecti ac Secretarii ùt plurimùm res propoſitas ad S. Pontificem deferunt, ejúsque mentem ac voluntatem explorant, & de factis ſibi oraculis atteſtantur, id tamen nil obeſt ſupra dictis, cùm Urbanus VIII. loquatur de illis Officialibus, quibus aliàs ante emanatas prædictas Conſtitutiones revocatorias de oraculo per eos à Romanis Pontificibus habito fides haberi ſolebat, non verò de illis, qui poſt dictasConſtitutiones primùm forent inſtituendi, multa enim mutant tempora, & quæ nunc ſunt in uſu, ſucceſſu temporis abrogantur. Atque ſic etiam hodie poſt Urbanum VIII. nequidem requiritur atteſtatio Officialium ad hoc, ut vivæ vocis oracula à SS. Pontificibus Urbano poſterioribus conceſſa valeant, ſed ſufficit quodvis fide dignum teſtimonium de factâ alicui vivæ vocis oraculo gratiâ; quia hi nihil hactenus circa hoc ſtatuerunt, neque Gregorius XV. aut Urbanus VIII. illis legem ponere potuerunt; cùm enim par in parem non habeat imperium, nec anteceſſor poſſit ſucceſſorum ligare manus, ſequitur, quòd ſubſequentes hujusmodi conceſſiones vivæ vocis oraculo factæ valeant, etiamſi nullus Officialium de illis teſtimonium ferat, modò de conceſſione facta aliquo fide digno conſtet teſtimonio. Accedit, quòd, ùt ſupra dixi, relatæ Conſtitutiones Gregorii XV. & Urbani ex profeſſo & præcisè loquantur tantùm de oraculis antea conceſſis, minimè verò de concedendis. Verùm etſi talia vivæ vocis oracula poſt Urbanum VIII. conceſſa etiam absque teſtimonio Officialium valeant hodie ſaltem pro foro interno, pro foro tamen externo tale requiritur, quale cæteroquin requiritur ac ſufficit ad probandum in foro externo, quamvis abſolutè neceſſe non ſit teſtimonium Officialium, ſed ſufficiat etiam aliud cœteroquin in Jure ſufficiens; cùm probatio per teſtimonium dictorum Officialium ab Urbano VIII. præſcripta ſolùm ad probanda oracula præcedentia, non item in futurum concedenda ſe extendat. (*Adde*; valere quidem ejusmodi vivæ vocis oraculô poſt Urbanum VIII. ſine forma authentica conceſſa privilegia, ſed nòn eſt veroſimile, ullum Romanorum Pontificum poſt ea tempora voluiſſe, aut velle integris communitatibus concedere privilegium notabile ſine ſcriptura authentica. Solùm enim privilegia perſonalia ſolent concedi aliquando ſine forma probante non publica.)

Dico 3tiò. *Privilegia* 55
primitùs vivæ vocis oracu-

lo conceſſa, ac poſtea per Bullas Pontificias motu proprio & ex certa ſcientia confirmata, & præſertim clauſulis: ac ſi de verbo ad verbum forent inſerta; aut: quorum tenores pro ſufficienter expreſſis habemus, munita, non ſunt revocata, nec comprehenduntur in Conſtitutionibus revocatoriis oraculorum.
(*Adde*; Hæc concluſio non poteſt admitti, ùt infra oſtendam ad finem object.)

Ita Laurentius de Peyrinis *to. 3. privileg. cap. 12. ad Conſtitut. 18. aliàs 28. Urbani VIII. n. 1.* Pellizarius *in Man. Regul. to. 2. tract. 8. cap. 1. n. 130. & ſeq.* & magis clarè *tr. 4. cap. 7. n. 5.* Poſſentius *in Recollect. QQ. mor. c. miſcellaneo pro Regularibus ante Sect. 1. fol. 44.* Leander à Murcia Capucin. *quæſt. 20. ſelect. in cap. 6. Reg. S. Franc. n. 3.* Hieronym. Garcias *in Politica Regulari. to. 1. tr. 8. diffic. 1. dub. 6. n. 6.* Samuelius Dominicanus *in Praxi de Sepultur. Prælud. 3. appendicis n. 1. & ſeqq.* Franciſcus Lugo in ſuo manuſcripto, Marcus Vidal *in arca Theologia moral. titul. de juriſdict. Inquiſit. 4. n. 15. & ſeqq.* Stratius Generalis Carmelit. *in inſtruct. pro Carmelit. c. 20.* Martinus de S. Joſeph. *in monitor. Confeſſ. to. 1. L. 1. de matrim. tr. 43. n. 4.* Joannes de Soria *in fine ſuæ ſummæ tract. de Regular. dub. 1.* Baſſæus *V. Privilegium. 5. n. 8.* Thomas Hurtado *to. 1. tract. 2. cap. 6. Reſolut. 22. n. 250.* & *to. 2. tr. 12. cap. 1. § 21. n. 1168. & ſequent.* quos refert Diana *part. 5. tr. 14. R. 17* & *part. 9. tr. 7. & Miſcellan. 2. Reſol. 61.* ac *part. 10. tr. 14. & Miſcell. 4. Reſ. 26. aliàs 24. & part. 11. tr. 6. Reſol. 45.* & coordinat. *to. 7. tr. 1. de dub. Regular. Reſol. 248. 249. & 250.* Lezana *in Sum. V. oracula. n. 7.* Antonius à Spiritu S. Carmelita *in Directorio Regular. part. 1. tr. 2. Diſp. 1. Sect. 1. n. 35. & ſeqq.* Leander à SS. Sacramento Trinitarius *to. 2. de Sacram. tract. 9. Diſp. 24. quæſt. 16* Dicaſtillo *to. 2. de Sacram. tr. 8. Diſp. 10. dub. 11.* Philippus à S. Antonio *tract. de privileg. vivæ vocis oracul. dub. 1. n. 15.* Auſonius *in Sum. V. privilegium. n. 16.* Virginius Alviſet *de privileg. Regular. Sect. 1. cap. 4. n. 208* & *cap. 8. art. 1. n. 38.* & *Sect. 4. dub. 7. n. 67.* Bruno Caſſaing *de privil. regular. tr. 1. cap. 2. propoſ. 6. pag. 65. in princip. propoſit.* Petrus de Murga *in Diſquiſit. moral. & Canonic. to. 1. tr. 2. Diſquiſ. 9. à n. 6* & *to. 2. Diſquiſ. 1. dub. 13. num. 143. & 145.* & *in Comment. ad Conſtit. Apoſt. ad Conſtit. un. Gregorii IX. n. 18.* & *ad Conſtit. 1. Alexandri IV. n. 8.* & *in Diſquiſit. de Jure Prioris annexi poſt QQ paſtorales edita n. 34.* & alii duodecim viri doctiſſimi, qui dictas approbârunt Diſquiſitiones, quoſque ibidem

dem nominatim refert Yſo Pfaw. San-Gallenſis *in Collectario privileg. pag. 54.* Bonagratia *V. Privilegium. n. 419.* ubi hanc ſententiam vocat communem. Ferdinandus Krimer *de privileg. art. ult. §. 3.* ubi hanc ipſam ſententiam aliorum nomine egregiè propugnat contra Cardenas. Reiffenſtuel *tit. de privileg. n. 160.* Schmalzgrueber *eodem tit. n. 242. ad finem.* Kazenberger *in ſupplem. Theol. Decalog. cap. 1. n. 441.* & ſeq. & re ipſa etiam Gobath *tract. 7. n. 668. & tr. 9. n. 738.* ad finem & alii plures contra Dianam ll. ſupra cit. præſertim in coordinat. *to. 7. tr. 1. de dub. regul. reſol. 250.* Donatum *to. 1. tr. 16. Q. 3.* Petrum ab Angelis *D. 8. Sect. 3. à n. 11.* Martinez à Prado *to. 1. moral. cap. 5. quaſ. 6. §. 3.* Cardenas *in Criſ. 2. Differt. 2. cap. 6. art. 7. q. 5.* Illſung. *tr. 1. D. 3. n. 70. & ſeq.* ac multos alios, ex quibus Cardenas l. c. acerrimè in oppoſitam ſibi ſententiam invehitur, eamque ad ſummum tenuiter probabilem dicit: Illſung verò omninò improbabilem reputat, cenſuræ vix ferendæ in ea ſententia, quam tot tantique ex omni natione & Ordine viri docti & in Juridicis ac Theologicis verſatiſſimi non perfunctoriè, ſed ex inſtituto poſt maturam deliberationem & examen pertractant, de quibus utique præſumendum eſt meritò, quód graviſſimis rationibus ducti eam amplectantur, ac tanto conſenſu defendant, ut præ oppoſita Dianæ, aliorúmque ſequacium ſi non communior ac probabilior, ſaltem æque probabilis ac communis præſertim ab auctoritate extrinſeca, dici hodie mereatur, ùt patet ex adductis hactenus hanc in rem Authoribus, quibus plures adhuc addi poſſent, niſi ſuperfluum videretur. Ut autem etiam pateat, ſententiam hanc nec rationibus deſtitui, quas diverſi diverſas ex Jure plerumque petitas afferunt, nos una alterave contenti in ſequentem modum argumentamur, & ſtatutam ſupra concluſionem

Probamus 1. Per Conſtitutio- 56
nes revocatorias Gregorii XV. & Urbani VIII. revocata ſunt tantummodo privilegia puro vivæ vocis oraculo conceſſa: ſed privilegia primò quidem vivæ vocis oraculo conceſſa, deinde verò per Bullas Pontificias expreſſè confirmata præſertim motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, atque clauſulis: ac ſi de verbo ad verbum forent inſerta, aut, quorum tenores pro ſufficienter expreſſis habemus, munita, non ſunt ampliꝰ privilegia puro vivæ vocis oraculo conceſſa, ſed per confirmationem per Bullas Pontificias factam induerunt naturam privilegii bullati, & exuerunt naturam privilegii puro vivæ vocis oraculo conceſſi: ergò per dictas Gregorii XV. & Urbani VIII. Conſtitutiones non ſunt revocata. Major probatur: quia cùm dictæ Conſtitutiones expreſſè ſolùm loquantur *de privilegiis viva vocis oraculo conceſſis*, & ſint odioſæ utpote pri-

privantes omnes Regulares Jure quæſito non tantùm ex liberalitate SS. Pontificum, ſed etiam maximis in Eccleſiam Dei meritis, ſtrictè interpretandæ ſunt de privilegiis puro vivæ vocis oraculo conceſſis, illis ſcilicet, quæ ante revocationem nunquam fuerunt per Bullas Pontificias expreſſè confirmata, nec extendendæ ſunt ad ea; quæ taliter per Bullas Pontificias fuère confirmata, & exuerunt naturam privilegii puro vivæ vocis oraculo conceſſi, ac induerunt naturam privilegii bullati; atque in tali Bulla pro expreſſis habentur, tanquam ſi de verbo ad verbum iiſdem Bullis forent inſerta. Minor etiam probatur: tùm quia privilegium oretenus conceſſum per hoc differt à privilegio in ſcriptis conceſſo ac bullato, quòd hoc ſit ſcriptum ac manu Pontificis ſignatum: illud verò non ſit ſcriptum nec manu Pontificis ſignatum: ſed hoc ipſo, quòd privilegium oretenus conceſſum per Bullam ſit confirmatum ac innovatum, jam eſt ſcriptum ac manu Pontificis ſignatum: ergo non eſt amplius purum vivæ vocis oraculum, ſed induit naturam privilegii ſcripti ac bullati, taléque cenſeri debet; tum etiam, quia quòd privilegium ſit ſcriptum ſeu bullatum, vel non ſcriptum & oraculum ſunt differentiæ meré accidentales ad rationem privilegii, cùm utrumque, ùt ſupra diximus, in conceſſione, robore, & virtute conveniant, & ſolùm per hoc differant, quòd unum ſit ſcriptum, non item alterum: ergò hoc ipſo, quòd oraculum tradatur ſcripturæ, quod fit, cùm per Bullas confirmatur ac innovatur, jam non eſt oraculum, ſeu privilegium oretenus conceſſum, ſed bullatum & in ſcriptis communicatum; tum denique, quia licet privilegium per ſe non habeat rationem Canonis aut legis univerſalis, ſi tamen inſeratur in Corpore Juris, obtinet rationem Juris ac legis communis, & potiùs dicitur Canon, aut lex communis, quàm privilegium nudum; quia quod eſt inſertum in Corpore Juris jam obtinet rationem Canonis aut legis communis: ergò etiam cùm ſit de ratione privilegii bullati, ut ſit ſcriptum ac manu Pontificis ſignatum, hoc ipſo, quòd oraculum per Bullam confirmetur ac innovetur, jam ſit ſcriptum ac manu Pontificis ſignatum, & conſequenter deſinit eſſe purum oraculum, & tranſit in privilegium bullatum, ùt poſt alios benè diſcurrunt Salmanticenſes ac Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap 2. punct. 2. n. 61.* Quod ipſum confirmatur ulterius, ſimulque

Probatur Concluſio 2dò. Tanta 57
eſt virtus & efficacia clauſularum: *motu proprio, ex certa ſcientia, & quorum tenores pro ſufficienter expreſſis habemus non ſecùs ac ſi de verbo ad verbum ea forent inſerta*, ut vim habeant ſpecialis & individuæ expreſſionis cum omnibus qualitatibus, & non aliter quàm

Digitized by Google

quàm ſi totus privilegiorum tenor reipſa de verbo ad verbum Bullæ Pontificiæ fuiſſet inſertus, ùt tradunt Authores communiter, & docet praxis & ſtylus Curiæ: ſed ſi totus privilegii oretenus conceſſi tenor de verbo ad verbum fuiſſet inſertus Bullæ Pontificiæ, tunc illud privilegium utut oretenus primò conceſſum, poſtea verò Bullæ inſertum tranſiret in privilegium bullatum, & cenſeretur exuiſſe naturam puri vivæ vocis oraculi, nec comprehendi ſub dictis Conſtitutionibus revocatoriis, ùt facilè admittunt etiam Adverſarii ſi non omnes, certè plerique: ergò etiam privilegium oretenus primò conceſſum, poſtea verò per Bullam Pontificiam, *etſi in genere tantùm* confirmatum tranſit in privilegium bullatum, & cenſeri debet exuiſſe naturam puri vivæ vocis oraculi, nec comprehendi ſub dictis revocationibus, ſi iſtud privilegium oretenus conceſſum per Bullam Pontificiam confirmetur cum clauſulis *ex certa ſcientia, & quorum tenores pro expreſſis habemus, non ſecùs ac ſi de verbo ad verbum forent inſerta.* Id quod etiam clarè patet ex eo; quia ſi S. Pontifex omnia privilegia etiam vivæ vocis oraculo conceſſa cùm prædictis clauſulis revocaret, nemo dubitaret, quin omnia iſta privilegia quibuscunque munita clauſulis forent revocata, idque ideò, quia clauſula, *quorum tenores his pro expreſſis habemus non ſecùs ac ſi de verbo ad verbum eſſent inſerta* idem operatur, ac ſi totus eorundem privilegiorum tenor reipſa de verbo ad verbum eſſet inſertus: ſic etiam ſi S. Pontifex alicui Ordini communicaret omnium aliorum Ordinum privilegia & uteretur prædictis clauſulis, cenſeretur omnia illa in ſpecie & individuo communicare, etſi nulla in ſpecie & in individuo exprimat, nec eorum tenorem de verbo ad verbum inſerat Bullæ communicationis; quia nempe virtualiter & æquivalenter præſumitur vi dictarum clauſularum inſertus talis tenor: idem eſt in caſu, quo cum iſtis clauſulis confirmentur privilegia per Bullam antecedenter conceſſa, tunc enim pariter per iſtas clauſulas omnia antecedentia privilegia cenſentur eſſe in ſpecie ac in individuo confirmata, non aliter ac ſi totus eorundem tenor reipſa foret inſertus: non eſt igitur, cur non idem dicatur de privilegiis non ſcriptis ſeu vivæ vocis oraculis cum prædictis clauſulis confirmatis: quod ſi idem de his quoque dici debet & admitti, ſequitur neceſſariò, quòd ſi S. Pontifex ſub his clauſulis confirmet privilegia vivæ vocis oraculo antecedenter conceſſa, non ſolùm det illis valorem qualemcunque, ſed valorem bullatum, eáque reponat & claudat in ipſa Bulla confirmatoria, non ſecùs ac ſi in ipſa Bulla de verbo ad verbum eſſent inſerta: atqui ſi de verbo ad verbum Bullæ Pontificiæ fuiſſent inſerta, jam non eſſent pura vivæ vocis oracula, ſed cenſerentur eſſe privilegia bullata: ergò etiam privilegia vivæ vocis oraculo antecedenter conceſſa, poſtea ve-

Digitized by Google

verò per Bullam Pontificiam *utut in genere* confirmata jam non ſunt ampliùs pura vivæ vocis oracula, ſed cenſentur eſſe privilegia bullata: privilegia autem bullata non ſunt revocata per dictas Conſtitutiones revocatorias: ergò neque privilegia antecedenter quidem vivæ vocis oraculo conceſſa, poſtea verò per Bullam Pontificiam confirmata.

58 Superſedeo plures hanc in rem adducere rationes, quibus utuntur alii ad probandam hanc ſententiam, quales ſunt 1mò. quòd Confirmatio *ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis* & cum clauſula: *de novo concedimus* facta vim habeat novæ conceſſionis ac novum Jus tribuat *cap. ſi Apoſtolica 22.* ubi Gloſſa in V. confirmamus. de Præbend. in 6. & docent Barboſa *clauſul. 59. n. 19.* Rodriquez *to. 1. Q. 8. art. 2.* Miranda *to. 2. q. 24. art. 5. concluſ. 2. circa fin.* Suarez *L. 8. de LL. cap. 18. n. 12.* Tamburin. *to. 1. D. 18. q. 4. n. 2.* Baſſæus *V. privilegium 4. n. 1.* Donatus *clauſul. 3. n. 6.* & hoc teſte pluries deciſum eſt per Rot. Rom. & conſequenter ejusmodi privilegia taliter confirmata cenſeri debent tanquam de novo conceſſa per Conſtitutiones Pontificias: ſed privilegia vivæ vocis oraculo primùm conceſſa, ponuntur eſſe per Bullam poſtea confirmata *ex certa ſcientia* ac *de plenitudine poteſtatis*, & cum clauſula: *de novo concedimus*: ergò talis confirmatio tribuit hujusmodi oraculis Jus novum, ac vim habet novæ conceſſionis, & conſequenter cenſeri debent tanquam de novo conceſſa per Conſtitutiones Pontificias: atqui privilegia per Conſtitutiones Pontificias conceſſa non comprehenduntur ſub revocationibus Gregorii & Urbani: ergò neque privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, ac poſtea per Bullam cum dictis clauſulis confirmata. 2dò. Privilegia remuneratoria & multò magis ea, quæ conceſſa aut confirmata ſunt ex pacto & contractu oneroſo, irrevocabilia ſunt, niſi pro illis fiat compenſatio: ſed privilegia Regularium ſunt remuneratoria, ùt conſtat ex plurimis SS. Pontificum Bullis, & ea, quæ Canonicis Regularibus, aliisque Congregationibus non Mendicantibus conceſſa ſunt, fuerunt de novo conceſſa, & confirmata ex pacto & contractu oneroſo à Pio V. Clemente VIII. Paulo V. & Alexandro VII. aliisque SS. PP. ergò irrevocabilia ſunt, niſi pro illis fiat compenſatio, de qua tamen hactenus non conſtat. 3tiò. In dubio, an privilegia ſint revocata, judicandum eſt non eſſe revocata, ùt cum communi aliorum docet Tamburinus *to. 1. D. 16. quaſ. 10. n. 12.* præſertim ſi privilegia ſint merè favorabilia: ſed dubium eſt ac controverſum, an privilegia Regularium vivæ vocis oraculo primùm conceſſa, ac poſtea per Bullam Pontificiam confirmata ſint revocata, eáque ſunt merè favorabilia: ergò judicandum eſt non eſſe revocata. Has aliàsque rationes afferunt ſententiæ noſtræ Patroni in confirmatio-

tionem illius, quibus diſcutiendis immorari haud vacat, ſed potiùs ad diſſolvenda Adverſariorum noſtrorum argumenta properandum. Inter hos autem

59 Objicit 1mò. Cardenas *Diſſert. 2. cap. 6. art. 7. quaſt. 5. n. 317.* Gregorius XV. & Urbanus VIII. revocàrunt omnia privilegia, quæ non reperiuntur ſcripta expreſsè & ſingillatim in litteris Apoſtolicis, neque de illis conſtat per ejusmodi litteras: ſed ejusmodi privilegia Regularibus conceſſa vivæ vocis oraculo, quamvis per alias Bullas ſint confirmata in genere, non reperiuntur ſcripta in litteris Apoſtolicis, neque per ejusmodi litteras conſtat de illis: ergò revocata manent ex Conſtitutionibus Gregorii & Urbani. Hic ſyllogiſmus, ùt gloriatur Cardenas, eſt Achilles roboris irrefragabilis, cujus minor & conſequentia ſunt evidentes; majorem autem non minùs evidentem exiſtimat. Nam vivæ vocis oracula ſunt illa, quæ Pontifex Romanus concedit vocetenus, & non ſcripto proprio: ergò dum non reperiuntur ſcripta in litteris Apoſtolicis, ſunt vivæ vocis oracula; ſed Gregorius & Urbanus revocant omnia omninò privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & Urbanus etiam conceſſa ad inſtantiam Regum, & ea etiam, quæ manu alicujus Cardinalis formata inveniuntur: ergò revocant omnia ea, quæ non reperiuntur expreſsè & ſingillatim in litteris Apoſtolicis, ſive quæ per ejusmodi litteras non conſtant. Hucusque Cardenas. Verùm argumentum hoc & ſyllogiſmus immeritò dicitur Achilles roboris irrefragabilis, nec opus eſt Paride ad illum perimendum, ſed levi ſolùm impulſu per ſeipſum corruit, ac in ſumum abit: totum enim argumentum ſolvendum eſt ipſi Authori, in quem retorqueri poteſt ac inverti hoc modo: Gregorius XV. & Urbanus VIII. juxta Cardenas revocàrunt omnia privilegia, quæ non reperiuntur ſcripta expreſsè & ſingillatim in litteris Apoſtolicis, neque de illis per ejusmodi litteras conſtat: ſed privilegia Regularibus vivæ vocis oràculo conceſſa, quæ ante revocationem ſuum ſortita fuerunt effectum, & de quibus Officiales & Miniſtri S. Pontificis teſtimonium ferunt, non reperiuntur ſcripta expreſsè & ſingillatim in litteris Apoſtolicis, nec de illis per ejusmodi litteras conſtat: ergò revocata manent ex Conſtitutionibus Gregorii XV. & Urbani VIII. quod tamen falſiſſimum eſt, ùt conſtat tum ex præcedentibus duabus concluſionibus, tum ex utriusque S. Pontificis Bullis, quorum prior excepit ea oracula, quæ ante revocationem ſuum ſortita fuerunt effectum: alter verò nempè Urbanus in poſteriore ſua Bulla excepit ea oracula, de quibus S. Pontificis Officiales ac Miniſtri teſtimonium ferunt, quam tamen Cardenas nunquam vidiſſe, aut omninò ignoràſſe videtur, aut

Digitized by Google

ſi illius notitiam habuit, ſubdolè diſſimulavit, eò quod per eam ſuum illum Achillem irrefragabilis roboris uno ictu proſterni videret. Ex quibus patet, majorem univerſaliter ſumptam, quam Cardenas evidentem eſſe jactat, omninò falſam eſſe, ac proinde etiam concluſionem; falſa enim unâ præmiſſarum, & concluſionem falſam eſſe neceſſe eſt, quam tamen & ipſam evidentem eſſe putat. Multa enimverò dantur vivæ vocis oracula, quæ ante revocationem ſuum ſortita fuerunt effectum, & de quibus SS. Pontificum Officiales ac Miniſtri teſtimonium ferunt: ſed nec hæc nec illa Gregorius aut Urbanus revocârunt: ergò Gregorius & Urbanus multa vivæ vocis oracula non revocârunt, licèt nec reperiantur ſcripta expreſsè & ſingillatim in litteris Apoſtolicis, neque de illis conſtet per ejusmodi litteras, quæ eſt contradictoria majoris, quam Cardenas tam operosè formavit; cùm igitur hæc propoſitio: Gregorius & Urbanus aliqua vivæ vocis oracula non revocârunt, ſit vera, falſam eſſe neceſſe eſt illam, quæ dicit, quòd dicti Pontifices omnia vivæ vocis oracula revocârint. Si autem falſa eſt hæc propoſitio major, quam Cardenas evidentem putat; cætera quoque, quæ eidem tanto molimine ſuperſtruit, falſa etiam eſſe, neceſſe eſt; quod ut tantò magis adhuc pateat, quàm falſa & inanis ſit tota P. Cardenas argumentatio ac Achilles irrefragabilis roboris,

℟. 2dò. cum P. Krimer l. c. negando iterum majorem ſub illis terminis propoſitam, quòd Gregorius & Urbanus *expreſſis verbis* in ſuis Conſtitutionibus revocent omnia privilegia vivæ vocis oraculo Regularibus conceſſa, *quæ non reperiuntur expreſsè & ſingillatim ſcripta in litteris Apoſtolicis, nec de illis per ejusmodi litteras conſtat*: nam neque hi termini, neque hæc modificatio, *expreſsè & ſingillatim ſcripta, ut ex ipſis litteris Apoſtolicis de illis conſtet*, habentur expreſsè in aliqua Gregorii & Urbani Bulla, ùt patebit legenti & perpendenti apices cujuslibet Bullæ: ergò meritò iterum negatur major, utpote quæ ſub illis terminis ſumpta rurſus apertè falſa eſt, & conſequenter totus ille ſyllogiſmus ac Achilles roboris irrefragabilis. Verùm ℟. 3tiò. diſtinguendo majorem, Gregorius & Urbanus revocârunt omnia privilegia Regularibus puro ac mero vivæ vocis oraculo conceſſa, quæ nec fuerunt ſortita ſuum effectum ante revocationem, & de quibus S. Pontificis Officiales ac Miniſtri nullum ferunt teſtimonium, quæque non fuerunt confirmata per aliquam Pontificiam Bullam, neque reperiuntur ſcripta in litteris Apoſtolicis, concedo; revocârunt omnia privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa etiam ea, quæ ſuum fuerant effectum ſortita ante revocationem, & de quibus S. Pontificis Officiales teſtimonium ferunt, aut quæ confirmata ſunt per Bullas Pontificias motu proprio, ex certa ſcientia,

Digitized by Google

entia, & quorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentur non ſecùs ac ſi de verbo ad verbum forent inſerta N. major. & transmiſſa mino C. & N. conſequentiam; eo ipſo enim, quòd vivæ vocis oracula, quæ ſuum ante revocationem ſortita fuerunt effectum, & de quibus teſtimonium ferunt Officiales S. Pontificis, ſint excepta tum à Gregorio, tum ab Urbano, & prædictæ clauſulæ eandem vim habeant, ac ſi reipſa ſpecificè, in individuò ac ſingillatim forent expreſſa, haudquaquam revocata ſunt oracula per Bullas Pontificias cum ejusmodi clauſulis confirmata; nam tunc habentur pro expreſſis in litteris Apoſtolicis: ſed expreſſa in litteris Apoſtolicis oracula non revocantur: ergò neque oracula taliter confirmata revocantur; quòd autem Cardenas requirat, ut ſint ſingillatim expreſſa in litteris Apoſtolicis, id gratis omninò dicit, ac ſine ullo fundamento fingit, ſempérque ſupponit & nunquam probat. Nam quod ad probationem majoris attinet, ea eodem vitio laborat ac falſo ſuppoſito, quo ipſum argumentum principale, atque inſuper petit principium; ait enim: vivæ vocis oracula ſunt illa, quæ S. Pontifex concedit vocetenus & non ſcripto proprio: verùm quæro ego, quid intelligat per tò *non ſcripto proprio*? ſi intelligit id, quod non reperitur ſcriptum expreſsè & ſingillatim in litteris Apoſtolicis, prout revera intelligit, manifeſtum eſt, quòd ſit petitio principii, cùm idem probetur per idem; nam hoc, quòd omnia vivæ vocis oracula, quæ non reperiuntur ſcripta expreſsè & ſingillatim in litteris Apoſtolicis, ſint revocata, probat per hoc, quia oracula vivæ vocis ſunt illa, quæ S. Pontifex concedit oretenus, neque reperiuntur ſcripta expreſsè & ſingillatim in litteris Apoſtolicis, quod utique eſt idem probare per idem; hoc ipſum enim quæritur. Si autem per tò *non ſcripto proprio* intelligit id, quod oretenus conceſſum eſt absque ulla ſcriptura, ac nulla confirmatum eſt Bulla Pontificia, tunc equidem conceditur antecedens atque etiam conſequentia, ſed tum eſt purum ac merum vivæ vocis oraculum; ex hoc autem plus non ſequitur, quàm quòd pura vivæ vocis oracula ſint revocata, non autem quòd vivæ vocis oracula per Bullas Pontificias poſtea confirmata ſint revocata. Atque in hoc ſenſu diſtinguò ſubſumpt. atqui Gregorius & Urbanus revocant omnia omnino privilegia puro ac mero vivæ vocis oraculo conceſſa, quæ neque confirmata ſunt per Bullas Pontificias, neque teſtimonio Officialium munita, nec ſortita fuerunt ſuum effectum C. revocat omnia omninò vivæ vocis oracula etiam ea, quæ per Bullas Pontificias fuerunt confirmata cum ſupradictis clauſulis, aut munita teſtimonio Officialium, aut ſortita ſuum effectum N. ſubſumpt. ſimúlque abſolutè nego conſequentiam inde deductam, utpote in qua plus in-

fertur, quàm fuerit poſitum in antecedenti ac præmiſſis; in his enim tantùm eſt ſermo de illis oraculis, quæ non reperiuntur in litteris Apoſtolicis: in concluſione verò jam adduntur etiam illæ particulæ, quæ non reperiuntur in litteris Apoſtolicis ſcripta *expreſsè & ſingillatim*, de quibus nihil in præmiſſis, quæ tamen longè ſunt diverſa. Verbo: totum argumentum P. Cardenas cum ſuis inde deductis ſophiſticum eſt, ſubdolum, fallax, ac falſis ubique ſuppoſitis laborans, ex quibus iterum falſas ac inanes deductiones infert, quæ operam non merentur refutationis, utpote quæ omni deſtituuntur fundamento: qui tamen eas refutatas videre cupit, adire poteſt P. Krimer *tit. de privil. art. ult. §. 3.* nobis enim non vacat, hisce diutius immorari, tum quòd principali huic argumento ac ſuppoſito falſo innitantur, tum quòd noſtra non tangant fundamenta. Fortius inſtant alii, ac noſtram propiùs oppugnant concluſionem, &

61 Objiciunt 2dò. Confirmatio per Bullam facta etiam ex certa ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis, & quorum tenores pro expreſſis habentur, non ſecùs, ac ſi de verbo ad verbum inſerta forent, non mutat naturam aut conditionem ejus quod confirmatur, neque in alienam naturam transfert; cùm enim confirmatio ſit Juris acquiſiti roboratio, nihil aliud præſtat, quàm quòd privilegio novum robur intra ſuam tamen naturam tribuat, ita ut ſi fortè aliqua ratione vim ſuam amiſiſſet, priſtino valori reſtituatur; ergò ſimiliter confirmatio vivæ vocis oraculorum per Bullam facta etiam ex certa ſcientia, & quorum tenores pro expreſſis habentur ac ſi de verbo ad verbum forent inſerta, non mutat eorum naturam & conditionem, neque extrahit illa à ratione oraculorum, nec facit ea bullata, ſed ea relinquit intra naturam privilegii oretenus conceſſi, ſive oraculi vivæ vocis; ſicut enim confirmatio privilegiorum per Bullam conceſſorum ſolùm dant novum Jus, novúmque valorem privilegiis bullatis extinctis intra ſuam tantùm naturam, ſic ut, quæ merè gratioſa erant, maneant gratioſa, quæ remuneratoria, remuneratoria, & quæ oneroſa, oneroſa: non verò transfert ab uno genere in aliud, ſic ut gratioſa per confirmationem fiant remuneratoria aut oneroſa & viciſſim; ita etiam confirmatio oraculorum etiam per Bullam facta novum tantùm valorem tribuit intra fines ac naturam ſuam, quin transferat illa in naturam privilegii bullati: & conſequenter non facit illa privilegia bullata: cùm igitur in Conſtitutionibus Gregorii XV. & Urbani VIII. revocentur omnia vivæ vocis oracula exceptis ſolummodò illis, quæ ſuum ſortita fuerunt effectum, & de quibus teſtimonium ferunt S. Pontificis Officiales, etiam iſta revocantur, licèt per Bullas Pontificias ſint confirmata, utpote quæ non ob-

obſtante tali confirmatione manent adhuc oracula, nec per eam tranſeunt in privilegia bullata. ℟. 1mò. Totum argumentum eſſe ſolvendum ipſis adverſariis in eorum confirmatione oraculorum, cui totus illorum tenor de verbo ad verbum re ipſa inſeritur, quæ ipſimet admittunt, quòd cenſeri debeant eſſe bullata, nec ſubjacere dictis Conſtitutionibus revocatoriis, cùm tamen eadem utrobique ſit ratio, ac perinde ſit an totus illorum tenor reipſa de verbo ad verbum inſeratur, an habeatur pro expreſſo, non ſecùs ac ſi de verbo ad verbum fuiſſet inſertus: unde in ipſos totum retorquetur argumentum. Verùm ℟. 2dò. Argumentum procedere tantùm in iis, quando vivæ vocis oracula confirmantur ac innovantur novo vivæ vocis oraculo, prout fecit Leo X. ac Pius V. Minoritis, tunc enimverò talis confirmatio vivæ vocis oraculo facta non immutat naturá oraculorum, ſed ea tantùm intra ſuam naturam iñovat ac corroborat. At verò ſi dicta privilegia innoventur ac confirmentur per Bullam Pontificiam præſertim ex certa ſcientia & cum clauſulis ſupra relatis, tum utique acquirunt novum eſſe ac novam naturam, quia tunc illis additur aliquid, quod eſt proprium privilegii bullati, ſicque ex vivæ vocis oraculis fiunt privilegia ſcripta, eorúmque naturam aſſumunt. Atque hinc licèt confirmatio, ùt optimé diſcurrit Andreas à Matre Dei n. 62. non mutet naturam privilegii, neque in alteram transferat, quando in confirmatione non ponitur aliquid pertinens ad alterius naturam, ùt probant exempla in objectione allata: at ſi in confirmatione additur aliquid pertinens ad alterius naturam, per illam confirmationem privilegium in illam alteram naturam tranſit, ut ſi privilegium merè gratiosè initio conceſſum, deinde ob ingentia in Eccleſiam merita confirmetur: aut ſi privilegia primò abſque onere aut pacto conceſſa, poſtea ſub certo onere ac pacto confirmentur, prout factum eſt cum Privilegiis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis aliarúmque Congregationum non Mendicantium ſub S. Pio V. Clemente VIII.. Alexandro VII tunc utique privilegium gratioſum, deinde ob & propter merita confirmatum induit naturam privilegii remuneratorii, & ſub pacto & onere confirmatum tranſit in oneroſum. Sic etiam, ſi privilegium extra corpus Juris exiſtens confirmetur, illúdque in Corpore Juris inſeratur, tranſit in naturam Canonis & legis communis, quod priùs non habebat. Sic & promiſſio ſimplex ſi confirmetur juramento, jam pertinet ad materiam Religionis, quamvis ex natura ſua ad eam non pertineat; quia nempe per illam confirmationem additur aliquid de materia Religionis, & ſic deſinit eſſe ſimplex promiſſio, & fit promiſſio jurata; atque ſic etiam, quia de natura

privilegii eſt, ut tradatur in ſcriptis, hoc ipſo quòd oraculum confirmetur per Bullam, jam intelligitur eſſe traditum in ſcriptis, tranſitq; in privilegium bullatum ac ſcriptum, & deſinit eſſe purè oraculum vivæ vocis.

62 Objiciunt 3tiò. Per Conſtitutiones Gregorii XV. & Urbani VIII. revocantur omnia vivæ vocis oracula quomodocunque conceſſa, confirmata, & innovata, ùt patere videtur ex utriusque S. Pontificis Bullis, ubi ita loquuntur: *Non obſtantibus quibusvis Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque & indultis ſub quibuscunque tenoribus ac formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis ac irritantibus & aliis decretis in genere vel in ſpecie ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, ac innovatis &c.* quibus ex verbis inferunt: ergò dicti SS. Pontifices omnia oracula ſub quibuscunque verborum formis & tenoribus etiam per Bullas Pontificias confirmata ac innovata revocârunt. Ita quidem illi. Sed hoc ipſum argumentum ſolvendum eſt iterum plerisque ex adverſariis in caſu, quo vivæ vocis oracula de verbo ad verbum per Bullam Pontificiam fuerunt confirmata, eidémque inſerta; nam ſi dicti Pontifices revocârunt omnia vivæ vocis oracula ſub quibuscunq; tenoribus ac formis quomodocunque confirmata ac innovata, quomodo non etiam ea, quæ de verbo ad verbum per Bullam Pontificiam fuerunt confirmata? aut ſi hæc excepta voluêre ab illa univerſali clauſula, cur non etiam ea, quæ confirmata ſunt cum clauſula, quorum tenores pro expreſſis habemus non ſecùs acſi de verbo ad verbum inſerta forent, cùm hæc clauſula vim habeat ſpecificæ ac individuæ expreſſionis cum omnibus ſuis qualitatibus: cùm igitur pleriſque ex adverſariis Gregorii & Urbani derogationes mitigare liceat quoad priora oracula, cur nobis non liceat quoad poſteriora? cùm tamen eadem ſit utrobique ratio. Atque hinc ℞. 2dò. cum Salmanticenſibus & Andrea a Matre Dei *tr. 18. cap. 2. n. 64.* per dictas Conſtitutiones, & adhibitas in eisdem clauſulas derogatorias (ſiquidem hæ ad oracula ſint referendæ) voluiſſe tantùm utrumque S. Pontificem ea revocare oracula, quæ quomodocunque fuerunt confirmata per aliud vivæ vocis oraculum, ſicut Leo X. & Pius V. confirmârunt Minoribus omnia vivæ vocis oracula à prædeceſſoribus ſuis antecedenter conceſſa, & Pius V. etiam ea, quæ Concilio Tridentino adverſabantur ſaltem pro foro conſcientiæ, per novum vivæ vocis oraculum, qualem confirmationem vivæ vocis oraculo ſub quibuscunque tenoribus ac verborum formis factam voluerunt non obſtare dicti Pontifices, utpote quæ vivæ vocis oracula relinquebant in ratione oraculorum:

cùm

cùm autem eorum intentio non fuerit privilegia bullata revocare, neque eorum mens fuit ea revocare oracula, quæ per Bullas erant confirmata, ſub qua conſideratione jam non erant oracula, ſed privilegia bullata. ℞. denique 3tiò. & magis ad rem negando ſuppoſitum, quod relatæ clauſulæ derogatoriæ ſint referendæ ad oracula per Bullam Pontificiam confirmata, ſed illæ referri debent ad ea privilegia multorum Ordinum Religioſorum, quæ talibus munita ſunt clauſulis, ut ejusmodi privilegiis etiam vivæ vocis oraculo conceſſis derogari non poſſit, niſi ſub certis verborum tenoribus, & niſi ſervata præſcripta à S. Pontifice forma ac requiſita ſolemnitate, idque manifeſtum fit ex ſupra relatis, ac immediatè ſubſequentibus verbis: *Non obſtantibus privilegiis ac indultis ſub quibuscunque verborum tenoribus ac formis conceſſis, confirmatis aut innovatis. Quibus omnibus ac ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis illorúmq; totis tenoribus ſpecialibus; ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes ſpecialiter & expreſsè derogamus.* Quæ utique verba intelligi tantùm poſſunt ac referri debent ad illa privilegia, quæ aliquibus Religioſis Ordinibus etiam vivæ vocis oraculo conceſſa ex diſpoſitione SS. Pontificum revocari non poterant, niſi eorum fieret expreſſa & individua mentio & quidem de verbo ad verbum, illisque per trinas diſtinctas vices intimaretur: non autem referenda ſunt ad oracula revocata, de quibus ne ſyllaba quidem in toto illo §. habetur, id quod ex eo adhuc magis confirmatur, tum quòd hic ſit obvius relatorum verborum ſenſus, ùt indifferenter legenti patebit: tum quòd iſtæ clauſulæ derogatoriæ iisdem omnino verbis frequenter in aliis Bullis Pontificiis addi ſolitæ, de illis tantùm intelligantur privilegiis, quæ expreſſam & individuam mentionem, aut trinam intimationem requirunt: non eſt igitur, cur non etiam hìc de illis privilegiis intelligantur, nec ulla ſuppetit ratio, cur iſtæ clauſulæ hìc præcisè in alium, quàm quem in aliis Bullis habent, detorqueantur ſenſum, eúmque ſatis violentum, tantùm ut adverſariis ad intentum præconceptis opinionibus ſuis deſerviat.

Objiciunt denique 4tò. Ex noſtra ſententia manifeſtè ſequeretur, quòd revocatoriæ tam Gregorii quàm Urbani Conſtitutiones redderentur prorſus fruſtraneæ & nugatoriæ; ſi enim ſub dictis revocatoriis non comprehendúntur oracula per Bullam confirmata, vix ullum oſtendi poteſt vivæ vocis oraculum, quod eſſet revocatum: nam cùm omnia vivæ vocis oracula plerisque Ordinibus religioſis fuerint per Bul- 63

las

las Pontificias ſive per ſe primò directè ſive per communicationem confirmata uſque ad Annum 1521. 16. Oct. quo ea fuerunt ab ipſo Gregorio XV. per Bullam: *In Apoſtolica &c.* confirmata Theatinis, & ab hoc tempore uſque ad 2. Julii Anno 1622. quo edita fuit Conſtitutio vivæ vocis oraculorum revocatoria, non conſtet ullum poſtea à Gregorio XV. oraculum fuiſſe conceſſum, ſequitur neceſſariò, nullum à Gregorio XV. revocatum eſſe oraculum: cúmque Gregorio immediatè ſucceſſerit Urbanus VIII. neque conſtet, quòd aut hic aut ille poſt ſuam revocatoriam ullum conceſſerit oraculum, pariter ſequitur, nullum ab utroque Pontifice revocatum fuiſſe oraculum, & conſequenter utriusque S. Pontificis revocatorias fuiſſe fruſtraneas ac nugatorias, ſiquidem nulla vivæ vocis oracula, per Bullas confirmata, fuerunt revocata. Ita re ipſa Petrus ab Angelis *Diſp. 1. Sect. 6. à n. 18.* Verùm ℞. negando ſequelam; tum quia multa fuerant ante Gregorium & Urbanum oracula à diverſis Pontificibus conceſſa, de quibus non conſtat, quòd unquam fuerint per aliquam Bullam confirmata, quæ proinde manent revocata: tum quia multa tunc temporis circumferebantur oracula incerta, fortè etiam conficta, aut certè non ſatis authentica, & de quibus non conſtabat, an vel à quo aut quibus in terminis fuerint conceſſa, qualia etiamnum multa reperire licet in compendiis privilegiorum præſertim antiquioribus, ex quibus ingens ſuborta eſt in Eccleſia confuſio, dum quivis pro libitu vivæ vocis oracula fingere eiſque ſeſe tueri poterat, indeque fiebat, quòd út loquitur Urbanus VIII. experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones & gratias vivæ vocis oraculo obtentas ſæpè ab his, in quorum favorem emanârunt, minùs canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari: quia nempe cùm multa eſſent incerta, nec in ſcriptis relata, multi eisdem abutebantur, & ad pravum & à mente SS. Pontificum alienum ſenſum detorquebant, aut certè ſiniſtrè interpretabantur, per quod omnia fiebant æquivocationibus & abuſibus obnoxia, & innumeris erant fallaciis expoſita. Unde dicendum firmitérque tenendum, ea omnia vivæ vocis oracula eſſe revocata, quæ non ſatis erant authentica, aut quæ erant incerta ac dubia, nec per Bullam confirmata, ea verò oracula, quæ ſunt certa & authentica atque inſuper per Bullas Pontificias confirmata, non eſſe revocata. Quòd autem SS. Pontifices non alia voluerint oracula confirmare, quàm certa & authentica, conſtat ex eo, quòd hujusmodi confirmationibus vel ipſum tenorem oraculorum ex integro inſerant, vel ea confirment ex certa ſcientia, aut quorum tenores pro expreſſis habent,

bent, non ſecùs ac ſi de verbo ad verbum forent inſerta, quibus utique verbis ſatis indicant, ſe tantùm confirmare oracula certa & authentica, utpote quorum ſolummodo tenor de verbo ad verbum inſeri poteſt. Sic autem dictæ revocatoriæ Conſtitutiones haudquaquam dici poſſunt fruſtraneæ & nugatoriæ, cùm plurima per eas revocentur oracula, atque inſuper totus obtineatur finis, quem intenderunt SS. Pontifices Gregorius & Urbanus per ſuas revocatorias Conſtitutiones, qui fuit, ut tollerent abuſus, qui ex incertis quotidie naſcebantur oraculis: ut occurrerent æquivocationibus, quibus anſam præbebant oracula non ſcripta, nec ſatis authentica: ut obviarent pluribus fallaciis, quæ ex confictis proveniebant oraculis: & ut denique omnis in Eccleſia confuſio evitaretur, quæ exinde oriebantur. Id quod Gregorius XV. ſatis indicavit, dum à generali revocatione ſua excepit oracula manu alicujus Cardinalis ſubſcripta; quia ob authoritatem & fidem ſubſcribentis ceſſabant inconvenientia, quæ ipſe in ſua revocatione intendebat evitare. Et licèt Urbanus VIII. hæc etiam revocaverit, quòd ea quoque minùs canonica interpretatione extendi, & perperam in Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimentum executioni demandari, experientia comperiſſet, excepit tamen oracula per illos Officiales, quibus ratione munerum ſuorum antea de S. Pontificis oraculo fides adhiberi ſolebat; quia hoc ipſo ceſſabat confuſio, ceſſabant & inconvenientia, ac ſimul obtinetur finis per revocationem intentus.

Ex quibus denique omnibus ſatis ſuperque conſtare videtur, rationes adverſariorum haudquaquam eſſe demonſtrativas, nec tantam obtinere vim, ut ſententiam noſtram oſtendant eſſe falſam aut improbabilem aut ſolùm tenuiter probabilem, ùt inaniter jactat Cardenas & alii nonnulli, ſed ex deductis hactenus manifeſtè patet ſententiam noſtram permagna pollere probabilitate tum ab extrinſeco ob ingentem præclariſſimorum ex omni natione & ordine Doctorum auctoritatem, quæ illam ſi non communiorem ſaltem æquè communem reddit, tum ab intrinſeco ob graves, quas pro ſe habet, rationes; cúmque inſuper adverſariorum argumenta haud difficulter nec ſine gravi fundamento diſſolvat, aut ea omninò oſtendat eſſe falſa aut falſo ſuppoſito laborare, clariſſimè ſequitur eandem ſententiam noſtram ſi non magis ſaltem æquè probabilem eſſe, quam ſit oppoſita, neq; huic in ullo cedere. Quod ſi talis eſt, ſequitur pariter eam non minùs licitè quàm validè in praxin deduci poſſe, atque omnibus illis oraculis uti licere, quæ certa & authentica ſunt ac per Bullam Pontificiam confirmata, idque non tantùm ideò, quia licet ſententiam pro- 64

babilem etſi minùs tutam ſequi,ſed etiam, quia SS. Pontifices Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. 23. Auguſt. Anno 1477.* & Julius II. in Bulla: *inter cæteros. 4. Nonas April. Anno 1512.* pro Canonicis Regularibus, aliique Pontifices pro aliis quibusdam Religioſis Ordinibus expreſsè ſtatuerunt, ut privilegia eisdem conceſſa in dubio largiſſimè in favorè ſuum interpretentur ſecundùm bonam æquitatem, non autem ſecundùm Juris rigorem aut Doctorum opiniones & ſubtilitates. (*Adde*; Argumenta & reſponſa hucusq; in favorem à Cl. Authore adducta non poſſe admitti, ne quidem ùt probabilia. Nam ratio directa contra concluſionem eſt moraliter certa; & ratio reflexa pro concluſione ex numero plurium Doctorum eſt ſolùm probabilis. Atqui authoritas ſolùm probabilis in concurſu cum ratione moraliter certa non fundat probabilitatem comparativè talem, ùt ſuppono ex arte critica, quia implicat, unam ſententiam eſſe moraliter certam, & ſimul admitti, ſententiam oppoſitam eſſe verè probabilem, ùt per ſe evidens eſt. Videamus proin Cl. Authoris argumenta & reſponſa.

Argumentum 1mum. erat, quòd privilegia primitùs conceſſa vivæ vocis oraculo, quamprimùm confirmantur per Bullam Pontificiam, induant naturam privilegii bullati. *Reſpondeo*, id verum eſſe, ſi per Bullam confirmentur in ſpecie; non verò, ſi confirmentur tantùm in genere. Ratio evidens ac convincens eſt, quia Pontifex ejusmodi privilegia confirmata tantùm in genere vult adhuc haberi pro privilegiis relatis inter vivæ vocis oracula; de qua intentione morali certitudine conſtat, quia alioquin foret nugatoria, nec obtineret ſuum intentum. Manifeſtum enim eſt, Pontificem voluiſſe revocare vivæ vocis oracula, *verè talia, non ficta*, aut *incerta.* Verè autem talia nulla amplius extitiſſent tempore Gregorii XV. & Urbani, cum omnes Ordines per communicationem privilegiorum illa privilegia vivæ vocis jam transmutâſſent in privilegia bullata. Quis autem non videat, indignum eſſe Romano Pontifice hunc vel ſimilem modum tendendi: *Ego revoco omnia vivæ vocis oracula ficta aut incerta?*

Argumentum 2dum. erat, quod Bullæ privilegiorum etiam vivæ vocis confirmatoriæ contineant hanc clauſulam: *Quorum tenores pro expreſſis habemus, non ſecus ac ſi de verbo ad verbum forent inſerta.* Ergo perinde tranſeunt in naturam privilegii bullati, acſi ſpecificè fuiſſent expreſſa & confirmata. *Reſpondeo.* Illam clauſulam in Bullis confirmatoriis non referri ad privilegia vivæ vocis, ſed ad privilegia bullata. Quia in confirmatione privilegiorum omnium generali ejusmodi clauſulæ diriguntur ad ſuos reſpectivè terminos. Ratio eſt, quia in privilegiis vivæ vocis

cis nullus datur tenor, qui poſſet Bullis confirmatoriis inſeri. Certè ridiculum foret, ſi Pontifex eum ſenſum exprimeret, quem illi hoc argumentum affingit, dicendo: quamvis ſciri non poſſit, qualis in hoc vel illo privilegio vivæ vocis fuerit tenor verborum, tamen illum tenorem, quisquis fuerit, volo pro expreſſo haberi, ac ſi de verbo ad verbum foret inſertus &c.

Argumentum 3tium. erat, quòd privilegia vivæ vocis, quando confirmantur per Bullam, cenſeantur de novo conceſſa, adeóque etiam pro noviter conceſſis & bullatis habenda ſint. *Reſpondeo*, in confirmatione non tribui novum Jus; adeóque nec pro noviter conceſſis haberi poſſunt, præſertim ſi confirmantur tantùm in genere.

Argumentum 4tum. erat, quòd privilegia vivæ vocis Canonicis Regularibus confirmata ſint ex pacto & contractu oneroſo; ergò non poſſunt revocari ſine ſpecifica mentione, quæ non facta eſt. *Reſpondeo*, jam ſupra oſtenſum eſſe, non interceſſiſſe pactum & contractum rigorosè ac ſtrictè oneroſum; ſed Pontifices ex bonis Eccleſiaſticis Religioſorum ſibi ſubditorum ea pro bono communi Eccleſiæ exegiſſe, quæ aliunde poterant exigere etiam ſine remuneratione. Dein illa remuneratio per confirmationem privilegiorum non ſolis facta eſt Canonicis Lateranenſibus, ſed multis aliis Ordinibus ſupra enumeratis; ergò ſi reſpectu tot Ordinum non poteſt à Pontifice exigi notitia omnium privilegiorum & bullatorum & vivæ vocis, quæ tot Ordinibus competunt, non poteſt præſumi, ullum Pontificem fuiſſe tam abſurdum, ut ediderit innumera vivæ vocis privilegia, à ſucceſſoribus irrevocabilia ſine ſpeciali mentione.

Reſponſio ad objectionem 1. erat, quòd varia vivæ vocis privilegia, quæ non ſunt ſcripta in litteris Apoſtolicis, fuerint non revocata: ergò etiam præſumendum eſt, illa privilegia vivæ vocis non eſſe revocata, quæ per confirmationem fuerunt bullata, præſertim cùm & iſta per confirmationem jam fuerint ſortita ſuum effectum; ſed *hæc reſponſio* eſt nullius valoris, quia à privilegiis ſpecialiter exceptis in revocatione, qualia ſunt privilegia ſtatim ab initio ſpecificè in ſcripturam redacta, aut ſortita ſuum effectum, non eſt extenſio facienda contra apertam Pontificis mentem ad alia privilegia non redacta ſpecificè in ſcripturam, & nondum ſortita effectum; quòd enim confirmatio præſertim generalis non ſit effectus privilegii, ſed potiùs cauſa conſtitutiva vel conſervativa jam ſupra oſtenſum eſt. Neque etiam valet reſponſio 2da. quòd illa verba, *privilegia, in litteris Apoſtolicis ſigillatim non expreſſa*, non contineantur in Bulla Gregorii XV. & Urbani VIII. quia Cardenas non dicit, hæc verba contineri, ſed ſenſum, eo quòd hi Pontifices pro objecto ſuæ revocationis habeant om-

ne id, quod comprehenditur ſub idea *privilegii conceſſi viva vocis oraculo.* Manifeſtum autem eſt ex intentione Pontificis ex circumſtantiis & fine loquentis nota, quòd ſub hac idea comprehendere voluerit omne privilegium vivæ vocis ſpecificè nullis litteris Apoſtolicis expreſſum, ùt ſupra jam obſervatum eſt.

Reſponſio ad objectionem 2. erat, quòd privilegia vivæ vocis per confirmationem, præſertim titulo oneroſo collatam, tranſeant in naturam privilegii bullati, ſicut tranſeunt in naturam privilegii oneroſi aut ſaltem remuneratorii; ſicut & lex extra Corpus Juris exiſtens, ubi inſeritur Corporis Juri, tranſit in naturam legis communis, & promiſſum, cui adjicitur juramentum, tranſit in naturam promiſſi jurati; ſed *hæc reſponſio* non eſt ſufficiens. Quia inprimis in exemplis adductis qualitas juramenti, vel legis communis ſubjecti ſpecifico adjecta ex intentione adjicientis mutant naturam objecti in ordine ad aliam ideam complexam, & in ordine ad alios effectus. Econtra confirmatio adjecta privilegiis vivæ vocis ex intentione adjicientis non mutat illius naturam in ordine ad aliam ideam complexam, & in ordine ad alios effectus morales. Et hoc à poſteriori morali certitudine conſtat ex mente Gregorii XV. & Urbani VIII. qui ſub idea privilegiorum vivæ vocis in ordine ad effectum revocationis voluerunt comprehendere etiam privilegia vivæ vocis, in genere confirmata titulo remuneratorio; & ſolùm exceperunt privilegia munita ſpecificè authentico teſtimonio ſuorum Officialium ſcripto. Niſi enim ſub illa idea privilegiorum revocandorum comprehendiſſent præfata privilegia, nil aliud revocâſſent, niſi privilegia ficta aut dubia, quod abſurdum eſt, ùt ſupra oſtendi.

Reſponſio ad objectionem 3. erat, ex objectione conſequi, quòd eſſent etiam revocata privilegia vivæ vocis, quorum ſpecifica fit mentio: cùm ergò hoc dici nequeat, ſenſum Bullæ revocatoriæ ſolùm eſſe, etiam ea privilegia eſſe revocata, quæ tantùm confirmata ſunt per aliud vivæ vocis oraculum; denique illa Bullæ confirmatoriæ verba: *Non obſtantibus quibuscunque privilegiis quomodocunque confirmatis*, referenda eſſe ad illa vivæ vocis privilegia, quæ annexam habent clauſulam, ut ſine ſpecifica mentione revocari non poſſint; ſed nec *hæc Reſponſio* ſervit. Si enim Pontifex revocat privilegia vivæ vocis confirmata alio privilegio vivæ vocis, habente annexam clauſulam, ut revocari non poſſint ſine ſpecifica mentione, quanto magis revocata cenſenda ſunt privilegia non ſpecificè ſed tantùm in genere confirmata ſine illa clauſula, præſertim cùm & ipſa hæc clauſula vivæ vocis cum confirmatione vivæ vocis per confirmationem generalem omnium privilegiorum fuerint confirmata. Verùm, ut directè reſponſionis appareat

reat inſufficientia, reſpondeo, ex eo, quòd Pontifex revocet omnia privilegia tantùm in genere confirmata, non ſequitur, quòd etiam revocet privilegia vivæ vocis in ſpecie confirmata; iſta enim per confirmationem ſpecificam tranſierunt in naturam privilegii, prout ſupra oſtenſum eſt; illa verò ſolùm in genere confirmata comprehenduntur adhuc ſub idea privilegii vivæ vocis, quam ideam Pontifex in ſua Bulla revocatoria ſatis expreſſit terminis generalibus, prout ſupra oſtenſum eſt. Clauſula, *Non obſtantibus*, manifeſtè referenda eſt ad quaſcunque confirmationes privilegiorum vivæ vocis; ergò eo ipſo admitti nequit, per confirmationes genericas omnia privilegia vivæ vocis vera ac certa ſubtrahi revocationi Pontificiæ, cùm Pontifex declaret, ſuæ intentionis eſſe, ut non ſubtrahantur ſuæ revocationi privilegia vivæ vocis per quaſcunque confirmationes.

Reſponſio ad objectionem 4. erat, Pontifices Gregorium XV. & Urbanum IV. ſufficientem habere finem, ſi dicantur ſolùm revocare privilegia *ficta* aut *dubia*; ſed *hæc reſponſio* non eſt vera. Privilegia enim ficta non indigent revocatione, ſed declaratione; revocari non poſſunt, quæ nunquam fuerunt edita. Similiter privilegia dubia non indigent revocatione ſed diſcuſſione, præſertim cùm ſtatui nunquam poſſet, quænam in numerum dubiorum, ſeu probabilium referenda ſint, aut quæ certa. Dein ſi Pontifex tantùm voluiſſet excludere à praxi privilegia dubia, longè aliis debuiſſet verbis exprimere ſuam mentem, apertè declarandô, ſe nolle in praxin deduci privilegia ſolùm probabilia, qua declaratione iterum novam induxiſſet confuſionem. Neque verum eſt; confuſionem ſolùm oriri aut ortam eſſe ex privilegiis fictis aut dubiis; quia & privilegia vivæ vocis certa inducunt perturbationem, eò quòd in ejuſmodi oraculis facillimum locum habeat inconſideratio circumſtantiarum, & veterum conceſſionum, cùm ejuſmodi oracula ſæpè fundantur ſine matura deliberatione, & ſine comparatione ad alia decreta particularia, aut jura particularia. Itaque cùm bonum Eccleſiæ ſummopere exigat revocationem ejuſmodi privilegiorum vivæ vocis, non debet Bullis revocatoriis affingi ſenſus tam illiberalis, ut cenſeatur in iis ſolùm revocari privilegia ficta aut dubia.)

Dico 4tò. *Privilegium* 65
primò per Bullam conceſſum uni Religioni, deinde verò alteri communicatum per oraculum tantùm, non eſt revocatum per dictas revocatorias reſpectu illius Religionis, cui fuit ſolùm per

oraculum communicatum, & conceſſum. (*Adde*; nec hanc concluſionem poſſe admitti, quia ejus falſitas intelligitur ex dictis.) Ita Peyrinis *to. 3. privileg. cap. 12. ad Conſtit. 18. Urbani VIII. in addit.* Rodriquez *to. 1. Q. 8. art. 4. & Q. 55. art. 21.* Confettius. *tit. 1. cap. 5.* Turrianus *p. 2. ſelect. Diſp. 16. dub. 5.* Lezana *to. 2. V. Oracula. n. 8.* Bordonus *Reſol. 31. n. 6.* Donatus. *to. 1. tr. 16. Q. 9.* Petrus ab Angelis *Diſp. 8. ſect. 5.* Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 2. punct. 6. num. 55.* Probatur 1. quia privilegium per Bullam conceſſum uni Religioni, ac poſtea alteri communicatum per oraculum tantùm cenſetur eſſe communicatum ſicut fuerat conceſſum per Bullam; nam communicare uni Religioni privilegium alterius idem eſt, ac id illi concedere, ſicut conceſſum fuerat priori Religioni, unde privilegium taliter communicatum non ſapit naturam oraculi, ſed remanet ùt conceſſum per Bullam; licèt quoad modum concedendi & applicandi ſit ſine ſcriptura, qui quidem modus cùm ſit accidentalis & acceſſorius ad præexiſtens privilegium bullatum tantam vim non habet, ut poſſit illius immutare naturam ac ſtabilitatem; quia modus rei non variat rem vel naturam illius: communicatio autem oretenus facta & ſine ſcriptura conceſſa eſt modus communicandi & extendendi privilegia: ergò &c. Probatur 2. quia privilegium, quod tempore revocationis ſuum jam fuerat effectum ſortitum, non revocatur per dictas Gregorii & Urbani Conſtitutiones, ùt pluribus ſupra concluſ. 1ma. oſtendimus: atqui privilegium per Bullam uni Religioni conceſſum ac poſtea alteri communicatum per vivæ vocis oraculum jam ſuum effectum fuerat ſortitum tempore revocationis, qui fuit, ut privilegium uni Religioni per Bullam conceſſum, faciat alteri proprium per communicationem, atque hoc effectu ſemel ſecuto poteſt communicans non jam virtute oraculi, ſed privilegii communicati per illud tali privilegio uti, ſiquidem neque privilegium in ſe eſt revocatum, neque oraculum prout illud communicavit; quia jam erat ſortitum proprium ſuum effectum, nempe communicationem, antequam revocatoriæ emanarent, & ſic nequit eſſe revocatum, prout reipſa docent Petrus ab Angelis & Andreas à Matre Dei ll. ſupra cit. qui pari modo philoſophandum putant, caſu quo per oraculum confirmarentur aliqua privilegia bullata quavis de cauſa invalida ante revocatorias; quia effectus proprius & unicus talis oraculi fuit revalidare privilegia caſſata: ergò cùm tale oraculum jam ſuum effectum fuerit ſortitum ante revocationes, ſub illis minimè comprehendetur; atque ſic privilegiatus non utitur inpoſterum poteſtate aliquid faciendi vel omittendi ab ipſo oraculo recepta, ſed à privilegio bullato, quod per oraculum revixit;

quod ipſum adhuc magis declarat Petrus ab Angelis n. 4. per oraculum reſtitutum fuit privilegium bullatum ad ſuum priſtinum ſtatum, non tamen conſervatur talis valor privilegii per oraculum, quia non eſt cauſa valoris, niſi tantùm in fieri ſeu in reſtitui: ergò ſemel reſtituto valore, qui fuit proprius effectus oraculi imò & unicus, & hunc habuerit ante revocationem, non eſt unde tale privilegium revocatum maneat, ſi oracula in his, quæ ſortita ſunt ſuum effectum, non ſunt revocata, ùt ſatis conſtat ex dictis. Quæ doctrina benè notanda eſt pro privilegiis nullis aut revocatis, ſed per oracula ante dictas revocationes confirmatis, ùt iterum monet citatus Petrus ab Angelis. (*Adde*; has explicationes admitti non poſſe, jam prius oſtenſum eſt)

66 Dico denique 5tò. *Privilegia per ſimplicem ſignaturam conceſſa non ſunt revocata, nec comprehenduntur in Conſtitutionibus revocatoriis oraculorum.*

Ita Bruno Chaſſaing. *tract. 1. cap. 1. propoſ. 2.* Baſſæus *V. privilegium. 1. n. 8.* Portellus *in dub. Regular. V. viva vocis oracula n. 1.* Bordonus *Reſol. 3. quæſt. 1.* Lezana *V. oracula vivæ vocis. n. 4.* Pellizarius *tr. 8. cap. 1. n. 2.* Petrus de Murga *to. 2. dub. 13. Diſp. 1. n. 141.* & *ad Conſtit. un. Gregorii IX. n. 18.* ac alibi ſæpiùs, & alii communiſſimè, quorum tamen plerique id tanquam certum ſupponunt. Probatur autem: privilegia per ſimplicem ſignaturam conceſſa, ſunt privilegia in ſcriptis conceſſa: ſed privilegia in ſcriptis conceſſa non ſunt revocata, nec comprehenduntur ſub Conſtitutionibus revocatoriis oraculorum: ergo neque privilegia per ſimplicem ſignaturam conceſſa. Minor conſtat ex dictis & ſimul ex eo, quòd iſtæ Conſtitutiones ſint odioſæ, & conſequenter strictè interpretandæ, nec extendendæ ultra verborum proprietatem. Major verò probatur: quia illa privilegia dicuntur eſſe in ſcriptis conceſſa, quibus ſubſcribit Papa; per hoc enim differunt oracula à privilegiis ſcriptis, quòd hæc neceſſariò requirant ſcripturam manu Papæ ſignatam: illa verò nullam talem habent aut requirant: ſed privilegiis per ſimplicem ſignaturam conceſſis ſubſcribit Papa: ergo &c. Id autem tripliciter fit: quando enim S. Pontifex litteras ſuas ſub plumbo expedit, tunc vocantur Bullæ: quando verò eaſdem munit annulo piſcatoris, dicuntur Breve: quando denique alicujus petitioni in ſcriptis oblatæ ſubſcribit ſolùm ſcribendo *Fiat* abſque ſigillo, dicitur ſimplex ſignatura, quæ omnia veniunt nomine Reſcripti.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO V.

De
Amiſſione & ceſſatione privilegiorum.

CUm privilegia non ſolùm amittantur revocatione, ſed pluribus etiam aliis de cauſis amitti contingat, ùt benè notat Gloſſa *in Can. Privilegium 63. cauſ. 11. Q. 3.* hinc poſtquam egimus de revocatione privilegiorum, agendum nunc pariter de eorum amiſſione ac ceſſatione: variis autem ac præcipuè octo modis ceſſare & amitti poſſunt privilegia. 1mò. Lapſu temporis pro quo conceſſa ſunt. *arg. cap. de cauſis. 4. Offic. Judic. deleg.* & *L. quoties 2. de precib. Imper. offerend.* 2dò Pereunte vel deſtructo ipſorum ſubjecto, cui inhærent. *Reg. Jur. in omnibus. 68. ff. de R. J.* & *Reg. privilegium 7. in 6.* 3tiò. Morte concedentis. *cap. ſi cui. 36. de Prabend. in 6.* 4tò. Ceſſante cauſa motiva & finali. *cap. cùm ceſſante. 60. de appellat.* 5tò. Libera renuntiatione privilegiati. *cap. ſi de terra 6. de privileg.* 6tò. Non uſu. *arg. L. Nundinis. 1. C. de Nundin.* 7mò. Per actum contrarium. *cap. cùm acceſſiſſent. de Conſtitut. cap. Si de terra 6. de privil.* & *cap. Accedentibus. 15. eodem.* 8vò. Per abuſum. *Can. ubi iſta 7. diſtinct. 74. Can. Privilegium 63. cauſ. 11. q. 3. cap. tuarum 11. & cap. ut privilegia 24. de privileg.* De quibus omnibus hic nobis tractandum atque inquirendum eſt. 1mò. An & quomodo amittantur & ceſſent privilegia lapſu temporis, interitu rei & morte concedentis? 2dò. An & quænam privilegia amittantur & ceſſent ceſſante cauſa, ob quam conceſſa ſunt. 3tiò. An & qualiter amittantur privilegia per renuntiationem expreſſam? 4tò. An & qualiter amittantur privilegia per non uſum, vel uſum contrarium, aut abuſum? quæ omnia paucis, quantum fieri poterit, expediemus, ſicque toti huic non minùs operoſo, quàm intricato tractatui imponemus finem & coronidem. Unde fit

Sectio

Sectio I.

An & quomodo amittantur & ceſſent privilegia lapſu temporis, interitu ſubjecti, & morte concedentis.

1 DIco 1mo. *Privilegia amittuntur lapſu temporis, pro quo conceſſa ſunt.*

Ratio eſt; quia ſicut privilegia quoad exiſtentiam & eſſe ſuum abſolutum dependent à voluntate concedentis, ita etiam quoad durationem temporis, pro quo conceſſa ſunt: poteſt enim illa vel in perpetuum concedere, vel ad certum tempus *arg. L. quoties 2. de precib. Imperat. offerend.* Tempus porrò durationi privilegii à concedente aſſignari poteſt vel determinatum v. g. ad ſeptennium vel decennium, qualiter concedi ſolent Indulgentiæ: vel indeterminatum v.g ad temp9 vitæ concedentis aut ipſius privilegiati: quomodocunq; autem tempus à concedente definitum fuerit, eo elapſo ceſſat; quando verò privilegium abſolutè conceditur nulla temporis determinatione, nullo etiam temporis lapſu deperditur, ſed ſemper manet, quouſque legitimè revocetur, niſi oppoſitum ex materia privilegii, vel ex aliis circumſtantiis de mente concedentis conſtet. Sicut autem privilegium deperditur lapſu temporis, quo definitum eſt, ita etiam amittitur ceſſante conditione, ſub qua conceſſum eſt; quia tale privilegium virtualiter in ſe continet tempus, non quidẽ certũ & determinatũ ſed indeterminatũ, ita ut tamdiu duret, quamdiu duraverit ipſa conditio, atq; ideò ſublata conditione etiam amittitur privilegium, cùm tunc tempus finitum ſit, pro quo conceſſum eſt. Ita Religioſi gaudent privilegiis ſui Ordinis, quamdiu in eo manent: Clerici in Minoribus conſtituti gaudent privilegio fori & Canonis, quamdiu habitum & tonſuram gerunt; quia hæc ipſis conceſſa ſunt ſub conditione, ſi manſerint in Ordine, ſi gerant tonſuram & habitum clericalem, ùt poſt alios docent Wieſtner *tit. de privil. n. 42.* Reiffenſtuel *ibidem n. 182.* Schmalzgrueber *n. 160.* Auguſtin. Michelius de *privil. punct. 5.* Notandum tamen, quòd conditio appoſita privilegio poſſit ſe tenere vel ex parte conceſſionis, vel ex parte privilegii, vel ex parte uſ9; ſi conditio ſe teneat ex parte conceſſionis, tunc ea ſemel exiſtente privilegium perſeverat, etiamſi illa deinde ceſſet: atque adeò privilegium in fieri tantùm non autem in conſervari dependet à conditione, ut ſi Pontifex Prælato concedat privilegium utendi inſigniis Ponti-

ficalibus, ſi Epiſcopus conſentiat, hoc ſemel conſentiente, poterit iiſdem uti, etiamſi deinde reclamet. Si conditio ſe teneat ex parte privilegii, tunc ea deficiente, corruit quoque privilegium: atque adeò id tam in fieri, quàm in conſervari pendet à conditione; ut ſi Pontifex concedat Canonico exemptionem ab horis canonicis, quamdiu ſtuduerit in Academia, finitis ſtudiis ceſſat exemptio. Si denique conditio ſe teneat ex parte uſûs, tunc deficiente quidem conditione non amittitur privilegium ſecundùm ſe, ſeu ſecundùm facultatem, quam confert; ſed ejus uſus ſuſpenditur, quando conditio non adeſt, atque adeò conditione præſente uti licet privilegio, non item ea abſente. Sic e. g Gregorius XIII. conceſſit Societati JEſu plura privilegia, ea tamen conditione, ut in eorum uſu à P. Generali dependeant Socii, nec iis uti poſſint, niſi quando, quomodo, aut quamdiu ipſe voluerit. Ex his autem

2 Oritur quæſtio: An privilegium abſolutè conceſſum ad aliquid agendum vel omittendum ceſſet unico actu quaſi tempore definito, aut conditione expirante, an verò ad plures ſe extendat? non eſt autem hìc quæſtio de caſu, quo verba privilegii ſunt clara, ſed quo ſunt ambigua; nam ſi clara ſunt verba concedentis de unico actu aut de pluribus, tunc certum eſt, quòd in primo caſu privilegium vel gratia unico actu finiatur: & in altero ad plures ſe extendat. Loquendo igitur in caſu, quo verba ſunt ambigua, dupplex eſt potiſſimùm Authorum ſententia, prima tenet abſolutè privilegium ſeu gratiam non finiri unico actu per ſe loquendo, niſi ceſſet omninò cauſa, ob quam fuit conceſſum. 2da. diſtinguit & concedit eo caſu privilegium aut gratiam finiri unico actu in odioſis, non autem favorabilibus. 3tiam. ingreditur viam Palao *tr. 3. D. 4. punct. 14. n. 7.* qui putat totam privilegii perſeverantiam & hujus dubii deciſionem pendere ex intentione, qua fuit conceſſum. Inter varias haſce ſententias

Dico 2do. *Privilegium aut gratia abſolutè facta per ſe loquendo non finitur unico actu ſed ad plures regulariter ſe extendit.* 3

Ita Suarez *L. 8. de Leg. cap. 29. n. 8.* Bonacina *D. 1. quæſt. 3. punct. 8. §. 2. n. 2.* Sanchez *L. 8. de matrim. D. 31. n. 8.* Baſſæus *V. privilegium 3. n. 7.* Salas *D. 20. de Leg. Sect. 19. n. 127.* Andreas à Matre Dei *tr. 11. de Leg. cap. 5. num. 94.* & *tr. 18. de Privil. cap 2. n. 4.* Auguſtin. Michelius *to. 1. de Privil. punct. 5. n. 3. & 4.* Ratio eſt: tum quia quando privilegium aut gratia pro unico ſolùm actu conceditur, id exprimi ſolet dicendo: *pro hac tantùm vice, ſemel in*

in vita, vel *in morte*: ergo quando non apponuntur dictæ limitationes, & privilegium abſolutè & absque limitatione conceditur, pro omnibus actibus conceſſum cenſeri debet: tum quia licèt privilegia odioſa ſtrictam interpretationem recipiant, non tamen ultra verborum proprietatem ac ſubjectam materiam reſtringenda ſunt: ſi ergo privilegium aliquod abſolutè concedatur per verba, quæ ſecundùm communem ſignificationem plures actus ſignificare poſſunt, ultra verborum proprietatem fieret reſtrictio; conſequenter foret nimia, ſi ad unicum actum coarctaretur. Atque hinc inferunt citati Authores, illegitimum abſolutè diſpenſatum ad beneficium, poſſe illo dimiſſo accipere ſecundum; quia illa diſpenſatio abſoluta habilitat illegitimum ſimpliciter ad beneficium, unde cùm non amplius ſit inhabilis, poterit ab uno tranſire ad alterum. Sic etiam ligatus voto caſtitatis, ſi ob periculum incontinentiæ diſpenſetur ad contrahendum matrimonium, poteſt etiam ſecundum inire; ſicque diſpenſatus abſolutè ad non jejunandum, ad veſcendum carnibus tempore jejunii, ad non recitandum Officium divinum &c. cenſetur diſpenſatus non pro uno tantùm aut altero caſu, ſed pro omnibus caſibus & tamdiu, quamdiu durat cauſa diſpenſationis. Sed hæc demum omnia ſic intelligenda ſunt, niſi ex circumſtantiis colligatur, privilegium aut diſpenſationem concedi tantùm pro caſu determinato: ut ſi habens votum caſtitatis diſpenſetur ad ducendam fœminam, quæ ab illo paſſa eſt virginitatis jacturam, vel ad legitimandam prolem, aut reparandum honorem fœminæ læſæ, hac mortua nequit ad ſecundas tranſire nuptias, quia ceſſat ratio motiva diſpenſationis, & ex circumſtantiis facilè colligi poteſt, quòd diſpenſatio ſe tantùm ad hunc determinatum caſum extendat. Idem eſt, quando ex ſtylo & uſu communi vel acceptatione Doctorum privilegiū aut diſpenſatio cum limitatione ad caſum particularem cenſetur concedi, ut ſi petas diſpenſationem ad contrahendum cum conſanguinea, tantùm de una intelligendum eſt, quâ mortuâ non poteris cum alia contrahere, ut habet Andreas à Matre Dei *de privil. cap. 2. n. 4.* qui *tr. 11. de leg. cap. 5.* alia ejusmodi exempla adducit. Qua in re optimum erit, ſi attendatur ad motivum ſeu cauſam finalem conceſſionis; ſi enim hæc eſt communis pluribus actibus, uti in exemplo poſito periculum incontinentiæ pugnat pro matrimonio non tantùm una ſed pluribus vicibus contrahendo, erit extendenda diſpenſatio ad plures actus, præſertim perſeverante eadem cauſa. Si verò cauſa finalis ſit ſpecialis & accommodata tantùm uni materiæ & actui, v. g. ut ducatur in matrimonium ea, quæ fuit deflorata, aut aliàs famæ jacturam pateretur, non erit extendenda, ſed finietur unico

Digitized by Google

actu, ùt benè advertit Aug Michelius l. c. & re ipſa ſentit Caſtropalao loco pariter ſupra citato.

4 Dico 3tiò. *Privilegia amittuntur interitu ſubjecti, cui inhærent: & ſic extinctâ perſonâ amittuntur privilegia perſonalia: & realia pereunte re.*

Ita communis, & ratio univerſim eſt; quia privilegia omnem ſuam vim habent à voluntate concedentis; ergò ſi hæc eſt limitata ad certum ſubjectum, ultra non poteſt, nec debet extendi, unde nec ulterius durare poteſt, quàm duret ipſum ſubjectum, cui privilegia conceſſa ſunt. Atque ſic privilegia perſonalia extinguuntur cum perſona, quia cohærent perſonæ eamque ſequuntur juxta *Reg. Jur. 68. ff. & Reg. privilegium 7. de R. J. in 6.* ibi: *privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona*, ac proinde ad hæredes & ſucceſſores non tranſeunt; *nam deſtructis nobis, deſtruuntur ea, quæ ſunt in nobis. R. J. 196. ff.* Sic etiam privilegia realia cū ipſa re intereunt; quia ſicut privilegia perſonalia adhærent perſonæ, ita realia adhærent rei, & hinc ea intereunte, neceſſe eſt ut & ipſa privilegia intereant; ubi tamen notandum 1mò. quòd quædam ſubjecta ſint moraliter perpetua, ùt ſunt communitates perpetua ſucceſſione durantes, quales ſunt civitates, Academiæ, Monaſteria, Collegia, item officia & dignitates perpetua ſubſtitutione continuari ſolitæ, uti ſunt Epiſcopatus, Conſulatus, quæ omnia cùm nunquam intereant, etiam eorum privilegia ex hoc capite nunquam pereunt. Et ſi quando Superioris auctoritate Eccleſia, Monaſteria, Academia, civitas transferatur de loco aliquo ad alium, etiam ipſa privilegia cum illis transferuntur *Can. & temporis 48. & Can. ſeq. cauſa 16. Q. 1. cap. quia Monaſterium 2. de Religioſ. domib.* & Gloſſ. *in cap. privilegium 7. de R. J. in 6.* Idem dicendum, ſi privilegia ædificiis conceſſa ſunt non ratione ſitûs in tali ſolo, ſed ratione tituli transferibilis, v. g. quia eſt Eccleſia cathedralis aut parochialis, tunc iis deſtructis, & alibi ſub eodem titulo reædificatis eadem cum iis privilegia ad alium locū tranſeunt. 2dò. Privilegia conceſſa alicui ædificio v. g. Eccleſiæ vel Monaſterio iis deſtructis non pereunt, ſed manent in fundo non quidem actu, ſed tamen potentia, quamdiu nempe manet animus reædificandi, qualis remanere præſumitur in caſibus fortuitis incendiorum, inundationum, incurſionum hoſtilium, aut alia caſuali deſtructione, atque ſic per deſtructionem ædificii ſuſpenditur quidem uſus privilegii, reviviſcit tamen iterum eo reparato. *arg. L. cum loca. 36. ff. de Religioſ. & ſumptib. funer.* ſic indulgentiæ conceſſæ alicui Eccleſiæ ea deſtructa manebunt quidem

dem potentia in fundo, at ea reſtaurata reviviſcent: ſicuti etiam privilegia dignitatum vacante officio manent vel actu in Capitulo aut Vicariis, vel potentia in electoribus & confirmatoribus. *Can. Paſtoralis. 42. cauſ. 7. Q. 1. cap. Monaſterium 2. de religioſ. domib.* Quod ſi fundus ſit capax talis gratiæ, ùt eſſe ſacrum, eſſe extra commercium hominum &c. actu manebit in fundo. Si verò locus deſtructus fuerit per habentem poteſtatem ſine ſpe reædificationis, tunc cùm re deſtructa etiam ipſum amittitur privilegium, cùm ejus tollatur fundamentum. Auguſtinus Michelius *l. c. n. 31.* Anacletus Reiffenſtuel *tit. de privil. n. 171. & ſeqq.* (*Adde*; hanc regulam fallere circa indulgentias ad determinatum Altare conceſſas, v. g. ad Altare privilegiatum vel confraternitatis, vel Eccleſiæ, ſi ſimul deſtruantur, docent graves authores. V. la Croix. l. 6. p. 2. n. 1383. Ex decretis tamen S. Cong. indulg. à me editis colligitur, non eſſe praxis recurrendi ad S. Cong. in mutatione altarium, bene autem in translatione aut nova ædificatione oratoriorum & Eccleſiarum, prout patet ex decreto 1712. 18. Jul. n. 6. & 1732. 16. Febr. Quamvis & iſte recurſus fortè non fuiſſet neceſſarius.)

5 Verùm haud levis difficultas hic eſt, an, ſicut privilegium ceſſat interitu rei, aut morte privilegiati, ita pariter ceſſet morte concedentis? pro cujus deciſione ſciendum ac benè notandum, quid ſit *rem eſſe integram, & eſſe inceptam*: & quid ſit, *gratia facta & facienda*, & quid *reſcriptum gratiæ, ac Juſtitiæ*? Reſcriptum gratiæ & Juſtitiæ diſcriminantur ex diverſitate & qualitate actuum, ad quos datur reſcriptum: & hinc quando reſcriptum datur ad actus gratioſos, v. g. ad diſpenſandum vel abſolvendum, dicitur reſcriptum gratiæ: quando verò datur ad actus Juſtitiæ vel civilis vel criminalis exercendos, dicitur reſcriptum Juſtitiæ. In reſcripto Juſtitiæ, quando judex incœpit uti jurisdictione ſibi data, dicitur *res incapta*. In Reſcripto gratiæ tunc Jurisdictio dicitur cœpta, quando incipit uſus illius: hic autem incipit vel quando fit vocatio juridica partis, cum qua v. g. eſt diſpenſandum, vel ſumuntur legitimæ informationes de veritate cauſæ, vel quid ſimile fiat, quo indicatur quòd ſit uſus authoritate reſcripti, per quod res intelligitur eſſe cœpta, & non amplius integra. Per præſentationem tamen reſcripti *res cœpta* non dicitur ſed manet integra, quia talis præſentatio non eſt proprié uſus jurisdictionis, ſed eſt diſpoſitio ad talem uſum. Gratia facta dicitur illa, quando alicui immediatè conceditur gratia indepedenter ab alio, ùt ſi Papa tibi immediate concedat poteſtatem indefinité abſolvendi alios, aut iis diſpenſandi, legendi libros hæreticos, providendi de perſonis idoneis ad beneficia vacatura, & hæc eſt propriiſſimè gra-

tia facta; nam etiam illa dicitur gratia facta, quando abſolutè conceditur in favorem alterius licèt per aliū exequenda, modo tamen iſte teneatur eam exequi ſuppoſita precum vel cauſæ veritate. Gratia facienda dicitur illa, quando gratia non immediatè fit alicui à Papa vel Principe, ſed committitur alteri exequenda data illi facultate pro libitu eam concedendi, aut diſpenſandi in aliquo caſu; eo ipſo enim, quòd relinquatur arbitrio diſpenſantis, velitne illam impendere, nullum eſt alteri Jus quæſitum ad diſpenſationem, & ſic non eſt ei facta gratia: at cùm tenetur diſpenſator ea uti diſpenſandi facultate, tum jam eſt gratia facta, cùm jam acquiſierit Jus ad rem, & alter teneatur illi gratiam impendere; quæ omnia habentur *in cap. ſi cui nulla 36. de Prabend. in 6.* & pluribus explicant Nicolaus Garzias *6. part. de Benefic cap. 2. §. 2. à n. 304.* Sanch. *L. 8. de matrim. Diſp. 28. n. 87.* Bonacina *Diſp. 1. quaſt. 3. punct. 8. §. 1. n. 23. & 24.* ac Andreas à Matre Dei *de privil. cap. 1. n. 144.* Suppoſita hac terminorum acceptione

6 Dico 4to. *Privilegium ſive gratia abſolutè & ſine reſtrictione facta non expirat morte concedentis.*

Ita Guttierez *L. 3. quaſt. Canon. cap. 15. n. 24. & L. 3. cap. 17. init.* Suarez *L. 8. de Leg. cap. 31. n. 1.* Layman *L. 1. tr. 4. cap. 23. n. 18.* Sanchez *L. 8. de matrim. Diſp. 28. n. 64.* Bonacina *Diſp. 1. q. 3. punct. 8. §. 1. n. 19.* Vallenſ. *tit. de privil. §. 1. n. 4.* Pirrhing. *ad eundem n. 171.* Reiffenſtuel *ibidem n. 167.* & alii. ſumitúrque *ex cap. ſi ſuper 9. de offic. delegati in 6.* & *cap. ſi cui 36. de Prabend. in 6.* ex quibus deducitur tanquam generalis regula, quòd gratia ſemel ritè obtenta non ceſſet, nec finiatur morte concedentis: ſed privilegium eſt quædam gratia, cùm contineat favorem illius cui conceditur: ergò non expirat morte concedentis. Accedit, quòd privilegium ſit quædam liberalis donatio Principis, quam decet eſſe perpetuam: atqui donatio ſemel facta abſolutè, non expirat morte donantis: ergò neque privilegium morte concedentis, præſertim cùm juxta R. J. 16. in 6. privilegium ac beneficium Principis deceat eſſe manſurum. Idque procedit non tantùm in privilegio favorabili, ſed etiam in odioſo, per quod derogatur Juri communi, aut præjudicatur Juri alterius privati; cùm enim Jura abſolutè loquantur de gratia, nec diſtinguant inter privilegia favorabilia, & odioſa, non eſt, cur nos diſtinguamus ac reſtringamus ad privilegia tantùm favorabilia. Dixi tamen: *Gratia abſolutè & ſine reſtrictione facta*; ſi enim limitetur ad certum tempus v. g. quamdiu vixero, ad dies vitæ meæ, expirat utique morte concedentis lapſu temporis definito, & tanquam conditione, ſub qua conceſſum eſt pri-

vile-

Digitized by Google

vilegium, adimpletâ. Aliud dicendum, ſi privilegium concedatur ſub bis terminis: *donec revocavero*; quia ut privilegium taliter conceſſũ ceſſet, requiritur actus poſitivus revocationis, quem non habuiſſe ante mortem ſupponimus, & poſt illam habere non poterit, atque ſic poſt illam adhuc permanet in ſuo vigore. Sic quoque ſi privilegium expediatur cum clauſula: *ad beneplacitum ſedis Apoſtolicæ*, perdurabit pariter privilegium etiam poſt mortem concedentis; cùm enim ſedes Apoſtolica ſemper duret, nec unquam moriatur, & ipſum privilegium ſemper durabit, niſi expreſsè revocetur. Major difficultas eſt, ſi addatur clauſula: *uſque ad beneplacitum noſtrum, donec voluero, quouſque noſtra fuerit voluntas,* an etiã tunc perduret nec expiret morte concedentis? in quã communior quidem ſententia tenet, quòd expiret morte concedentis; quia hæc verba videntur ſignificare, quòd privilegium tamdiu perſeveret, quamdiu perſeverat poſitiva voluntas concedentis: ſed hæc cum vita expirat: ergò etiam privilegium. Verùm mihi admodùm probabile videtur, quòd per ejuſmodi clauſulam non expiret privilegium morte concedentis; tum quia ex communi modo loquendi videtur talis clauſula æquivalere illi clauſulæ, *donec revocavero*, ſeu *aliter ordinavero*, videtur enim eadem eſſe ac durare voluntas, quamdiu aliter non ordinatur: tum quia ùt vult Layman *in cap. 5. fin. de reſcript. in 6.* Princeps concedens privilegium per illam clauſulam: *ad beneplacitum noſtrum*, ſolùm cavére vult, ne privilegium tranſeat in pactum aut contractum, & per talem conceſſionem aliquam ſibi aut ſucceſſoribus ſuis obligationem imponat, ſed liberam reſervet privilegium revocandi poteſtatem: unde Gaillius *L. 2. obſ. 60. n. 16.* Palao *tr. 3. D. 4. punct. 16. §. 5. n. 5.* Layman. *loc. cit.* Pirrhing *ad tit. de privil. n.* 172. teſtantur, uſu hodie receptum eſſe, ut privilegia etiam illa, quæ Princeps ad beneplacitum ſuum conceſſit, morte concedentis non extinguantur.

Ex ſtatuta taliter & explicata conclusione infertur 1mò. licentiam conceſſam Sacerdoti ab Epiſcopo vel S. Pontifice audiendi confeſſiones, abſolvendi à caſibus reſervatis, diſpenſandi in votis, irregularitatibus, impedimentis, non expirare morte concedentis; quia eſt gratia abſolutè & ſine reſtrictione facta ipſi Sacerdoti: Gratia autem taliter alicui abſolutè & ſine reſtrictione facta, non expirat morte concedentis: ergò &c. Neque dicas: juriſdictio delegata expirat morte concedentis: ſed talis poteſtas abſolvendi aut diſpenſandi eſt juriſdictio delegata; ergo expirat morte concedentis ℞. enim diſtinguendo majorẽ: juriſdictio delegata in materia ac reſcriptis Juſtitiæ expirat morte concedentis C. etiam in reſcriptis gratiæ N. maj. ſolùm enim in materia juſtitiæ juriſdictio delegata expirat morte concedentis, eò quòd ita ſpecia- 7

cia-

cialiter in Jure deciſum habetur *cap. Relatum 19. cap. gratum 20.* & *cap. Licet 30. de offic. deleg.* ſi res ſit integra: nil tale conſtitutum eſt à Jure quoad reſcripta gratiæ & privilegia, ad quæ proin extendi non debet prior illa deciſio Juris. Infertur 2dò. facultatem Paulo conceſſam v. g. per Bullam, aut Jubilæum aliasque indulgentias eligendi Confeſſarium ſive determinatum ſive indeterminatum, ut illum abſolvat à reſervatis, vel diſpenſet cum eo in votis, irregularitatibus &c. non expirare morte concedentis, re etiam adhuc integra, id eſt, antequam privilegiatus cœperit uti privilegio, Jubilæo &c. quia omnes iſtæ gratiæ jam ſunt factæ Paulo, & ſunt beneficia ab eo jam poſſeſſa, quæ morte concedentis non expirant. 3tio. Neque facultatem recipiendi Ordines extra tempora, vel non ſervatis interſtitiis: celebrandi & audiendi Miſſam in oratorio privato, comedendi carnes diebus prohibitis, & alias ſimiles non expirare morte concedentis, ob eandem rationem. 4tò. Neque diſpenſationes in impedimentis matrimonii à delegato faciendæ, quæ à S. Pontifice committuntur cum clauſula, ſi preces veritate nitantur; quia eſt gratia facta, & delegatus eſt executor neceſſarius, neque executio gratiæ dependet ab illius arbitrio ſuppoſita veritate cauſæ. 5tò. Deniq; nec ceſſat privilegiũ ante mortem concedentis nondum acceptatum ab eo, cujus favore conceſſum erat, ſed poteſt poſt mortem illius acceptari à privilegiato, quia ex parte concedentis jam eſt gratia facta, ac privilegium conceſſum. Qui & plures alii hanc in rem caſus videri poſſunt apud Palaum *to. 1. tr. 3. de leg. Diſp. 4. punct. 16. §. 4.* Andream à Matre Dei. *cap. 1. à n. 144.* & alios præſertim ſupra citatos. Ex quibus denique omnibus ſequitur, quòd cùm omnia privilegia, gratiæ, & conceſſiones Ordinibus religioſis factæ, ſint gratiæ in illorum favorem unicè factæ, nulla ex illis expiret morte concedentis, ùt teſte Andrea à Matre Dei tenent omnes.

Dico 5tò. *Privilegium* 8
ſeu gratia primùm facienda, re adhuc integra, expirat morte concedentis. Ita rurſus communis Doctorum, & deſumitur *ex cap. ſi cui nulla. 36. de præbend. in 6.* Ratio eſt; quia tunc S. Pontifex nihil adhuc conceſſit, ſed tantùm poteſtatem dedit concedendi: igitur mirum non eſt, quòd re integra talis gratia primùm facienda morte concedentis expiret. Atque hinc ſi detur Petro indultum, ut abſolvat determinatas quaſdam perſonas aut cum eis diſpenſet in illarum favorem & gratiam, hæc conceſſio expirat morte concedentis, ſi res ſit adhuc integra, quia eſt gratia facienda, non facta; gratia autem facienda expirat morte concedentis re integra, ùt cum Sanchez,

chez, Garcia, Baſſæo, Bonacina docet Andreas à Matre Dei *n. 145.* qui tamen etiam probabile putat, gratiam illam eſſe conceſſam in favorem Confeſſarii, & ſic eſſe gratiam factam, ac proinde non expirare morte concedentis, eò quod ipſe ut magis idoneus electus ſit ad illam diſpenſationem concedendam, & ſic tuta conſcientia eam poſſe impendere poſt mortem concedentis tenent Suarez *cap. 31. n. 18. ad fin.* Baſil. Pontius *L. 8. cap. 19. §. 1. n. 5. & 8.* Salas *Diſp. 20. S. 17. in fin.* Palao *l. c. §. 4. n. 5.* & alii. Dixi tamen: *re adhuc integra*; nam ſi jam cœpta ſit, non expirat morte concedentis, ùt habetur expreſsè *cap. Si ſuper gratia. 9. de offic. deleg. in 6.* & *cap. ſi cui nulla 36. de præbend. in 6.*

9 Dico 6tò. *Reſcriptum Juſtitiæ ſeu jurisdictio delegata in materia Juſtitiæ expirat morte concedentis tam civili quàm naturali, ſi res adhuc ſit integra, ſecus verò ſi non amplius ſit integra, ſed jam incœpta.*

Deſumitur *ex cap. Relatum 19. cap. gratiam 20. de offic. delegat. cap. licèt 30. eodem.* & *cap. ſi cui nulla 36. de præbend. in 6.* concordat Jus civile *L. & quia 6. ff. de jurisdict.* Ratio eſt: tum quia univerſim mandatum morte mandâtis expirat, ſi res ſit integra *L. mandatum 15. ff. mandat.* tum quia licèt per reſcriptum delegatus jurisdictionem acquirat, non tamen radicatur in illa, uſque dum ea cœperit uti: ergò pereunte in delegante jurisdictione, eadem etiam perit in delegato, niſi adſit communis error & ignorantia tam in populo, quam in delegato; nam communis error & ignorantia ceſſatæ jurisdictionis ſufficit, ut geſta delegati valeant, cùm in eo præſupponatur titulus coloratus *ex L. Barbarius ff. de offic. Prætor.* Andreas à Matre Dei *n. 142.* Bonacina *D. 1. q. 3. punct. 8. §. 1. n. 24. & 30.* Baſil. Pontius *L. 9. de matr. cap. 24. n. 2.* Ut autem res dici poſſit non amplius integra, ſed jam incœpta, ſufficit ſi delegatus aſſignaverit locum judicii, nominaverit Notarium, litteras redegerit in forma publica, aut expedierit decretum citationis; quia tunc jurisdictio integra non eſt, ſed potiùs cœpta. *cap. licèt undique 30. de offic. delegat.* & *cap. ſi delegatus 7. eodem in 6.* Et hoc etiam ante citationem; quia licèt citatio ſit primus actus judicii, non tamen jurisdictionis, cùm ante illam pluries exerceri poſſit jurisdictio, ùt ex Bonacina *D. 1. q. 3. punct. 8. §. 1. n. 22.* & Sylveſtro *V. Delegatus. quæſt. 6.* obſervat Andreas à Matre Dei *n. 140.* & colligitur *ex cap. quamvis 6. de offic. deleg. in 6.* quam ſententiam, licèt Sanchez *l. 8. de matr. D. 28. n. 8.* valde probabilem dicat, ſequitur tamen oppoſitam, vúltque

rem ante citationem adhuc integram dici debere & primùm à citatione eſſe cœptam, ùt patere videtur *ex cap. Quoniam 11. de Probat.* ubi inter actus judiciales primus ponitur citatio, & *cap. gratum 20. de offic. delegat.* ubi Urbanus III. ut negotium intelligatur quaſi cœptum, requirit partem eſſe citatam, ibi: Nos autem taliter reſpondemus, quod cùm in caſu citatione facta negotium ſit quaſi cœptum. & *cap. Relatum 19.* eodem Lucius III. omninò requirit, ut lis ſit conteſtata: éſtque hæc ſententia communior inter DD. eámque defendunt Molina *tr. 5. D. 19. n. 12.* Donatus *t. 1. tr. 12. q. 5.* aliique, & in praxi ſequendam eſſe monet Palao *tr. 3. Diſp. 4. punct. 16. n. 4.* Ratio eſt; quia actus citationem antecedentes non ſunt actus judiciales, cùm etiam extra territorium Judicis Ordinarii & Delegati ac ſine cauſæ cognitione exerceri poſſint: igitur per hujusmodi actus nondum cenſeri poteſt judicium cœptum: hoc autem requiritur, ut res cenſeatur non ampliùs eſſe integra: ergò &c. ad oppoſitæ ſententiæ fundamentum ℞dent, quòd tunc ſolùm Delegatus cenſeatur uſus jurisdictione ſibi commiſſa, quando exercuit actum intrinſecum & ſubſtantialem Judicii, cujusmodi eſt citatio, non verò quando ſolùm exercuit actum jurisdictionis extrinſecum & accidentalem, quales ſunt actus citationem antecedentes, qui proinde non poſſunt propriè dici actus jurisdictionis, neque hanc eſſe exercitam ante citationem; quin imò nequidem ſufficit in hac ſententia, quòd citatio facta ſit à Judice, ſed debet etiam eſſe parti intimata; quia dici non poteſt partem eſſe citatam, per hoc quòd Judex jubeat eam citari.

Sectio II.

An & quænam privilegia amittantur & ceſſent ceſſante cauſa, ob quam conceſſa ſunt.

10 CEſſare privilegia causâ ceſſante conſtat *ex cap. cùm ceſſante. 60. de Appellat.* at quænam & ex qua cauſa, quæſtio eſt non minùs utilis quoad praxin, quàm difficilis quoad applicationem, pro cujus faciliori reſolutione ſciendum, cauſam eſſe poſſe aut finalem aut impulſivam. Cauſa finalis dicitur illa, quæ ita movet Principem ad concedendum privilegium, ut ea non exiſtente non concederet. Impulſiva eſt, quæ quidem etiam movet Principem ad concedendum privilegium, ita tamen, ut ea non exiſtente, tamen concederet, licèt non tam facilè. Cauſa finalis ceſſare poteſt vel contrariè vel negativè; contrariè ceſ-

ceſſare dicitur tunc, quando privilegii uſus propter materiæ vel circumſtantiarum mutationem factus eſt iniquus aut injuſtus, ita ut verè incipiat cedere in grave detrimentum aliorum aut ipſius etiam privilegiati vel communitatis; negativè ceſſat cauſa finalis, quando non exiſtit quidem amplius concedendi ratio, privilegii tamen conceſſi uſus iniquus non eſt aut inhoneſtus; rurſus cauſa finalis quandoque exiſtit integra tunc, quando conceditur privilegium, quandoque verò tractum habet ſucceſſivum: ſicut etiam alia ſunt privilegia, quæ unico actu conſummantur, alia verò, quæ plures habent actus ſucceſſivos, ſive tractum ſucceſſivum. Hac terminorum notitia præſuppoſita examinandum hic eſt primò: An privilegia favorabilia ceſſent ceſſante cauſa finali? 2dò. An odioſa & necdum ad effectum ſuum deducta? 3tiò. An ea, quæ unico actu conſummantur, ceſſent eo ſemel conſummato? 4tò. An privilegia, quæ tractum habent ſucceſſivum, ceſſent cauſa finali contrariè, vel negativè ceſſante? 5tò. An privilegia, quorum cauſa finalis tractum habet ſucceſſivum, ceſſent ceſſante cauſa finali? 6tò. An ea etiam, quorum cauſa finalis exiſtit integra tempore conceſſionis, ceſſent ea ceſſante?

11 Dico 1mò. *Privilegia, quæ merum favorem continent, non ceſſant etiam ceſſante ex integro cauſa finali.* Ita communis Theologorum & Juriſtarum, & probatur: ad concedenda privilegia gratioſa, & quæ merum favorem continent, nulla requiritur cauſa, vel ſi aliqua requiritur, ea tantùm requiritur, ut honeſtè, licitè, & prudenter concedantur: ergò multominùs requiritur aliqua cauſa ad illa conſervanda: ſed ſi nulla requiritur cauſa ad conſervanda privilegia merè gratioſa, neque ceſſant etiam ceſſante ex integro cauſa finali, ſicque ſemper durant, quoadusque revocentur, aut eorum uſus mutatis circumſtantiis reddatur illicitus; decet enim conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum, ùt habet Regula Juris 16. in 6.

Dico 2dò. *Privilegia odioſa necdum ad effectum ſuum deducta ceſſant ceſſante cauſa finali ac totali.* 12 Deſumitur *ex cap. cùm ceſſante. 60. de Appellat.* & docet Abbas *in cap. ſuggeſtum. 9. de Decimis.* Tiraquell. *in tract. ceſſant. cauſ. limit. 23.* Menochius *L. 4. Præſumpt. 189. n. 196. & 197.* Suarez *L. 8. de LL. cap. 30.* Sanchez *L. 8. de matr. Diſp. 30. n. 8. & 9* Palao *tr. 3 D. 4. punct. 15.* Schmalzgrueber *de privil n. 167.* ac pluribus aliis citatis Bonacina *to. 2. de LL. D. 1. Q. 2. de diſpenſ. §. 1.* Ratio eſt; quia privilegia tam in eſſe, quàm in conſervari dependent à voluntate & intentione concedentis: ſed

hæc ceſſat ceſſante cauſa finali ac totali, quando privilegium nondum integrè conceſſum eſt, nec ad effectum ſuum deductum: ergò ceſſat ceſſante cauſa finali ac totali. Dixi tamen 1. *ceſſante cauſa finali*; nam ſi tantùm ſit cauſa impulſiva, ea ceſſante non ceſſat privilegium etiam odioſum; hæc enim ſicut à principio non dat gratiam, ſed tantùm facilitat, ut nempe detur faciliùs, ita licèt ea poſtea ceſſet, non vitiat conceſſum. Dixi 2. *ceſſante cauſa totali*; nam ſi cauſa finalis non ceſſet totaliter, ſed tantùm ex parte, aut ſi una ſolà tantùm ex duabus vel etiam pluribus cauſis ſimul & copulativè allegatis ceſſet, non tamen ceſſabit privilegium, modò cauſa illa, quæ ſubſiſtit, ad concedendum privilegium ſit adhuc finalis, & altera, quæ ceſſavit, non ſit finalis unica; quia quando duæ vel plures cauſæ principales referuntur copulativè, quarum ſingulæ ſufficiunt ad movendum principaliter Principem, ut concedat privilegium, disjunctivè intelligendæ ſunt *arg. L. ſæpè 53. in princ. ff. de V. S.* at quando disjunctivè referuntur duæ vel plures cauſæ, ſufficit alterutram ſubſiſtere: ergò &c.

13 Dico 3tiò. *Privilegia etiam odioſa, quæ unico actu conſummantur, eo ſemel conſummato non ceſſant quoad effectum, etiam ceſſante poſtea cauſa finali, ac totali.*

Ita præter Authores ſuperiori concluſione citatos Guttierez *QQ. Canonic. L. 2. cap. 15.* Donatus. *to. 1. tr. 12. q. 16. n 5.* Pirrhing, *ad tit. de Privil. n. 169.* Reiffenſtuel. *ad eundem n. 186.* Schmalzgr. *n. 168.* ſumitùrque ex R. J. 73. in 6. ubi dicitur: factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari. Ex quo ſequitur: quòd ſi cùm irregulari diſpenſetur ad SS. Ordines ſuſcipiendos, aut ad obtinendum beneficium ob illius paupertatem, poſſit deinde ſuſceptis Ordinibus uti ac obtentum retinere beneficium, etſi poſtea quocunque demùm caſu dives evadat; quia privilegium jam habuit ſuum integrum ac conſummatum effectum; atque ſic etiam ob eandem rationem, ſi quis in voto caſtitatis obtinuerit diſpenſationem ad contrahendum matrimonium ob graves quas patitur tentationes, licèt illæ deinde poſt contractum matrimonium ceſſent, licitè tamen utitur matrimonio.

Dico 4tò. *Privilegia, quæ tractum habent ſucceſſivum, ceſſant, cauſa finali contrariè ceſſante: non item, ſi cauſa finalis ceſſet tantùm negativè.* 14

Pars

Pars 1ma habetur ex *cap. Cùm ad hoc. 16. de Cleric. non reſident. cap. ſubjectum. 9. de Decimis. cap. quanto. 16. de Cenſib. cap. quid per Novale 21. fin. de V. S.* & ex *L. ex facto. 16. pr. de vulg. & pupill. ſubſtit.* eámque tenent DD. communiſſimè. Probatur autem; privilegium de re illicita conceſſum, eſt nullum: ſed privilegium habens tractum ſucceſſivum, cujus cauſa finalis ceſſat contrariè, eſt de re illicita, ùt patet ex notione terminorum; tunc enim contrariè ceſſare dicitur cauſa finalis, quando ob materiæ & circumſtantiarum mutationem uſus privilegii factus eſt injuſtus, iniquus aut pernitioſus aliis vel communitati: ergò tale privilegium nullum eſt: & certè ſi conceſſio privilegii illicita eſt, nonminùs erit illicitus illius uſus, cùm nulla dari poſſit poteſtas ad agendum malum: unde ſicut ceſſat lex ceſſante cauſa per contrarietatem, ita quoque ceſſat privilegium, quod pariter eſt quædam lex, tantóque mutabilior, quantò minùs communis; & ſic privilegium non reſidendi in Eccleſia beneficii amittunt Canonici ac Clerici beneficiati, ſi Eccleſia ex eorum abſentia defectum pateretur Miniſtrorum, poſsúntque nolentes redire ad id per ſubtractionem proventuum cogi, ùt ſtatuitur *cap. 16. de Cleric. non reſident.* ſimiliter amittitur ac ceſſat privilegium colligendi decimas ex diſtrictu alterius Eccleſiæ, quæ tempore conceſſionis abundabat quidem redditibus, mutatis tamen ſubinde rebus ipſamet neceſſariis deſtituitur proventibus, ùt habetur *cap. 9. de decimis.* Nec abſimilis eſt caſus, qui *cap. 21. de V. S.* de decimis Novalium, atque etiam de procurationibus faciendis refertur *cap. 16. de Cenſib.*

Pars altera, quòd privilegium 15
habens tractum ſucceſſivum, non ceſſet, etſi ceſſet cauſa privilegii finalis ac totalis ſolùm negativè, quando nempe cauſa, quæ induxit S. Pontificem ad concedendum privilegium non ampliùs quidem ſubſiſtit, uſus tamen privilegii non redditur injuſtus aut iniquus, nec opponitur alicui virtuti, conſtat ex eo, quia in tali caſu, etſi ceſſet cauſa finalis conceſſionis negativè, non ideò privilegium ſit injuſtum aut iniquum, cùm illius uſus ſit juſtus, licitus, & utilis ad multa, ùt docet Granado *1. 2. Controv. 7. de LL. D. 17. tract. 3. S. 4.* Pellizarius *q. 5. num. 94. & 95.* Suarez *l. c. n. 7.* Petrus ab Angelis *D. 3. S. 3. n. 5.* & alii communiter; hinc autem ſequitur, quòd ſi Monaſterio à prima fundatione ob inopiam conceſſum erat privilegium decimas colligendi in certis Parochiis, aut exemptionis à ſolvendis decimis in propriis agris, non propterea expiret aut ceſſet privilegium, eò quòd cum tempore Monaſterium auctum ſit facultatibus; ſic pariter ſequitur, Clericum diſpenſatum ad plura beneficia obtinenda, quorum nullum ſufficientes ad ſuſtentationem præbet redditus, poſſe illa licitè retine-

tinere, licèt ſucceſſu temporis meliorata, ſuſtentationem congruam ſingula præbeant.

16 Dico 5tò. *Privilegia, quorum cauſa finalis tractum habet ſucceſſivum, ceſſant ceſſante cauſa finali.* Ita reipſa communis Authorum, quamvis in modo loquendi non conveniant. Deducitur ex diverſis Juris Canonici decretis, in quibus privilegium, cujus cauſa finalis tractum habet ſucceſſivum, ceſſare dicitur aut ſtatuitur ceſſante cauſa finali; ſic enim *Can. generaliter 40. cauſ. 16. q. 1.* confertur Clericis ac Monachis privilegium exemptionis & immunitatis ab omni tutela & curatela, quamdiu apud Eccleſias & Monaſteria permanent, nec divagantur aut in divinis officiis deſides ſunt, ſecùs illud amittunt. *Cap. Tuæ Fraternitatis 12. de Cleric. non reſident.* ſtatuitur, quòd Canonici, quibus ſtudiorum cauſa indultum eſt, ut in abſentia ſua ſuarum fructus percipiant præbendarum, iſtud amittunt privilegium, ſi alia de cauſa fuerint abſentes. *Cap. Abbati. 25. fin. de V. S.* conceditur Monachis poteſtas eligendi Abbatem, donec viguerit obſervantia regularis, qua ceſſante illud amittunt. In quibus omnibus caſibus cauſa finalis habet tractum ſucceſſivum: ſed ea ceſſante ceſſant privilegia: ergò privilegia, quorum cauſa finalis tractum habet ſucceſſivum, ceſſant ea ceſſante. Probatur autem concluſio etiam ratione: privilegia omnem ſuam vim ac virtutem habent à voluntate concedentis, qui poteſt illa conferre prout illi placet vel pro certo tempore, aut ſub aliqua conditione, aut ſub alia quacunque clauſula, ita ut finito tempore, aut conditione ceſſare debeant: atqui privilegia, quorum cauſa finalis habet tractum ſucceſſivum, cenſentur eſſe ſub conditione conceſſa, quamdiu nempe illa cauſa duraverit; non aliter enim cenſetur in hoc caſu S. Pontifex privilegium concedere, quàm in quantum cum futuro tempore durabit etiam cauſa illa finalis, ob quam illud conceſſum eſt: ergò ea deficiente, ceſſat etiam privilegium; & ſic diſpenſatus ad eſum carnium diebus prohibitis ob debilitatem ſtomachi, ea ceſſante ceſſat etiam privilegium: ſic etiam diſpenſatus à recitando breviario ob debilitatem oculorum, hac ceſſante ceſſat quoque diſpenſatio. Id tamen ita intelligendum eſt, niſi cauſa, quæ per aliquod tempus ceſſavit, iterum redeat; cùm enim privilegium ex natura ſua debeat eſſe perpetuum, redeunte cauſâ finali, & ipſum redire debet privilegium, ut proinde potiùs interim dormire, quàm omninò ceſſare dicendum ſit.

Dico denique 6tò. *Privilegia, quorum cauſa finalis* 17

lis tractum ſucceſſivum non habet, ſed integra exiſtit tunc cùm illa conceduntur, non ceſſant ceſſante cauſa finali ac totali.

Ita Sylveſter *V. Diſpenſatio. q. 6.* Tirquellus *in tr. ceſſant. cauſ. cit. n. 92. & 94.* Menochius *L. 4. præſumpt. 189. n. 197.* Nicol. Garcias *part. 6. de beneſic. cap. 2.* Guttierez *L. 1. QQ. Canonic. cap. 15. n. 22.* Suarez *L. 8. de LL. c. 30. n. 12.* Palao *tr. 3. D. 4. punct. 15. n. 7.* Sà. *V. gratia n. 6.* Salas *D. 20. S. 6. n. 67.* Auguſt. Michelius *to. 1. de privil. punct. 5. n. 7.* Schmalzgrueber *de privil. n. 174.* & multis aliis citatis Andreas à Matre Dei *tom. 2. tr. 9. de matrim. cap. 14. à n. 27.* & *tom. 3. tr. 11. de legib. cap. 5. punct. 8. §. 1.* contra Sanchez *L. 8. de matr. D. 30. n. 14.* ac multos alios, qui putant omnia privilegia ſine diſcrimine ceſſare ceſſante cauſa finali. Probatur autem concluſio noſtra: privilegia, quorum cauſa finalis non habet tractum ſucceſſivum, ſed integra exiſtit conceſſionis tempore, ſunt abſoluta & abſolutè conceſſa; non enim dependent à cauſa futura, ſed ab exiſtente conceſſionis tempore, cui alligatur, & per hoc diſtinguitur privilegium abſolutum à conditionato: atqui privilegia abſoluta & abſolutè conceſſa nunquam ceſſant, ſed per ſe durant ſemper, donec revocentur: ergò etiam privilegia, quorum cauſa finalis integra exiſtit tempore conceſſionis.

Sectio III.

An & qualiter privilegia amittantur per renuntiationem.

18 NOn eſt hìc nobis ſermo de renuntiatione tacita, quæ fit Juris interpretatione per non uſum privilegii, aut per uſum eidem contrarium, utpote de qua in ſequenti ſectione pluribus agemus: ſed de expreſſa, quæ vel fit verbis expreſſis, quibus privilegiatus ſpontè teſtatur, ſe nolle ampliùs uti privilegio ſuo, vel ſignis exterioribus ſatis claris, quæ voluntatem renuntiandi privilegio manifeſtè declarant. Atque de hac quæritur 1mò. An privilegia primò & per ſe in favorem privilegiati conceſſa amittantur libera & expreſſa renuntiatione privilegiati? 2dò. An privilegia in favorem Ordinis alicujus, Collegii, Monaſterii, Eccleſiæ, aut Communitatis conceſſa, amittantur per renuntiationem alicujus particularis vel plurium de Communitate? 3tiò. An privilegia in favorem Ordinis, Collegii, aut Monaſterii conceſſa

amit-

amittantur per renuntiationem Prælatorum? 4tò. An privilegiis in favorem particularis Collegii vel Monaſterii principaliter ac privativè conceſſis renuntiare poſſit Prælatus cum conſenſu Capituli ſui vel Conventûs? 5tò. An privilegiis in favorem totius Ordinis, aut integræ Congregationis conceſſis renuntiare poſſit Capitulum Generale? 6tò. denique: An ad hoc, ut renuntiatio privilegii ſive à Capitulo Generali, ſive à Prælato cum conſenſu Capituli, ſive ab alio, qui privilegio ſuo renuntiare poteſt, facta ſit valida & conſummata, requiratur acceptatio illius, qui privilegium conceſſit: & an facta tali renuntiatione privilegii ad illud iterum ante revocationem redire poſſit? Ad hæc

19 Dico 1mò. *Privilegia primò & per ſe in favorem privilegiati conceſſa amittuntur libera & expreſſa renuntiatione privilegiati.* Communis Authorum. Ratio eſt; quia liberum eſt unicuique Juri ſuo renuntiare, ùt dicitur *cap. Si de terra. 6. de privil. cap. ad Apoſtolicam. 16. cap. ſtatuimus 23. de Regular. L. Si Judex. ff. de Minorib.* & *L. Si quis 29. de pactis.* Ad hoc autem ut renuntiatio valeat, requiritur 1mò, ut fiat libera voluntate, qua ſponte & volens abdicare velit à ſe privilegium & Jus per hoc ſibi quæſitum; unde non valet renuntiatio dolo aut metu extorta, quod tamen intelligi debet de metu injuſtè incuſſo; nam metus juſtus non obſtat, ùt patet ab experientia, cùm multi hodie compellantur ad reſignandas dignitates & Prælaturas, ne cum dedecore deponantur, quanto magis ut renuntient certis privilegiis. Requiritur 2dò. ut quis habeat poteſtatem renuntiandi; nam ſi hanc non habeat, voluntas renuntiandi inefficax eſt ac nulla, nec ullum poteſt habere effectum: & ſic quia Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 15.* de Regularibus prohibuit renuntiationem annui Novitiatûs, ideò hæc renuntiatio invalida eſt, licèt in favorem Novitii factum ſit hoc decretum. Requiritur 3tiò. ut talis renuntiatio non cedat in præjudicium tertii, & ſic ſi privilegium ſit pluribus pro indiviſo conceſſum, tunc quia unus non poteſt Juri alterius præjudicare, nullus in particulari poteſt renuntiare privilegio, quod cum cæteris habet commune, ſed requiritur, ut omnes intereſſe habentes conſentiant renuntiationi. 4tò. requiritur, ut talis renuntiatio ſit acceptata ab eo, qui privilegium conceſſit; aliàs inefficax eſt, & non obſtante tali renuntiatione poterit privilegiatus mutata voluntate ad uſum privilegii redire, prout concluſione 6ta. pluribus demonſtrabimus. Suppoſitis hiſce requiſitis poteſt quis ſuo privilegio renuntiare vel in toto, vel in parte, aut pro uno tantùm actu & conſequentibus ad illum, ita ut in reliquis

fal-

Digitized by Google

ſalvum maneat privilegium; ſic e. g. miles veteranus ex privilegio cæſareo immunis eſt ab officiis publicis, ſi verò unum ſpontè ſuſcipiat, cenſetur ex parte renuntiare privilegio, & conſequenter tenetur etiam omnia ei annexa præſtare, ſed aliud ſimile officium accipere non tenetur, quia de cætero ſalvum manet privilegium; textus *in L. ult. ff. de privileg. veteranorum.* In dubio, an quis renuntiare voluerit privilegio ſuo, præſumi debet non voluiſſe, tum quia eſt melior conditio poſſidentis, tum quia nullus de facili præſumitur renuntiare Juri ſuo ac beneficio ſine magna cauſa, niſi prorſus liberè juxta *cap. ſuper hoc. 5. de renuntiat.* denique ſub generali renuntiatione ea non comprehenduntur, quibus in ſpecie cogitatis privilegiatus non fuiſſet renuntiaturus.

20 Dico 2dò. *Privilegia in favorem alicujus Ordinis, Collegii, Monaſterii, Eccleſiæ, aut Communitatis conceſſa non amittuntur per renuntiationem cujuscunq; particularis, etiam Juramento firmatam.*

Colligitur *ex cap. pervenit 3.* & *cap. Cùm tempore 5. de arbitriis. cap. Si diligenti 12. de foro compet. cap. cùm contingit. 36. de ſentent. excommunicat.* & *L. Jus publicum 38. ff. de pact.* éſtque *D. Gruber de Privil. Religioſ.* ſententia omnium, cujus ratio eſt: tum quòd ejusmodi privilegia, quibus renuntiare nititur privatus quispiam aut particularis aut etiam plures, non ſunt bona eorum propria, ſed aliena ſcilicet vel totius Ordinis, Collegii, Monaſterii, Eccleſiæ, aut Communitatis: nemo autem poteſt validè renuntiare bonis alienis præſertim in grave præjudicium: ergò neque hujusmodi privilegiis: tum quia nullus privatus habet poteſtatem renuntiandi ejusmodi privilegiis, utpote cùm illi reſiſtant Jura: tum quia per talem renuntiationem læderetur Jus publicum, in cujus favorem hæc privilegia conceſſa ſunt. Atque hinc ſequitur 1. nec Clericos nec Religioſos poſſe renuntiare ſivè validè ſive licitè privilegio Canonis *Si quis ſuadente* juxta *cap. cùm contingit. 36. de ſent. excommunic.* neque etiam privilegio fori *arg. cap. Si diligenti. 12. de foro competent.* cùm hæc privilegia conceſſa ſint in favorem totius Ordinis ac ſtatûs Clericalis, qui per renuntiationem unius læderetur. 2dò. Neque Religioſos ſingulariter ſumptos poſſe renuntiare privilegiis Ordini ſuo aut Monaſterio conceſſis, ùt habetur *cap. cùm tempore. 5. de Arbitr.* 3tio. Neque filiumfamilias renuntiare poſſe privilegio Senatus Conſulti Macedoniani, quo ex mutuo pecuniæ obligari non poteſt; quia favor per illud intentus non eſt primariò introductus pro filio, ſed pro parentibus, quorum ſecuritati vitæ & indemnitati per privilegium

iſtud proſpicitur. Dixi autem, non amitti hujuſmodi privilegia per renuntiationem etiam Juramento firmatam; quia Juramentum principaliter & directè cedens in præjudicium boni publici, aut in damnum tertii nullam parit obligationem, cùm pactis privatorum etiam juratis Juri communi ſeu publico derogari non poſſit *L. Juris gentium 7. §. & generaliter 16. ff. de pactis*, & Juramentum directè & principaliter cedens in damnum aut præjudicium tertii ſit de re mala & illicita, & conſequenter non obliget *arg. cap. cùm contingat 28. de Jurejurando.* & *cap. quamvis 2. de pact. in 6.*

21 Dico 3tiò. *Privilegia in favorem Ordinis, Collegii, aut Monaſterii conceſſa nequidem amittuntur per renuntiationem Prælatorum, ſive ſint immediati, ſive mediati, ſive ſupremi.*

Ita communis, quam tenent Abbas *in cap. 1. de ſor. compet. n. 4.* Sylveſter *V. alienatio. n. 18.* Suarez *to. 1. de Relig. tr. 2. L. 1. cap. 1. n. 3.* Bonacina *to. 22. de LL. D. 1. quæſt. 3. punct. 8. §. 6.* Lezana *to. 1. cap. 10. à n. 54 & to. 4. V privilegium Regular. n. 14.* Aſcan. Tamburin. *to. 1. Diſp. 16. quæſ. 15. à n. 2.* Layman *L. 1. de LL. tr. 4 cap. 23. in quæſt. de privil. n. 20. §. 3.* Donatus *to. 1. tr. 12. Q. 4. n. 6. & 7.* Alviſet. *ſect. 1. cap. 8. §. 2. art. 2. n. 10.* Petrus ab Angelis *D. 3. ſect. 1. n. 3.* ſumitur *ex cap. nulli. 5. & cap. Si quis 6. de reb. Eccl. non alien. cap. Dudum. 1. eodem in 6. & Clementin. 1. eodem.* cum aliis ſimilibus, ex quibus habetur, res & Jura ad Eccleſiam pertinentia renuntiari aut quolibet alio modo alienari non poſſe, niſi ſervatis ſolemnitatibus à Jure requiſitis. Ratio eſt, quia privilegia ſunt bona Ordinis aut Monaſterii, & Juri per ea acquiſito renuntiare, eſt propriè ſpecies alienationis: ſed Prælati non poſſunt ſeipſis alienare; quia non ſunt domini bonorum Ordinis, Monaſterii, aut Eccleſiæ, ſed nudam tantùm habent adminiſtrationem *Can. Si privatum 28. cauſ. 12. q. 1.* & *cap. Fraternitatem. 2. de Donat.* conceſſa autem adminiſtratione etiam libera, non cenſetur data facultas alienandi, *cap. Fraternitatem cit.* & *cap. Cæterùm 3. de Donat.* L. *filiusfamilias. ff. eodem.* & L. *contra. ff. de pactis.* & L. *Præſes. de tranſ.* & licèt Prælati ſint pars nobilior corporis, non tamen ſunt major ſed minor: clamant autem Jura omnia, non poſſe partem minorem Communitatis renuntiare Juribus ad illam ſpectantibus; unde qui renuntiat privilegio non habens poteſtatem, & qui cogit ad talem renuntiationem faciendam, eique conſentiunt, nihil faciunt, & peccant graviter. Chaſſaing. *tr. 2. propoſ. 2.* Petrus ab Angelis *hic n. 3.* Videatur Joannes de la Cruz *in ſum. privil. Maris magni* tit.

tit. de pactis Regular. extra Ordinem initis. Verùm quæres: an non ſaltem Prælati cum conſenſu Capituli vel Conventûs renuntiare poſſint privilegiis Collegio ſuo aut Monaſterio in particulari conceſſis? Ad quod ℞. & ulteriùs

22 Dico 4tò. *Privilegiis in favorem particularis alicujus Collegii aut Monaſterii principaliter & privativè conceſſis renuntiare poſſunt Prælati cum conſenſu Capituli ſui vel Conventus.* Ita colligitur *ex cap. Si de terra 6. de privil. cap cùm acceſſiſſent 8. de Conſtitut. cap. pro illorum 22. de Prœbend. cap. pactum 1. & cap. quia ex eo 3 de pactis in 6.* Ratio eſt, quia privilegio ac Juri principaliter pro ſe introducto quilibet renuntiare poteſt: atqui ſupponitur privilegia, quibus Prælatus cum Capitulo renuntiare intendit, principaliter eſſe & privativè conceſſa in favorem particularis Collegii aut Monaſterii: ergò illis renuntiare poteſt Prælatus cum Capitulo, aut Provincialis cum ſuo Capitulo Provinciali, modò talis renuntiatio non cedat in ipſius Eccleſiæ aut aliorum præjudicium; nam privilegio Eccleſiæ nemo poteſt renuntiare *arg. cap. contingit 36. de ſent. excommunic.* & notat Fagnanus *in cap. inter alia de immunit. n. 88.* quòd ſi privilegium ſit utile & honorificum Communitati, requiritur, ut renuntiatio fiat de communi omnium conſenſu, ita ut etiam unus ſolus de Capitulo contradicere & renuntiationem impedire poſſit, ùt obſervat Donatus *to. 1. tr. 12. q. 4. n. 5.* Layman L. 1. *tr. 4. cap. 23. n. 20.* Pirrhing. *de privil. n.* 174. Reiffenſtuel. *n.* 196. Schmalzgrueber. *n.* 185 (*Adde* tamen, ſi & privilegium ſit certum, & utilitas ſit certa; quæ vix in praxi occurrent in numeroſa viginti aut triginta membrorum communitatis ſolùm unô reclamante) requiritur præterea, ut conſenſus Capituli liber, non vi metúque extortus, ùt multi facere ſolent Prælati; tunc enim ſicut renuntiatio, à ſolo facta Prælato, eſt nulla ac invalida, ita quoque tali conſenſu Capituli metu extorto *arg. Can. quandoque 1. cauſ. 15. q. 6.* & ibi Gloſs. *V. per metum.* requiritur denique, ut omnes de Capitulo collectivè congregati talem renuntiationem faciant, non autem diviſim conſentiant; ſiquidem aliud eſt communitas vel Collegium, aliud verò ſinguli de communitate vel Collegio: nam communitas non dicitur facere, niſi id, quod facit legitimè congregata, non verò, quod ſinguli ſeparatim fecerunt, prout tradit Bartolus *in L. omnes populi 3. quæſit. ſecunda quæſtionis principalis ff. de Juſtit. & Jur.* quia quæ ad plures pertinent ùt plures, requiritur ſimultaneus conſenſus, nec ſatis eſt, quòd ſeparatim adhibeatur *cap. in Geneſi 55. de Elect.* Dixi tamen:

privilegiis in favorem particularis Monaſterii privativè conceſſis; nam privilegiis toti v. g. Ordini conceſſis nec Prælatus cum ſuo Capitulo etiam collegialiter congregato, nec Provincialis cum ſuo Capitulo Provinciali renuntiare poſſunt, quantumcunque etiam velint; tum quia nullam ad hæc habent poteſtatem, tum quia non ſunt ipſorum, ſed toti Ordini propria. An verò hæc ipſa privilegia toti alicui Ordini conceſſa non poſſint ſaltem à Capitulo Generali renuntiari? alia quæſtio eſt: ad quam

23 Dico 5tò. *Privilegiis in favorem totius Ordinis aut integræ Congregationis conceſſis renuntiare poteſt Capitulum generale.*

Communis DD. ac probatur: quia Capitulum generale totius Ordinis aut integræ Congregationis repræſentat totum Ordinem ac Congregationem, utpote ad quod veniunt & mittuntur præcipui viri ex toto Ordine ac ſingulis Provinciis deputati cum facultate ſtatuendi, quæ è re Ordinis eſſe videbuntur, ac conſequenter adeſt interpretativa voluntas omnium Religioſorum, ac totius Ordinis vel Congregationis, quæ in Capitulo generali cenſetur exiſtere congregata: atque adeò ſicut quivis poteſt renuntiare privilegio in ſui favorem principaliter introducto, ita quoque totus Ordo, aut Congregatio poteſt renuntiare privilegiis in ſui ſuorúmque favorem principaliter conceſſis, præſertim ſi id toti Ordini expedire videatur, vel quòd privilegium cum tempore Religioſis factum fuerit inutile, aut omninò noxium, quo caſu per ſeipſum ceſſat, quia ùt dicitur Rég. 61. in 6. quod ob cauſam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum; quoad hoc enim conſentire cenſentur aut certè debent omnes Religioſi per ſuos ad Capitulum generale deputatos, de quibus ſemper præſumendum eſt, quòd nunquam non in majus Ordinis bonum renuntiaturi ſint; & certè ſi Prælatus particularis cum ſuo Capitulo renuntiare poteſt privilegiis in favorem ſui Monaſterii conceſſis, ùt conſtat ex allegatis concluſione præcedente. Juribus & rationibus, non eſt cur non & Generalis cum Capitulo generali renuntiare poſſit privilegiis toti Ordini conceſſis, præſertim ſi illa eidem minùs utilia aut omninò noxia fiant; facta autem ſemel tali renuntiatione ſive à Capitulo generali pro toto Ordine, ſive à Prælato cum Capitulo ſive ab alio habente poteſtatem renuntiandi, ſequitur Religioſos talis Ordinis aut Monaſterii non poſſe ampliùs uti tali privilegio, cui renuntiârunt. An verò poſtea non poſſint ad illud redire, & aliud Capitulum generale vel alius Prælatus cum ſuo Capitulo illud reaſſumere, major difficultas

tas eſt, cujus reſolutio ab alia pendet quæſtione, qua quæritur, an ad hoc, ut quis validè & cum effectu renuntiet ſibi conceſſis, requiratur illius acceptatio ſuperioris, qui conceſſit privilegium. Qua in re

24 Sciendum, ſuperioris acceptationem poſſe dupliciter fieri vel *ab homine* vel *à Jure*; *ab homine* fieri dicitur, quando renuntiatio acceptatur expreſsè à ſuperiore, qui privilegium conceſſit; *à Jure fieri* cenſetur, quando Jura aut privilegia concedunt poteſtatem renuntiandi, & tunc certum eſt, nulla opus eſſe acceptatione, quia tali caſu includitur acceptatio in ipſa conceſſione privilegii. Quare illi, qui poſſunt vel ex Jure vel ex privilegio Pontificio renuntiare privilegiis ſibi conceſſis ob ſpecialem poteſtatem, quam vel à Jure vel à S. Pontifice habent, ſi defacto renuntient, valet renuntiatio nulla alia exſpectata concedentis acceptatione, nec poſſunt ampliùs uti tali privilegio, niſi de novo illud ipſis concedatur; & idem eſt de illis, qui diſpoſitione Juris amittunt privilegia vel per temporis præſcriptionem, vel per factam renuntiationem incluſam in uſu contrario, qui non indigent Pontificis acceptatione; quia ab ipſo Jure conceditur facultas acceptandi talem renuntiationem à tertio per privilegium læſo, vel à tertio præſcribente, út expreſsè docent Petrus ab Angelis *D. 3. S. 1. n. 6. & S. 2. n.* 18. Andreas à Matre Dei *to. 4. tr.* 18. *cap. 2. p.* 1. *n. 7.* Bordonus *to. 2. Reſol.* 52. *n.* 111. Pelizarius *tr. 8. cap. 1. S. 5. q. 7. n.* 108. Anton. à Spiritu S. *tr.* 1. *D.* 1. *S. 7. n.* 129. & alii ab his citati; verùm de hoc alibi plura. Tota igitur difficultas devolvitur ad hoc, an renuntiatio à Capitulo generali, vel à Prælato cum conſenſu Capituli aut ab alio facta, valida ſit, antequam à ſuperiore v. g. S. Pontifice, qui privilegium conceſſit, fuerit acceptata, ita ut ante acceptationem redire liceat, ac iterum in uſum deducere privilegium, cui prius fuerat renuntiatum? ubi quidem ſententia negativa ex eo probari poſſe videtur; quia hoc ipſo, quòd Capitulum generale aut Prælatus cum Capitulo ſuo renuntiavit privilegio nomine communitatis, videtur illud à ſe abdicáſſe, & ideò ad id non poſſe redire *arg. Can. hoc nequaquam* 45. *cauſ.* 7. *q.* 1. & *cap. quidam.* 12. *de renuntiat.* abſurdum eſt enim aliquem redire ad id, cui renuntiandum putavit L. *Si quis Juſjurandum C. de reb. cred.* & non concedimus redintegrare id, quod ſemel repudiatum eſt L. *cùm quidam. C. de condit. inſert.* Verùm his non obſtantibus

Dico 6to. *Ad hoc, ut renuntiatio privilegii ſive à Capitulo generali, ſive à Prælato cum conſenſu Capituli ſive ab alio poteſtatem renuntiandi habente* 25

facta, ſit valida & conſummata, requiritur acceptatio illius, qui privilegium conceſſit: adeóque facta renuntiatione privilegii poteſt renuntians ante acceptationem ad illud redire.

Ita Sanchez L. *8. de matr. Diſp. 32. n. 2.* Baſſæus *V. privilegium 3. n. 6.* Bonacina *Diſp.* 1. Q. 3. *punct. 8. §. 4. n. 3.* Suarez L. *8. de* LL. *cap. 33. n.* 14 *& ſeqq.* Pellizarius *tr. 8. cap.* 1. *Sect. 5. q. 7. n.* 107. Bordonus *to. 2. Reſol. 52. n.* 107. Palao *tr. 3.* D. *4. punct.* 17. *n. 6.* Salas *Diſp. 20. de* LL. *Sect.* 19. *n.* 128. Antonius à Spiritu S. *tr.* 1. D. 1. *Sect. 7. n. 229.* Petrus ab Angelis D. *3. S.* 1. *n. 5.* Auguſtinus Michelius *de privil. punct. 5.* Andreas à Matre Dei *de privil. cap. 2. punct.* 1. *n. 6.* & alii communiter, idque colligitur clarè *ex cap. licèt. 7. de Procurator. in 6.* Probatur autem 1mò. Privilegium tamdiu durat, quamdiu durat voluntas concedentis privilegium, cùm privilegium ſit conceſſio dependens à voluntate concedentis: ſed hæc durat, usque dum acceptet renuntiationem, utpote quæ eſt quaſi continuata & prorogata privilegii conceſſio: ergò etiam durabit privilegium usque dum acceptet renuntiationem, & conſequenter quamdiu voluntas concedentis manet, & renuntiationem non acceptavit, poteſt is, cui conceditur privilegium, non obſtante ſua renuntiatione mutata pro libitu ſuo voluntate ad prius illud privilegium iterum redire. Probatur 2dò. Res per quas cauſas naſcitur, per easdem iterum diſſolvitur: ſed privilegium ſolùm naſcitur & fit voluntate Principis, à qua originem habet tanquam à cauſa: ergò ſolùm etiam diſſolvitur voluntate Principis: ſed quamdiu renuntiationem non acceptat Princeps ſeu concedens, privilegium nòn diſſolvitur voluntate Principis aut concedentis, ſed manet in ſuo vigore ac robore: ergò ad illud iterum redire, ac illo pro libitu ſuo mutata voluntate uti poterit renuntians.

Ex quibus ſequitur, quòd ad 26 hoc, ut quis efficaciter renuntiet privilegio & cum effectu, renuntiatio fieri debeat in manus illius, qui conceſſit privilegium, qui ſi illam acceptet, ceſſabit ipſo facto privilegium: ſi verò recuſet eam acceptare, illud manebit integrum, ſicut & integrum manet tunc, quando illi privatim renuntiat privilegiatus, nulla ejus facta concedenti notitia, quibus caſibus pro libitu ad retinendum privilegium ſe poteſt reſolvere; quia nempe talis renuntiatio ante acceptationem concedentis privilegium vim nullam habet, neque ſufficit eam fieri in manibus alterius non habentis ad hoc poteſtatem *cap. Denique 3. cauſ. 6. q. 3.* & *cap. Admonet 4. de renuntiat.* Unde ſi aliquis Confeſſarius, inquit Bordonus, tœdio affectus vel ob multitu-

titudinem pœnitentium, vel ob aliam cauſam, facultatem audiendi, confeſſiones, vel abſolvendi à caſibus reſervatis, quam habebat ab Epiſcopo vel S. Pontifice in ſcriptis, porrigat ſuo Prælato, vel eam laceret coram illo, proteſtando ſe nolle amplius illud munus exercere, ſed omninò renuntiare tali facultati: ſi poſtea pœnitentia ductus ſponte vel ex obedientia ſui Prælati velit ad tale munus voluntariè redire, poteſt; quia illa non fuit perfecta renuntiatio, cùm deſiderata fuerit acceptatio Epiſcopi vel S Pontificis, qui talem facultatem conceſſit. Sic etiam ſi alicui collatum ſit privilegium eligendi Confeſſarium, recitandi Breviarium ante horas conſuetas, comedendi carnes diebus prohibitis, non amittitur privilegium, etiamſi eidem renuntiet privilegiatus, niſi accedat conſenſus illius, qui dedit privilegium, adeóque ante hujus acceptationem poterit iterum factam a ſe revocationem revocare, ſuòque pergere uti privilegio. Sic etiam ſi quis privilegio non ſolvendi vectigalia, aut exigendi decimas renuntiet, poterit illud iterum ante acceptationem a concedente factam reſumere, licèt una vel altera vice non exegerit decimas, vel ſolverit vectigalia, mòdo tot actus non interceſſerint, qui ſufficiant ad inducendam præſcriptionem. Illud denique hic quoque notandum, quòd cùm renuntiatio ſit odioſa, ſtrictè accipienda ſit, ita ut non extendatur ad non expreſſa, etſi ſimilia ſint, quia minus debet lædere renuntiantem, quàm ſit poſſibile, prout advertit Bordonus *Reſol. 52. n. 114.* & deciſionibus Rotæ firmat Andreas à Matre Dei n. 8.

Sectio IV.

An & qualiter amittantur privilegia per non uſum, vel uſum contrarium aut abuſum.

27 Recolendum ex alibi dictis ac prænotandum, quòd privilegia alia ſint merè favorabilia, quæ in nullius cedunt gravamen, ſed in mera facultate aliquid agendi vel non agendi conſiſtunt ſine alterius onere, uti ſunt privilegia abſolvendi à reſervatis, diſpenſandi in votis, comedendi carnes diebus prohibitis &c. Alia ſunt oneroſa, quæ in aliorum cedunt gravamen, ut eſt exemptio à decimis, aut à jurisdictione Ordinarii &c. Ex his alia dicuntur privilegia negativa, quibus conceditur exemptio à præſtatione alicujus Juris aut rei, qualis eſt illa decimarum: alia verò affirmativa, quibus conceditur facultas aliquid

quid

Digitized by Google

quid agendi vel exigendi, v. g. decimas, pedagia &c. Præterea poteſt non uſus privilegii accipi vel negativè, vel privativè, vel contrariè. Non uſus merè negativus eſt, quando nulla oblata eſt occaſio vel opportunitas utendi privilegio, vel ſi oblata quidem fuerit, intervenit tamen aliquod impedimentum, quo minùs privilegiatus potuerit uti privilegio, ùt ſi quis habeat Jus aquam ducendi per alterius fundum, & eo non poſſit uti, quia fons exaruit; non uſus privilegii privativus tunc datur, quando privilegiatus licèt ſciat ſe habere privilegium, & eo poſſit uti, tamen non utitur ètiam datâ occaſione & opportunitate, ut ſi habeat Jus exigendi decimas, eas non exigit, etſi ſciat ac poſſit, & ſe offerat occaſio. Non uſus contrariè ſeu uſus contrarius tunc fit, quando privilegiatus facit actum contrarium privilegio ſibi conceſſo, ùt ſi ſolvat decimas, à quibus erat exemptus. Quibus omnibus addi poteſt abuſus, qui fieri ſolet, quando privilegiatus excedit limites conceſſionis, aut ex illius uſu ſumit occaſionem peccandi, vel agit contra finem privilegii. Hiſce prænotatis diſcutiendum hic venit 1mò: An privilegia amitti poſſint per non uſum aut uſum contrarium? 2dò. An privilegia merè favorabilia amittantur per non uſum aut uſum contrarium? 3tiò. An privilegia oneroſa taliter amittantur vi tacitæ renuntiationis? 4tò. An eadem amittantur vi præſcriptionis? 5tò. An etiam privilegia Regularium per non uſum, aut uſum contrarium amittantur vi præſcriptionis? 6tó. denique: An privilegia amittantur per abuſum?

Dico 1mo. *Privilegia poſſunt amitti per non uſum, aut uſum contrarium.* 28

Ita Hieronymus Garçia *in Politic. regul. to. 1. tr 8. diff. 1. dub. 7. n. 12.* Baſil. Pontius *l. 8. cap. 18. n. 21.* Lezana *to. 2. V. privilegium. n. 15. & 16.* Bordonus *to. 2. p. 2. reſolut. 52. n. 123.* Bonacina *Diſp. 1. q. 3. punct. 8. §. 5. n. 3.* Antonius à Spiritu S. *in direct. Regul. tr. 1. Diſp. 1. Sect. 7. n. 139.* Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. Diſp. 3. S. 2. n. 1.* Andreas à Matre Dei *to. 4 tr. 18 cap. 2. punct. 2. §. 1.* & alii communiſſimè, idq; ſupponunt plerique tanquam certum, & ſatis conſtat ex clauſula illa, quæ in conceſſione privilegiorum communiter hodie ſolet apponi: *quatenus ſunt in uſu*, vel *dummodò ſint in uſu*, per quam ſatis nos docent SS. Pontifices, quòd per non uſum, aut uſum contrarium amitti poſſint privilegia. Id autem duplici modo fieri poteſt: 1mò. Vi tacitæ renunciationis, qua privilegiatus ſciens & volens non utitur privilegio, dum uti deberet ac poſſet; meritò enim cenſetur illud abdicâſſe: 2dò. Vi legitimæ præſcriptionis tempore à Jure definito completæ, quæ ſicut contra leges communi-

munes currit, ita etiam contra privilegia, utpote cùm hæc ſint etiam leges privatæ. Neque ad hoc opus eſt acceptatione Principis aut S. Pontificis, quia jam ab ipſo Jure conceſſa eſt facultas acceptandi talem renuntiationem á tertio per privilegium læſo, vel à tertio præſcribente. Hi autem duo privilegia amittendi modi plurimùm inter ſe differunt; nam cùm res præſcriptione amittitur, non cenſetur amitti libera voluntate amittentis, ſed ex vi & efficacia alicujus legis & invito priori Domino ac poſſeſſore rei præſcriptæ: ſecùs autem, ſi per renuntiationem amittantur, hæc enim amiſſio cenſetur eſſe ac fieri de voluntate privilegiati, ùt habet Gloſſa *in Can. ult. cauſ.* 16. *quæſt.* 4. ubi dicit: longius tempus requiri ad præſcriptionem, quam ad tacitam renuntiationem. Porro ſemper præſumitur, privilegium uſu receptum eſſe, & aſſerenti contrarium incumbit onus probandi, qui ſimul etiam probare debet, quòd illud habens fuerit in culpa, atque per eum ſteterit, quo minùs fuerit uſus privilegio, ùt multis citatis tum Doctoribus tum deciſionibus Rotæ probat Tamburinus *to.* 1. *D.* 16. *q.* 14. *n.* 10. *& ſeq.* ac Donatus *to.* 1. *tr.* 12. *q.* 9.

29 Dico 2do. *Privilegia merè favorabilia, quæ in nullius cedunt gravamen & onus, non amittuntur per non uſum, aut uſum contrarium, quantocunque tempore continuatum.* Ita Gloſſa *in cap. ut privilegia 24. V. ſemel in anno de privil.* Sylveſter *V. conſuetudo. n.* 13. Rodriquez *to.* 2. *QQ. RR. quæſt.* 49. *art.* 3. Hieronym. Garcias. *to.* 1. *tr.* 8. *diff.* 1. *dub.* 7. *n.* 14. Suarez *l.* 8. *de* LL. *cap.* 34. *n.* 17. Tamburin. *to.* 1. *D.* 16. *q.* 14. *n.* 2. Bonacina *D.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. *§.* 5. *n.* 5. Baſil. Pont. *l.* 8. *cap.* 18. *§.* 3. *n.* 22. Lezana *to.* 2. *V. privilegium n.* 15. *&* 16. Merolla *to.* 3. *de privil. D.* 6. *cap.* 7. *de ceſſat. difficult.* 2. *n.* 34. Donatus *to.* 1. *tr.* 12. *q.* 7. *n.* 8. Alviſet *Sect.* 1. *cap.* 8. *§.* 2. *art.* 4. *n.* 3. Petrus ab Angelis *D.* 3. *Sect.* 2. *n.* 8. Andreas à Matre Dei *to.* 3. *tr.* 11. *de* LL. *cap.* 6. *n.* 102. & *to.* 4. *tr.* 18. *cap.* 2. *punct.* 2. *§.* 2. Michelius *to.* 1. *de privil. punct.* 5. cum Legiſtis & Canoniſtis communiter. Ratio eſt: quia ſi privilegia merè favorabilia amitterentur per purum uſum, vel uſum contrarium, tunc amitterentur, vel vi tacitæ renuntiationis, vel vi præſcriptionis; non enim alius modus excogitari poteſt: neutro autem modo amittuntur: non per tacitam renuntiationem; hæc enim deducitur ex quadam legis interpretatione, quæ locum non habet niſi in caſibus à Jure expreſſis, ùt tradit Pariſius *de Reſignat. benefic. l.* 1. *q.* 1. nec ullibi reperitur generaliter expreſſum in Jure, quòd per non uſum aut etiam uſum contrarium a-

mittantur hujusmodi privilegia merè favorabilia, & ſic ex mero non uſu aut etiam uſu contrario non poteſt induci renuntiatio, quando nemini nocent: tum quia quisque habet liberam facultatem pro libitu utendi privilegio hujusmodi vel non utendi, ùt docet Abbas *in cap. Joannes 7. de Cleric. conjungat.* privilegium enim ſeu lex, quæ dat facultatem ad agendum, non neceſſitat uti privilegio, ſed dat privilegiato liberum Jus, ut ſcil. utatur privilegio cum voluerit, & non uſus privilegii per ſe non eſt ſignum infallibile animi repudiantis privilegium, cum aliæ poſſint eſſe cauſæ non utendi: non etiam amittuntur hujusmodi privilegia merè favorabilia vi præſcriptionis, licèt tempore longiſſimo continuatæ, cùm nemini gravamen inferant, aut ſint onerosa, & præſcriptio de Jure ſit adinventa ad tollendum gravamen & onus alterius, unde per ſe patet, quòd præſcriptio non habeat locum in hujusmodi privilegiis: tum etiam quia in privilegiis, quæ ſolas actiones privilegiati concernunt, nulla dari poteſt præſcriptio; nam ad hanc requiritur, quòd præſcribens habeat in illa re, in qua vult præſcribere, continuatam poſſeſſionem, ratione cujus dominium rei, quod erat in uno, transferatur ad alium: in his autem privilegiis nullam poſſeſſionem poteſt alius habere, nullúmque dominium eſt transferibile in ipſum, ùt per ſe conſtat: ergò nullo modo dicta privilegia mere favorabilia amittuntur per non uſum aut uſum contrarium, ùt optimè probat Andreas à Matre Dei.

30 Neque dicas: *l. ff. de Nundinis* ſtatuitur: *Nundinis impetratis à Principe, non utendo qui meruit, decennii tempore uſum amittit*: ſed privilegium habendi nundinas eſt merè favorabile ergo privilegium merè favorabile amittitur per non uſum. ℞. 1. Legem iſtam non loqui generaliter de omnibus privilegiis, ſed in caſu ſpeciali tantùm, de privilegio ſcilicet nundinarum in ſpecie & expreſsè declarato: ab uno autem ſpeciali non poteſt colligi regula generalis. Verùm melius ℞. 2dò. Negando minor. Nam nundinæ meritò inter privilegia oneroſa computantur, ùt docet Gloſſa *in cap. 24. cit. de privil.* cùm in aliorum gravamen redùndent, quorum Jus vel jurisdictio læditur, aut adſtringitur: etenim hujusmodi nundinæ, quæſtum, acceſſum & lucrum ab aliis locis avocant ad locum nundinarum, & mercatoribus inquilinis in præjudicium cedunt. Quod ergò de nundinis ſtatutum eſt, trahendum non eſt ad privilegia nemini oneroſa. Atque ſic etiam reſpondendum eſt ad cæteras, quas fortè objicere poſſunt leges & Jura, quæ ſtatuunt, quòd privilegia amittantur propter non uſum aut uſum contrarium; intelligenda ſunt enim tantùm de privilegiis, quæ in gravamen aliorum cedunt, ùt legenti conſtabit: ex his autem, cùm reſtrictio privilegiorum ſit odioſa, ad

pri-

privilegia merè favorabilia ac gratioſa, fieri non debet extenſio.

31 Porrò ſtatuta concluſio noſtra vel maximè locum habet in privilegiis Regularium merè favorabilibus, ùt ſunt illa confitendi, abſolvendi à reſervatis & cenſuris, diſpenſandi in irregularitate, votis, impedimentis &c. quia hæc in nullius, neque Epiſcopi, neque Parochi gravamen, ſed potiùs levamentum cedunt, cùm non diminuant eorum poteſtatem, ſed eos adjuvent in ſuo miniſterio: hujusmodi enim privilegia amitti non poſſunt per non uſum, aut uſum contrarium neque vi tacitæ renuntiationis; tum quia ex mero non uſu non habetur tacita renuntiatio, cùm liberum ſit privilegiato uti privilegio, vel non uti: tum quia Regulares non poſſunt renuntiare privilegiis ſuis ſive tacitè ſive expreſsè in præjudicium Ordinis aut Monaſterii: ſed nec ea poſſunt amittere vi præſcriptionis; tum quia nulla dari poteſt poſſeſſio, tum quia in actibus liberæ facultatis nulla datur præſcriptio, tum etiam, quia dato & non conceſſo, quòd Regularium privilegia merè favorabilia per non uſum aut uſum contrarium amitti poſſent, id tamen non poteſt probari nec certò ſciri, cùm ejusmodi privilegia ferè omnia exerceantur in ſecreto, ùt abſolutiones, & diſpenſationes ac alia hujusmodi. Et licet fortè unus aut alter non utatur ſuo privilegio, non deſunt alii, qui eodem utentur; & ſi in uno Ordine aut Provincia non ſint in uſu, erunt tamen in aliis, ùt ex Rodriquez advertit Donatus *q. 7. n. 21. & 22.* nam ùt benè notant Pellizarius *tr. 8. cap. 1. S. 5. q. 8. n. 114.* Portel. *V. privilegium n. 55.* & Petrus ab Angelis *n.* 11. ad hoc, ut privilegium alicui Ordini conceſſum non cenſeatur amiſſum, ſufficit, quòd illud ſit in uſu apud aliquam ſeu aliquas Provincias aut Congregationes vel Monaſteria illius Ordinis aut etiam aliorum Ordinum, ſi in horum privilegiis communicet; quia licèt privilegium deſierit per non uſum vel quid ſimile etiam in omnibus Provinciis, Congregationibus, ac Monaſteriis alicujus Ordinis, ſi tamen ſint in uſu apud aliquem alium Ordinem, & ille Ordo in hujus privilegiis communicet, poterit talis Ordo uti dicto privilegio, non ſecùs acſi de novo ei concederetur, aut nunquam ceſſaret ab uſu; nam quòd talis Ordo non fuerit uſus aliquo ex privilegiis conceſſis aliis Ordinibus, cum quibus habet communicationem, non obſtat, quòd poſſit incipere nunc de novo uti ſuis privilegiis. Advertit præterea Petrus ab Angelis n. 12. quòd tota hæc doctrina intelligenda ſit de privilegiis affirmativis, id eſt, quæ aliquid faciendum indulgent: nam merè negativa, in quibus conceditur facultas non faciendi quod erat faciendum & non tangunt Jus tertii, nunquam per non uſum poſſunt amitti, ſed potiùs per non facere

cere obſervantur, cùm eorum uſus conſiſtat in non uſu illius rei, quæ ſine privilegio debebat fieri (*Adde*; hoc loco bene eſſe attendendum, an privilegium, quod prima facie apparet eſſe merè favorabile, non ſit tractu temporis factum oneroſum, ac præjudicioſum bono communi, diſciplinæ, & recto ordini Eccleſiæ; quia pro tali caſu non poſſet præſumi intentio concedentis pro conſervatione privilegii)

32 Dico 3tiò. *Privilegia onerosa, quæ in aliorum gravamen aut præjudicium cedunt, amittuntur per non uſum privativũ aut uſum contrarium, vi tacitæ renuntiationis.*

Colligitur *ex cap. Cùm acceſſiſſent 8. de Conſtit.* & *cap. accedentibus 15. de privil.* cum Gl. *in cap. gratum 20. de offic. deleg. V. receſſum* & Gl. *in cap. ex ore 3. de his, quæ fiunt à major: V. renuntiàſſe.* ac Canoniſtæ *in cap. ſi de terra 6. de Privil.* & Legiſtæ *in l. fin. ff. Conſtit. Princip.* & DD. cæteri communiſſimè præſertim concluſ. præcedente citati. Ratio eſt: qui renuntiat privilegio, illud amittit; ſed qui non utitur privilegio aliis oneroſo, cùm tamen poſſet, aut qui actum privilegio contrarium facit, cenſetur illi renuntiare per citata Jura: ergò illud amittit: nec refert, quòd in noſtro caſu renuntiatio non ſit expreſſa; quia taciti & expreſſi eadem eſt vis L. *cùm qui ff. ſi certum petatur.* Ad hoc autem, ut per non uſum privativum aut uſum contrarium inducatur renuntiatio, requiritur, ut ille non uſus aut uſus contrarius ſit voluntarius ac liber & factus animo renuntiandi, ac proinde ſi privilegiatus cogatur agere contra privilegium, aut eo uti non poſſit, vel ignoret, actum hunc eſſe privilegio ſuo contrarium, non amittit privilegium; quia ad renuntiandum ac præjudicandum proprio privilegio, neceſſum eſt, ut non uſus aut uſus eidem contrarius ſit ſponte, liberè, ac cum ſcientia factus. Requiritur adò. ut privilegiatus non ſit uſus ſuo privilegio, cùm data eſt occaſio eo utendi; nam ſi nulla ſeſe obtulit occaſio utendi, aut privilegiatus oblata uti non potuit, eo quòd fuerit abſens, aut alia de cauſa fuerit impeditus, per ejuſmodi non uſum merè negativum aut uſum contrarium etſi longiſſimi temporis non amittitur privilegium; quia in tali caſu non uſus non poteſt dici voluntarius ac liber, & conſequenter præſumi nòn poteſt animus renuntiandi. Requiritur 3tiò. ut actus privilegio contrarius ſit factus ab ipſo privilegiato vel eidem ſit proprius; quia factum alterius nemini nocere debet: & hinc ſi famulus Domini à ſolvendis decimis Parochialibus exempti easdem nihilominus ſolvat Parocho, nihil per hoc præjudicatur domino, cùm hic actus eidem

non ſit proprius. Requiritur 4tò. ut quis poſſit per actum contrarium renuntiare privilegio etiam expreſsè; nam ſi hoc non poſſit, privilegiũ non amittitur etiã per plures actus illi contrarios utut ſæpiùs repetitos; quia qui non poteſt expreſsè renuntiare privilegio, nec tacitè poterit faciendo actus contrarios, cùm taciti & expreſſi eadem ſit vis, imò major eſt expreſſæ renuntiationis efficacia quàm tacitæ, cùm illa verbis, hæc autem tantùm factis fiat ac interpretatione Juris. Et ſic actus contrarii alicujus Religioſi quantumcunque repetiti non obſunt privilegiis Ordinis ac Monaſterii, quia iisdem renuntiare non poteſt expreſsè.

33 Cæterùm cùm allegata Jura ſolùm fundentur in præſumptione animi renuntiandi, ſeu quòd non utens privilegio aut contra illud agens habeat animum renuntiandi, ſi talis animus à parte rei non detur, nunquam amittitur privilegium ſaltem in foro conſcientiæ ob non uſum privativum aut uſum contrarium: idémque foret etiam in foro externo, ſi talem animum non adfuiſſe conſtaret, & ſic ſolùm ob præſcriptionẽ debito tempore completam ejusmodi privilegium poteſt amitti; poteſt enim privilegiatus velle ſuum conſervare privilegium, & ob alios fines, quam ob renuntiationem, velle non uti, cùm non teneatur illo ſemper uti, idque colligitur *ex L. voluntaria C. de excuſat. Tutor.* ubi dicitur, quòd voluntariæ tutelæ munera privilegiis nihil obſtent, hoc eſt, quoad futura munera non voluntaria, eò quòd animus renuntiandi non inducatur ex eo, quòd quis contra privilegium operetur, ùt pluribus citatis advertit Andreas à Mate Dei. Ex quo ipſo etiam ſequitur, quòd ſi quis per ſententiam Judicis condemnetur ad amiſſionem privilegiorum tractum ſucceſſivum habentium, eo quòd non uſus fuerit privilegio, aut contra illud egerit & hoc absque animo renuntiandi, cùm poſſet, non teneatur in conſcientia illi ſtare ſententiæ, & ſic poterit ſecluſo ſcandalo ſicuti antea uti ſuo privilegio, quia ſententia Judicis in eo caſu nititur falſæ præſumptioni de animo renuntiandi, qui tamen à parte rei non eſt: ſed ſententiæ Judicis falſæ præſumptioni nixæ non tenemur ſtare, ùt docent Lezana *to.* 2. *V. privilegium. n.* 16. Chaſſaing. *tr.* 1. *cap.* 5. *propoſit.* 1. Suarez *L.* 8. *de LL. cap.* 35. *n.* 25. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *punct.* 19. Bonacina *D.* 1. *q.* 3. *punct* 8. §. 6. *n.* 16. & citatus Andreas *to.* 3. *tr.* 11. *cap.* 6. *&* *to.* 4. *tr.* 18. *cap.* 2. *n.* 19. qui etiam ad finem n. 18. conſulit, ut quis tantò ſecuriùs non utatur privilegio aut contra privilegium operetur ſine præjudicio privilegii ſui & abſque animo renuntiandi, præmittat proteſtationem, quòd per ſuam actionem nullatenus velit ſuo præjudicare privilegio; nam talis proteſtatio excludit voluntatem renuntiandi etiam pro foro externo,

 &

& oſtendit talem actum non eſſe formaliter contrarium privilegio ſeu illius uſui, idque ſufficiet, etiamſi repetitis actibus contra privilegium operetur. (*Adde*; in hoc caſu non eſſe licitum, contra ſententiam Judicis quoad actus externos, cedentes aliquo modo vel in gravamen tertii, vel in perturbationem tranquillitatis publicæ, aut boni publici. Quia in his intentio concedentis privilegium ſine dubio conformatur legibus de præſcriptione.)

34 Quotnam verò cæteroquin requirantur actus ad hoc, ut privilegiatus cenſeatur per non uſum aut uſum contrarium renuntiaſſe privilegio ſuo, & conſequenter vi tacitæ renuntiationis iſtud intelligatur amiſſum? quæſtio eſt, quæ diſtinctione indiget: vel enim privilegium in uno tantùm actu conſiſtit, atque unico etiam actu perficitur, nec effectum habet reiterabilem: vel tractum habet ſucceſſivum & uſum repetibilem in futurum: ſi primum, tunc unico etiam actu contrario ſimpliciter & in totum amittitur privilegium, ùt docent Canoniſtæ *in cap. cum acceſſiſſent 8. de Conſtit. cap. ſi de terra 6. & cap. accedentibus 15. de privileg.* & Legiſtæ *in L. falſo C. de diverſ. reſcript*, & Baldus *in cap. plerumque 23. de reſcript. n.* 19. cum aliis multis, quos citat Sylveſter *V. privileg. q.* 11. Suarez *L. 8. de LL. cap. 35. n.* 17. Merolla *to. 3. D. 6. cap. 7. diffic. 1. n. 50.* Tamburin. *to.* 1. D. 16. *q.* 14. & ſequitur Donatus *to.1.tr.12.q.31.* Ratio eſt, quia privilegium datum ad unum actum, per unicum pariter actum contrarium evacuatur totum; cùm enim privilegium reſpiciat unum tantùm actum, non autem plures ſibi invicem ſuccedentes, eo ipſo, quòd privilegiatus faciat oppoſitum, per talem contraventionem cenſetur tacitè in totum renuntiare privilegio, cui talis actus eſt formaliter contrarius. Et ſic exemptus ab Ordinario per privilegium perſonale ſi ab eo citatus abſque proteſtatione compareat, ac ſe coram illo patiatur conveniri & reſpondeat, per hunc unicum actum contrarium amittit privilegium ſaltem pro foro externo, ùt communiter docent Authores. Quòd ſi privilegium habeat tractum ſucceſſivum ſeu actum reiterabilem & uſum repetibilem in futurum, tunc per unum actum contrarium amittitur quidem privilegium ſecundùm quid & quoad illum actum, quo agit contra privilegium, non autem ſimpliciter & in totum quoad omnes; quia hujusmodi actus non ſunt toti privilegio contrarii, cùm non ſint contrarii omnibus actibus, qui fieri poſſunt vi talis privilegii, ſed uni vel aliquibus tantùm: ergo ratione horum non ſtatim amittitur totum privilegium, & hinc Monaſterium habens privilegium non ſolvendi decimas, ſi ſemel & iterum eas ſolvat, non ob id abſolutè privilegium amittit, ſed tantùm quoad illas decimas, quas actu jam ſolvit, ac poteſt impoſte-

rum

rum eas non ampliùs ſolvere *arg. L. 2. ff. de privil. veteran.* item *L. voluntariæ C. de excuſat. Tutor.* & hoc ideò, quia privilegiatus in his, quæ habent tractum ſucceſſivum & actũ reiterabilem per unum vel plures actus non cenſetur renuntiare privilegio quoad totam ejus facultatem, ſed tantùm pro illa vice & quoad illos actus, qui fiunt contra privilegium, ſalva tamen ſubſtantia privilegii quoad futurum; cùm enim hæc privilegiorum amiſſio fundetur in tacita renuntiatione, hæc per unum alterúmve actum præſumi non poteſt: tum quia in dubio non cenſetur eſſe renuntiatum privilegio: tum quia talis præſumptio eſt odioſa & conſequenter reſtringenda, cùm quivis præſumatur, quòd ſibi in minimo velit præjudicare. Quæ tamen omnia intelligenda ſunt, ſecluſa legitima præſcriptione; ſi enim tot actus contrarii intervenirent, quæ ad eam tempore à lege præfixo complendam ſufficerent, longè aliter diſcurrendum eſt, atque ideò

35 Dico 4tò. *Privilegia onerоſa, quæ in aliorum gravamen aut præjudicium cedunt, amittuntur etiam vi præſcriptionis per non uſum privativum aut uſum contrarium.*

Communis Doctorum tam Juriſtarum, quàm Theologorum. Ratio eſt, quia gravatus per privilegium poteſt præſcribere contra privilegiatum poſſidendo ſuam libertatem ab illo onere, toto illo tempore, quo privilegiatus non utitur liberè ſuo privilegio data opportunitate & occaſione, & multò magis ſi omninò contra illud operetur: ergò ſi tempus ad præſcriptionem requiſitum tranſierit, privilegiatus amittit dominium & Jus alteri onus imponendi, & gravatus eximitur ab illo onere, quod eſt privilegium amitti per præſcriptionem; hæc enim vim habet auferendi ab uno dominium, & illud in alium transferendi: & conſequenter privilegia oneroſa per præſcriptionem amittuntur per non uſum privativum aut uſum contrarium toto tempore ad præſcriptionem requiſito. Ita Andreas à Matre Dei n. 14. Garcias n. 15. & Lezana n. 16. Atque hinc ſi quis cum plena ſcientia privilegii ac plena libertate ad exactionem & inſtantiam alterius quaſi Jure petentis ſolvat decimas, à quibus exemptus erat: aut ſi habens privilegium exigendi decimas, altero obtinente, non exigat, jam incipit currere præſcriptio; qua in re tamen benè notandum, quòd ad præſcribendum in privilegio affirmativo debeat præſcribens eſſe in quaſi poſſeſſione libertatis adversùs ejus facultatem faciendi vel exigendi: in privilegio verò negativo debet eſſe in quaſi poſſeſſione Juris exigendi ab eo; porrò præſcribens non conſtituitur in quaſi poſſeſſione ad-

adverſùs privilegiatum per meram omiſſionem, ſed per hoc, quòd obnitatur uſui, & ſimul quòd privilegiatus acquieſcat: hæc enim duo copulativè ſumpta conſtituunt alios in quaſi poſſeſſione libertatis adverſùs privilegiatum, ita ut à tempore hujus reſiſtentiæ bona fide factæ incipiat currere præſcriptio arg. eorum, quæ habent Jura in *L. qui luminibus. ff. de ſervit. præd. urban.* & *L. altius. C. eodem*, ubi de facultate altiùs ædificandi in proprio ſolo, cui non præſcribitur propterea, quòd longiſſimo tempore altius non fuerit ædificatum, niſi vicinus ſit in quaſi poſſeſſione ſervitutis altius tollendi: in hac autem ſe conſtituit bonâ fide inhibendo alteri facultatem altius ædificandi, cui vicinus acquievit, ùt etiam obſervat Auguſtinus Michelius.

36 Quantum verò temporis requiratur ad ejusmodi præſcriptionem contra privilegia complendam: ſeu quanto temporis ſpatio iſte non uſus aut uſus contrarius debeat fuiſſe continuatus? gravis eſt quæſtio, in qua aliqui poſt Gloſſam *in cap. accedentibus 15. de privil.* volunt, ad præſcribendum privilegiis idem tempus ſufficere ac requiri, quod ad præſcribendum per conſuetudinem contra Jus commune ac legem publicam ſufficit ac requiritur, eò quòd privilegium ſit lex privata, & conſequenter quòd hoc imitari debeat legem publicam, ſicque privilegia tam civilia quàm Eccleſiaſtica decem annorum præſcriptione tollerentur, quia tantum temporis ſpatium ad utramque civilem & Eccleſiaſticam legem conſuetudine abrogandam requiritur; atque ita reipsâ docent Panormitanus *in cap. cùm acceſſiſſent. cit.* Bartolus *in L. 1. ff. de Nundin.* Baldus *tr. 4. de præſcript. p. 5. ℣. quartò quæro.* Verùm etſi hæc ſententia locum habere poſſit in præſcriptione Jurium ac rerum laicorum, aliter tamen diſcurrendum in rebus ac Juribus Eccleſiarum, quibus non præſcribitur, niſi tempore quadragenario, inter quæ ſecundùm omnes computantur & privilegia: privilegium enim jus ſpeciale tribuit privilegiato, tranſitque in dominium illius, & ſicut alia jura incorporalia computantur inter bona immobilia privilegiati, ita & privilegium: non poteſt itaque iſta regula decennii procedere contra Eccleſias, & illis conceſſa privilegia, conſequenter hæc non aliter quàm alia Eccleſiarum Jura quadraginta annorum præſcriptionem ad eorum extinctionem requirunt, prout etiam ſatis clarè deciſum habetur *Can. volumus. 2.* & *Can. neque. 3. cauſ. 16. q. 4.* & *cap. de quarta. 4. cap. ad Aures. 6.* & *cap. illud. 8. de præſcript. cap. accedentibus 15. de privil.* & patet ex toto titulo *Cod. ne rei Dominic. & templor. vindicat. tempor. præſcript.* ſubmoveat; licèt enim per antiquos quosdam Canones ad præſcribenda bona immobilia & Jura Eccleſiaſtica tantùm 30. anni requirerentur, ùt patet *ex Can. 1. 2. 4. & 8. cauſa*

16.

Digitized by Google

16. q. 3. & de Jure civili adversùs Eccleſiam & alia pia loca non curreret niſi præſcriptio centenaria *L. fin. C. de SS. Eccleſ.* utrumque tamen hodie correctum eſt utroque Jure: Canonico quidem *cap. de quarta*, & *cap. ad aures. citt.* cum aliis paſſim: Civili autem per *Authent. quas actiones. C. de SS. Eccleſ.* quæ ſumpta eſt ex Novell. 131. c. 6. licèt ergò ultrò fateamur, quòd ad extinguenda per non uſum aut uſum contrarium laicorum privilegia decennium ſufficiat, cùm omnia alia bona immobilia & Jura laicorum tanto tempore inter præſentes & inter abſentes vicennio præſcribantur *§. 1. Inſtit. de uſucap.* & *L. 1. ff. de Nundin.* cum communi Juriſtarum: at ad extinguenda privilegia Eccleſiarum 40. anni neceſſarii ſunt; quæ quadragenaria præſcriptio etiam ad Monaſteria, Hoſpitalia, & alia loca religioſa, item ad Legata & donationes ad cauſas pias extenduntur, ùt conſtat *ex authentica: quas actiones. C. de SS. Eccleſ.* & docet Gloſs. *in cap. de quarta. cit. V. quadragenaria.* Abbas ibidem. n. 7. Covarruv. *Regul. Poſſeſſor. p. 2. §. 2. n. 3.* Molina *tr. 2. D. 72. n. 3.* Haunold. *tr. 5. n. 299.* & alii communiter. Neque dictis obſtat *cap. Si de terra 6. de privileg.* ubi dicitur: quòd privilegium non ſolvendi decimas Ordini Ciſtercienſi per *cap. ex parte 10.* & *cap. nuper 34. de decim.* conceſſum, amiſſum ſit earum ſolutione per annos 30. ab illius Ordinis Monaſterio continuata: nam ℞det. Gloſs. *in cap. accedentibus*, cui adſtipulatur Abbas, Felinus, & communior DD. quòd *cap. illud*: *Si de terra* tanquam anterius revocatum fuerit *à cap. accedentibus.* aliter ℞det. Auguſtinus Michelius l. c. n. 28. ubi vult, in utroque Capitulo diverſam eſſe deciſionem: & *in cap. Si de terra.* quidem agi ſolùm de amiſſione privilegii vi renuntiationis, quæ ex decimarum ſolutione à privilegiatis Juris ſui ignorantiam non habentibus triginta imò paucioribus, & ſecundùm multos decem duntaxat annis ſine ulla interruptione & proteſtatione continuata præſumitur; nam in dicto Capitulo quæſtio fuerat mota ab Abbate & Monachis S. Andreæ apud S. Pontificem, an ipſi deberent decimas ſolvere, quas per 30. annos ſolverunt, cùm tamen haberent penes ſe privilegium non ſolvendi? & reſpondet Pontifex, quòd deberent, quia ex tanto tempore ſufficienter conſtaret, eos contrario uſu privilegio tacitè renuntiâſſe. Econtra verò *in cap. accedentibus* mota fuit quæſtio de præſcriptione, quam prætendebat Abbas & Conventus Naugiacenſis contra Templarios habentes privilegium exemptionis à decimis: ergò neceſſariò debebat Pontifex reflectere ad tempus pro præſcriptione requiſitum, videlicet 40. annorum.

Atque hæc ita ſe habent ſpectato Jure communi & ſecluſis ſpecialibus privilegiis quorumdam Ordinum, præſertim Canonicorum 37

Regularium: ad horum enim præſcribenda privilegia requiruntur omninò ſexaginta anni ex Conſtitutione Sixti IV. quæ incipit: *Dum ad Univerſos. 10. Calend. Sept. Anno 1477.* ubi ſic ait: Porrò volumus ac decernimus, quòd contra Congregationem Lateranenſem, Eccleſias, Monaſteria, loca, res, bona & Jura ſua tam præſentia, quàm futura præſcribi non poſſit, niſi ſpatio ſexaginta annorum continuorum, quòdque nulla alia quàm ſexagenaria contra Congregationem, Canonicos, ac bona & Jura ſua prædicta currat præſcriptio; caſſantes, annullantes, abrogantes, & penitùs irritantes omnem aliam præſcriptionem, quam Congregatio ipſa tam ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorum, rerum, bonorum, & jurium ſuorum hujusmodi, quàm aliàs forſan incurrere cœpiſſent. Idem pro Canonicis Regularibus Congr. Bononienſis ſtatuit Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Idipſum conceſſit Congregationi S. Juſtinæ nunc Caſſinenſi Eugenius IV. in Bulla: *Etſi ex debito. 23. Februar. Anno 1434.* & Julius II. Olivetanis in Bulla: *Etſi ad univerſos. 4. Junii Anno 1507.* ac Leo X. Camaldulenſibus in Bulla: *Etſi à ſummo. 4. Julii. Anno 1513.* Plus adhuc indulſit Honorius III. qui litteris ad Canonicos Regulares Lateranenſes (*Adde*; ipſius Eccleſiæ Lateranenſis, quia eo tempore nondum erat Congregatio Lateranenſis). datis requirit omninò centum annos ad præſcribendum, ut habetur in ejus Bulla: *Sedis Apoſtolica 9. Cal. Maji. Anno 1224.* edita, ubi hæc habet: Statuimus & ſancimus, ut ſicut contra Romanam Eccleſiam nonniſi centenaria currit præſcriptio ſecundùm Conſtitutiones Canonicas, & legitimas ſanctiones, ita quoque ipſi Eccleſiæ Lateranenſi minoris temporis præſcriptio non obſiſtat. Idipſum iisdem omninò verbis ſtatuit Gregorius IX. in Bulla pariter incipiente: *Sedis Apoſtolica. 9. Cal. Maji Anno 1228.* ad eosdem Canonicos data. Idem conceſſit Urbanus II. Monaſterio Cavenſi in Bulla: *Ad hoc 14. Januar. Anno 1092.* ac Innocentius III. Monaſterio S. Laurentii de Averſa in Bulla: *Commiſſa. 15. Julii Anno 1202.* & is ipſe Innocentius III. Monaſterio S. Pauli de Urbe in Bulla: *Cùm aliqua. 13. Junii Anno 1203.* quam poſtea confirmârunt Honorius III. 15. Maji Anno 1218. Gregorius IX. 25. Febr. Anno 1236. & Eugenius IV. Anno 1442. 23. Maji. prout refert Cornelius Margarinus in Bullar. Caſſin. to. 1. Conſtit. 22. 25. 30. & 77. idem denique indulſit Monaſterio Sublacenſi Caliſtus III. in Bulla: *Cùm Ordo. 3. Januar. Anno 1457.* apud eundem Margarinum Conſtit. 84. Quæ privilegia ſexagenariæ aut centenariæ præſcriptionis etiam aliis Congregationibus, Ordinibus, ac Monaſteriis communicari per generalem privilegiorum communicationem docet Rodriquez *to. 1. QQ. RR. quæſt. 8. art. 4.* & *to.*

3. q. 35. art. 2. Miranda to. 2. Man. Prælat. quæſt. 42. art. 4. concl. 2. Tamburin. to. 1. D. 16. quæſ. 14. n. 6. Donatus to. 1. tr. 12. quæſt. 10. n. 8. Portel. V. præſcribere & V. privilegium. Joannes de la Cruz L. 2. cap. 3. dub. 2. concl. 2. Diana Part. 3. tr. 2. de dub. Regul. Reſolut. 88. Alviſetus ſect. 1. cap. 8. art. 6. n. 3. & ſect. 3. cap. 3. n. 18. Andreas à Matre Dei to. 4. tr. 18. cap. 2. n. 24. & alii, volentes, quòd univerſim adversùs Regulares requiratur præſcriptio centenaria, & quòd ſtante mutuâ communicatione privilegiorum inter Religiones, privilegium conceſſum Ordini per non uſum etiam longi temporis non amittatur, ùt tradit etiam Paſqualigo QQ. Canonic. centuria 4ta. q. 339. n. 22. 30. & 45. & ex eo dixit ac firmavit Rota in Turritana Conſervatoria coram Albergato Decano. Deciſ. recentior. part. 15. deciſ. 285. ſub n. 17. apud Pittonum in Conſtit. Apoſt. pro Regul. n. 3529. Quibus tamen quoad communicationem centenariæ præſcriptionis non aſſentitur Eminentiſſimus Cardinalis Petra to. 2. ad Conſt. 4. Honorii III. n. 51. ubi contrarium probare nititur multorum authoritate Doctorum, ac Deciſionum Rotæ, addens tamen ad finem n. 52. in hoc tamen erunt inſpicienda privilegia juxta ſubjectam materiam. Verùm quidquid de hoc ſit quoad alias Religiones in privilegiis communicantes cum Canonicis Regularibus ac Benedictinis, certum mihi videtur, quòd Canonici Regulares Lateranenſes gaudeant iſthoc privilegio centenariæ præſcriptionis, tum quia iisdem fuit expreſsè conceſſum ab Honorio III. & Gregorio IX. tum quia omnia privilegia Eccesiæ Lateranenſi primitùs conceſſa poſtmodum extenſa fuerunt ad totam Congregationem Lateranenſem per Eugenium IV. in Bulla: *Dum ad ſacram Petri ſedem*. 4. Idus Januarii Anno 1445. & in alia Bulla: *Cùm ad ſacratiſſimam*. Calend. Januar. Anno 1446. quas Eugenii Bullas poſtea confirmavit Nicolaus V. in Bulla: *Cùm à nobis*. Anno 1447. & in alia: *Ex proviſione ſedis* Calend. Januar. Anno 1450. ac denique Sixtus IV. iisdem Canonicis in Bulla: *Regimini univerſalis*. Calend. Maji. Anno 1472. & in Bulla: *Dum ad univerſos*. 10. Cal. Septemb. Anno 1477. in qua idem Sixtus IV. prædictis Canonicis Regularibus Lateranenſibus illud quoque conceſſit, quòd contra eorum privilegia per non uſum aut uſum contrarium nullo modo præſcribi poſſit, prout in eadem Bulla hisce verbis expreſſum habetur: Adjicientes, ut ſi quando contigerit per aliquem, ſeu plures actus contra hujusmodi, vel quæcunque alia decreta, privilegia, indulta, gratias, & immunitates præfatæ Congregationi conceſſa, aut ipſorum aliquid à quocunque, cujuscunque conditionis, dignitatis, gradus & ſtatus exiſtat, ex negligentia ſeu ignorantia præſentium & futurorum, quibus ea conceduntur, aut alia quavis cauſa attentari vel obſervari ſcienter vel ignoranter,

ter, nullum tamen per hoc præjudicium decretis, indultis, gratiis, & immunitatibus præfatis generetur, ſed illa in ſuo vigore, ac pleno robore firmata perpetuo permaneant. Idem privilegium conceſſit Canonicis Regularibus Congr. Bononienſis Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Nonas April. Anno 1512.* & Eugenius IV. Congregationi S. Juſtinæ, nunc Caſſinenſi in Bulla: *Regularem vitam. pridie Calend. Julii Anno 1436.* Quibus conformiter

38 Dico 5tò. *Privilegia Canonicorum aliorúmve Regularium etiam oneroſa difficulter ac raró amittuntur vi præſcriptionis per non uſum privativum aut uſum contrarium.*

Ita Rodriquez *to. 3. QQ. RR. quæſt. 35. art. 2.* & alibi ſæpiùs. Bordonus *to. 2. part. 2. Reſolut. 52. n.* 122. Confetius *tit. 1. cap. 3. §. nec etiam.* & *tit. 12. cap. 1. de præſcript.* Portel. *in dub. Regul. V. Privilegium n. 55.* Pellizarius *tr. 8. cap. 1. quæſt. 8. n. 113.* Bruno Chaſsaing. *tr. 1. cap. 5. propoſit. 1.* Donatus *to. 1. tr. 12. quæſt. 7. n. 20.* & *quæſt. 10.* Andreas à Matre Dei *cap. 2. n. 22.* Rotarius *to. 3 L. 3. cap. 5. punct. 3. n. 11.* & ſequitur ex dictis ac allatis num. præced. privilegis: tum quia privilegiis Canonicorum, aliorúmve Regularium, qui eisdem gaudent, juxta ſupra relatas Sixti IV. Julii II. ac Eugenii IV. Bullas per non uſum aut uſum contrarium ſive ignoranter ſive ſcienter factum nequidquam præjudicari poteſt, ſed ea ſemper in ſuo vigore ac pleno robore manent: & conſequenter præſcribi non poſſunt: tum quia cùm longiſſimum tempus centum aut ad minimum ſexaginta annorum, ùt ex ſupradictis conſtat, ad præſcribendum privilegiis Canonicorum aliorúmve Regularium requiratur, vix unquam his omnibus computatis poterit iisdem legitimè præſcribi, præſertim cùm tantum tempus communiter excedat vitam hominum: tum etiam quia frequenter eorundem Regularium privilegia fuerunt de novo per SS. Pontifices confirmata, & quidem etiam abſque clauſula: quatenus ſunt in uſu, per quam confirmationem, ac renovationem privilegia novum acquirunt robur, novásque vires, interrumpunt præſcriptionem, ita ut ab inſtanti confirmationis præſcriptio debeat de novo incipere abſque computatione temporis præcedentis, & ſic extinguitur cœpta priùs præſcriptio: tum denique quia ut privilegium alicui Ordini conceſſum amittatur per non uſum, aut uſum contrarium, debet illud ceſſare in omnibus Monaſteriis ac Provinciis illius Ordinis, cùm privilegium Ordinis ad omnes illius domos ac Monaſteria extendatur: & non uſus aut uſus contrarius alicujus particularis ſive Monaſterii ſive Provinciæ præjudicare non poſſit

ſit toti Ordini: quin etiam licèt in illo Ordine privilegium aliquod non ſit in uſu, ſufficit, quòd in aliis Provinciis ac Ordinibus ſit in uſu, cum quibus Ordo ille in privilegiis communicat; ſuppoſita enim hac privilegiorum communicatione ſatis eſt, quòd una Religio uſum privilegii continuet ad hoc ut illo frui & gaudere poſſit Ordo ille, prout jam ſupra dictum eſt; quibus omnibus ritè perpenſis vix aut raro privilegia Regularium præſertim Canonicorum per præſcriptionem amitti poſſunt.

39 Dico 6tò. *Privilegia per abuſum amitti poſſunt ac merentur.*

Ita unanimis DD. tam Juriſtarum quàm Theologorum, & ſumitur *ex Can. Ubi eſt. diſtinct. 74. Can. Privilegium. 63. cauſ. 11. q. 3.* ubi: *Privilegium omninò meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* & Innocentius III. *Cap. licèt 18. de Regular.* & *cap. tuarum 11.* & *cap. ùt privilegia 24. de privil.* Atque hinc ſi Epiſcopus cogat non ſubditum ordinari, excedit limites ſuæ poteſtatis, quam ob id meretur amittere, ùt definitur dicto *Canone: ubi iſta. 7. diſt. 74.* Si Prælatus Religioſo legitimè petenti licentiam tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem eandem deneget, abutitur poteſtate ſua, & amittit privilegium. *cap. licèt cit. de Regular.* Si quis occaſione immunitatis Eccleſiæ in ea delinquat, ejus immunitate non gaudet, ùt expreſsè ſtatuitur *cap. ult. de immunit.* Sic denique Canonicus prætextu ſtudiorum abſens ab Eccleſia ſua fructus ſuos percipit, ſi tamen neglectis ſtudiis, aliis intendat & vanitatibus ac luſibus vacet, fructus non facit ſuos, ùt habetur *cap. Tua Fraternitatis. 12. de Cleric. non reſident.* Sic etiam ſi Religioſus quiſpiam Ordo à primæva Regulæ obſervantia deſciſcat, & in laxitates declinet, meretur privilegia amittere *arg. cap. Recolentes. 3. de ſtat. Monach.* Poteſt autem hic abuſus tripliciter contingere: 1mò per exceſſum ſecundùm aliquod accidens, ùt ſi quis utatur privilegio contra intentionem concedentis illud ultra conceſſos limites extendendo quoad tempus, perſonam, locum, materiam. 2dò. Si quis privilegio abutatur ad liberiùs peccandum, ùt ſi Prælatus utatur exemptione ad dilapidandum Monaſterii bona, vexandum iniquè ſubditos. 3tiò. Si finem privilegii quis invertat, contrarium agendo, quàm intenderit concedens, ſicut ſi Religioſus à recitando breviario diſpenſatus ut liberius poſſit vacare ſtudiis, his dimiſſis otio vacat ac deſidiæ; quocunque autem ex his tribus modis privilegiatus privilegio ſuo abutatur, meretur illud amittere ſecundùm Jura ſuperiùs allegata. Hujusmodi tamen abuſus non adimit ipſo facto privilegium, ſed juſtam ſuperiori præbet revocandi cauſam, niſi talis abuſus lege aliqua pœnali privilegio privetur ipſo facto, ſicut Clerici negotiantes exuuntur

privilegiis Clericalibus *cap. ult. de vit. & honeſt. Cleric.* Quando verò aliquis ipſo Jure privetur privilegio: & quando per Judicis ſententiam ſit privandus, deſumendum eſt ex verbis & conceſſione privilegii, ad quæ maximè attendendum eſt, ad hoc ut dignoſci poſſit, an pœna, quæ abuſum ſequitur, ſit latæ ſententiæ, an ferendæ; nam ſi in privilegio dicatur ipſo facto privationem incurrere, vel noverit ſe privatum, illicò privilegiatus poſt abuſum privilegii privationem incurrit ipſo Jure, nihilominus tamen ipſe abutens ante Judicis ſententiam ſaltem declaratoriam non tenetur ſe privare privilegio, prout colligitur ex *L. ejus qui delatorem.* & ibi Bartolus. *ff. de Jure Fiſci.* ac cum aliis tradit Auguſtinus Michelius *to. 1. de privil. punct. 5. n. 38.* Idem dicendum, ſi privilegium conceſſum ſit ſub conditione amittendi illud ipſo facto, ſi privilegiatus illo fuerit abuſus. Si verò in privilegio dicatur: *privetur, auferatur ab illo privilegium*, vel *illud mereatur amittere*, aut *illo careat*, non privatur ipſo facto privilegio, ſed nonniſi poſt ſententiam Judicis. Hæc ipſa autem privilegii propter abuſum amiſſio fieri poteſt vel ex toto, vel ex parte; ex toto fit, quando privilegium amittitur quoad omnem & totalem ejus facultatem, ita ut ab illo tunc abuſu non liceat in perpetuum uti privilegio, ùt habetur *Can. privilegium. 63. cauſ. 11. q. 3.* Ex parte fit, quando privilegiatus propter abuſum ſui privilegii privatur poteſtate non in perpetuum, ſed pro aliquo tempore vel loco, ùt cùm quis eligit indignum, privatur pro illa vice poteſtate eligendi, ùt habetur *Can. denuntiamus 23. cauſ. 25. q. 2.* & *cap. Gratum 2. de poſtulat.* & aliis. Abuſus porrò & exceſſus, quos privilegiati ac maximè Religioſi in uſu privilegiorum ſuorum committunt, varii ac multi referuntur in Corpore Juris Canonici, quorum exempla videri poſſunt apud Canoniſtas paſſim ad titulum de privilegiis, & exceſſ. privilegiat.

Ex quibus denique omnibus 40
toto hoc tractatu dictis ſequitur, non omnia Canonicorum aliorúmque Regularium privilegia eſſe hodie ſublata, ſed quamplurima ac pleraque noſtrís etiamnum temporibus vigere ac ſubſiſtere, atque adeò tam in foro externo quàm interno licitè validéque practicari; cùm non omnia ſint revocata, nec per non uſum aut uſum contrarium amiſſa, nec per renuntiationem aut præſcriptionem vel aliam ob cauſam extincta. Et quidem, quòd plurima non ſint revocata, ex eo patet, quòd nunquam hucusque facta fuerit, nec unquam fiet univerſalis revocatio omnium privilegiorum Regularibus conceſſorum. Quamquam enim Tridentinum aliqua hinc inde ac præſertim ſeſſ. 25. privilegia expreſsè revocaverit, tamen plurima imò pleraque reliquit intacta, eáque omnia citatâ *ſeſſione 25.*

cap. 20. in fin. approbavit hisce verbis: In cæteris omnibus præfatorum Ordinum Religioſorum privilegia & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca, & Jura concernunt, firma ſint & illæſa. Et quamvis etiam aliqui poſt Tridentinum Pontifices quædam Regularium privilegia revocaverint aut modificaverint præſertim quoad forum pœnitentiale, ea tamen ſunt modica, & talia fermè, quæ Tridentino adverſabantur, ut proinde maximo numero cæterorum privilegiorum parùm aut nihil officiant. Licèt denique Gregorius XV. & Urbanus VIII. omnia privilegia vivæ vocis oraculo Regularibus conceſſa revocaverint, exceperunt tamen ea vivæ vocis oracula, quæ ante revocationem ſuum ſortita fuerunt effectum, & de quibus teſtimonium tulerunt S. Pontificis Officiales ac Miniſtri, quibus ex vi officii ſui de gratiis & privilegiis per SS. Pontifices conceſſis aut concedendis fides haberi ſolet & debet. Porrò ſæpè dicta magna privilegiorum copia parùm aut nihil minuitur non uſu aut contrario uſu, neque renuntiatione aut præſcriptione vel aliâ amiſſionis causâ; ſiquidem plurima ex illis ſunt merè gratioſa, ac purè favorabilia, quæ in nullius præjudicium cedunt aut gravamen, quæque non uſu aut uſu contrario nunquam poſſunt amitti; neque illis etiam renuntiare licet, cùm pleraque ſint data Ordini, officio, dignitati, aut communitati, quibus renuntiari nequit per privatos: ſed neque præſcribi poſſunt, cùm nulla detur in privilegiis merè gratioſis neminique oneroſis poſſeſſio aut præſcriptio, & licèt onerosa forent, difficulter tamen compleretur præſcriptio, cùm ad hanc longiſſimum requiratur 60. aut omninò centum annorum tempus: alia autem amiſſionis cauſa nec oſtendi poteſt, nec probari: manent igitur Regulares in ſuorum poſſeſſione privilegiorum, à qua deturbari non poſſunt, nec tam facilè poterunt. Quibus omnibus proinde ritè conſideratis firmiter tenendum eſt, omnia & ſingula privilegia ſcripta & bullata, quæ à Tridentino aut aliqua poſt illud Conſtitutione Pontificiâ expreſsè revocata non ſunt: atque omnia etiam vivæ vocis oracula, quæ ante revocationem ſuum ſortita fuerunt effectum, aut de quibus S. Pontificis Officiales atteſtantur, nec alia amiſſionis cauſa oſtendi poteſt, adhuc ſubſiſtere ac valere pro utroque foro, eáque licitè ac validè practicari poſſe. Quænam autem ſint illa in particulari, ſequentes docebunt Tractatus, quibus initium quamprimum dabitur, poſtquam huic, quem ad majorem Dei omnipotentis, Deiparæque Virginis, ac Sanctorum omnium gloriam ſuſcepimus, fuerit impoſitus

Finis.

TRA-

TRACTATUS II.

De
Privilegiis Prælatorum Regularium
Ordinis Epiſcopalis.

POſtquam priori tractatu de privilegiis in communi pluribus pro materiæ dignitate ac neceſſitate diſputavimus, deſcendendum nunc eſt ad ea in particulari conſideranda, præ cæteris verò ad illa, quæ ſolis competunt Prælatis, ut qui alios præcedunt dignitate, aliis etiam præferantur in pertractandis privilegiis. Porrò Prælatorum nomine propriè ſumpto veniunt omnes & illi tantùm, qui cum adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum & honore Prælationis habent Jurisdictionem, quocunque demùm nomine ſive Prioris, ſive Abbatis ſive Præpoſiti appellentur, ùt ex Jure canonico, ac plurimis Authoribus citatis probat Scipio Lancellotus poſtea S. R. E. Cardinalis *in Allegat. à n. 172. uſque ad 200.* & Aſcan. Tamburin. *to. 1. Diſp. 1. quaſ. 2.* Et hinc cùm tam Præpoſiti ac Priores, quàm Abbates Conventuales habeant adminiſtrationem, honorem, ac Juriſdictionem, eádem etiam cæteris paribus fulgent dignitate, & dicuntur conſtituti in primo gradu dignitatis poſt Epiſcopos. Econtra ſive quis dicatur Abbas ſive Prior, ſive Præpoſitus, ſi non concurrat in eis aliquod ex requiſitis ad dignitatem conſtituendam, non dicitur in dignitate conſtitutus; quamvis enim nomen Abbatis regulariter præſeferat dignitatem, & Abbatia dicatur dignitas, nudum tamen nomen non ſufficit, niſi concurrant etiam prærogativæ ad eam requiſitæ, & ſola denominatio non facit Abbatiam eſſe dignitatem, ſed effectus, qui colligitur ex exercitiis. Sic enim in Hiſpania, Gallia & Italia multi Clerici vocantur Abbates, quos certum eſt nullam habere dignitatem. Multis etiam in locis Conſules & Ma-

Magiſtri artium dicuntur Abbates aut Præpoſiti, qui tamen nequidem Clerici ſunt, multo minus in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti. Sic etiam Præpoſiti clauſtrales, qui ſecundùm Regulam S. Benedicti jubentur eſſe ſub Abbatibus, carent omni dignitate, habentque ſe eodem modo, quo Decani & Priores clauſtrales. Unde ad dignoſcendum, an Prior, vel Abbas, aut Præpoſitus ſit in dignitate conſtitutus ac Prælatus propriè dictus, non ſolùm nomen inſpiciendum eſt, ſed prærogativæ & effectus dignitatis per nomen illud ſignificatæ, quæ ſemper & eodem modo reperitur in omnibus Superioribus Conventualibus, quocunque demùm nomine vocentur. Et verò quòd nomen ad majorem Superiorum Regularium dignitatem nil penitus conferat, patet ex eo, quòd Lateranenſium Canonicorum Superiores olim fuerint tantùm vocati Priores, & tamen præceſſerint Abbates Benedictinos S. Pauli, & S. Laurentii extra muros urbis, ùt ex Onuphrio Libr. de ſeptem urbis Eccleſiis refert Tamburinus Diſp. 3. quæſt. 4. n. 22. Sic etiam Prior Canonicorum Regularium S. Frigdiani præcedebat Abbates Caſſinenſes, ac Prior S. Andreæ in Scotia omnes illius regni Abbates.

Ex quibus patet nomen Prioris, Abbatis aut Præpoſiti quoad rem ipſam eſſe unum & idem, prout etiam fatetur Tamburinus, dum cit. quæſ. 2. n. 15. dicit, quòd Prioratus ſit dignitas ſicut Abbatia, & n. 18. quòd Præpoſitura ſit dignitas ſicut Abbatia. Unde quoad rem ac dignitatem nil refert, an quis dicatur Prior, an Abbas, an Præpoſitus, modo reipſa conveniant, ùt iterum plurimis citatis probat Lancellotus loc. ſupra citato. Unde vehementer errant illi, qui aliquam in hiſce nominibus vim ponunt, non attendendo ad rem ipſam, quæ hiſce nominibus effertur: multo magis verò illi ſuam in jure produnt ignorantiam, qui nulla habita conſideratione ad rem per hæc nomina ſignificatam omnia inter ſe confundunt, nunc Præpoſitos clauſtrales, aliosque ſimiles in nulla dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos Superiores conferendo cum Præpoſitis ac Prioribus Conventualibus, nunc Abbates merè titulares & in nulla dignitate conſtitutos comparando cum Abbatibus Conventualibus & in dignitate conſtitutis, cùm tamen & Abbates meré titulares ac Præpoſiti clauſtrales, aliique ſimiles longiſſimè diſtent ac differant à Præpoſitis & Abbatibus Conventualibus, prout non minùs doctè quàm eruditè demonſtrat Rmus. D. Auguſtinus Erath in Comment. ad cap. 1. ℣. 3. Reg. Q. 3. §. 3. Nam Abbates merè titulares ac Præpoſiti clauſtrales dici non debent nec poſſunt Prælati ſaltem propriè, cùm nullam habeant juriſdictionem aut prærogativam ad Prælatum conſtituendum requiſitam: Abbates e-

contra ac Præpoſiti Conventuales propriè ſunt Prælati, & pro talibus habentur in Jure, út conſtat ex cap. decernimus 2. de Judic. cap. Præſenti. 9. de offic. Judic. Ordinar. in 6. cap. ut Apoſtolicæ. 6. de privileg in 6 quia Prælati verè & propriè dicuntur illi, qui aliis præſunt, ac in eos jurisdictionem habent ordinariam juxta doctrinam Gloſſæ & Panormitani in cap. decernimus cit. n. 16. Sed Præpoſiti & Abbates aut Priores Conventuales ſuis Religioſis præſunt & in eos jurisdictionem habent ordinariam: ergò ſunt verè ac propriè dicti Eccleſiæ Prælati, prout omnes tenent tum Theologi tum Canoniſtæ, quos longa ſerie refert Tamburin. to. 1. D. 2. Q. 3. n. 3.

Atque hi ſunt illi Prælati, qui plurimis gaudent privilegiis, quæ tum hoc tractatu, tum ſequenti intendimus diſcutere; ubi tamen notandum, hosce Prælatos dupliciter conſiderari poſſe, 1mò. quatenus ſunt ſuorum Religioſorum Superiores ac in eos habent poteſtatem jurisdictionis: & ſub hac conſideratione Præpoſiti & Abbates Conventuales cum cæteris omnibus Superioribus tam Mendicantium quàm non Mendicantiũ conveniunt, quocunque demùm nomine nuncupentur, quia omnes hujusmodi Superiores Conventuales jurisdictionem ordinariam pariformiter habent in ſubditos ſibi Religioſos: atque ſuo modo etiam adminiſtrationem & curam bonorum ipſius Conventûs: & hinc quidquid in Jure ſub Abbatum nomine habetur aut diſponitur, ùt ſunt Superiores, intelligendum etiam erit de reliquis Superioribus Religioſorum, qui ſunt immediati Monaſteriorum Prælati, licèt diverſis nominibus apellentur, ùt claré colligitur ex cap. cùm olim 14. de majorit. & obedient. & ibi Panormitanus, Felinus, ac cæteri DD. communiter. 2dò. poſſunt Abbates, Priores ac Præpoſiti conſiderari prout habent uſum Pontificalium & poteſtatem Ordinis ac dignitatis Epiſcopalis, quam illi ſuo modo participant: ſub qua conſideratione ſpeciales habent prærogativas ac privilegia, quibus haud gaudent alii Regularium præſertim Mendicantium Prælati ac Superiores; ipſi enim neque mitra, neque baculo paſtorali, aut aliis Pontificalibus Inſigniis uti poſſunt, & conſequenter nec ordinare, aut alia exercere, quæ ſine hujusmodi inſigniis perfici nequeunt, ùt conſtat ex communi uſu, ac experientia, & certum eſt apud omnes. Præterquam quòd alii Prælati ac Superiores Regularium neque in Synodis aut Conciliis, quemadmodum Abbates, locum & votum conſultivum habeant, nec in multis tam Eccleſiaſticis quàm Sæcularibus functionibus adhibeantur, ſicut Prælati Pontificalibus Inſigniis gaudentes. Et licet per viam communicationis gaudere poſſint omnibus cæteris privilegiis, quæ Abbatibus ùt Religioſorum Superioribus conceſſa ſunt, ea

ta-

Digitized by Google

tamen non communicant, quæ ſupponunt uſum Pontificalium, aut ad eum referuntur. Atque hinc eſt, quòd SS. Canones & alia Jura nec communiter DD. præeminentia, & honoraria quadam excellentia magni faciant Abbatialem hanc dignitatem, quæ non poteſt in pluribus adaptari cæteris præſertim Mendicantium Prælatis, prout habet Tamburinus Diſp. 1. quæſ. 8. n. 7. Sub hac igitur conſideratione agemus in præſenti tractatu de Prælatis Abbatiali dignitate & eminentiis gaudentibus, de iisdem ſub priori acturi in ſubſequenti: & præſentem quidem tractatum in tres Diſputationes dividemus, quarum 1ma. erit de poteſtate Prælatorum præſertim Canonicorum deferendi habitum Epiſcopalem, utendi Pontificalibus, & ſolemnem populo dandi benedictionem, eique Indulgentias elargiendi. 2da. de poteſtate Prælatorum conferendi minores & majores Ordines aut ad quemcunque mittendi Epiſcopum ordinandos, & diſpenſandi in temporibus Ordinationum ac in ætate per Tridentinum requiſita. 3tia. de poteſtate Prælatorum benedicendi res ſacras, Eccleſias pollutas reconciliandi, conſecrandi calices, campanas, Altaria, & Eccleſias, confirmandi, ac S. Chriſma conficiendi.

DISPUTATIO I.

De poteſtate Prælatorum præſertim Canonicorum deferendi habitum Epiſcopalem, utendi Pontificalibus, & ſolemnem populo dandi benedictionem eique Indulgentias elargiendi.

PRæclara ſanè ac inſignia ſunt privilegia, quæ Prælatis tum Canonicorũ Regularium, tum aliorum Ordinum à SS. Pontificibus conceſſa ſunt ratione dignitatis Abbatialis, qua proximum poſt Epiſcopos locum obtinent in Eccleſia, ac ſæpiùs etiam in Jure ac Pontificali Romano nomine Epiſcoporum ac Pontificum veniunt, eàque fermè omnia facere poſſunt, quæ ſolis cæteroquin conveniunt Epiſcopis. Id autem fieri contingit 1mò. Cùm eundem quem Epiſcopi deferunt habitum. 2dò. Dum officium divinum celebrantes utuntur inſignis Pontificalibus, ac easdem adhibent cæremonias ac ritus, quos in tali caſu obſervant Epiſcopi. 3tiò. Cùm ſolemnem populo dant bene-

dictionem, eique elargiuntur Indulgentias. 4tò. Cùm primam tonſuram ac Ordines minores conferunt, aut etiam Majores Subdiaconatûs aut Diaconatûs elargiuntur. 5tò. Dum multa alia circa eosdem Ordines diſponere, ac in temporicus Ordinationum diſpenſare poſſunt. 6tò. Cùm benedicunt res ſacras & ad cultum divinum pertinentes ac Eccleſias pollutas reconciliant. 7mò. Dum conſecrant vaſa ſacra, calices, campanas, Altaria interveniente etiam S. Chriſmatis unctione. 8vò. Dum Sacramentum Confirmationis impertiuntur, aut S. Chriſma conficiunt. Quæ omnia ſolis de Jure ordinario Epiſcopis competere certum eſt, ut adeò ſi quas Prælati circa prædicta habeant facultates, eas ſolùm ex ſpeciali SS. Pontificum privilegio obtinuerint, quas hoc tractatu diſcutere intendimus: & in hac quidem Diſputatione tria nobis ſunt examinanda. 1mò. De poteſtate Prælatorum præſertim Canonicorum deferendi habitum Epiſcopalem. 2dò. De poteſtate Prælatorum utendi Pontificalibus Inſignibus. 3tiò. De poteſtate Prælatorum concedendi populo ſolemnem benedictionem & elargiendi Indulgentias.

Sectio I.

De poteſtate Prælatorum præſertim Canonicorum
Regularium deferendi habitum Epiſcopalem.

1 HAbitus Epiſcoporum Sæcularium in Eccleſia geſtari ſolitus præcipuè conſiſtit in Rochetto, Mozeta violacea, uti & toga talari violacea, ac Biretto. Rochettum juxta cæremoniale & morem tam Romanum quàm totius mundi eſt veſtis linea alba, ad genua uſque defluens, ſtrictáſque & anguſtas habens manicas, per quas quoad formam differt à Superpelliceo, quod Clerici Sæculares cæterique Religioſi in Eccleſia hodie deferre communiter ſolent, atque latas & amplas habet manicas verſùs terram defluentes. Ethymologiam nominis Rochetti ex variis Authoribus eruditè tradunt Cæſar Benevenutti *in QQ. ſelectis. q. 8. cap. 2.* Nicolaus Desnos *L. 1. de Cleric. Sæcular. & Regular. cap. 6. n. 9.* & Gavantus *p. 2. tit. 1. Lit. Z.* qui illud etiam cum Joan. Georg. Grueber *in aliment. pietat. p. 3. conſid. 4. fol. 439.* ſpiritualiter explicat; dicitur etiã cæteroquin *Camiſia Romana* à Benedicto XII. S. P. *in Conſtit. general. Reform.* & ab Authoribùs paſſim, idque partim ex Italico *Camiſcio*, quod ſignificat togam lineam in choro uſitatam, ùt vult Auguſt. Erath. partim ex urbe Romana, ubi veſtis iſta Romano

Pon-

Digitized by Google

Pontifici, Cardinalibus, & Epiſcopis principaliter convenit; vocatur quoque nonnunquam *Supparus*, vel quòd ſupra indui ſoleat, vel quòd ſub alia veſte portetur; nominatur præterea à Buſchio *in Chron. Windeſem. L. 1. cap. 23.* & ab omnibus Windeſemenſibus *ſubtile*: quandoque etiam in Diplomatibus Pontificiis *Superpellicium.* de quibus omnibus plura videri poſſunt apud Pennotum, Desnoſium, Gavantum, & Erath *in Comment. ad cap. 1. Reg. Q. 2. §. 1.* ac D. Cæſarem Beneventuti Abbatem Lateranenſem loc. cit. ubi de Rochetto ejusque origine pluribus diſſerit ex inſtituto. Eſt autem Rochettum tantæ eminentiæ ac dignitatis in Eccleſia Catholica, ut ſoliS Pontifici, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis Epiſcopis ac Canonicis Regularibus tantùm, ut poſtea pluribus oſtendam, ſit conceſſum ac reſervatum, cæterisque omnibus, etiam Clericis Sæcularibus ſit prohibitum, ùt notat quoque Buſchius *in Chron. Wideſem L. 1. cap. 23.*

Mozeta ſeu Moſeta vocabulum eſt Hiſpanicum, teſte Auguſtino Erath, latinè ſignificans Almutiam ſeu Cappam, quæ caput & humeros tegit, ùt habet Desnos *cap. 12.* Pennotus *L. 1. c. 22. n. 3.* & Baronius ad annum 261. unde ſæpiùs hæc nomina confunduntur, & pro eodem accipiuntur: Cappa tamen nomen eſt generale ad Almutiam & Mozetam; Nam Mozeta non tantùm apud Authores paſſim, ſed etiam in SS. Pontificum diplomatibus præſertim in Bulla Leonis X. *Ex ſuperna Majeſtatis.* & maximè in cæremoniali Romano *p. 1. cap. 3.* & alibi frequenter dicitur Cappa: ſicut viciſſim etiam Almutia ab iisdem & cumprimis à Benedicto XII. in Conſtitutione general. Reformat. Ordinis Canonici § 40. paſſim vocatur Cappa. Quamvis autem & Mozeta & Almutia dicantur Cappa, atque re ipſa ſæpiùs tam in materia quàm in forma conveniant, diſferunt tamen aliquo modo per hoc, quòd Cappa, quæ defertur ab Epiſcopis, vocari ſoleat Mozeta ſeu Cappa Epiſcopalis; Cappa verò, quæ portatur a Canonicis, nominetur Almutia ſeu Cappa Canonicalis, aut etiam Choralis, eo quòd potiſſimùm deferri ſoleat in choro, atque adeò differunt ſaltem nomine pro diverſitate eas deferentium. Almutia ùt plurimùm eſt uſitata apud Canonicos Regulares præſertim alicui Congregationi adſcriptos, non tamen ab omnibus eodem modo uſurpatur; nam apud aliquos caput & humeros tegit, ſicut Mozeta: apud alios reſecto caputio & admodùm diminuto ſolos humeros tegit, imò alicubi ſuper unam duntaxat ſcapulam vel etiam ſuper brachium ſiniſtrum tantùm à Canonicis geſtari ſolet, ùt teſtatur Desnos *L. 4. cap. 14.* & ex eo Auguſt. Erath. *L. c. n. 321.* ac docet uſus & experientia. Sicut autem Almutia interdum exteriùs & interiùs eſt pellicea, interdum exteriùs tantùm, interdum au-

Digitized by Google

autem tota eſt de panno ſeu lana: ita & Mozeta regulariter lanea, vel de pellibus ſylveſtrium ferarum, aut de pilis camelorum ſeu ex camelotto, ac pro temporum diverſitate pelliculis albis ornata, prout habet cæremoniale Epiſcop. *p. 1. cap. 1. & 3.* nunquam tamen tota debet eſſe ſerica, ſed ſaltem ex ſuperiore parte decet eſſe laneam ob moralem, quam habet ſignificationem; per eam enim indicare voluit Eccleſia primitiva, quòd Clerici Almutiis, & Epiſcopi Mozetis ſupra humeros induti debeant imitari Chriſtum Paſtorem bonum portantem infirmas oves in humeris, ùt docent Iſidorus Peluſiota *L. 1. Epiſt. 136.* & Gretſerus *in Curopalatem cap. 1.* ac alii apud Desnos *L. 4. cap. 15.* Variis præterea efferri ſolet nominibus tam Almutia quàm Mozeta: quandoque enim vocatur ſimpliciter *Caputium*, nonnunquam *Mantellum*, aut *Mafors* ſeu *Mapherium*, *Forcatura*, *Camelaucion*, & *Homophorium*, quorum explicationem vocabulorum, aut Ethymologiam nominum videri licet apud Desnoſium, Nebridium à Mindlheim, & Auguſtinum Erath. Omnium verò celeberrimum eſt *Byrrhum* ſeu *Byrrhus* jam primis Eccleſiæ temporibus uſitata veſtis, quam Clerici & Epiſcopi ſuper lineam veſtem deferre ſolebant: ſic enim refert Pontius Diaconus de S. Cypriano Epiſc. & Mart., *quòd ſe expoliaverit Byrrho & dederit carnificibus*: & de S. Britio Archiepiſcopo Turonenſi legitur, *quòd prunas ardentes portaverit in Byrrho ſuo per civitatem ad demonſtrandam innocentiam.* Idē geſtavit S. Auguſtinus cum ſuis Clericis, ac cæteri Epiſcopi. Porrò Byrrhum ſeu Byrrhus vel idem fuit cum noſtris Almutiis & Mozetis vel eisdem multùm affinis, quamquam multi duplex fuiſſe Byrrhum exiſtiment, unum ſimplex pro æſtate, alterum pro hyeme, quod etiam vocabant *Byrrhum lacernum.* Hoc totum Corpus circumdabat in terram uſque defluens, prout multi etiamnum deferunt Canonici Regulares præſertim hyeme, ùt imaginibus æri inciſis repræſentat Claudius du Molinet in Tractatu de differents habits de Chanoines Reguliers & P. Bonani in novo ſuo opere hac de re edito, Byrrhum ſimplex ſolùm caput & humeros obtegebat ſicut Mozeta & Almutia, eſtque cum his re ipſa idem. Illud verò geſtâſſe etiam S. Auguſtinum ejùsque Clericos ſeu Canonicos, conſtat ex ipſomet S. Patre, qui non aliud voluit habere Byrrhum, quàm quale gerebant Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi ſui, ùt ipſe refert *Serm. 2. de communi vita Clericorum.* Qui plura de hoc veſtimenti genere ſcire deſiderat, conſulere poteſt Baronium *to. 2. annal. Eccleſ. Anno 261.* Pennotum *L. 1. cap. 22.* Laurent. Landmeter *L. de veter. cleric. habitu.* Nebridium à Mindlheim *in antiq. Monaſt. Epiſt. 143.* Joannem Molanum *L. 3. de Canon.* Nicolaum Desnos *L. 4. cap. 13.* Gavantum *p. 2. tit. 3.* Auguſtin. Erath *n. 322.* qui omnes rem hanc ex antiquis ſcripto-

ptoribus elucidant pluribus. A Byrrho ortum traxiſſe videtur Byrretum vox diminutiva Byrrhi, cùm enim Byrrhum & Caputium Clericis accideret grave, eorum loco cœperunt uti pileolis quadratis, quos à Byrrho dixère Byrreta, ùt teſtatur Pennotus *l. c.* & Nicolaus Desnos *cap. 13.* & *cap. 6.*

3 Toga talaris eſt veſtis oblonga, quæ totum circumdat corpus & uſque ad talos deſcendit, à quibus etiam talaris dicitur. Ex parte anterióre tota eſt aperta, & globulis tantùm adſtricta; ea pro diverſitate portantium ſolet eſſe diverſi coloris; nam S. Pontifex defert togam talarem albam, Cardinales rubram, Epiſcopi violaceam, quibus etiam conformari ſolet Byrretum, & Mozeta. Sicut autem Mozeta apud Cardinales & Epiſcopos eſſe debet ejusdem coloris cum toga talari, adeò ut ſi toga ſit violacea aut rubra, etiam Mozeta talis eſſe debeat: ita etiam in cæteris Prælatis, qui poſſunt uti Mozetâ deberet eſſe ejusdem colòris. Atque hinc ſi qui Mozetam deferre poſſunt violaceam, ejusdem quoque coloris deferre deberent togam talarem, ſcilicet violaceam. Unde etiam Benedictus XII. in Conſtitutione generalis Reformationis Canonicorum Regularium §. 40. ſtatuit, ut Cappæ ſint ejusdem coloris cum veſtibus, uti etiàm ſupponit cæremoniale Epiſcoporum, quando Mozetam violaceam pro Epiſcopis & Canonicis *L. 1. cap. 3.* præſcribens, hoc ipſo etiam togam talarem permittit eſſe violaceam. Atque hinc etiam Epiſcopis ex aliquo Regularium non Canonicorum Ordine aſſumptis non alia permittitur Mozeta, quam talis coloris, qualis eorum Ordini proprius eſt, ut nempe Mozeta conformetur togæ talari. Notandum porrò hìc etiam, quòd etſi Mozetæ uſus competat Epiſcopis in Curia Romana, & in proprio Epiſcopatu, idem tamen Epiſcopis tam ex Clero ſæculari, quàm ex aliquo Religioſo Ordine aſſumptis prohibitus eſt extra Diœceſin, ùt patet ex cæremoniali Romano c. 3 quia Mozeta in Epiſcopis ſignificat jurisdictionem, quam cûm nullam habeant in aliena Diœceſi, etiam nullum illis competit ſignum jurisdictionis. His ita de habitu & colore Epiſcoporum præmiſſis

Quæſtio principaliter procedit de Canonicis Regularibus eorúmque Prælatis: an iſti poſſint uti habitu Epiſcopali, ſcil. Rochetto, Almutia & Mozeta, ac toga talari violacea; nam quod ad Regulares cæteros Ordinum tam Mendicantium quam non Mendicantium attinet, certum eſt eos nequidem ad ſtatum Epiſcopalem promotos uti poſſe vel Rochetto vel toga talari violacea: & licèt ſit eis uſus Mozetæ conceſſus, non alius tamen illis color permittitur, quàm qui eorum Ordini proprius eſt, prout ſolemni edicto ſtatuit Innocentius III. in Concilio Lateranenſi 4to. *cap. 16. & cap. Clerici 15.*

ci 15. de vit. & honeſt. Cleric. patétque ex cæremonial. *Epiſc. p. 1. c. 1.* ac cum pluribus à ſe citatis tradit Tamburin. *D. 20. q. 3.* ubi *num. 4.* ſimul ait: Regularem habitum ita neceſſarium eſſe Epiſcopis, qui Religionis vota emiſerunt, ut multi, quos refert Sanch. *in Decal. to. 2. L. 6. c. 6. n. 23.* aſſerant, EpiſcopumRegularem habitum ſuum omittentem & aſſumentem album & candidam veſtem, qui ab Epiſcopis exteriùs defertur, incurrere excommunicationem latam contra Monachos habitum omittentes *cap. ut periculoſa. 2. ne Cleric. vel Monach. in 6.* Solùm igitur poteſt eſſe dubium de Canonicis Regularibus eorúmque Prælatis, an ipſi pro libitu poſſint deferre habitum Epiſcopalem, & quidem etiam quando ad Epiſcopatum aliáſque dignitatesEccleſiaſticas aſſumuntur? Quamvis autem res hæc quoad pleraque videatur eſſe certa & indubitata;quia tamen multos habet adverſarios Jurium Canonicorum ignaros, qui, quidquid ignorant, blaſphemant & carpunt, non erit abs re eorum dedocere ignorantiam, eorúmque falſas corrigere ideas, ac illud ipſum demonſtrare ex SS Pontificum Conſtitutionibus,Conciliorum decretis, Deciſionibus SS. Congregationum, authoritate S. Auguſtini, ac ſtatutis Ordinis, ſtylo Curiæ Romanæ, cæremoniali Epiſcoporum, & communi Authorum hac de re ſcribentium conſenſu. Examinabimus proin omnia per partes, ac 1mò quidé: AnCanoniciRegulares eorúmq; Prælati poſſint deferre Rochettū ſicutEpiſcopi? 2dò.AnCanoniciRegulares poſſint deferre Almutias? 3tiò, AneorumPrælati poſſint deferreMozetam ſeu Cappam Epiſcopalem, 4tò. An Canonici Regulares eorúmque Prælati ad Epiſcopatum aliáſque dignitates Eccleſiaſticas aſſumpti poſſint deferre habitum Epiſcopis exClero ſæculari aſſumptis competentem? 5tò. denique: An Canonici Regulares & maximè eorum Prælati poſſint deferre togam talarem & Mozettam violaceam?

Dico 1mò. *Canonici Regulares eorúmque Prælati poſſunt ac debent deferre Rochettum tanquam habitum proprium & eſſentialem.*

Ita certa omninò ſententia nemine contradicente.Probatur1mò.authoritate SS. Pontificum inprimis Benedicti XII. in Bulla generalis reformationis Ordinis Canonici, quæ incipit: *ad Decorem. Idib. Maji Anno 1339* edita, ubi Canonicis Regularibus uſum deferendi Rochettum expreſſè concedit, dicens: *illos ab antiquo vel ab inſtitutione habere uſum ſuperpelliceorum ad formam Rochettorum ſeu Camiſiarum Romanarum.* Benedicto accedit Gregorius XII. qui Canonicis Regularibus pro habitu proprio aſſignat Rochettum in Bulla: *exci-*

Digitized by Google

excitat noſtræ mentis 3. *Non. April. Anno* 1408. data. Idipſum ſupponunt Martinus V. in Bulla: *Super gregem.* 14. *Cal. Januar. Anno* 1419. pro Canonicis Regularibus Congregationis Bononienſis: & in alia, quæ incipit: *Sponſa Chriſti* 15. *Cal. April. Anno* 1420. pro Canonicis Regularibus Congregationis Windeſemenſis: & rurſus in Bulla: *Sollicitudinis Paſtoralis* 2. *Cal. Julii Anno* 1421. pro Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis expeditis, quibus præter alios plures addi poſſunt Clemens VIII. & Innocentius X. qui in cæremoniali Epiſc. *cap.* 1. teſtantur, Canonicos Regulares non Epiſcopos æquè Rochetto uti, quam Epiſcopi: ad quorum omnium mentem S. Congregatio Cardinalium ſæpius declaravit, Rochettum eſſe habitum proprium Canonicorum Regularium præſertim Anno 1603. die 1. Septemb., quo controverſia inter Caſſinenſes & Lateranenſes exortâ ratione præcedentiæ decidit, *quòd Canonici Regulares in linea veſte, videlicet Rochetto; abſque alio ſuperpelliceo intelligantur eſſe in habitu clericali juxta ſententiam à Pio IV. latam:* quam in rem etiam plura poſſent adduci concilia, quæ Canonicis Regularibus præſcripſerunt ejuſmodi veſtem lineam, qualis eſt Rochettum, quæ videre licet apud Nicolaum Desnos, Cæſarem Benevenuti, & Mariũ Boeri.

5 Probatur 2dò. authoritate S. P. Auguſtini Ordinis Canonici Reformatoris ac Legislatoris præſtantiſſimi, qui ſerm. 2. de commun. vit. Clericorum ait: *nemo det Byrrhum vel tunicam lineam, niſi in commune:* ex quibus verbis clariſſimè patet, tunicam lineam fuiſſe tum S. Auguſtini tum Clericorum ac Canonicorum ſuorum habitum proprium, ùt nemo nõ fatetur: per tunicam verò lineam intellexiſſe S. Patrem illud veſtimenti genus, quod nos Rochettum vocamus, patet ex contextu illius ſermonis & pluribus probant Pennotus *L.* 1. *cap.* 23. & Nicolaus Desnos *L.* 4. *cap.* 9. Atque hinc ejuſdem S. Patris exemplo inſiſtentes Canonici Regulares tanquam illius diſcipuli ac imitatores nunquam non hanc veſtem lineam detulère, atque pro ſuo ac proprio habitu habuère, ita quidem, ut multi etiam illum ſub excommunicatione portandum putaverint ac præceperint, ùt patet ex diverſarum Ordinis Canonici Congregationum ſtatutis, ex quibus ſimul probatur ulteriùs concluſio noſtra: ſic enim ſtatuta Congregationis Lateranenſis à pluribus SS. Pontificibus approbatâ *p.* 1. *c.* 3. in hæc verba loquuntur: *Proinde prædicti Canonici Rochettum, qui eſt ipſorum proprius & eſſentialis habitus, ſemper deferant, & nullus Canonicus ſive extra ſive intra clauſtra dimittat, neque ita occultet, quin facilè, cujus ſit Inſtituti valeat agnoſci.* Ita quoque loquuntur ſtatuta Congregationis Windeſemenſis, in quibus *part.* 2. *cap.* 7. præſcribitur omnibus illius Canonicis, ut *ſubtilia omni tempore geſtent:* per ſubtilia verò intelligunt Rochettũ, ùt patet

ex Buſchio, in Chronico Windeſemenſi, ubi *cap. 23. Lib. 1.* ait: *Rochettũ romanum, ſive ſubtile, quod idem eſt.* Statuta Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ *p. 1. cap. 20.* præcipiunt, *ut linea veſte, quam Rochettum vocant, ſemper intra & extra domum utantur.* Idem habetur ex Conſtitutionibus Canonicorum Regularium Congregationis Bononienſis, & S. Ruffi in Gallia, ac plurium aliarum tum Congregationum, tum Canoniarum etiam particularium, in quibus ubique & pariformiter præſcribitur uſus Rochetti tanquam habitûs Canonicis proprii & eſſentialis. Et hinc Canonici Regulares Itali, Galli, ac Windeſemenſes aliique tam ſtricti ſunt obſervatores Rochetti, ut illud tam domi, quàm in Eccleſia, tam intra quàm extra clauſtra ſemper integrum deferant, omnemque aliam veſtem lineam, quæ ſunt nuda Rochetti ſigna, ſeverè prohibeant: quo tamen non obſtante Canonici Regulares ſuperioris Germaniæ Rochettum in Eccleſia tantùm ac Proceſſionibus aliiſque actibus publicis portant, domi verò commoditatis aut compendii causâ *Sarrocium*, & ruri vel in itinere *Sarrociolum*, ſive ùt in SS. Pontificum Bullis vocatur *linteolum penſile*, *parvum collaretum lineum*, à Pennoto *L. 2. cap. 69. faſcia ſeu haſta linea*, & à Mauburno Abbate Lyvriacenſi in venatorio *parva pecia linea.* Sarrocium porrò dicitur quaſi ſacer Rochus & eſt veſtis linea absque manicis ex utroque latere aperta, & nonniſi ad quatuor digitorum altitudinem infimè clauſa: à multis vocatur etiam *collobium.* Sarrociolum ſeu Sarrocium parvum ex utraque parte apertum eſt & faſciæ lineæ omninò ſimile. Illud Canonici Regulares Congregationis Salvatoris noſtri in Lotharingia ac pleriq; cæteri Canonici, qui eo utuntur, transverſim geſtant ſuper togam nigram, atque hunc etiam fatetur celeberrimus ille Eraſmus Roterodamus in ſuis epiſtolis ſuum fuiſſe habitum, eúmque ſibi à SS. Pontificibus indultum fuiſſe. Simile indultum conceſſum etiam fuit ab Innocentio VIII. per diploma Apoſtolicum Anno 1487. Priori Canonicorum Regularium Hoſpitalis Trecenſis S. Bernardi ſequentibus verbis: *Concedimus, ut cùm extra Parochias vel quorumcunque aliorum Prioratuũm domos, aut quodcunque Monaſterium dicti Ordinis, aut aliàs recreationis gratia ad civitates vel alia loca cum uno vel duobus aliis fratribus Canonicis te transtuleris, dimiſſo dicto Rochetto quamdam Bandam lineam, ſeu quoddam parvum colaretum etiam lineum, continentia communiter nuncupatum, prout nonnulli alii Fratres Canonici profeſſi quorumdam aliorum Monaſteriorum in regno Franciæ conſtitutorum conſueverunt, geſtare poſſis & valeas; ipſique Canonici te aſſociantes poſſint & valeant.* Ex quibus patet uſum Sarrocii, & Sarrocioli tum in immemoriali conſuetudine, tum in litteris Apoſtolicis fundatum eſſe, ut proinde utrumque liberè deferre poſſint Canonici Regulares ſaltem illi, quibus eo-

eorum uſus non eſt ſpecialiter prohibitus. Sed ut revertamur ad Rochettum noſtrum, cujus occaſione nonnihil digreſſi ſumus.

6 Probatur denique concluſio 3tiò. Jus portandi Rochettum Canonicis Regularibus tanquam Apoſtolicis & eſſentialiter Clericis compètit ex aſſiduâ, immemoriali, & antiquiſſima conſuetudine non minùs quàm Epiſcopis, ita quidem ut non deſint, qui putant, habitum Epiſcoporum ab habitu Canonicorum Regularium originem traxiſſe; nam antiquitùs erant Epiſcopi Canonicorum Regularium Præſides ſive Præfecti & cum illis convivebant: prout etiam ex Alcedone Authore Hiſpano, qui ex inſtituto ſcripſit de habitu Epiſcopali, refert Clariſſimus P. Chapponellus. Ipſus certè S. Pontifex Rochettum habet pro uſuali ſuo ac quotidiano habitu, illudque continuò defert non minùs quàm plerique Canonici Regulares quod certiſſimum videtur ſignum eſſe, Rochettum non alios habere authores, quàm Apoſtolos & ab his tum ad SS. Pontifices ac Epiſcopos, tum ad Canonicos Regulares tanquam Clericos Apoſtolicos ab illis deſcendentes dimanâſſe: quòd enim Apoſtoli geſtaverint veſtem lineam probat Pennotus pluribus ac evidentibus teſtimoniis Durandi, S. Cypriani, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Caſſiani, Alberti Trotti, Nicolai Lyrani & aliorum, quos brevitatis ſtudio omitto. Unde Zacharias Ferrerius n. 44. teſtatur, Romæ in omnibus antiquis picturis reperiri Apoſtolos in habitu albo depictos, & Eminentiſſimus Card. Cicada in relatione S. Pontifici Pio IV. factâ oſtendit, Apoſtolos geſtâſſe habitum lineum, idemque demonſtrat Nicolaus Desnos *L. 4. cap. 6.* ex Adone de S. Alexandro Epiſcopo & Martyre. & *cap. 5.* ex Hieronymo, ex decreto Leonis IV. ex Conſtitutionibus Riculphi Epiſcopi Sueſſionenſis, ex antiquo more Eccleſiæ Romanæ, & aliarum Eccleſiarum. Teſtatur quoque apud Euſebium *hiſt. Eccleſiaſt. L. 2. cap. 23.* Egeſippus temporibus Apoſtolorum proximus, S. Jacobum Apoſtolum, Fratrem Domini, *linea tantùm veſte uſum fuiſſe:* idemque patet ex hiſtoria S. Sylveſtri de B. Euphroſino, qui Romam venit indutus Collobio candido, quod fertur fuiſſe S. Jacobi Apoſtoli. In tabella reliquiarum Baſilicæ Lateranenſis ſub Nicolao IV. confecta poſt varias S. Joannis Evangeliſtæ reliquias, refertur etiam ejusdem tunica linea. In Baſilica Apoſtolorum conſervabatur Collobium D. Thomæ Apoſtoli, quod pariter erat veſtis linea. De S. Bartholomæo ſcribit Abdias: *veſtitur Collobio albo, & induitur pallio albo.* in epiſtola quadam Stephani Papæ III. apud Ruben. pag. 108. ad Hilduinum directa legitur, quòd ipſe viderit S. Dioniſium Collobio indutum candidiſſimo: quæ ſanè ac plura alia teſtimonia luce clariùs demonſtrant, Apoſtolorum aliorúmque primitivæ Eccleſiæ Clericorum habitum fuiſſe

lineam veſtem, quam ad poſteros & in Apoſtolico munere ac vita Succeſſores Clericos Canonicos, quos hodie Regulares vocant, traductam in eam, quam nunc cernimus, Rochetti formam ſucceſſu temporis reduxerunt, quod proin utpote veſtis ſummæ dignitatis & eminentiæ ſummis tantùm Pontificibus, Cardinalibus, & Epiſcopis ac Regularibus Canonicis tanquam ab Apoſtolis deſcendentibus de Jure competit, cæteriſque omnibus tam Clericis ſæcularibus, quàm Regularibus quibuſcunque ſive Mendicantium, ſive non Mendicantium Ordinum, etiam Epiſcopis ex iis aſſumptis, & multo magis eorum Prælatis prohibetur, ùt patet *ex cap. Clerici. 15. de vit. & honeſt. Cleric.* & ex cæremonial. Epiſc. *L. 1. cap. 1.* ac pluribus tradunt Zacharias Ferrerius, Lancellotus, Baſilius Serenius, Pennotus, Tamburinus, Desnoſius, Cæſar Benevenuti & Marius Boeri, quibus accedit univerſalis urbis & orbis praxis, quæ Canonicis quidem Regularibus tam intra quàm extra Curiam permittit uſum Rochetti, non item aliis.

7 Ex hoc ipſo verò, quòd Rochettum ſit habitus tantæ eminentiæ ac dignitatis in Eccleſia Catholica, ut ſummis tantùm Pontificibus, Cardinalibus & Epiſcopis ac Canonicis Regularibus de Jure competat, cæteriſque omnibus, ſecluſo ſpeciali privilegio, ſit interdictum, ſufficienter colligitur, quanta in veneratione & æſtimatione illud ſit habendum tùm à Prælatis tum à Canonicis omnibus, quantúmque curandum, ne vel ipſi vel alii tam ſacro ab Apoſtolis ad nos uſque transmiſſo habitu abutantur ad indecentes præſertim uſus, aut omninò deturpent, idque portare ſinant illos, quibus ex eſſentia repugnat, ùt multis in locis fieri ſolet, in quibus laici, & triviales pueri & abjecta hominum fæx eo induuntur, quod tantò minùs ferendum eſt, quo illius uſum nequidem Clericis ac perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, Abbatibus ſcilicet ac Epiſcopis ex Monachorum, aut Mendicantium Ordine aſſumptis permittit, ſed interdicit Eccleſia; curandum potiùs, ut omnes Canonici non abjecta ſed nec nitida nimiùm geſtent Rochetta ad exemplum S. Auguſtini, cujus veſtimenta, teſte Poſſidio in ejus vita *cap. 22.* nec nitida nimiùm, nec abjecta plurimùm, ſed ex moderato habitu fuerant, quique in ſua Regula præcipit: *ut non ſit notabilis habitus:* legiſlatorem hunc ſuum ac Patrem imitari oportet Canonicos, qui ejuſdem ſe gloriantur eſſe filios, optandum præterea, ut uniformis ubique præſertim in Germania noſtra Rochetti habitúſque modus tam quoad formam quàm quoad materiam introducatur, ne dum aliqui pretioſis veſtibus ac Rochettis ſuperbiunt ſuper cæteros, alii ex eodem Ordine & Collegio viliſſimis & abjectiſſimis induti habeantur deſpectui, atque ſic omnes riſibus &

ca-

Digitized by Google

cachinnis non modò Eccleſiaſticorum, ſed etiam ſæcularium, & abjectæ plebis exponantur. Huic ſanè difformitati obviandum eſt maximè Prælatis, atque in id incumbendum, ut hunc tollant abuſum, ac decentem in omnibus uniformitatem invehant, qua nec ipſi à ſubditis multùm, nec hi à Prælatis in forma ac materia habitûs diſcrepent, ad imitationem S. Patris ſui Auguſtini, qui non aliam habere voluit tunicam lineam, non aliud Byrrhum, niſi in commune, quibus ipſe ſolus quaſi decentius uteretur, ſed qualem decenter habere poteſt, Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus, ùt ipſemet fatetur ſermone 2do. de communi vita Clericorum.

8 Dico 2dò. *Canonici Regulares eorúmque Prælati poſſunt deferre Almutias ſupra Rochettum.*

Probatur 1mò authoritate SS. Pontificum præſertim Benedicti XII. in Conſtitutione generalis Reformationis Ordinis Canonici, ubi expreſsè præcipit §. 40. *quòd in Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis locis Religionis præfata Cappas portare debeant locis & temporibus conſuetis; deferant etiam Cappas hujusmodi à feſto omnium Sanctorum usque ad feſtum Paſchæ infra ſepta quarumcunque Eccleſiarum Cathedralium ac Monaſteriorum Religionis ejusdem, licèt hactenus ipſas ibidem non conſueverint deportare; ſanè infra Eccleſias non Caputiis ſed Almutiis utantur.* Idem ſtatuit Leo X. in Bulla: *Ex ſuperna Majeſtatis. 3. Idus Octobr. Anno 1517.* ad Canonicos Lateranenſes data, ubi ſtatuit, *quòd Canonici Regulares in Eccleſia, choro, capitulo, ac aliis locis publicis, & etiam quando extra Monaſterium proceſſionaliter incedunt, in habitu proprio cum ſuperpelliceo ſeu cotta, & capputio ſupra cappas ſeu mantellos in ordine Clericali, cùm etiam in aliis litteris Apoſtolicis expreſſum ſit, quòd eſſentialiter ſint Clerici, incedere debeant.* Per Caputium ſupra Cappas ſeu Mantellos intelligit hoc loco S. Pontifex Almutias, quales nempe Canonici eatenus portare conſueverunt. Ubi illud etiam notandum, quòd idem S. Pontifex ſuperpelliceum ſeu Cottam, id eſt, Rochettum, & Caputium ſupra Cappas ſeu Mantellum, hoc eſt, Almutiam dicat eſſe habitum proprium Canonicorum Regularium, atque in eo incedere debeant ex duplici ratione, tum quia hic habitus eisdem competit utpote proprius: tum quia *ſunt eſſentialiter Clerici, prout etiam in aliis litteris Apoſtolicis fuit expreſſum.* Similiter Pius IV. (ut alios plures SS. Pontifices idipſum ſtatuentes prætercam) expreſsè præcipit tam in ſententia pro Canonicorum Regularium præcedentiâ contra Caſſinenſes lata, quàm in Bulla confirmatoria illius ſententiæ, quæ incipit: *Sedis Apoſtolicæ 18. Januar. Anno 1564.* ut Canonici noſtri uti Clerici in habitu clericali incedant, in Cappa videlicet ac linea veſte. SS. Pontificibus ſuffragantur Concilia: ita enim Concilium Baſilienſe ſeſſ. 21.

 Ca-

Canonicis præcipit, ut Eccleſias ingredientes, Almutias teneant in capite teſte Deſnos. *cap. 14.* ſimilia habent Concilium Oxonienſe, Londinenſe, Aquisgranenſe, Ravennatenſe, Salisburgenſe & Friſingenſe apud Nebridium à Mindlheim *in Antiquar. Monaſt. Ep. 143.*

9 Probatur 2. authoritate S. Auguſtini *ſerm. 2. de commun. vita Cleric.* ex illis verbis: *nemo det mihi Byrrhum vel tunicam lineam, niſi in commune, qualem decenter habere poteſt Presbyter, Diaconus ac Subdiaconus*, quibus ſatis indicat Canonicos ſeu Clericos ſecum viventes geſtare conſueviſſe Byrrhum, quo nomine intelligi Almutiam aut Mozetam jam ſupra in præmiſſis ex communi Authorum diximus, & fusè deducit Baronius *ad Annum 261. n. 41. & 42.* Quibus conformiter Canonici Lateranenſes ſancti legiſlatoris ſui veſtigiis inhærentes ſtatuerunt in ſuis Conſtitutionibus *p. 1. cap. 3. Uſus Almutiarum de Jure Canonicis Regularibus competentium ſuper Rochetto ipſis reſervatur, ipſiſque ſub excommunicationis pœna diſtrictè injungitur.* Conſtitutiones Cann. Regg. Congregationis Windeſemenſis *p. 2. cap. 7.* præſcribunt quoque Almutia, *quorum uſum*, inquiunt, *habemus à Paſcha usque ad Matutinas in feſto Exaltationis S. Crucis.* Statuta Congregationis Gallicanæ *p. 1. cap. 20.* præcipiunt: *Byrretti uſus ſit cum ſuperpelliceo & Almutia in Eccleſia, & etiam domi tempore aſſignato.* Sic etiam aliæ ſtatuunt Congregationes ac privatæ quoque Canoniæ nulli Congregationi adſcriptæ, quæ ſemper portârunt Almutias, & multæ etiamnum portant, ut adeò benè ſcripſerit Zacharias Ferrerius *n. 56.* de Almutiis ſuo tempore à Canonicis Regularibus geſtari ſolitis loquens: *& hoc obſervatur generaliter per totum orbem, aliquibus exceptis, qua minimum numerum reſpectu totius Ordinis efficiunt*: aſſeritque Pennotus *L. 1. cap. 22. n. 3.* tam ſeipſum quàm reliquos Canonicos Regulares etiam Romæ uſos fuiſſe Almutiis, cujus teſtis omni exceptione major eſt ipſe S. Pontifex Pius IV. qui tam in ſententia ſua definitiva, quàm in Bulla: *Sedis Apoſtolica* ſupra relata teſtatur, Canonicos Regulares uti Cappa ſeu Almutia & linea veſte tanquam habitu clericali, addens: *quod etiam in alma urbe noſtra Roma conſuetum fuit & nunc obſervatur.* Et ſanè conſuetudo deferendi Almutiam, quocunque demum nomine nuncupetur, apud Canonicos Regulares eſt immemorialis, utpote cujus nullum extat initium, certè nullum invenitur, unde antiquiſſimam ac ante plurima jam ſæcula uſitatam fuiſſe neceſſe eſt, quapropter benè Baſilius Serenius in Bullario Lateranenſi antiquo *fol. 477.* dixit: *Canonici Regulares inter veſtimenta ex antiquiſſima traditione & conſuetudine Mozetam recenſent, etiam in ipſius Frigdionariæ Reformationis rigore retentam, quam aſſumunt aut omittunt pro ſuperiorum arbitrio.* hisce concordant Autho-

thores antiqui in ſpecie Cardinalis Jacobus de Vitriaco *Hiſt. occid. cap. 24.* Stephanus Epiſcopus Tonacenſis *Conc. de S. Genovef.* qui ante quingentos jam annos ſcripſerunt. S. Carolus Borromæus Epiſc. & Card. in Concil. Mediolan. 5. Baronius ad Annum 261. Gloſſa *in Clement. 1. de Elect. §. Habitus.* Joan. Molanus *L. 3. de Canon.* Pennotus *L. 1. cap. 22.* & *L. 2. cap. 69.* Zacharias Ferrerius *in tr. de vero habitu* Cann. Regg. Tamburin. *to. 1. D. 20. q. 2. & 3.* Nebridius à Mindlheim tum in vita S. Auguſt. tum in antiquar Monaſt. præſertim *Epiſt. 143.* Nicolaus Desnos *in tr. de Cleric. ſæcular. & Regular.* Auguſtin. Erath. *in ſpecial. tract. de Habit. Cann. Regg. & in Comment. ad cap. 1. V. 4.* Reg. Q. 2. §. 3. & quotquot hac de re ex inſtituto ſcripſerunt, qui omnes Canonicis Regularibus aſtruunt Jus deferendi Almutias, idque non pauci omninò ſupponunt; & militat ſanè pro hoc ſumma convenientia; cùm enim Almutia ac Mozeta ſignificent curam Paſtoralem, quæ Canonico Ordini congenita eſt: atque illius Canonici, utpote eſſentialiter Clerici, ex inſtitutione ſua deſtinati ſint ad officia clericalia, quæ præcipuè conſiſtunt in inſtructione proximi, in adminiſtratione Sacramentorum, aliisque curæ Paſtorali annexis functionibus, conveniens omninò erat, ut iis etiam veſtibus decorarentur, quæ hæc omnia denotarent, quod facit Almutia & Mozeta; nam ùt ait Benedictus XII. S. Pontifex præſcribens Canonicis Regularibus proprias quas deferre debeant veſtes: *dignum cenſemus, ut illi non ſolùm morum & vita, ſed etiam habitûs & veſtimentorum refulgeant honeſtate.*

Dico 3tiò. *Canonicorum* 10
Regularium Prælati poſſunt etiam deferre Mozetam ſeu Cappam, & quidem ubique terrarum, ac præſente Epiſcopo.

Concluſio hæc quoad rem ipſam eſt certa, & ſolùm poteſt eſſe controverſa quoad nomen; unde probatur 1mò. Prælati Canonicorum Regularium poſſunt deferre Almutias ſeu Cappas Canonicales; cùm eas poſſint ac deberent deferre univerſim omnes Canonici Regulares, ùt ex concluſione præcedente conſtat: ſed Cappa Canonicalis quoad rem ipſam non differt à Mozeta niſi ſolo nomine, & à parte rei eſt idem: ergò Prælati Canonicorum Regularium poſſunt deferre Mozetam; major eſt clara, minor etiam patere videtur, quia utraque tam Almutia quàm Mozeta conveniunt in figura & materia: in figura quidem ſeu forma, quia utraque denotat veſtem ſeu Cappam, quæ caput & humeros tegit: in materia verò, quia ſicut Mozeta ſeu Cappa Epiſcopalis pro diverſitate temporum ac locorum interdum eſt violacea, interdum nigra, interdum pellibus al-

albis ſuffulta, vel tota lanea, aut ex cameloto, ùt patet ex cæremoniali Epiſcop. *L. 1. cap. 3.* Ita & Almutia ſeu Cappa Canonicalis eas omnes materias pro temporum ac locorum diverſitate recipit, ùt apertè conſtat ex eodem cæremoniali loc. cit. & ab experientia diverſarum Congregationum ac Collegiorum Ordinis noſtri, ex quibus aliqui geſtant Almutias laneas, alii ex pellibus animalium, aliqui nigras aut etiam violaceas, vel etiam ex alia materia confectas, prout eas videre licet apud Claudium du Molinet & P. Bonani in imaginibus æri impreſſis ad oculum exhibitas: unde mirum non eſt, quòd Almutia ſæpiùs ſumatur pro Mozeta, & viciſſim, ita ut re ipſa ſolo nomine differant, ſolúmque diverſa ſortiantur nomina juxta portantium diverſitatem; nam ùt optimè obſervat Nebridius à Mindlheim in vita S. Auguſtini, ſi Cappa deferatur ab Epiſcopo, ab hoc denominatur Epiſcopalis: ſi verò à Canonico portetur, dicitur Cappa Canonicalis ſeu Almutia: ſi denique à Doctore vel Magiſtro geſtetur, vocatur Cappa Doctoralis, ſeu Epomis; ex quo patet, quòd una eademque res & ejuſdem figuræ ac materiæ Cappa diverſa ſortiatur nomina pro portantium diverſitate. Quòd autem Cappa illa, quam deferre ſolent Canonicorum Regularium Prælati, dicenda ſit Epiſcopalis ſeu Mozeta, oſtenditur ulteriùs, ſimúlque

11 Probatur concluſio 2dò authoritate SS. Pontificum præſertim Leonis X. qui in Bulla: *Ex ſupernæ Majeſtatis. 3. Idus Octob. Anno 1517.* ad Canonicos Lateranenſes data, poſtquam illis *pro habitu proprio ſuperpelliceum ſeu cottam*, & *caputium ſupra cappas ſeu mantellos*, hoc eſt, Almutiam aſſignáſſet, habitum quoque Prælatorum proprium aſſignat hiſce verbis: *quòd videlicet cappam ſeu mantellum Epiſcopalem cum caputio geſtare debeant: annuloque, baculo, & mitra Pontificalibus, etiam populo benedicendo, uti valeant.* quæ verba in eadem Bulla non una tantum ſed iterata vice repetit, addens: *quòd habitum illum geſtare conſueverint prædeceſſores.* Notandum autem hìc eſt, quòd Bulla illa Leonis tam pro Canonicis quàm pro eorum Prælatis nullum in Cappa diſcrimen faciat, cùm pro utriſque aſſignet *cappam & caputium*, niſi quod Cappam Prælatorum vocet *Epiſcopalem*, Cappam verò Canonicorum dicat clericalem ſeu *in ordine clericali*, ùt benè obſervat Auguſtin. Erath. *n. 349.* Conſtitutionibus Pontificiis concordant deciſiones Eminentiſſimorum Cardinalium; nam cùm inſtitiſſet Epiſcopus Vercellenſis apud ſac. rituũ Congregationem, pro declaratione: *An Abbas Canonicorum Regularium Lateranenſium ejuſdem civitatis, & Præpoſitus ejuſdem Ordinis in loco Biela ſuæ Diœceſis poſſint Epiſcopo pſo præſente deferre Mozetam in proceſſionibus, aliiſque actibus publicis. Eadem ſac.* Congregatio *audita relaxatione Illuſtriſſimi ac Reveren-*

Digitized by Google

[Reve]rendiſſimi Domini Cardinalis Lanceloti, cui hæc cauſa commiſſa fuerat, decrevit poſſe ubique, etiam præſente Epiſcopo, deferre Mozetam. & erat ſubſcriptus: *A. Maria-Cardin. Gallus. & Petrus Ciammariconus Secretarius Congreg. die Sabbathi 9. Decembris Anno 1617.* Idem repetiit eadem ſacra Congregatio in una Vercellenſis *die Martis. 30. Martij Anno 1621. dum Illuſtriſſimo D. Cardin. Creſcentio referente inhærendo decreto ſub die 9. Decembr. Anno 1617. emanato cenſuit, Abbatem S. Andreæ Congregationis Lateranenſis civitatis Vercellenſis poſſe ubique, etiam præſente Epiſcopo, deferre Mozetam, eidemque Pontificaliter celebranti, juxta antiquam conſuetudinem, ſede ſeu cathedra cum duobus gradibus uti licere. Frant. Maria Card. à Monte. Petrus Ciammariconus Secret. Congr.* Tandem cùm hoc noſtro ſæculo iterum hac de re ſuborta eſſet controverſia, propoſitis ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Cardinale Colloredo in ſacra rituum Congregatione infraſcriptis dubiis inter Epiſcopum & Abbatem S. Bartholomæi Canonicorum Regularium Congreg. Lateran. Feſularum: *videlicet 1mò. An præfatus Abbas potuerit invitare alium Abbatem ejusdem Ordinis, ſed alienigenam ad Pontificalia exercenda in Eccleſia dicti Monaſterii?* 2dò. *An Abbas localis præſente Ordinario potuerit deferre Rochettum & Mozetam denudatam permittendo delationem ſimilis habitûs etiam aliis Abbatibus invitatis? & quatenus affirmativè.* 3tiò. *An tam dictus Abbas localis, quàm alii forenſes invitati potuerint in eodem habitu proceſſionaliter incedere extra Eccleſiam per ambitum Parochiæ, absque licentia Epiſcopi?* Ad *hæc eadem ſacra* Congregatio *rituum tam in voce, quàm in ſcriptis partibus informantibus auditis cenſuit reſpondendum affirmativè, & ita declaravit die prima Octobris* Anno *1701. B. Inghirami ſac. rituum* Congr. *Secret.* quæ declarationes habentur tum apud Tamburinum *to. 1. D. 20. q. 2. n. 11.* tum in Bullario Lateranenſi novo *f. 394.* circa quas tamen benè notandum eſt cum Auguſtin. Erath *n. 350.*, quòd in illis haud ampliùs fuerit quæſtio, an Prælati Canonicorum Regularium habeant Jus portandi Mozetam; cùm id tum temporis ob SS. Pontificum decreta & praxin totius mundi fuerit indubitatum, ſed illud ſolùm vertebatur in dubium, an Jus illud etiam locum habeat præſente Epiſcopo & ubique, ad quod S. Congregatio reſpondit affirmativè, ùt dictum eſt. Cur autem Prælati poſſint ubique terrarum deferre Mozetam, cùm tamen id prohibitum ſit Epicopis, poſtea dicetur pluribus. Interim

Probatur concluſio 3tio. ex Con- 12
ſtitutionibus Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis, ſtylo Curiæ Romanæ, atque praxi & conſuetudine totius mundi: ac Conſtitutiones quidem Congreg. Lateran. à SS. Pontificibus aliisque viris graviſſimis ſæpiùs approbatæ, & à quibusdam aliis Ordinis Cano-

nici Congregationibus receptæ ita ſtatuunt *cap. 3. p. 1. Juribus noſtris deſuper habitis nos conformando, permittimus & mandamus, quatenus Abbas, qui non ſolùm domûs ſuæ canonicæ Prælatus eſt, verùm etiam de Jure & conſuetudine ſibi competentem in ſubditos juriſdictionem temporalem exercet, ad diſtinctionem ſuæ ſuperioritatis neceſſariam, Rochetto decentiùs ornato, Manteletto, & Mozetâ, prout in palatio & capella Papali publicè, atque in audientiis apud SS. Dominum noſtrum habitis utebatur, etiam violacei coloris, liberè & licitè ubique utatur. In Eccleſia tempore divinorum officiorum ſola Mozeta, quæ juriſdictionem ſignificat, ſuper Rochetto utatur, & in publicis functionibus & proceſſionibus, ubi cum Canonicis fuerit & extra ſuam Eccleſiam taliter incedat.* Ex quibus ſanè verbis abundè colligi potèſt ſtylus Curiæ Romanæ, de quo etiam teſtatur Zacharias Ferrerius, ac pluribus exemplis demonſtrari poſſet, niſi res foret aperta, & omnium oculis expoſita. Huic conſonat praxis & conſuetudo totius mundi, ubi degunt Canonici Regulares; licèt enim non omnes eorum Prælati utantur Mozetâ ſupra Rochettum; cùm non ſit de eſſentia, vix tamen invenire eſt aliquam Provinciam, in qua non aliqui vel plures pro libitu utuntur Mozetâ, ùt patet in Provinciis Germaniæ, Auſtriæ, Bavariæ, Carinthiæ, Styriæ, Franconiæ, Sueviæ, Tyrolis, Bohemiæ, Sileſiæ, Moraviæ ac Poloniæ, ut alias plures atque exteras Regiones ac Congregationes ſilentio præteream, in quibus uſus Mozetæ Prælatis non tantùm permittitur, ſed etiam præſcribitur, ut adeò cùm Zacharia Ferrerio dicere liceat; *hanc eſſe univerſalem quaſi & antiquiſſimam conſuetudinem, quaſi ubique terrarum.* Ratio porrò hujus deſumitur ex ſignificatione Mozetæ, utpote quæ ſignum eſt ab Eccleſia inſtitutum, ſignificans in Epiſcopis curam Paſtoralem ac juriſdictionem ordinariam & immediatam in ſuos Diæceſanos: ſed hanc ipſam curam paſtoralem ac juriſdictionem ordinariam, immediatam, & quaſi Epiſcopalem competere Prælatis in ſuos ſubditos communiſſima docet authorum ſententia, & patet *ex Can. Hoc tantùm 1. Can. Luminoſo. 6. & Can. nullam. 9. cauſ. 18. q. 2.* ac pluribus probabitur ſuo loco: ergo non minùs competere debet illud ipſum juriſdictionis ſignum, nempe Mozeta, Prælatis, præſertim cùm eorum juriſdictio in ſuos ſubditos non concludatur Monaſterii ſui finibus, ſicut juriſdictio Epiſcopi coarctatur ad ſuam Diœceſin ſed illos egrediatur, & ſeſe extendat ad totum orbem, ac univerſam terram. Unde

Dixi in concluſione: quòd Præ- 13
lati poſſint deferre Mozetam & quidem *ubique terrarum, & præſente Epiſcopo,* prout ſæpiùs deciſum eſſe à S. Congregatione rituum ſupra demonſtravimus relatis ipſiſſimis eorum verbis, quibus expreſsè decernit, poſſe Prælatos Canonicorum

Re-

Regularium *ubique etiam præſente Epiſcopo* deferre Mozetam, vi cujus etiam quotidiana experientia edocemur, Prælatos tam Cann. Regg. quàm aliorum Ordinum Abbatialium non tantùm intra ſed etiam extra Monaſterii ſui limites & ubique ſuam deferre Mozetam. Ratio autem, cur id Prælatis permiſſum,& Epiſcopis interdictum ſit, deſumitur à juriſdictione utriſque competente; nam cùm juriſdictio Prælatorum in ſuos ſubditos Religioſos non conſtringatur proprio territorio, ſed extra illud ſe extendat, ita quidem ut eam poſſint exercere ubicunque vel ipſi, vel eorum ſubditi extiterint, ſequitur quòd totus terrarum orbis ſerviat pro territorio, idque propter votum obedientiæ, quo manent adſtricti: econtra verò juriſdictio Epiſcopi ad propriam Diœceſin reſtricta eſt,extra quam nullam amplius habent, ita quidem ut illam neque in proprium, multò minùs in alienum diœceſanum exercere poſſint, ſaltem ſi ſit contentioſa; quia igitur Mozeta ſignum eſt actualis juriſdictionis & hanc ubique terrarum habent Prælati in ſuos ſubditos Religioſos, ubicunque exiſtentes, benè illis etiam ubique terrarum competit Mozeta: non item Epiſcopis, cùm extra Diœceſin nullam habeant juriſdictionem nec ullos ſubditos, in quos illam exercere poſſent, unde meritò illis etiam prohibitus eſt uſus Mozetæ extra propriam Diœceſin, deficiente enim ſignificato, deficit etiam ſignum. Cæterùm, quòd Prælati etiam poſſint deferre Mozetam præſente Epiſcopo, ratio poteſt eſſe, tum quia poſſunt eam deferre in Curia Romana præſente S. Pontifice, qui omniũ ſupremus Epiſcopus eſt: tum quia Prælati retinent ſuam in ſubditos Religioſos juriſdictionem etiam præſente Epiſcopo: ergo etiam retinere debent ſignum illius, quod eſt Mozeta.

Dico 4tò. *Canonici Regulares, eorúmque Prælati in Epiſcopos aſſumpti poſſunt deferre habitum Epiſcoporum ſæcularium, nempe togam talarem violaceam, Rochettum, Mozetam pariter violaceam ac pileum inferiùs viride aut ſerico viridi ſuffultum.* 14

Ita re maturè diſcuſſâ ac probè examinata decidit Leo X. in Conſtitutione ſua, quæ incipit: *Dudum 1. Septembr. Anno 1519.* edita, cujus verba priuſquam referamus, neceſſum eſt, ut totam rei ſeriem ac cauſam, quæ ad hanc edendam S. Pontificem permovit, pro meliori illius intelligentia referamus, prout eam recenſent Baſilius Serenius in antiquo Lateranenſi Bullario *fol. 435.* Nicolaus Desnos *L. 4. cap. 18.* & Auguſt. Erath. *n. 339.* Poſtquam

Digitized by Google

Canonici Regulares in Epiſcopos promoti indiſcriminatim & ab immemoriali tempore uſi fuiſſent habitu Epiſcopis ſæcularibus per omnia ſimili, videlicet Pileo, Mozeta, Rochetto, & toga talari violacea, ita ut nullum inter hos Epiſcopos Regulares & ſæculares fuerit diſcrimen, contigit, ut Paris Craſſus, Magiſter cæremoniarum Romæ, ſive ſiniſtro affectu, ſive rerum Canonicarum ignorantia ductus, id in controverſiam traxerit, putans in eo habitu committi errorem, ac debere Canonicos Regulares æque ac alii omnes Epiſcopi Regulares ab Epiſcopis ſæcularibus per aliquod ſignum in habitu diſcerni. Cùm igitur Zacharias Lilius patriâ Vincentinus, & Canonicus Regularis S. Bartholomæi Vincentiæ, â Leone X. creatus fuiſſet Epiſcopus Sebaſtenſis, isque aliorum Canonicorum Regularium morem ac immemorialem conſuetudinem ſecutus, poſt promotionem uti cœpiſſet ſimili Epiſcoporum ſæcularium habitu, mox difficultatem movit ſupra dictus Craſſus, totúmque negotium ad Leonem X. S. Pontificem detulit, qui cauſam ipſam, út ipſe Pontifex loquitur in præcitata Conſtitutione ſua, maturè terminare deſiderans, eam Nicolao Epiſcopo Albanenſi tunc tit. S. Priſcæ Presbytero Cardinali de Fliſco nuncupato vivæ vocis oraculo commiſit, ut ſuper his ſe diligenter informaret, & demùm ſibi referret. Rogatus etiam Zacharias Ferrerius Theologus & Juris-Conſultus celeberrimus, ut de hac materia aliquid ſcriberet, inſignem ſcripſit ac eruditum tractatum de vero ac proprio habitu Canonicorum Regularium, ubi apertè demonſtrat, habitum ipſorum non alium eſſe quam clericalem, Prælatósque ex eo Ordine aſſumptos tam de Jure communi, quàm ex libro cæremoniarum S.R.E. debere uti Rochetto, more Romanæ Curiæ & cultu & forma indumentorum, nempe toga talari & Mozeta violacea ac pileo inferiùs viridi, quibus Prælati ex Clericis ſæcularibus utuntur ad differentiam aliorum Religioſorum, huncque tractatum dedicavit Leoni X. qui eundem non modò probavit, ſed etiam ipſius rationibus, & acceptâ præfati Nicolai Epiſcopi & Cardinalis relatione motus ſpecialem edidit Conſtitutionem, in qua ſequentia habentur verba: *Cùm de antiqua conſuetudine in pluribus locis etiam in Romana Curia, ubi Pontifex reſidet, receptum ſit, ut Canonici* Regulares *in Epiſcopos promoti tam in Capella noſtra, quàm extra utantur habitibus & coloribus, quibus utuntur alii Clerici ſæculares in Epiſcopos promoti* (ſcilicet toga talari ac Mozeta violacea, pileo inferius viridi & Rochetto) *Nos Fraternitati tuæ conceſſimus, ut habitum & colores, quos dicti ſæculares geſtant, geſtare poſſis, & ita etiam tenore præſentium auctoritate Apoſtolica de novo concedimus. In contrarium non obſtantibus quibuscunque &c.*

At-

15 Atque ſic res hæc tranſiit in judicatam & ſtabilita fuit diplomate Pontificio, non quidem eatenus, quaſi hoc fuiſſet Canonicis Regularibus conceſſum ex privilegio, ùt aliqui de meritis cauſæ malè informati perperam ſcribunt, ſed quatenus id illis de Jure ac immemoriali conſuetudine competit, de quo ſolùm erat controverſia à Paride Craſſo mota, ùt patet ex ipſis S. Pontificis verbis, quibus Cardinali de Fliſco injunxit, *ut ſuper his ſe diligenter informaret, ac demùm referret*, & ex toto tractatu Zachariæ Ferrerii ea de re ſcripto, in quo unicè demonſtrare nititur, habitum Epiſcoporum ſæcularium de Jure & conſuetudine competere Canonicis Regularibus in Epiſcopos aſſumptis; nec enim quiſquam de hoc antiquis retrò ſæculis dubitaverat usque ad tempora Leonis X. quibus pauci quidam rerum Eccleſiaſticarum ac Jurium Canonicorum minùs periti id in dubium cum Paride Craſſo vocaverunt: ſed pro meritis repulſam tulêre à prudentiſſimo, & de Juribus Canonicorum Regularium optimè informato Pontifice, qui pariter in ſua Conſtitutione de continua & antiqua conſuetudine ac ſtylo Curiæ Romanæ fidem facit, dum ait: *id etiam in Romana Curia, ubi Pontifex reſidet, receptum fuiſſe*; & teſtatur Zacharias Ferrerius in citato ſuo tractatu: *practicatum id eſſe in Romana Curia juxta rationes & leges & exempla adducta in variis Prælatis & Officialibus S. R. E. etiam diebus noſtris, qui erant Canonici Regulares, & utebantur Rochetto & Cappa violacea, & pileo viridi inferiùs, ſicuti facilè probari poteſt per eos, qui noverunt & viderunt, & probabitur ſi opus fuerit, nec ullum adduci poteſt exemplum contrarium*: aitque præterea, *hanc eſſe univerſalem & antiquiſſimam conſuetudinem*; in quorum omnium confirmationem refert Baſilius Serenius in Bullario Lateranenſi antiquo *fol. 435. & 477.* integrum catalogum Canonicorum Regularium, qui ſolùm ex Italia in Epiſcopos aſſumpti indiſcriminatim uſi ſunt toga talari & Mozeta violacea, Rochetto & pileo inferius viridi. Unde etiam Epiſcopi Galliæ Illuſtriſſimum Alanum de Solminihac ex Canonico Regulari & Abbate Cancellatenſi in Epiſcopum Cadurcenſem in Aquitania evectum hortati ſunt, ut togam talarem albam, quam etiam ùt Epiſcopus deferre pergebat, in violaceam ſuæque ſimilem mutaret, cùm Canonicis Regularibus in Epiſcopos aſſumptis hic color de Jure competat, ùt legitur in ejus vita, quam admirandam, non imitandam ait Illuſtriſſimus Godeau. Quibus omnibus conformiter cæremoniale Epiſcoporum *L. 1. c. 1.* poſtquam dixiſſet Epiſcopos ex Clericis ſæcularibus & Regularibus aſſumptos in propria diœceſi uti debere Mozeta violacea ſupra Rochettum: reliquos verò ex Regulari Ordine non Clericali ſeu Monaſtico promotos non poſſe uti Rochetto, ſed Mozetâ, non quidem violaceâ, ſed refe-

referente colorem habitûs ſuæ Religionis, addit expreſsè: *ſed Canonici Regulares utuntur etiam Rochetto, prout ante Epiſcopatum utebantur, & colore violaceo.* Item *cap. 3.* ait: *Excipiuntur ab hac Regula Clerici Regulares, & ùt dictum eſt cap. 1. Canonici Regulares, qui Rochetto utuntur, & colore violaceo.*

16 Neque dicas: in eodem cæremoniali Epiſcoporum tempore Clementis VIII. edito habentur expreſsè ſequentia verba: *Canonici Regulares utuntur Rochetto prout ante promotionem ad Epiſcopatum utebantur & colore violaceo, ſed non Mozeta,* quibus utique verbis prohibetur Canonicis Regularibus etiam in Epiſcopos aſſumptis uſus Mozetæ, licèt illis conceſſum maneat Rochettum, & color violaceus. Antequam ad hanc objectionem reſpondeam, neceſſe eſt, ut totam rei ſeriem referam, quæ occaſionem præbuit, ut poſteriora hæc verba: *ſed non Mozeta,* insererentur cæremoniali Epiſcoporum, cùm antea in illo non fuerint, qua benè percepta patebit, quàm benè hæc verba ſint addita, quámque nihil officiant Juribus Canonicorum Regularium, ſicque ſublatum erit omne dubium, ceſſabitque hæc qualiſcunque controverſia. Sciendum itaque ex Baſilio Serenio fol. 476. & Auguſt. Erath. n. 343. quòd poſtquam mota à Paride Craſſo circa habitum Epiſcopalem Canonicorum Regularium controverſia Anno 1519. fuerat per Leonem X. terminata, ùt ſupra diximus, plurimi fuerint ab eo tempore ex Canonicis Regularibus à diverſis Pontificibus creati Epiſcopi usque ad Clementem VIII. imò ab ipſomet Clemente aliquot fuère promoti, quorum duodecim nominat Serenius, omnésque pacificè uſi ſunt Mozeta, Rochetto, & reliquo Epiſcoporum habitu. Cùm autem idem Clemens VIII. circa Annum 1600. Celſum Mancinium Canonicum Regularem promoviſſet in Epiſcopum Alexani, isque non tantùm Mozetam aliorum Epiſcoporum more ſtatim induiſſet, ſed etiam contenderet, Canonicis Regularibus in Epiſcopos promotis competere uſum Rochetti & Mozetæ non tantùm in Curia Romana & propria diœceſi, ſed etiam in alienis diœceſibus, eo quòd Canonici Regulares non Epiſcopi, eorúmque Prælati poſſint Rochettum & Almutiam ſeu Mozetam per totum orbem deferre, ùt ſuperiori concluſione diximus: qua de re Clemens VIII. edoctus, ut huic controverſiæ finem imponeret, juſſit apponi in cæremoniali Epiſcoporum recens edito hæc verba, quæ in antiquo non reperiuntur, nimirum: *Canonici Regulares utuntur Rochetto, prout ante promotionem utebantur, & colore violaceo, ſed non Mozeta,* nempe extra diœceſin; ſic enim accipienda eſſe hæc verba, patet ex eo, quòd illa juxta controverſiam ibi agitatam ſint intelligenda: ſed hæc verſabatur in eo, an Canonici Regulares

Digitized by Google

'es in Epiſcopos aſſumpti poſſint uti Mozeta etiam extra diœceſin, & ubique terrarum, ſicut iidem Canonici, eorúmque Prælati poſſunt ubique terrarum uti Almutia & Mozeta: ergò de hoc etiam intelligenda ſunt verba illa cæremonialis Epiſcoporum, quòd nempe Canonici Regulares poſſint in aliena diæceſi quidem Rochetto uti, prout ante promotionem per totum orbem poterant: Mozeta tamen non ampliùs poſſe in aliena diœceſi uti, ſi in Epiſcopos promoti fuerint, etſi eâ ubique terrarum uti potuerint adhuc in dignitate Abbatiali aut Canonicali conſtituti; nam ùt ait Erath l. c. cùm ſententia Papæ faciat Jus ſecundùm Gloſs. *1. in cap. fin. de Conſtitut.* Idcircò non poterat ampliùs eſſe controverſia circa uſum Mozetæ in propria diœceſi, utpote jam definitâ ac deciſâ per Leonem X. quamquam de hoc nulla unquam fuerit, ſed tantùm de colore Mozetæ ac togæ talaris, adeóque tantùm erat lis de uſu Mozetæ in aliena diœceſi; unde quia ſententia ſemper eſt ferenda juxta modum agendi, & ſecundùm controverſiæ allatæ ſubſtantiam. *Gloſs. 1. in cap. 1. de litis conteſtat.* & *Gloſs. in cap. 2. de Ordin. cognit.* idcircò etiam ſententia Clementis VIII. in cæremoniali expreſſa, non aliter, niſi de uſu Mozetæ extra diœceſin intelligi debet. Quòd autem Canonici Regulares eorúmque Prælati non-Epiſcopi poſſint uti Almutia & Mozeta per totum orbem, non autem in Epiſcopos aſſumpti? ratio deſumitur ex dictis; cùm enim Mozeta ſit ſignum jurisdictionis, & Canonici Regulares in Epiſcopos aſſumpti nullam habeant in aliena diœceſi jurisdictionem, ſicut nec alii Epiſcopi ſive ex Clero ſæculari ſive Regulari promoti, ideò nec uti poſſunt Mozeta, utpote illius ſigno: econtra verò cùm Canonicorum Regularium Prælati ubicunque ſive ipſi ſive eorum ſubditi exiſtant, ſuam in illos retineant jurisdictionem, ideò etiam ubique terrarum poterunt uti Mozeta tanquam ſignum actualis ſuæ jurisdictionis: & ita ſi Prælatus quiſpiam Canonicorum Regularium in Epiſcopum aſſumptus retineret ſuam Prælaturam ſeu Abbatiam, ùt factum eſt cum illuſtriſſimo Alano de Solminihac Abbate Cann. Regg. Cancellatenſi, qui in Epiſcopum promotus ſuam per plures annos ex diſpenſatione Pontificia retinuit Abbatiam, non dubium eſt, quin etiam deferre poſſet in aliena diœceſi & ubique terrarum Mozetam, non quidem ùt Epiſcopus, ſed tanquam actualis Abbas, & quidem violaceam, cùm hic color tam quoad Mozetam, quàm quoad togam talarem competat Canonicorum Regularium Prælatis & Abbatibus, ùt mox pluribus dicetur. Ex quibus omnibus hoc numero relatis ac dictis patet genuinus cæremonialis Epiſcoporum ſenſus, quem ſi quis hiſtoriæ ac Jurium Canonicorum ignarus neſciverit, facilè depravatum illi ac reprobum

Digitized by Google

bum ſenſum affinget, & multa eáque maxima cogetur admittere abſurda contra ſanam rationem & expreſſam mentem dicti cæremonialis, quæ nimis longum foret hìc recenſere; ſi quis tamen ea ſcire cupiat, remitto curioſum Lectorem ad Auguſtinum Erath, qui more ſuo hac de re præclarè ſolidéque diſcurrit, cuique multa hic dicta lubens in acceptis refero.

17 Dico denique 5tò. *Prælati Canonicorum Regularium poſſunt deferre Togam talarem, ac Mozetam violaceam ſicut Epiſcopi.*

Ita rursùs deſumitur ex Conſtitutione Benedicti XII. pro generali reformatione totius Ordinis Canonicorum Regularium editâ, & ſæpiùs jam citatâ, ubi S. Pontifex §. 40. ait: *Statuimus inſuper, quòd Canonici dictæ Religionis cappis & veſtibus albi, blavi, nigri, ſeu quaſi nigri coloris duntaxat utantur*, qui ſunt quatuor præcipui colores, quibus utuntur omnes Eccleſiaſtici cujuscunque conditionis, eósque enumerat S. Pontifex ſecundùm ordinem & gradus dignitatum; nam album utpote S. Pontifici proprium ac uſualem primo loco poſuit tanquam omnium digniſſimum. Quamvis autem multi Ordines tam Mendicantium, quàm non Mendicantium utantur habitu coloris albi, illis tamen non convenit ſub formalitate coloris Pontificii, ſub qua convenit Canonicis Regularibus, ſed tantùm in abſtracto coloris indicantis innocentiam aut aliam virtutem; ſi enim color albus conveniret illis ſub formalitate coloris Pontificii, conveniret ipſis etiam uſus Rochetti, quod cum toga talari alba conſtituit integraliter habitum Pontificium: ſi ergò illis conveniret tunica alba ſub formalitate coloris Pontificii, etiam habitus Pontificius illis conveniret: atqui certum eſt, quòd illis non conveniat habitus Pontificius aut Rochettum, utpote quod ipſis ſeverè prohibitum eſt: ergò neque convenit illis color albus ſub formalitate coloris Pontificii: ſub hac autem formalitate benè convenit color albus ac totus habitus Pontificius utpote Apoſtolicus Canonicis Regularibus tanquam Clericis ab Apoſtolis deſcendentibus, quibus etiam non alius competit habitus quàm Apoſtolicus. 2do. loco refertur à S. Pontifice color blavus, ſeu violaceus Epiſcopis communis, quo colore utebantur multa Canonicorum Regularium Collegia, & etiamnum utuntur aliqua, præſertim verò eorundem Prælati; ſic enim Canonici Regulares ad S. Aubertum, & ad S. Eligium in Belgio togam violaceam deferunt, & eodem colore utebantur Canonici Regulares Eccleſiæ Anglicanæ, antequam regnum illud à fide deficeret, prout atteſtati ſunt Cardinalis de Anglia, & Orator Angliæ cum tota familia Romæ præſentes Zacharia Ferrerio refe-

referente, & patet ex catalogo Monaſteriorum, quæ olim in Anglia, Scotia, & Hybernia extiterunt. Idipſum teſtatur Auguſtin. Erath. n. 365. de plurimis Ordinis noſtri Collegiis in regno Bohemiæ & Poloniæ, item in Auſtria, Styria, Tyroli, aliisque Germaniæ Provinciis, quorum Prælati utuntur colore violaceo, prout etiam in Bavaria videre licet. Tertio loco colorem nigrum poſuit S. Pontifex, quo Clerici & Canonici ſæculares utuntur, quémque hodie ad eorum imitationem multa Canonicorum Regularium Collegia adoptárunt, eóque inprimis itinerantes aut ruri agentes, & in Parochiis expoſiti majoris commoditatis cauſa utuntur; cùm enim Canonici Regulares nullum præter lineam veſtem & Rochettum habeant nec ab Apoſtolis, nec à S. P. Auguſtino, nec à Jure vel ab univerſali conſuetudine determinatum habitum, ùt alii Religioſi, prout pluribus demonſtrat citatus Zacharias Ferrerius, ac præterea ſint ex eſſentia Clerici, hinc poſſunt omni illo habitûs colore ac forma uti, qui de Jure communi ac conſuetudine permiſſus eſt Clericis ſæcularibus, dummodo tamen deferant Rochettum aut aliquod Rochetti ſignum v. g. ſarrocium aut ſarrociolum: cùm igitur color niger Clericis & Canonicis ſæcularibus hodie ſit communis, eodem pro libitu etiam uti poſſunt Canonici Regulares, quamquam olim Clero vel maximè uſualis fuerit color in habitu violaceus, ùt conſtat ex S. Hieronymo apud Laurent. Landmeter *L. 1. de vet. Cleric. p. 1. c. 29.* & in antiquario ſuo demonſtrat Nebridius à Mindlheim *Ep. 143.* ac tradit Baronius. Atque hinc etiam multi Canonici Regulares ſæculari Canonicatu ac dignitate, aut beneficio ſive curato ſive non curato de licentia ſuorum ſuperiorum proviſi incedere ſolent habitu Clericis ſæcularibus conſueto tam intra, quàm extra Curiam Romanam, quorum exempla plura recenſet Reverendiſſimus D. Marcus Boerius, Canonicus Regularis & Abbas Congr. Bononienſis in præclaris ſuis diſſertationibus, & Reverendiſſimus D. Cæſar Benevenuti in elegantiſſimo tractatu de capacitate Canonicorum Regularium ad beneficia ſæcularia S. P. Clementi XII. dicato. Quarto demum loco enumerat S. Pontifex colorem quaſi nigrum ſive griſeum aut ad nigrum accedentem, à pluribus Religioſis Ordinibus aſſumptum & adoptatum, minùs tamen aut omninò non uſitatum Canonicis Regularibus, aut Clericis ſæcularibus, niſi quòd eo hodie quidam utantur in itinere contra pluvias & tempeſtates. Ex quibus omnibus ſufficienter patere videtur, liberum eſſe Canonicis Regularibus ex Conſtitutione Pontificia, vel uti colore albo SS. Pontificibus uſitato, vel blavo ſeu violaceo Epiſcopis communi, vel nigro Clericis ſæcularibus aſſueto, vel quaſi nigro ſeu griſeo plerisque Religioſis accommodato.

18 Quamvis autem juxta præfatam Conſtitutionem Pontificiam pro generali reformatione totius Ordinis Canonici editam liberum ſit Canonicis Regularibus quocunque demùm ex his quatuor coloribus uti pro libitu, atque reipſa plerique utantur colore albo tanquam S. Pontifici proprio, atque ob id cæteris digniore, & color niger apud multos ſit in uſu, ac etiam color violaceus deferatur à plurimis præſertim Prælatis Canonicorum Regularium, non deſunt tamen aliqui rerum Canonicarum ac Jurium noſtrorum parùm gnari aut non ſatis inſtructi, qui eiſdem difficultatem movere conantur quoad colorem violaceum, quaſi hic color nemini convenire poſſit, quàm ſolis Epiſcopis tanquam inter cæteros præcipuus, non conſiderantes, quòd ille ex omnibus ſit digniſſimus, ac præcipuus, quo utitur S. Pontifex: conſtat autem S. Pontificem pro habitu uſuali ac quotidiano non alio colore uti, quàm albo, quo etiam utuntur plerique Canonici Regulares, nec alium iſtos deferre habitum, quàm qualem defert ipſe S. Pontifex, nempe togam talarem albam ac Rochettum. Jam verò ſi color & habitus Pontificius ex integro convenit Canonicis Regularibus eorúmque Prælatis, cur non etiam color violaceus, ututhodie Epiſcopalis, illis convenire poſſit, cùm tamen Benedictus XII. S. Pontifex illis eodem modo aſſignet colorem violaceum, quo album ac nigrum, nullo facto inter unum aut alterum colorem diſcrimine, relinquens præterea liberam ipſis optionem aſſumendi quem vellent: ſi igitur licet Canonicis Regularibus aſſumere pro libitu colorem album vel nigrum, cur non & violaceum. Neque hunc illis primùm conceſſit Benedictus XII. ſed eundem jam anteà dictis Canonicis adjudicaverat Innocentius IV. S. P. in litteris ad Abbatem & Canonicos Regulares Congregationis S. Ruffi datis, & ante eum Alexander III. quem idem refert Innocentius, ùt habetur apud Zachariam Ferrerium in Tractatu de vero ac proprio habitu Cann. Regg. à Leone X. S. P. probato. Quòdſi verò idem color violaceus vel ſimplicibus Canonicis Regularibus permiſſus eſt, longè magis hic debet eſſe permiſſus eorum Prælatis, præſertim poſtquam Leo X. in Bulla: *Ex ſupernæ Majeſtatis. 3. Idus Octobr. Anno 1517.* ad Canonicos Regulares totámque Congregationem Lateranenſem directâ eiſdem diſertis verbis aſſignet, & quidem repetita vice Cappam ſeu Mozetam Epiſcopalem, quam deferre debeant: atqui Cappa & Mozeta Epiſcopalis eſt coloris violacei: ergò etiam Cappa & Mozeta, quam deferre debent Prælati Cann. Regg. debet eſſe coloris violacei. Et certè ſi Rochettum, cæteroquin ſoli Pontifici ac Epiſcopis proprium, non repugnat Canonicis Regularibus, ſed iſtis æquè competit ac illis, ùt concluſione 1ma. demonſtratum eſt, & eorum Prælatis conceſſus eſt uſus Mozetæ non minùs quàm Epiſcopis,

pis, ùt concluſione 3tia. probatum fuit, non eſt, cur non iis etiam competat color violaceus, cùm tamen hic color ſit quid acceſſorium ad Rochettum & Mozetam, & cæteroquin omnibus permiſſus Canonicis Regularibus; nam ùt ait prædictus Zacharias Ferrerius, cùm Canonicorum Regularium Prælati utantur Rochetto, conſequenter & acceſſoriè debent etiam uti Cappa ſeu Mozeta congruenti, ſcilicet violacea cum pellibus albis, ſicut utuntur Prælati deferentes Rochettum, aliàs enim eſſet indecorum & novum ſive ridiculum & maximæ admirationis in Capella Pontificia, ſi Prælatus uteretur Rochetto & Cappa nigra cum pellibus nigris; cùm ergò Cappa violacea cum pellibus albis ſit quid acceſſorium ad Rochettum, tanquam ad principale, conſequens eſt, ùt qui utitur Rochetto utatur & Cappa ſeu Mozeta violacea ſibi convenienti; acceſſorium enim ſequitur principale: nam ſi aliqua ſibi cohærent, vel aliquid ſequatur ex alio, conceſſo primo conceditur & aliud ſequens vel dependens aut acceſſorium, præſertim cùm nunquam reperiatur aliquid in contrarium: nulla expreſſa prohibitio, nec ulla ratio in contrarium; imò ratio favet Canonicis Regularibus ex Conſtitutionibus ac Bullis SS. Pontificum ex ſtatu eſſentialiter Clericali, ex ſtatutis Ordinis Canonici, ex praxi & ſtylo Curiæ Romanæ, atque ex conſuetudine & uſu totius penè orbis, ubi Canonici Regulares morantur.

Et quidem quod ad ſtatuta at- 19
tinet, inter ea meritò eminent, quæ à Lateranenſibus proficiſcuntur: hæc autem pro Canonicis Regularibus Poloniæ ab iisdem confecta & à SS. Pontificibus viriſque graviſſimis approbata colorem violaceum pro eorum Abbatibus & Præpoſitis non tantùm præſcribunt, ſed etiam præcipiunt, ùt in iisdem videre licet *p. 1. c. 3.* quibus conformiter Abbas Canonicorum Regularium Tremeſſnenſis coram S. Pontifice publicè & in audientiis non unâ vice uſus fuit veſtibus & Mozeta coloris violacei, nec S. Pontifice nec alio quoquam in Curia Romana reclamante, haud utique paſſuri, Abbatem Canonicorum Regularium publicè in eo habitu comparere, niſi ſciviſſent hunc colorem & habitum competere Prælatis Ordinis Canonici. Ex quo ipſo colligi poteſt praxis & ſtylus Curiæ Romanæ, de quo etiam teſtatur citatus ſæpiùs Zacharias Ferrerius hisce verbis: *In Romana Curia quantum ad Canonicos Regulares, non apparent neque adduci poſſunt exempla contraria; imò practicatum eſt in Romana Curia juxta rationes & leges & exempla adducta in Prælatis variis & Officialibus S. R. E. etiam diebus noſtris, qui erant Canonici Regulares & utebantur Rochetto & Cappa congruenti, ſcilicet violacea, ſicut facilè probari poteſt.* De conſuetudine & uſu totius penè mundi patet ab oculari experientia, & ab exemplis plurium Provinciarum, in quibus Canonicorum Regularium Prælati etiamnum hodie

deferunt habitum coloris violacei, Epiſcopali per omnia ſimilem; unde Zacharias Ferrerius conſuetudinem hanc vocat quaſi univerſalem, & antiquiſſimam, eámque plurimis comprobat exemplis; hoc ipſum fermè atteſtatur Nebridius à Mindlheim in erudititiſſimo ſuo antiquario Monaſtico, dum *Epiſt. 143.* ait: *ad colorem tunicæ quod attinet, is pro diverſitate temporum ac locorum diverſus eſt*; & pauló poſt: *Canonici Regulares præter albas veſtes etiam portare queunt nigras & violaceas ex Bulla Benedicti XII.* Idem tradit Pennotus *L. 1. cap. 23.* Tamburinus *to. 1. D. 20. q. 3.* Auguſt. Erath, qui toto *§. 6.* rem hanc pluribus argumentis ex fundamento pertractat, & authores cæteri, quotquot hac de re ex inſtituto ſcripſerunt, eámque rationibus pertractant. Cur autem Canonicorum Regularium Prælati malint potiùs uti colore violaceo quàm albo, cùm tamen hic color etiam confeſſione noſtra ſit omnium digniſſimus & ab ipſomet S. Pontifice pro ſuo adoptatus, ratio eſt; tum quòd vix ulli videant habitum S. Pontificis, ſolóſque Epiſcopos ſupra reliquum Clerum ſub oculis habeant: tum quòd multi Ordines etiam Mendicantes utantur colore albo non quidem ſub formalitate coloris Pontificii, prout conceſſus eſt Canonicis Regularibus tanquam Clericis originariè ab Apoſtolis deſcendentibus: ſed tantùm in abſtracto coloris ſignificantis aliquam virtutem, ùt ſupra diximus: quæ tamen omnia imperitum vulgus aliique hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ignari non diſcernunt: ut igitur Canonici Regulares eorúmque Prælati Jura ſua à ſummis Eccleſiæ Hierarchis ſibi relicta, & ab Anteceſſoribus ſuis ad ſe transmiſſa, ſarta tecta conſervent, ſuique Ordinis ac ſtatûs eminentiam publicè oſtendant, malunt uti colore violaceo, qui in omnium eſt admiratione non modo apud plebejos, ſed etiam apud Eccleſiaſticos, quàm albó, qui quidem violaceo eſt dignior, haud tamen eſt in æſtimatione hominum.

Neque dicat hìc aliquis, quòd 20
etſi color violaceus ex relatis authoritatibus & rationibus competat Canonicis Regularibus eorúmque Prælatis, idem tamen color apud plures nunquam fuerit uſu receptus, & conſequenter non uſu cenſeatur abdicatus; ita fortè nonnulli. Verùm jam ſuperiore tractatu oſtendi pluribus, Jura ac privilegia merè favorabilia, quæ in nullius cedunt gravamen aut præjudicium, non amitti per non uſum aut uſum contrarium, quantocunque tempore continuatum, prout idipſum plurium Doctorum authoritate ac rationibus ibidem firmavi: atqui Jus, vel ſi mavis, privilegium deferendi habitum accidentalem diverſorum colorum eſt merè favorabile, nec in ullius cedit gravamen aut præjudicium, eſtque meræ facultatis: ergò nullo unquam tempore per non uſum aut uſum contra-

tra-

trarium à Prælatis abdicatus color violaceus; tum quia ex mero non uſu aut uſu contrario non habetur tacita, multò minùs expreſſa renuntiatio, cùm liberum ſit uti vel non uti Juribus meræ facultatis ac privilegiis purè favorabilibus, ùt pro Canonicis Regularibus declaravit Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos.* & Julius II. in Bulla: *inter cæteros*: tum quia Prælati nec tacitè nec expreſsè renuntiare poſſunt Juribus ac privilegiis ſuis in præjudicium Ordinis, Monaſterii vel dignitatis, ùt patet ex cap. *nulli 5to.* & *cap. Si quis 6. de reb. Eccl. non alien. cap. Dudum 1. eodem in 6. & Clement. 1. eodem*, ex quibus habetur, res & Jura ad Eccleſiam pertinentia renuntiari aut quolibet alio modo alienari non poſſe, niſi ſervatis ſolemnitatibus à Jure requiſitis, cùm talis renuntiatio ſit propriè ſpecies alienationis. Accedit, quòd ad valorem & effectum renuntiationis requiratur, ut ſit acceptata & ratificata à S. Pontifice: tum quia denique colore violaceo nunquam non aliqui ex Canonicis Regularibus eorúmque Prælatis fuerunt uſi ſaltem in quibusdam imò pluribus regnis, Provinciis, & locis, in quibus conſervata eſt conſuetudo deferendi habitum violaceum: ad hoc autem, ut privilegium aut Jus quodpiam alicui Ordini conceſſum non cenſeatur amiſſum per non uſum aut uſum contrarium, ſufficit, quòd illud ſit in uſu apud aliquam ſeu aliquas Provincias, aut Congregationes vel Monaſteria illius Ordinis, ùt pluribus ibi dictum eſt.

At inquies: hoc ipſum privilegium ſeu Jus deferendi habitum coloris violacei cedit in præjudicium Epiſcoporum: ergò non eſt purè favorabile, ſed potiùs oneroſum dici debet; privilegia autem iſta per non uſum aut uſum contrarium amittuntur, ùt ipſimet ſuprà docuimus. Verùm pace tua dixerim, præjudicium hoc non tam oritur à colore violaceo, quàm à ſiniſtra imaginatione tua; neque enim in præjudicium cedit S. Pontificis, quòd Canonici Regulares eundem quem ipſe deferant habitum, nempe togam talarem albam & Rochettum, quibus paſſim utuntur etiam Romæ in oculis S. Pontificis: ſed neque in præjudicium cedit Epiſcoporum, quòd Canonici Regulares non minùs quàm illi deferant Rochettum, atque etiam deferre poſſint Almutiam, quæ ſæpiùs non niſi nomine differt à Mozeta: aut quòd eorum Prælati geſtent Mozetam Epiſcopali per omnia ſimilem & quidem ubique terrarum, ùt per diverſas declarationes Cardinalium deciſum eſt; neque etiam in præjudicium cedit Epiſcoporum, quòd omnes ferè Prælati & Abbates non modò Canonicorum Regularium, ſed etiam aliorum Ordinum non Mendicantium utantur Inſigniis Pontificalibus non minùs quàm Epiſcopi. Si autem hæc omnia non cedunt in præjudicium nec S. Pontificis,

21

ficis, nec Epiſcoporum, licèt ſint colore violaceo longè digniora, cur hic duntaxat color in præjudicium cedat Epiſcoporum, cùm tamen non minùs ſundetur in Conſtitutionibus Pontificiis, Deciſionibus Cardinalium, ſtylo Curiæ Romanæ, ſtatutis Ordinis, ac conſuetudine totius penè mundi, nec quidquam detrahat de dignitate, præeminentia ac jurisdictione, quam Regulares Canonici eorúmque Prælati unicè venerantur & adorant. Certè fatentur omnes SS. Rituum ac cæremonialis Romani gnari, Rochettum longè nobilius quid eſſe, quàm Mozetam etiam violaceam, tùm quòd hanc Doctores quoque ſæculares deferre poſſint, tum quòd Abbates etiam mitrati quorumcunque Ordinum Regularium non Canonicorum ac nequidem Epiſcopi ex iis aſſumpti deferri poſſint Rochettum, quamvis illis uti liceat Mozeta: quod evidens ſignum eſt, longè majus eſſe, deferre poſſe Rochettum, quàm Mozetam & colorem violaceum, præſertim cùm hic color in Canonicis Regularibus ſit tantùm quid acceſſorium & accidentale ad Rochettum & Mozetam, & SS. Pontifices eum colorem Canonicis Regularibus non tantùm conceſſerint, ſed etiam tanquam jam aliàs ab ipſis geſtari ſolitum præſcripſerint. Ex quibus omnibus luce meridiana clariùs patere videtur, nullum Epiſcopis generari præjudicium, etiamſi Prælati Canonicorum Regularium, aut ipſimet etiam deferant colorem violaceum, ſicut nullum Epiſcopis creatur præjudicium, quòd illi poſſint deferre Rochettum, Almutiam ſeu Mozetam, & quidem ubique. Hinc etiam patet, quòd hoc præjudicium ſit purè imaginarium, & ab intellectu falſis ideis gravido ſuſcitatum. Ex quibus id quoque conſequitur, vitio haud verti poſſe Canonicorum Regularium Prælatis, ſiquidem illum, quem ex Conſtitutionibus SS. Pontificum ex Inſtituto Ordinis ac ſtatu eſſentialiter Clericali, ex ſtylo Curiæ Romanæ, & ex conſuetudine totius penè mundi, atque adeò de Jure Canonicis Regularibus competere hactenus oſtendimus, habitum deferant, Pontificio aut Epiſcopali ſimilem, nempe togam talarem, & Mozetam violaceam, ac Rochettum: neque talem habitum prohibere poſſe probat Pyrrhus Corradus in praxi beneficiaria L. 2. c. 14. n. 1. & 26. plurium authoritate declarationum S. Congregationis, ubi ita loquitur: *Poſtquam ſive Canonicis ſive aliis perſonis conceſſum eſt à Papa deferre ſive Cappas, ſive Caputium, aut aliud ſignum ſive colorem, non poſſunt illa ab Epiſcopo prædictis perſonis mutari ſine ſedis Apoſtolicæ licentia, prout declaravit ſacra Congregatio in una Cameracenſi 25. Januarii: & in alia Placentina 16. Januarii 1604. Item S. Congregatio in una Hydruntina 1. Sept. 1612. & in una Brudruntina Meſſapiæ 10. Novembr. 1612.* quæ S. Congregationis declarationes firmari poſſent communi Doctorum conſenſu, plu-

pluribus Juris Canonici textibus,ac Conſtitutionibus Pontificijs, quarum tamen omnium loco, cùm illæ jam alibi fuerint relatæ, ſubſtituo unicum idque præclariſſimum,quod ad rem noſtram huc maximè facit Pauli III. S. P. judicium, quo hactenus dicta mirificè confirmantur.

22 De hoc itaque refert D. Marcus Antonius de Rovatis, Canonicus Regularis Lateranenſis, Proto-Notarius Apoſtolicus & Concionator celeberrimus apud Penottum in hiſtoria tripartita & Baſilium Serenium in apparatu ad privilegia Pontificia Apoſtolici Ordinis Canonicorum Regularium, atque ita teſtatur: *Hoſpitabatur aliquando fel. record. Paulus Papa tertius in Canonica hac noſtra Portuenſi, dumque apud nos moraretur, quoties per occupationes liceret, Patres jubebat accerſiri, ſtudentesque potiſſimum, quorum litterariis concertationibus plurimum ſe levari exiſtimabat tantâ animi anxietate, quâ è Principum diſcordiis in optimum redundabat Paſtorem. Quadam autem die circumſtante Canonicorum coronâ, eorum quempiam conſpicatus: Eja, inquit Pontifex, ex quo lineum geris Rochettum, quali nos ipſi utimur, albámque ſubtus conſimiliter togam, Almutiamque ac Birretum, etſi colore, figura tamen haud abſimiles videntur. Qui putas, priores adinvenerunt, aut utri dederunt, receperúntve? Ad quem ille: Sancte Pater, Vos ejus vicem geritis, in quo vivimus, movemur, & ſumus; ideò omnia noſtra, veſtra ſunt, cunctáque ſancta ſedi accepta referimus, quare & veſtes & Domicilium & agnomen. Tum Pontifex, nequaquam, ſed falleris: niſi enim noſtri Clerici primitivi, habitu nobis indiſcreto uſi fuiſſent, nullus Prædeceſſorum noſtrorum ſubditis indulſiſſet, ut tantopere Romano aſſimilarentur Pontifici: illaq; nos ipſi eatenus vos geſtare ſinimus, quòd Nobis compertum ſit, vos ab illis originaliter proficiſci, eorum ſucceſſores & hæredes: qui utinam fervorem imitemini, quorum deducitis normam & inſtituta.* Ex quibus S. Pontificis dictis confirmantur omnia, quæ tota hac ſectione latè deduximus; certè nil clarius, excellentius nihil in rem noſtram dici potuiſſe videtur, quàm hic enuntiavit S. Pontifex. Agnoſcit enim ac fatetur, quòd Canonicis Regularibus competat Rochettum, albámque ſubtus conſimiliter talarem togam, quali ſcilicet pro habitu ſuo quotidiano & uſuali utitur ipſe Romanus Pontifex: agnoſcit præterea, quòd eisdem Canonicis præter Rochettum competat quoque Almutia & Birretum & quidem Pontificio quoad figuram haud abſimile, idque ſine ullo S. Pontificis ejúsque ſupremæ dignitatis præjudicio: nec tantúm id putat illis competere qualitercunque aut ex privilegio ſolùm & indulgentia quadam, ùt hæc omnia ſedi Apoſtolicæ ac SS. Pontificibus in acceptis referebat Canonicus ille Regularis à Pontifice interrogatus, ſed ideò cenſet hunc habitum Canonicis competere Regularibus, quòd ſibi compertum eſſet, eo habitu fuiſſe uſos pri-

Digitized by Google

primitivos Eccleſiæ Clericos Apoſtolorum diſcipulos, à quibus illos originariè deſcendere dicit, tanquam eorum ſucceſſores in vita Apoſtolica, ac hæredes veſtimentorum. Ex quo ipſo fortiſſimum licet argumentum deducere, quòd Canonici Regulares ab Apoſtolis deſcendant, ex identitate habitûs deſumptum. Si enim Canonici Regulares ſemper detulerunt, & etiamnum deferunt eundem habitum, quem geſtârunt Apoſtoli ac eorum diſcipuli, Eccleſiæ primitivæ Clerici, nempe veſtem lineam, quam nunc Rochettum vocant, & à S. Pontifice & Epiſcopis tanquam Apoſtolorum ſucceſſoribus defertur, tunc etiam dicendum eſt, Canonicos quoque Regulares ab Apoſtolis deſcendere: ſed hi eandem ſemper veſtem lineam detulerunt omnibus retrò ſæculis, & nunc etiamnum deferunt: ergò etiam dicendum, eos ab Apoſtolis deſcendere.

Sectio II.

De poteſtate Prælatorum utendi Pontificalibus inſigniis.

23 PEr inſignia Pontificalia ſeu Epiſcopalia, ſic dicta, quòd ea principaliter Epiſcopis ac Pontificibus competant, intelliguntur Mitra, Baculus, Annulus, Caligæ & Sandalia, Tunica ſeu Tunicella, Dalmatica, Chirotecæ, & Crux pectoralis, quibus aliqui addunt Gremiale, quæ omnia hìc nobis ſunt exponenda. *Mitra*, quæ & *Apex* à D. Auguſtino *L. 2. de civit. Dei cap. 15.* & à S. Iſidoro *L. 19. Orig. cap. 21.* *Pileum*, *Galea*, & *Tiara* dicitur, more hodie paſſim recepto vocatur à S. noſtro Ivone Carnotenſi Epiſcopo *ſerm. de ſignif. Indument. Sacerdot.* atque à noſtro pariter Hugone de S. Victore. *L. 1. de Sacram cap. 55.* *Inſula.* Ortum eam ab Apoſtolis habuiſſe teſtatur Baronius ad Annum 32, eúmque ſecuti Tamburinus, Gavantus, Petrus de Murga, aliique; formam habet ex ſuperiori parte acutam, & in duos apices diviſam, duabus à tergo ex inferiori parte pendentibus vittis; antiquitùs vix erat altior palmo, ùt patet in Mitra S. Sylveſtri, quæ Romæ aſſervatur, & in aliis ſanctorum Pontificum ac Epiſcoporum Inſulis, quæ pluribus in locis oſtenduntur ac in veneratione habentur. Sub Mitra conceſſus eſt Prælatis uſus Pileoli, quem etiam ſub-Birretum mitrale vocant, formæ rotundæ ac nigri coloris, ùt præſcripſit S. Rituum Congregatio in decreto ſuo 27. Septembr. Anno 1659. edito, in illis ſcilicet, ùt ego qui-

quidem interpretor, qui Mozetam deferunt nigri aut conſimilis coloris, non autem in illis, qui togam aut Mozetam deferunt violaceam, in quibus & ipſum quoque Pileoſum violaceum eſſe convenit. *Baculus*, communiter paſtoralis dictus, quòd paſtoralitatis ſit ſignum, variis etiam effertur nominibus, ſcil. *Virga paſtoralis, Pedum, Ferula, Capuita*, quæ tamen teſte Ivone noſtro Carnotenſi *Epiſt. 8.* ſunt ſynonyma; tres habet partes: ſummam retortam, mediam rectam, imam tandem acutam; eum geſtare debet Prælatus manu ſiniſtra, quæ cordis eſſe dicitur, cum parte curva verſus populum. *Annulus*, qui & manuum corona dicitur, ex auro puro ſolidè conflatus ſit, ùt ex Innocentio III. *L. 1. cap. 46.* docet Gavantus *in theſaur. SS. Rituum p. 2 tit. 1. n. 6.* & palam (ùt dicunt) habeat cùm gemma, in qua nihil ſculptum exiſtat, ac benedictus eſſe debet juxta Ordin. Roman. Inſeritur quarto manûs dexteræ digito, ut ſciat Prælatus ſe ſervire Eccleſiæ toto corde; fertur enim, quòd in eo digito vena quædam ſanguinis ad cor uſque perveniat, ùt ait Iſidorus *Can. fœmina 7. cauſ. 30. q. 5. Caliga & Sandalia* idem ſunt apud S. Hieronymum *in Iſaiam L. 5. cap. 20.* diſtinguuntur tamen juxta S. Ivonem Carnotenſem noſtrum ac Innocentium III. *L. 1. cap. 28.* Gavantum *in Theſaur. SS. Rit. tit. 1. n. 6.* & Tambur. *to. 1. D. 20. q. 1. n 8.* quia Caligæ infra medium corpus induuntur & ita longæ debent eſſe, ut uſque ad genua protenſæ ligulis ex ea parte adſtringantur, & ideò juxta S. Iſidorum *L. 19. orig. c. 34.* dicuntur Caligæ, quia ligantur. Sandalia verò pedes tantùm contegunt, vocantur etiam *ſolea* ab Ivone Carnotenſi & Alcuino, qui cum Rabano Mauro eorum uſum ab Apoſtolis introductum fuiſſe volunt, eumque à Chriſto inſtitutum eſſe colligunt ex illis verbis Marci *6. ỳ. 9. ſed calceatos Sandaliis.* Ex integra ſolea ſubtùs conſtent, à parte autem ſuperiori ornata ſint ex panno ſerico, ùt vult Tamburinus *l. c. q. 2. n. 13. Tunica* ſeu *Tunicella*, quæ ſuper Albam induitur, ex eadem materia, qua Caligæ, eſſe debet, ſimúlque tam longa & lata, ùt eſſe ſolet Dalmatica Diaconalis. *Dalmatica Pontificalis*, quæ immediaté ſuper Tunicam ſeu Tunicellam induitur, ſic teſte Alcuino vocatur, quòd in Dalmatia fuerit inventa, eamque à S. Sylveſtro Papa inſtitutam fuiſſe tradit idem Alcuinus, Amalarius & Tamburinus *q. 1. n. 9.* Laneam olim fuiſſe teſtatur Gavantus ex Ordin. Roman. verùm poſtea ſerica eſſe cœpit; vocatur ab Ordinario Romano Dalmatica major reſpectu Tunicellæ, quia hæc ſtrictior, illa latior eſt, ac alas ſeu manicas habet latas. *Chirotheca*, quæ in dicto Ordin. Roman. *Manica* vocantur, quia manuum ſunt ornamenta, debent eſſe contextæ, & circulo aureo in ſuperiori parte ornatæ. *Crux pectoralis* ſic dicta eſt, quòd à collo ſuſpenſa ante pectus pen-

pendeat ſive in filo ſerico, ſive in catenula aurea vel argentea; extra imaginem Chriſti è cruce pendentis referat, intùs verò Sanctorum reliquias contineat. *Gremiale*, quòd aliqui etiam inter inſignia Pontificalia numerant, ex eo dicitur, quòd ſuper gremium Prælati Pontificaliter celebrantis ponatur, cùm Planetam indutus ſedet. Id juxta Tamburinum *D. 20. tit. q. 2. n. 14.* per longitudinem duobus circiter cubitis conſtare debet: per latitudinem verò uno tantùm, undique cinctum laciniarum auro vel argento intextarum ornatu. De quibus omnibus videri poſſunt idem Tamburinus *l. c. q. 1. & 2.* Gavantus tum *in commentar. tum in theſauro SS. Rituum.* Pax-Jordanus *to 1. de re ſacra L. 4. tit. 1. n. 450. & 451.* Dubal. *in expoſitione Regulæ S. Auguſt: part. 1. cap. 18.* Petrus de Murga *ad Conſtit. 1. Cæleſtini III. §. 2.*

24 Hic porrò tam ſolemnis ſacrarum veſtium apparatus jam in veteri teſtamento *Exodi 28.* præſignatus de Jure communi ſolis competit Epiſcopis, cæteris verò Prælatis ex privilegio duntaxat Apoſtolico, ùt expreſsè habetur *cap. ut Apoſtolicâ 6. de privileg. in 6.* ubi dicitur: quòd Abbatibus aliiſque Prælatis non competat ex propria dignitate, quòd poſſint uti Mitrâ & aliis Pontificalibus, ſed ex Apoſtolicæ ſedis benignitate, quæ illis eadem conceſſit non ad pompam propriæ perſonæ & animi faſtum ac contemptum aliorum, ſed in Eccleſiarum ſuarum gloriam & honorem, ut ex majoritate ac decore majori ornatuum, majoritas appareat dignitatum, utque ſerviat ad majorem Dei gloriam, exaltationem Eccleſiæ, & ſpiritualem ſalutem animarum illis utentium. Ita enimverò loquitur Cœleſtinus III. conferens Abbati S. Facundi inſignia Pontificalia in Bulla: *Sicut Monaſterium 2. Idus Julii. Anno Pontificatûs ſui 4.* id eſt 1194. *Sic his ornamentis utaris, ut quæ ſignificant, ad gloriam JEſu Chriſti & exaltationem Eccleſiæ tibi commiſſæ, atque ſalutem animæ tuæ in operum executione demonſtres.* quod certè communiter in ſimilibus contingit Pontificalium Conceſſionibus, ut non intuitu Prælatorum, ſed Eccleſiarum potiùs ſuarũ illa concedantur, quod paſſim DD. tradunt & conſtat ex cit. *cap. 6. de privileg. in 6.* aliiſque pluribus. Unde minùs habent Prælati quidam & Abbates, cur ob iſta Pontificalia inſignia ad contemtum uſque aliorum extollantur, ac cæteros iiſdem non inſignitos vilipendant, prout frequenter ſatis fieri contingit. Atque hinc non iṁeritò acriter reprehendit D. Bernardus Epiſt. ad Henricum Archi-Epiſc. Senonenſem Monachos ſuos & Abbates, qui hujusmodi ornamenta iṁoderato quodam animi faſtu ambiebant, hiſce verbis: *Verùm aperte indicant quidam horum, quid cogitent, dum multo labore ac pretio Apoſtolicis adeptis privilegiis, per ipſa ſibi vindicant inſignia Pontificalia, utentes & ipſi mo-*

re Pontificum Mitra, annulo, atque Sandaliis: ſanè ſi attenditur rerum dignitas hanc Monachi abhorret profeſſio: ſi Miniſterium ſolis liquet congruere Pontificibus. & paulò ante: *Quid eſt hoc præſumptionis ò Monachi? neque enim quia Prælati Monachi, ideò non Monachi; quia Monachum facit profeſſio, Prælatum neceſſitas: ut autem non præjudicet neceſſitas profeſſioni, accedat Prælatio Monachatui.* Similiter Petrus Bleſenſis Archi-Diaconus Barthonienſis *Epiſt. 90.* ſcribens Wilhelmo Bleſenſi Abbati Machinen. fratri ſuo, qui ab Apoſtolica ſede horum inſignium uſum obtinuerat, illum monet, ut vel iſta inſignia reddat, vel Abbatiam relinquat, inquiens: *Mitra, Annulus, atque Sandalia in alio quàm in Epiſcopo quadam ſuperba elatio eſt, & præſumptuoſa oſtentatio libertatis.* Atq; hac fortaſſis de cauſa factum eſt, quòd Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis, & S. Salvatoris Bononienſis, ac Windeſemenſis, aliiſque hiſce Pontificalibus inſigniis ultrò renuntiaverint, ſibique illa interdixerint. Verùm poſtquam horum inſignium uſus apud alios ſemel invaluit, ſéque proptereà illis præferrent, coacti fuerunt iſti, eadem iterum reaſſumere, ne minores viderentur, Juribùsque ſuis præjudicarent; ſicque factum, quòd plerique hodie iiſdem utantur Pontificalibus. Hæc quidem antiquitùs concedebantur rarò, ita ut ſæculo primùm ſeptimo cœpiſſe videantur, quo ad annum 643. refert Pittonus *in conſtit. Pontific. quoad Regulares* eadem ab Honorio I. S. P. conceſſa Abbati Monaſterii Bobienſis, dein confirmata fuiſſe à Theodoro I. ſucceſſivè tamen faciliùs concedi cœperunt, præſertim ad preces Fundatoris, ad inſtantiam alicujus Principis, aut alia rationabili de cauſa, uſque dum horum Pontificalium uſus factus eſt Prælatis Ordinum antiquorum & Abbatialium ferè communis, inter quos cùm ex ſententia SS. Pontificum primum obtineat locum Ordo Canonicorum Regularium, videndum nunc, quæ & hujus Prælati obtinuerint circa hoc privilegia, ac ſtatuendum: An Prælati Canonicorum Regularium habeant poteſtatem utendi Pontificalibus inſigniis more Epiſcoporum? 2dò. Quo Canonicorum Aſſiſtentium apparatu ac ſolemnitate divina Pontificaliter peracturi valeant uti? 3tiò. Quos miniſtros ſibi inſervientes adhibere poſſint? 4tò. An Pontificaliter celebraturi Eccleſiam accedentes aut inde recedentes aſſociari poſſint à ſuis Canonicis?

Dico 1mò. *Prælati Cano-* 25
nicorum Regularium Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis aliique etiam, habent poteſtatem utendi Mitra, Baculo, & Annulo aliiſque Pontificalibus inſigniis more Epiſcoporum.

Ita Alexander III. & Lucius III. SS. Pontifices, quorum litteras refert & confirmat Urbanus III. in Bulla: *Cùm felicis memoriæ. Veronæ 4. Calend. Julii data* Anno 1186. vel ad ſummum 1187. quibus ſolumodo regnavit, ubi ait: *cum fel. mem. Alexander III. & Lucius prædeceſſores noſtri, ſicut ex eorum litteris manifeſtè nobis innotuit, de benignitate Apoſtolicæ ſedis indulſerint, ut in proceſſionibus diebus ſolemnibus deferatis Baculum paſtoralem, nos eiſdem prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, eundem Baculum paſtoralem diebus ipſis in proceſſionibus deferendi liberam concedimus facultatem.* cujus privilegii vigore, (*Adde*; utut conceſſi pro unico Monaſterio Cremonenſi, & tantùm ad proceſſiones ex Eccleſia illius Monaſterii inſtituendas extra plateam & territorium ejusdem Monaſterii. Quia Pontifex ſupponit, Prælatum in Eccleſia propria jam independenter ab hoc privilegio habuiſſe uſum baculi &c.) ait Petrus de Murga *ad Conſtit. 16. & unic. Alexandri VII. n. 57.* Canonici Regulares & omnes illo gaudentes uti poſſunt Baculo paſtorali & Mitra extra proprias Eccleſias ſuas, & extra loca ipſis ſubjecta, in proceſſionibus Eccleſiarum ſuarum diebus ſolemnibus, uti docere videntur Lezana *in ſumma QQ. Regul. to. 2. part. 3. V. Baculus n. 2,* Barboſa *de Jur. Eccl. to. 1. L. 3. cap. 2. n. 27.* & *in ſum. Deciſion. Apoſtol. dicto V. Baculus n. 1.* cum Joanne Maria Novario *in Lucerna Regul. V. eodem,* dicunt enim, quòd Baculus & Mitra & eorum uſus ſint correlativa, & cui unum conceditur, alterum credatur conceſſum; quam in rem duas allegant S. Congr. Rituum declarationes. Alteram in Treverenſi 8. Januar. 1605. alteram in Argentin. 7. Octobris 1606. illis conſonat Pax-Jordanus *to. 1. de re ſacra L. 5. tit. 3 n. 38.* in quantum à contrario ſenſu dicit: quæ verò dicuntur de Mitra non adhibenda extra proprias Eccleſias, extenduntur ad cætera Pontificalia, út ſæpiùs fuit reſolutum; dato autem, quòd Baculus & Mitra correlativa ſint, uno eorum alicui conceſſo, aliud etiam ei conceſſum eſſe intelligitur, & quolibet iſtorum conceſſo, reliqua inſignia Pontificalia cenſentur pariter conceſſa; quia cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus. *cap 23. de R. J. in 6.* & *L. 188. ff. eodem.* Mitra autem inter Pontificalia inſignia majus ſignum eſt honoris & ornamenti: & Baculus eſt majus ſignum dignitatis & poteſtatis paſtoralis. Quæ omnia maximè roborantur per Bullam Joannis XXII. quæ incipit: *Exponit veſtra devotionis. 12. Cal. Octobr. Anno 1318. Pont. 3.* in qua relatum Urbani III. & Anteceſſorum ejus privilegium, quo præfatis Canonicorum Regularium Prælatis facultas conceditur in proceſſionibus publicis ac generalibus fieri ſolitis Baculum paſtoralem deferendi, non modò confirmat, ſed etiam expreſſè addit, quòd *qui erunt pro tempore Prælati ac præpoſiti, Mitra, annulo,*

&

& aliis Pontificalibus inſigniis in eisdem proceſſionibus, nec non diebus ſolemnibus in Miſſis, & aliis divinis officiis liberè uti, ac benedictionem ſolemnem poſt miſſarum, Veſperarum, & matutinarum ſolemnia elargiri poſſint. Ex ſupra dicta porrò Urbani III. Bullâ (quod longè magis fieri poteſt ex hac Joannis XXII.) infert Petrus de Murga *l. c. n. 56.* cum Tamburino *D. 20. q. 3. n. 10.* decretum S. Congreg. Rituum *27. Sept.* Anno *1659.* editum §. *8.* ſtatuens, ac præcipiens, *ne Prælati & Abbates in proceſſionibus, quæ ab eorum Eccleſiis per vias extra ambitum vel parochiam ducuntur, inſigniis pontificalibus utantur, vel penes ſe perferri faciant,* locum non habere reſpectu Canonicorum Regularium Lateranenſium uſum Pontificalium habentium, nec aliorum quidem Abbatum & Prælatorum, privilegiis prædictorum Canonicorum gaudentium cùm id illis expreſsé concedant relatæ SS. Pontificum Bullæ, quibus nullibi derogat S. Congregatio. Cæterùm eundem Pontificalium uſum à ſede Apoſtolica conceſſum eisdem Canonicorum Regularium Prælatis confirmat etiam Gregorius IX. in Bulla: *ſuſcepti cura regiminis. 3. Nonas Nov.* Anno *1238. Pont. XII.* & Urbanus VI. illis ipſis conceſſit in Bulla: *Expoſcit veſtra devotionis. Idibus Febr.* Anno *pontificatus 8.* id eſt, *1386. ut qui fuerint pro tempore Prælati mitra, Annulo & Baculo paſtorali & aliis inſigniis pontificalibus liberè uti, ac benedictionem ſolemnem poſt miſſarum Veſperarum, & matutinarum ſolemnia populis ad divina convenientibus elargiri poſſint;* quod non tantùm confirmat Bonifacius IX. in Bulla: *ſacra Religionis. 8. Idus Aprilis* Anno *Pontificatûs 11. Chriſti 1400.* ſed etiam plenariam facultatem elargitur, *ut dum miſſam & alia divina officia in pontificalibus celebrabunt, in fine dictorum miſſæ & officiorum univerſis & ſingulis Chriſti Fidelibus prædictis aſtantibus relaxandi quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis.* Sixtus IV. etiam eisdem concedit in Bulla: *Redemptoris noſtri 17. calend. Octobr.* Anno *Pontificatûs 13. Chriſti 1483. ut mitra, annulo, baculo, & aliis pontificalibus inſigniis uti & benedictionem ſolemnem poſt miſſarum veſperarum, & matutinarum ſolemnia elargiri liberè & licitè poſſint.* Quorum omnium SS. Pontificum privilegia diverſis conceſſa confirmârunt, & ad totam Congregationem Lateranenſem extenderunt alii SS. Pontifices præſertim Pius IV. *qui 5. cal. Decembr.* Anno *Pontificatûs ſui 3.* id eſt, *1563. omnibus & ſingulis dictæ Congregationis Lateranenſis Cann. Reggul. Abbatibus, quorumcunque monaſteriorum, tametſi munus benedictionis non ſuſcepiſſent, conceſſit, ut ad inſtar Prioris prioratus S. Frigdian. Luceni & Præpoſiti præpoſituræ S. crucis de Mortario papien. Diœceſis eorumdem Ordinis & Congregationis in ſolemnibus Anni Feſtivitatibus miſſas, & veſperas in pontificalibus celebrare, nec non poſt miſſas & veſperas hujusmodi ſolemnem Chriſti populo benedictionem impendere, ac utriùsque ſexus Chriſti fidelibus benedictionibus hujusmodi intereſſentibus quadraginta dies de injunctis*

Digitized by Google

junctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxare liberè & licitè valerent. Quam Pii IV. conceſſionem, ac privilegiorum jam priùs conceſſorum extenſionem, cùm interveniente illius obitu litteræ ſuper eam necdum fuiſſent expeditæ, pleniſſimè confirmavit S. Pius V. in Bulla: *Æquum reputamus. 16. Cal. Febr.* Anno *1566. Pontificatûs 1mo.* paucis poſt ſuam ad ſedem Pontificiam exaltationem diebus, relatâ ex toto Pii IV. conceſſione ſuæque Bullæ inſerta, poſtremò addens: *Ne autem de Indulto, ſtatuto, ordinatione, & decreto, pro eo, quòd ſuper illis ipſius Prædeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, litteræ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, & ipſa Congregatio illorum fruſtretur effectu: Volumus & ſimiliter Apoſtolica authoritate prædicta decernimus, quòd Indultum, ſtatutum, ordinatio & decretum Prædeceſſoris hujuſmodi, perinde à dicta die quinto Calend. Decembr. ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Prædeceſſoris litteræ ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperiùs enarratur.*

26 Præter relatos hactenus SS. Pontifices conceſſerunt Canonicorum Regularium Prælatis eorundem Pontificalium uſum Alexander III. S. P. in Bulla: *Devotionis & fidei Conſtantiam. Beneventi 2. Nonas Febr. Anno 1169. Pont. 10.* in qua iiſdem *Mitram & Baculum, quibus in præcipuis ſolemnitatibus &* (quod benè notandum propter Decretum S. Rit. Congregationis 27. Septembr. Anno 1659. editum) *in exequiis mortuorum utantur, gratuita liberalitate concedit, & auctoritate Apoſtolica indulget.* Idem conceſſerunt Bonifacius IX. & Eugenius IV. quorum ſicut & Alexandri III. litteras refert & confirmat Innocentius VIII. in Bulla: *Expoſcit. data Romæ. 4. Idus Febr. Anno 1486.* ubi hunc ipſum Pontificalium uſum concedit, & eundem in alia Bulla pariter incipiente: *Expoſcit. pridie Idus Novembr. 1489.* ad totam Congregationem Cann. Regg. Bononienſem extendit, ita, ut *in quibuſcunque Eccleſiis Monaſteriorum ac locorum Ordinis ac Congregationis hujuſmodi ubilibet conſiſtentibus Mitra, Annulo & aliis Pontificalibus Inſigniis uti, Benedictionémque ſolemnem poſt Miſſarum, Veſperarum, & Matutinorum ſolemnia divinis intereſſentibus Officiis elargiri poſſint ac valeant*; quæ omnia eidem Cann. Regg. Congregationi in ſpecie confirmavit, & de novo conceſſit Julius III. in Bulla: *Cùm à Nobis 10. Cal. Novembr. Anno 1551.* & jam antea conceſſerunt Alexander VI. in Bulla: *Cùm ſicut. 8. Maji Anno 1493.* Præterea quamplurimas alias ac penè innumeras hujuſmodi Bullas, quibus hic Pontificalium uſus particularibus Canonicorum Regularium Collegiis ac Monaſteriis conceſſus eſt, quas inter tamen cùm maximè memorabilis, ac ſæpiùs à nobis in ſequentibus memoranda ſit Bulla Pauli III. Abbati Canonicorum Regularium Vallisſcholarium data *13. Maji Anno 1539.* committere haud poſſum, quin eam

hic

Digitized by Google

hic ex parte referam ex Renato Choppino *in Monaſtic. L. 2. tit. 2. n. 18.* Tamburino *to. 2. D. 2. q. 1. n. 7.* & Pittono *n. 692.* prout ſequitur: *Quòdque dictus Abbas Clemens Cornuet & ſucceſſores Abbates pro tempore exiſtentes Mitra, Annulo, Baculo Paſtorali, & quibuscunque aliis Pontificalibus Inſigniis uti, nec non tam in eodem Monaſterio, quàm quibuscunque Prioratibus, & Eccleſiis eidem Monaſterio ſubjectis & ab eo dependentibus, quamvis illi pleno Jure non ſubſint, nec non in quibus aliquam ſuperioritatem obtinent, ac in quibuscunque locis Eccleſiaſticis, in quibus Clemens & ſucceſſores prædicti in Pontificalibus pro tempore celebrabunt, benedictionem ſolemnem poſt Miſſarum, Veſperarum, Matutinorum, & aliorum divinorum ſolemnia ſupra populum tunc inibi intereſſentem, dummodo inibi Diœceſanus ſeu alius Antiſtes, aut aliquis Apoſtolicæ ſedis Legatus præſens non ſit, vel ſi præſens fuerit, ejus ad id expreſſus accedat aſſenſus, elargiri, ac ſingulos Fratres, Novitios, ac ſervitores ac mediatè vel immediatè ſubjectos dicti Monaſterii, nec non Prioratuum, & membrorum eidem Monaſterio ſubjectorum, & ad ipſum Monaſterium, ut inibi recipiantur pro tempore convolantes, ad hoc idoneos clericali charactere inſignire, & ad 4tuor. Minores Ordines ſimul vel ſucceſſivè, prout expediens fuerit, quibusvis feſtivitatibus promovere, ac Ordines eis conferre: nec non veſtes, indumenta, ornamenta & paramenta Eccleſiaſtica, etiam ſacerdotalia, libros, imagines, cruces, campanas, calices, vaſa & tabernacula quacunque præfati Monaſterii, ac Prioratuum & membrorum & Eccleſiarum illi ſubjectarum, ac Altaria illorum benedicere, eáſque Eccleſias vel earum Cæmeteria, & alia loca Eccleſiaſtica ſanguinis vel ſeminis effuſione, aut aliàs quavis modo pollutas vel polluta, aqua tamen per aliquem Canonicum Antiſtitem, ùt moris eſt, benedicta, conciliare liberè & licitè valeant, perpetuò ſtatuimus & ordinamus.* His omnibus addi poſſent omnes illæ SS. Pontificum Bullæ, quibus Ordini Canonicorum Regularium Præmonſtratenſium tũ in generali tum in particulari conceſſus eſt idem Pontificalium uſus, quas tamen hìc brevitatis causâ omitto, cùm videri poſſint in libro Privileg. Ord. Præmonſtrat. tom. 2. tum etiam apud alios.

Sicut autem Canonicorum Regularium Prælati & Abbates privilegio Pontificalia deferendi Inſignia ſunt à SS. Pontificibus inſigniti, ita pariter aliorum Ordinum Prælati ac Abbates Monaſtici eisdem ſunt condecorati, inprimis ex Ordine S. Benedicti: ſic enim eundem Pontificalium uſus conceſſit Leo IX. Abbati S. Juſtinæ Patavin. Anno 1049. Urbanus II. Abbati & Monaſterio Cavenſi in Bulla: *Cùm univerſis. 18. Cal. Octobr. Anno 1092.* in qua expreſsè dicit: *quòd omnia Pontificalia exercere poſſit, exceptis duntaxat SS. Ordinum collatione, Baſilicarum & Altarium conſecratione, ac Chriſmatis confectione*: quæ omnia Alexander II. eidem Cavenſi Mo- 27

naſte-

naſterio confirmat & de novo concedit in Bulla: *Et bonæ opinionis. 30. Januar. Anno 1066.* eorundem Pontificalium uſum conceſſit Paſchalis II. Abbati S. Salvatoris prope Papiam in Bulla: *Pia. Anno 1100.* Caliſtus II. Abbati & Monaſterio Caſſinenſi in Bulla: *Omnipotenti Deo. 16. Sept. Anno 1132.* Innocentius III. Abbati ac Monaſterio S. Pauli de Urbe in Bulla: *Cùm aliqua. 13. Junii Anno 1203.* idipſum confirmantibus Honorio III. *15. Maji Anno 1218.* Gregorio IX. *25. Febr. Anno 1236.* & Eugenio IV. *23. Maji Anno 1442.* Innocentius IV. Abbati ac Monaſterio S. Benedicti de Padolyrone in Bulla: *Ut pulchra. 1. Mart. Anno 1250.* Idem Innocentius IV. Abbati ac Monaſterio Sublacenſi in Bulla: *Fragrantia. 22. Junii Anno 1252.* quorum omnium privilegia ad totam Congregationem S. Juſtinæ de Padua, nunc Caſſinenſem extendit Eugenius IV. in Bulla: *Etſi quaslibet. prid. Calend. Julii Anno 1436.* Nec tantùm Ordo S. Benedicti ac Congregatio Caſſinenſis hunc uſum Pontificalium obtinuit, ſed etiam alii SS. Ordines ab illo deſcendentes, ac ſub eadem Regula militantes. Ita enim Abbatibus Ordinis Camaldulenſis eundem Pontificalium uſum conceſſit Leo X. Eundem habent Abbates Ordinis ac Congregationis Vallis-Umbroſæ tum univerſaliter omnes, tum multi ſingillatim, quos in particulari refert Tamburin. *to. 1. D. 20. q. 1. n. 17.* eundem obtinuit Ordo Ciſtercienſis ab Innocentio VIII. per Bullam: *Expoſcit. 9. April. Anno 1489.* Ordo Cœleſtinorum hunc ipſum habet per memorabile privilegium Cœleſtini V. eorum Inſtitutoris, quod incipit: *Etſi cunctos. 27. Sept. Anno 1294.* quod primitùs Abbati S. Spiritûs de Sulmona eorum Generali conceſſum, poſtea à Paulo V. in Bulla: *Ad ſacram Petri ſedem. 29. Januar. Anno Pontificatûs 11.* extenſum eſt ad omnes alios Abbates, qui in eadem Congregatione deinde creati ſunt, ùt refert Tamburinus *l. c. n. 19.* Abbates Montis Oliveti gaudent uſu Pontificalium vigore multarum Bullarum SS. Pontificum, præcipuè Julii II. quæ in libro privileg. dictæ Congregat. videri poſſunt. Abbates de Monte Virginis iiſdem Pontificalibus inſigniti ſunt per ſpeciale privilegium Urbani IV. in Bulla: *Eccleſiæ. 13. Septembr. Anno 1263.* Abbates denique Congregationis Valliſoletanæ in Hiſpania eundem habent Pontificalium uſum tum ex privilegio Cœleſtini III. tum aliorum SS. Pontificum, ùt videre licet apud Murgam *in Commentar. ad Conſtit. Apoſtol.*

Ut autem Prælati & Abbates 28
habentes uſum Pontificalium ſciant, quem in finem hæc illis conceſſa, quidve ſignificent, non erit abs re, ea Inſignia ac ornamenta Pontificalia hic breviter exponere, juxta triplicem ſignificationem anagogicam, allegoricam, & tropologicam ſeu moralem. Significatio porrò anagogi-

gogica eſt de Chriſto, cujus imaginem refert Epiſcopus aut Prælatus Pontificaliter celebrans; allegorica eſt de Paſſione ejusdem Salvatoris noſtri, quam ille ſuis omnibus veſtimentis repræſentat; tropologica ſeu moralis ad mores refertur Prælatorum. Atque adeò juxta triplicem hunc ſenſum ſignificat *Mitra* in ſenſu quidem anagogico ſummam Chriſti honorificentiam: in allegorico ſpineam illius coronam: in tropologico Prælatum eſſe debere utriusque teſtamenti ſcientia præditum, eáque in utroque ſenſu litterali & ſpirituali; duo teſtamenta ſignificantur per duo cornua Mitræ: unde Hugo noſter Victorinus *in ſpecul. Eccl. c. 6.* ait: *Mitra Pontificis corniculata duo protendit teſtamenta, quibus ipſe expugnare debet hoſtes Eccleſiæ.* duæ vittæ ſeu fimbriæ poſteriores ſunt Spiritus & littera, & pendent ad humeros, ut, quod Prælatus docet, opere compleat. *Baculus* in ſenſu anagogico ſignificat ſupremam Chriſti poteſtatem: in allegorico crucem Chriſti, quâ omnia traxit ad ſeipſum: in tropologico jurisdictionem paſtoralem. Illius forma ex ſuperiori parte curva, media recta, & infima acuta denotat, quòd Prælatus ita ſe habere debeat erga ſubditos, ut pigros pungat, vagos colligat, & debiles ſuſtentet, ut eruditè ſcripſit Hugo noſter de S. Victore l. c. inquiens: *Baculus Paſtoralis rectitudine ſui rectum regimen ſignificat: quòd autem una pars curva eſt, & altera acuta, monſtrat præeſſe ſubjectis, & debellare rebelles, unde dictum eſt: Attrahe per curvum: medio rege: punge per imum;* cui conſonat Innocentius III. *L. 1. de Myſter. Miſſa c. 6. Collige, ſuſtenta, ſtimula vaga morbida, lenta;* pulchrè etiam Cœleſtinus III. in Bulla: *Sicut Monaſterium. 2. Idus Julii Anno Pontificatûs 4to. id eſt, 1194.* data exhortatur Prælatum hisce verbis: *Baculo quoque ſive virga utens, quorum altero percutiuntur ſubditi, altero ſuſtentantur, neque nimiam benignitatem, nec aſperitatem habebit, ſed altero alteri diſcretè commixto temperamentum conficias ex utroque.* *Annulus* in ſenſu anagogico ſignificat perfectionem donorum Spiritûs S. in Chriſto, ut tradit Innocentius III. & Rupertus Abbas *de divin. Offic. c. 25.* In allegorico juxta Durandum *in Rationali L. 3. c. 14.* eſt fidei Sacramentum, quo Chriſtus ſponſam ſuam ſanctam Eccleſiam ſubarrhavit, ut ipſa dicere valeat: annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus meus Chriſtus. In tropologico ſeu morali ſignificat juxta Hugonem à S. Victore l. c. matrimonium ſpirituale initum inter Prælatum & Eccleſiam ſuam, ut quemadmodum annulus datur ſponſæ in ſignum matrimonii carnalis, ita etiam Prælato Eccleſiaſtico in ſignum matrimonii ſpiritualis. Aliam expoſitionem moralem annuli prælatitii tradit Iſidorus Moſconius *cap. 8.* apud Tamburin. quòd nempe detur annulus ad honorem Pontificiæ dignitatis ùt ſignaculum ſecretorum: atque in hoc ſenſu etiam S. Iſi-

Iſidorus Hiſpalenſis *L. 1. Offic. Eccleſ. c. 5.* ait: *Huic autem* (Epiſcopo ſcilicet) *dum conſecratur, datur annulus propter ſignum Pontificalis honoris, vel ſignum ſecretorum; nam multa ſunt, quæ carnalium, minúsque intelligentium ſenſibus occultantes ſacerdotes, quaſi ſub ſignaculo abſcondunt, ne indignis quibusque Sacramenta Dei aperiantur.* unde in Ordin. Roman. ſequens præſcribitur forma: *Accipe annulum diſcretionis & honoris, fidei ſignum, ut quæ ſignanda ſunt ſignes, & quæ aperienda ſunt ſolvas.* *Sandalia* ſignificant in ſenſu anagogico ſummam Chriſti puritatem omnis terreni inquinamenti expertem: in allegorico divinæ Incarnationis calceamentum juxta Pſalm. 59. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id eſt, gentibus notam faciam Incarnationem meam, ut exponit Rupertus Abbas *de divin. Offic. L. 1. c. 24.* In ſenſu tropologico denotant munus Apoſtolicum ac prædicationem Evangelii; hoc enim calceamenti genus proprium eſt Apoſtolorum ac Prælatorum juxta illud Prophetæ: *Quàm ſpecioſi pedes Evangelizantium*: denotant præterea Prælatos hujusmodi & Miniſtros Verbi DEI Prædicatores non debere terrenis incumbere, ſed ſolùm cœleſtibus inhiare, ut notat Hugo de S. Victore l. c. & Ivo Carnotenſis noſter *ſerm. de ſignif. indument. ſacerdot.* dicens: *utuntur Epiſcopi ſandaliis, quæ calceamenta ſunt Prædicatorum; habeant ad terram ſoleam integram, ne pes tangat terram: ſuprà verò conſtent ex corio quibusdam locis pertuſo, quia Evangelium non debet terrenis commodis initi.* & Cœleſtinus III. in ſupra citatâ Bulla inquit: *legimus in Evangelio Chriſti diſcipulos ſandaliis calceatos in præparationem Evangelii pacis ab ipſo transmiſſos; quod innuit, te prædicationi debere inſtare, & ad pacem habendam ſemper dare operam efficacem.* unde etiam à Prælato dum induitur ſandaliis ſequens oratio dicenda eſt: *calcea Domine pedes meos in præparationem Evangelii pacis, & protege me in velamento alarum tuarum.* *Tunica* ſeu *Tunicella* ſignificat juxta Innocentium III. *L. 1. cap. 39.* in ſenſu anagogico doctrinam Chriſti inconſutilem, quæ ſcindi non poteſt: in allegorico tunicam Chriſti inconſutilem, ſuper quam in Paſſione milites miſerunt ſortem: in ſenſu tropologico ac morali vitam Prælati Angelicam & cœleſtem ejus converſationem, ut docet S. Ivo Carnotenſis; conſonat & Cœleſtinus III. in Bull. cit. ubi ait: *reſpicias quoque ad Tunicam, per quam, quia in veteri teſtamento ſolummodo de Hyacintho fiebat, Chriſtus vitam tuam Angelicam & converſationem vult eſſe cæleſtem.* denotat præterea perſeverantiã; nam cùm omnes virtutes in ſtadio currant, ſola perſeverantia accipit bravium: *qui enim perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit.* induitur autem tunicâ poſt Albam; quia ſicut per Albam corporis caſtigatio ſignificatur, ita per tunicam virtutes animæ intelliguntur, quibus Prælatus, qui eis induitur, ſemper debet eſſe ornatus. Tunica verò ideò non cingi-

tur,

tur, quia ſicut per eam iter non impeditur, ita pariter virtutes per illam deſignatæ liberum iter ad contemplandum Deum præbent, ùt exponit Durandus *in Ration. L. 3. cap. 10.* & Tamburin. *D. 20. q. 1. n. 9.* *Dalmatica* in ſenſu anagogico juxta Innocentium III. ſignificat largam ac latam Chriſti erga nos miſericordiam: in allegorico ſummam Chriſti expanſis manibus è cruce pendentis in nos charitatem: in tropologico ſeu morali geminam charitatem, Dei ſcilicet & proximi, juxta Hugonem noſtrum de S. Victore l. c. & Amalarium de Eccl. Offic. *L. 2. cap. 11.* formam habet crucis ad denotandum, quòd Prælatus mundo crucifixus eſſe debeat, qui ea deſiderat ornari; largas habet & latas manicas, quibus ſignificatur eum eſſe debere liberalem, & erga pauperes hoſpitalem juxta illud Apoſtoli: *non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem.* *Chirotheca* in ſenſu anagogico ſignificant ſimilitudinem carnis peccati in Chriſto Domino, ùt explicat Innocentius III. & innuit oratio ad illas dicenda; in tropologico denotant juxta Hugonem de S. Victore l. c. exempla Sanctorum, quæ in manibus, id eſt, operibus demonſtrantur, quæ ab omni inquinamento, ac ſordibus debent eſſe mundata, ùt etiam obſervat Cœleſtinus III. in cit. Bull. ubi inquit: *Chirotheca, quibus lineis nuda manuum induuntur, ipſas manus mundas & ab omni ſorde immunes ac nitidas eſſe requirunt.* Ideò etiam Chirothecis manus cooperit, ut neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera, & ad evitandam vanam gloriam, ùt obſervat Durandus in Ration. *L. 3. cap. 12.* *Crux pectoralis* ſignificat in ſenſu tropologico Paſſionem Chriſti & SS. Martyrum, ut illius & horum memoriam recondat Prælatus in pectore ſuo; nam extra imaginem Chriſti in cruce pendentis refert, intus verò Sanctorum Reliquias continet; è collo ſuſpendit illam ante pectus ad denotandum quod ait Apoſtolus: *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Aſſumendo autem & deponendo crucem, illam oſculatur, ut oſtendat, quòd Chriſti paſſionem, quæ per illam ſignificatur, credat & confiteatur, ad quam repræſentandam in Officio Miſſæ ſe parat. Ita Tamburinus ex Durando *L. 3. c. 9.* de quibus omnibus plura videri poſſunt apud Authores hactenus citatos ac præſertim apud Durandum *in Rationali divinor. Officior.* Gavantum *in Commentar. in Rubric.* & *in theſaur. SS. Rituum* Tamburin. *to. 1. D. 20. Q. 1.* Pax. Jordan. *to. 1. de Re ſacr. L. 4. tit. 1.* Dubal *in Expoſit. Regulæ S. Auguſt. to. 1. cap. 18.* ac Petrum de Murga *ad Conſtit. 1. Cæleſtini III. §. 2.* ubi materiam hanc per 8. ſect. eruditè pertractat. (*Adde*; Quæ hucusque de origine & ſignificatione Pontificalium dicta ſunt, non videbuntur omnibus exacta: & dum ex conceſſione Pontificalium uni Monaſterio facta ſtatim fit extenſio gratiæ ad totum Ordinem, non omnibus placebit conſequen-

ſequentia ; hujuſmodi enim privilegia ſunt ejus naturæ , ut tantùm ſoleant concedi intuitu meriti aut commendationis particularis. Aut ſi privilegium hoc uni conceſſum ſtatim fit univerſale , cur ab aliis Monaſteriis fuit ſupplicatum , ac etiamnum ſupplicatur pro gratia ? itaque communicatio non eſt repetenda à Monaſteriis privatis , ſed à Congregatione Lateranenſi ab iis, qui illi uniti ſunt.)

29 Dico 2dò. *Poſſunt Prælati & Abbates Pontificaliter celebrantes Epiſcopalibus inſigniis uti cum Baldachino, & ultra Presbyterum aſſiſtentem ac Diaconum & Subdiaconum pro cantandis Evangelio , & Epiſtolâ , habere duos alios Diaconos , ac ſex alios Canonicos propriæ Congregationis , nempe duos cum Pluvialibus , duos cum Planetis , & duos cum Tunicellis coloris tempori convenientis.*

Ita referente Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo D. Card. Cæſarino ad petitionem Reverendiſſimi P. D. Marci Antonii Gentilis de Bononia & totius Congregationis Cann. Regular. Lateranenſ. Procuratoris Generalis ejuſdem Prælatis & Abbatibus licere cenſuit Sac. Rituum Congregatio *die 15. Januarii Anno 1633.* erat ſubſcriptus. C. Epiſcop. Portuenſ. Card. Pius , & Julius Roſpiglioſus Secretar. ſimilem omninò declarationem dedit eadem S. Rit. Congregatio *15. Decembr. Anno 1635.* pro Prælatis & Abbatibus totius Congregationis Cann. Regularium S. Salvatoris de Bononia , ad inſtantiam Reverendiſſimi P. D. Urbani Zambotti Beneventani ejuſdem Congr. Procuratore generali referente Eminentiſſimo D. Cardinali Antonio Barberini. Similes declarationes obtinuerunt etiam pro ſe alii Ordines & Congregationes ; ſic enim Congregatio Caſſinenſis *die 29. Januar. Anno 1628.* obtinuit ſimile decretum , poſtea ab Urbano VIII. *11. Julii Anno 1629.* per Bullam confirmatum ; ſimilem quoque declarationem obtinuerunt à S. Rit. Congr. Camalduleníes *21. Aug. Anno 1632.* pariter ab Urbano VIII. approbatam eodem Anno *die 15. Septembr.* Valliſumbroſani 31. *Maji Anno 1629.* Cœleſtini *30. Junii ejuſdem Anni 1629.* & Olivetani *die 17. Martii Anno 1629.* Quas omnes declarationes pro diverſis factas eadem Sacr. Rituum Congregatio generali ſuo decreto , quod cum approbatione & de mandato Alexandri VII. S. P. *die 17. Septembr. Anno 1659.* edidit , ac Anno ſequenti

1660.

1660. 3. Februarii publicari fecit, approbavit & confirmavit, dum ibidem ſtatuit, quòd præter duos Sacrificii miniſtros Diaconum nempe Evangelii & Subdiaconum Epiſtolæ, duo Diaconi alii cum Dalmaticis & Presbyter cum pluviali Prælatis Pontificalium uſum habentibus ac in iis ſolemniter celebrantibus aſſiſtere poſſint; præterea ſex Canonici vel Monachi, duo ſcilicet pluvialibus, duo planetis, totidemque Tunicellis induti, divinis hujuſmodi intereſſe valeant, qui tamen non in ſedibus ſeu ſtallis Choralibus, ſed in ſcamnis abſque poſtergalibus, panno viridi laneo coopertis, ſitu congruo accomodatis, móxque illis removendis conſideant. Baldachinum adhibere ſupra ſedem ſeu cathedram poſſint, non pretioſum aut aureum, ſed ſimplex & eo quod Altari ſuperimponitur, materia & opere inferius; ad ipſam autem ſedem per duos tantùm gradus in Presbyterii ſuperficie ſtratos aſcendatur. Hæc & plura alia ſuis locis referenda circa uſum Pontificalium Prælatis Epiſcopo inferioribus conceſſorum ſtatuit S. Rituum Congregatio in præfato illo ſuo decreto, quòd unà cum declarationibus ſuper idem decretum ab eadem S. Congr. 20. Julii. Anno 1660. factis per extenſum refert Eminentiſſimus Card. Petra *to. 3. ad conſtitut. 6. Urbani IV. ad fin.* & Petrus de Murga *in Commentar. ad conſtit. Apoſtolicas conſtit. 16.* ubi hanc ipſam Alexandri VII, ùt ipſe vocat, Conſtitutionem per 25. fol. exponit, ac ſatis fusè in eam commentatur. Interim tamen:

30 Licebit hìc obſervare cum Petro de Murga primùm citato, quod etſi Conſtitutio hæc & prædictum S. Congreg. decretum Prælatis & Abbatibus Epiſcopo inferioribus uſum Pontificalium multùm reſtringat, nullibi tamen deroget privilegiis à ſede Apoſtolica deſuper conceſſis, ſed ea relinquat intacta, & in ſuo vigore; nullum enim uſpiam verbum in eo lego, quo non de privilegiorum circa ea indultorum revocatione ulla ſit mentio, quin potiùs contrarium ex hoc ipſo decreto evincitur, utpote in quo non ſemel excipitur, *niſi ſpeciale habeant ſedis Apoſtolicæ indultum, aut niſi expreſsè ipſis permiſſum fuerit &c.* quibus aliisq; ſimilibus loquendi modis ſatis innuit S. Congr. quòd eorumdem privilegiis, ſi quæ extent, nolit derogare; atque adeò, quòd ſi Monaſterium aliquod, aut Ordo quiſpiam ſpeciale habeat privilegium, utut huic decreto contrarium, liceat illud practicare abſque ulla illius irreverentia, ac vilipenſione. Obſervo 2dò quòd ſiquidem circa quæpiam hujus decreti puncta aliqua in contrarium conſuetudo alicubi poſt illud invaluerit, prout paſſim in Germania invaluiſſe videtur circa plura puncta, videntibus etiam ac ſcientibus nec contradicentibus Ordinariis ea haud ſit reprobanda, ſi legitimè fuerit præſcripta; quia conſuetudi-

nes omnes legitimè præſcriptæ, & à lege non reprobatæ inducere valent, quidquid lex aut privilegium concedere poteſt, ùt pluribus probatum eſt à nobis tract. 1. D. 1. Q. 5. ſed decretum hoc ſac. Congregationis, aut Jus aliud vel lex nullibi reprobat conſuetudinẽ in contrariũ nec eidem reſiſtit: ergò ſi quæ uſpiam in contrarium invaluit conſuetudo, ac legitimè præſcripta fuit, haud eſt reprobanda, atque adeò eam licitè ſequi licebit, ùt etiam docet Petrus de Murga *ad Conſtitut. 1. Cæleſtini III. n. 32.* Obſervò denique 3tiò. quòd licèt præfatum S. Congregationis decretum pro omnibus omninò Prælatis ac Abbatibus Epiſcopo inferioribus ac uſum Pontificalium habentibus ſit conditum, eosque omnes abſque diſcrimine videatur afficere, id tamen potiſſimùm concernat Prælatos ac Abbates non perpetuos ac temporales, quales ſunt plerique in Italia, atque etiam in Hiſpania in Congregationibus viventes, quorum regimen communiter tantùm eſt triennale, aut quinquennale, vel ad ſummum ſexennale, qui propterea nec benedicuntur. Id enimverò colligo ex hoc ipſo S. Congregationis decreto, ubi illud §. 10. expreſsè ait: *Nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui vel benedicti, in propriis Eccleſiis uti poſſint privilegio perpetuis Abbatibus vel aliàs benedictis indulto:* quibus verbis S. Congregatio ſatis innuit, plura licere Abbatibus ac Prælatis perpetuis, quæ non licent illis, qui ad certum tempus tantùm v. g. triennium aut ſexennium conſtituuntur, nec benedicuntur. (*Adde* reſtrictiones illàs v. g. ad aliquot ſolũ vices, quibus per decurſũ uti liceat, habere motivũ prudens in Italia, ubi in ſingulis ferme urbibus etiam exiguis ſunt Epiſcopi; ſed in Germania, ubi non ſunt nunc tot Abbatiæ, quot in Italia Epiſcopi, magnificentia cultus divini, adeoque etiam intentio Pontificum privilegia concedentium per conſuetudinem explicata aliud petit.)

Dico 3tiò. *Præter miniſtros ſupra expreſſos, cæterósque communiter in officio divino adhiberi ſolitos poſſunt Prælati & Abbates Pontificaliter celebrantes habere octo alios ſuperpelliceis indutos, ſcilicet: duos acolythos pro candelabris, duos pro Mitra & Baculo, duos pro libro & candela ac totidem pro intortitiis.* 31

Ità declaravit ſacr. Rituum Congregatio ad inſtantiam Procuratoris generalis Congr. Caſſinenſis *20. Julii. Anno 1660.* in reſponſione ad §. 7. eſtque hic miniſtrorum numerus omninò conveniens ac Prælato Pontificaliter celebranti neceſſarius.

Tri-

Triplex igitur eſt miniſtrorum inſervientium Ordo; primus eſt quinque aſſiſtentium, ſcilicet Presbyteri cum pluviali, Diaconi pro cantando Evangelio, & Subdiaconi pro legenda Epiſtola, ac duorum Diaconorum, ùt vocant, honoris. Secundus eſt Canonicorum, ex quibus duo in pluvialibus, duo in planetis, & duo in tunicellis aſſiſtunt Prælato: Tertius eſt miniſtrorum inferiorum, qui ſuperpelliceis induti, ſuo quique officio, ad quod deſtinati ſunt, invigilant, & aliis ſtantibus ſtant, ſedentibus verò & ipſi conſident; ut verò hæc omnia ritè fiant, curabit magiſter cæremoniarum, cæterique miniſtri inferiores, ut antequam Prælatum Pontificaliter celebraturum ad Eccleſiam deducant, omnia prævié ſint parata. Baldachinum ex parte Evangelii ſit erectum, ſub quo aptabitur ſolium, ac ſedes cum poſtergali ac ſcabellis panno obductis hinc inde pro aſſiſtentibus, Presbytero, Diacono ac Subdiacono, & duobus Diaconis honoris: pavimentum presbyterii panno viridi & tapete cooperiri convenit, & per circuitum ſcamna ad uſum Canonicorum, qui parati aſſiſtere tenentur, panno etiam viridi velabuntur. In cornu Epiſtolæ prope altare erit menſa cum duobus candelabris abſq; cruce, imagine vel reliquis candelis accenſis: in qua menſa reponantur omnia neceſſaria ad ſolemnis Miſſæ celebrationem: ſimiliter & vaſa pro manuum ablutione, Mitra, Sandalia, Gremiale, Bugia argentea cum parva candela, quæ omnia ordinatè diſpoſita ſericum linteum deſuper ſtratum velabit, Secùs menſam ad parietem Baculus paſtoralis reponatur, & loco congruo erunt promptæ brunæ accenſæ cum forcipibus ad opus thuribuli, & navicula cum incenſo; prætereà curabit magiſter cæremoniarum, ut ſupra Altare Abbatis celebrantis paramenta ſtrata diſponant, videlicet Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, Tunicellam, Dalmaticam & Caſulam. Manipulum verò cum miſſali in credentia aſſervabit, celebranti in introitu Miſſæ cum oſculo porrigendum. Omnibus ita ritè præparatis ſeſe conferent omnes hora conſtituta ad deducendum Prælatum in Eccleſiam cum pompa, ùt præſcribit Andreas Piſcarra in praxi cæremon. *L. 1. S. 9. c. 5.* Verùm an hæc Prælatum in Eccleſiam deducendi pompa etiamnum hodie licita ſit, dubiū facit S. Rituum Congregatio, quæ *in una Hiſpan. S. Joan. de Pegna. 11. Decembr.* Anno *1613.* declaravit: *quòd Prælati & Abbates non ſunt aſſociandi ex ſua domo, nec excipiendi cùm ad pontificaliter celebrandum accedunt*; quia cæremoniale Epiſcoporum in hoc caſu non comprehendit Abbates, ùt refert Tamburinus *D. 21. q. 8. n. 6.* & Auguſtin. Barboſa *de Jure Eccl. L. 2. cap. 17. n. 111.* & *in ſum. Apoſt. Deciſ. collect. 1. n. 22.* ac Petrus de Murga *ad conſtit. 16. n. 42.* Quòd autem in iſto decreto S. Congreg.

greg. ſpecialiter ſtatuit de Abbate S. Joannis de Pegna, idipſum eadem extendit ad omnes Prælatos Pontificaliter operaturos in altero ſuo decreto *27. Sept. Anno 1659.* & ab Alexandro VII. approbato, ubi ſic habet *§. 6. ad Eccleſiam accedentes, licèt Pontificaliter divina peracturi, iidemque abſolutis ab Altari receſſuri à ſuis Canonicis vel Monachis (ùt mos eſt Epiſcoporum) ne aſſociari ſe ſinant.* Verùm his non obſtantibus

32 Dico 4tò. *Prælati & Abbates Pontificaliter celebraturi ad Eccleſiam accedentes, atque inde divinis abſolutis recedentes à ſuis Canonicis aſſociari & deduci poſſunt, modo id fiat intra Monaſterii ſepta.*

Ita deducitur ex declaratione ejuſdem ſacr. Congreg. Rituum ſuper decreto ſuo primùm allato facta *20. Julii Anno 1660.* Cùm enim Procurator generalis Congregationis Caſſinenſis propoſuiſſet Alexandro VII. eidémque S. Congregationi Rituum, quòd indecorum videatur, ut Abbas, Pontificaliter peracturus divina, ſolus Eccleſiam petat, atque Abbates ſuos ab immemoriali tempore ſimili aſſociatione uſos fuiſſe, allegaret, cenſuit S. Congregatio, annuendum eſſe petitis, modò non extra, ſed intra Septa Monaſterii ſeſe ad Eccleſiam conferat, ùt refert Eminentiſſimus Petra *to. 3. ad Conſtitut. 6. Urbani IV. in fine.* Neque huic declarationi obſtant decreta priori numero allegata; quia hæc videntur præcipuè loqui de ſolemni Prælatorum & Abbatum deductione ex eorum domo extra Septa Monaſterii vel per plateas, ùt ſolent Epiſcopi è domo ac palatio Epiſcopali ſolemniter ad Eccleſiam deduci, quod etiamnum manet prohibitum, quamvis vi poſterioris declarationis à S Congregatione factæ liceat Canonicis vel Monachis Prælatos ſuos ac Abbates Pontificaliter celebraturos intra ſepta Monaſterii ad Eccleſiam cum pompa deducere, & ſacris peractis ab ea ad ſuam reducere Prælaturam, quod juxta Piſcarram l. c. ita fieri debet. Hora competenti Canonici, vel Monachi habitu chorali induti ſe conferunt ad domicilium Prælati ſeu Abbatis celebraturi, quem ad Eccleſiam pergentem immediate ſeniores junioribus præcedendo comitantur. Ad valvas Eccleſiæ magiſter cæremoniarum aſpergillum de manu Acolythi ſuſcipiendo tradit digniori, qui Prælato ſeu Abbati, manu deoſculata, illud porrigit: ipſe verò ſe omnibúſque aſperſis ad Altare, ubi celebrandum erit, pulſantibus organis accedit. Hic undique in Gyrum Canonici ſeu Monachi propè Presbyterium genuflectunt, Prælatus verò ſive Abbas in faldiſtorio ad hoc præparato orat, & poſt paululum ſurgit, ac facta Cruci profun-

ſunda reverentia, ad ſolium ſe recipit, & inter aſſiſtentes aſſidet. Inde Canonici ſive Monachi ſacris induti in Gyrum ante Prælatum ſeu Abbatem ſe diſponunt, ſicut Canonici Cathedralium Epiſcopo aſſiſtere ſolent; poſtea ſurgens Abbas lavat manus, & ſacris ſe veſtibus induit ſuper Rochetto, ſi fuerit Canonicorum Regularium, at ſi Monachorum ſit Abbas ſupra ſuperpelliceum, & Acolythis ſingillatim paramenta portantibus à miniſtris & aſſiſtentibus paratur ut Epiſcopus. Dum ſacris ac Pontificalibus paramentis induitur, ad ſingula recitat preces illas, quæ quibuslibet conveniunt, & in miſſali continentur; quibus omnibus finitis proceſſionaliter verſus Altare pergitur ad Miſſæ celebrationem, quemadmodum de Epiſcopo dicit ejus cæremoniale, omniáque in ea obſerventur, ſicut in hoc præſcribitur. In fine Miſſæ populo ſolemniter benedicit, qua abſoluta revertitur cum ornatu Pontificali ad ſedem ſuam, dicens Evangelium S. Joannis, in eàque conſtitutus exuitur ſacris veſtibus & ornamentis Pontificalibus ſecundùm ordinem retrogradum, quo iis fuerat indutus, eaque rurſus deferuntur à miniſtris ad Altare, atque illis decenter ibi repoſitis induitur Cappa Epiſcopali ſeu Mozeta, atque inde ad faldiſtorium deducitur, ubi facta oratione à Canonicis ad ſuum ex Eccleſia reducitur domicilium eo ordine, quo fuerat ab ipſis ad Eccleſiam deductus. Videatur cæremoniale Epiſcoporum noviſſimè auctoritate Benedicti XIII. recognitum & editum Romæ.

Quæres: An Prælati & Abba- 33
tes uſum Pontificalium habentes iis uti poſſint extra proprias etiam Eccleſias? ℟ quoad hoc inſpiciendum eſſe tenorem privilegiorum Pontificalium uſum concedentium: ſi enim privilegium expreſsè concedat, ut iisdem uti poſſint extra proprias Eccleſias, prout præpoſitis Cann. Regg. S. Agathæ Cremonæ Congr. Lateran. conceſſum fuit ab Alexandro III. & Lucio III. quorum privilegia refert & approbat Urbanus III. in Bulla: *cùm fel. memor. Veronæ 4. cal. Jul.* & Joannes XXII. in Bulla: *exponit. 12. cal. Octob. Anno 1318.* ſupra relatis, dubium non eſt, quin eis extra proprias Eccleſias uti poſſint etiam ſine licentia Epiſcopi, cùm hic privilegium à SS. Pontificibus conceſſum non poſſit reſtringere. Iſtud porrò privilegium poſtea ad totam Congregationem Lateranenſem extenſum eſt, de quo vide Tamburin. *to. 1. D. 21. q. 3. n. 10.* ac Petrum de Murga *ad Conſtitut. 16. n. 56.* Si verò privilegium, concedens uſum Pontificalium, eundem determinate reſtringat ad propriam Eccleſiam vel Monaſterium aut Eccleſias eidem ſubjectas, non poteſt Prælatus extra illas iisdem uti, ùt docet *Joan. Andreas in cap. cum contingat. de ætat. & qualit.* Tamburin. *l. c. n. 4. & 7.* & Petrus de Murga *l. c. n. 50.* ſic enim S. Congr. Rit. in generali ſuo

decreto ſæpiùs allegato §. 8. expreſsè ſtatuit: *Pontificalium uſum habentes illis etiam de Ordinariorum licentia extra Eccleſias ſibi ſubjectas prorſùs abſtineant, & neque in proceſſionibus, quæ ab eorum Eccleſiis per vias extra ambitum vel parochiam ducuntur, inſigniis prædictis utantur, vel penes ſe perferri faciant.* quæ verba de illis tantùm, qui Pontificalium uſum ad proprias Eccleſias reſtrictum habent, intelligenda eſſe tradit de Murga *n. 51.* Quòd ſi privilegium abſolutè ſimpliciter, & indefinitè, id eſt, absque ulla reſtrictione loci concedat uſum Pontificalium, tunc poſſunt Prælati iis etiam uti extra proprias Eccleſias, & in locis non exemptis, ſaltem cum licentia Ordinarii. Neque in hoc caſu obſtat ſuprà relatum S. Rit. Congr. decretum; nam iſtud ſolùm intelligendum eſt de habentibus privilegium utendi Pontificalibus reſtrictum ad proprias Eccleſias, non autem de illis, qui eorumdem uſum habent abſolutè, ſimpliciter, & indefinitè, ùt benè interpretatur & exponit dictũ decretũ Petrus de Murga *l. c. àn. 50.* Videri etiam poteſt Card. Petra *ad conſtit. 6. Urbani IV. àn. 36.*

Sectio III.

De poteſtate Prælatorum concedendi populo ſolemnem Benedictionem, & elargiendi Indulgentias.

34 Inter præcipuos Pontificalium actus meritò numeratur benedictio, quam Prælati in Miſſa, Veſperis & Laudibus impertiri ſolent populo; pro quo ſciendum, quòd benedictiones, quæ per merita Chriſti fiunt, impertiri ſolius ſit Sacerdotis, utpote qui eſt adæquatus illarum miniſter *Can. Ecce ego 6. diſtinct. 95. & cap. officium 3. de offic. Archipresbyt.* quique, ùt ait S. Thomas *3. part. quæſt. 83. art. 5.* eſt os Chriſti & organum divinæ Omnipotentiæ, alveúsque ejusdem erga nos bonitatis, atque hinc etiam *L. 8. cap. 28. conſtitut. Apoſtol.* dicitur: *Diaconus non benedicit, neque benedictionem dat: accipit verò ab Epiſcopo & Presbyteros.* Hæ verò benedictiones presbyterales denominantur ſimplices & privatæ ad diſtinctionem earum, quæ ab Epiſcopo inter divina officia ſolemniter conceduntur populo, quæque ſolis de Jure communi competunt Epiſcopis, cæteriſque non Epiſcopis per SS. Canones expreſsè ſunt interdictæ, ùt notat *Gloſſa in cit. Can. Ecce ego. V. benedicere.* Gonzalez *in cit. cap. officium. n. 2.* Barboſa *de Jure Eccleſ. to. 2. L. 3. n. 59.* Pignatel. *to. 10. conſult. 117. n. 5.* ad quas benedictiones alludens Concilium Agathenſe relatum *in Can. miniſtrare. 3. cauſ. 26. quæſt. 6. Sancivit:* benedictionem quoque ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœni-

nitentem in Eccleſia benedicere, Presbytero penitùs non licebit, & obſervat ibidem Gloſſa *V. benedictionem.* ex quo Pignatellus *cit. conſult. 117. n. 51.* Majolus *de irregular. L. 4. cap. 13. n. 4.* Card. Petra *ad conſtit. 6. Urbani IV. n. 32.* docent, quòd ſi ſimplex Sacerdos contra hanc diſpoſitionem ſolenni ritu benedicere fuerit auſus, irregularitatem incurrat. Solemnis porrò benedictio, quæ more Pontificum datur, eſt illa, quæ elargitur dicendo: ſit nomen Domini benedictum. Adjutorium noſtrum in nomine Domini &c. ùt declarat Gloſſa *in cap. Abbates 3. de privileg. in 6.* quæ certè ſolemnis benedictio eſt unus ex actibus Pontificalibus, ùt docet Pax-Jordanus *de re ſacra L. 5. tit. 15. n. 17. & 18.* & probat de Murga *ad conſtit. 5 Alexandri IV. n. 1. & to. 1. diſquiſ. moral. tr.* 1. *diſquiſ. 3. dub. 2. n. 2.* qui an ex privilegio & de Jure ſaltem extraordinario competat Prælatis & Abbatibus Pontificalium uſum habentibus, inquirendum hic eſt, & quidem 1mò. An Canonicorum aliorúmve Regularium Prælati & Abbates, quoties ſolemniter in Pontificalibus divina peragunt, ſolemnē poſſint adſtanti populo benedictionē impertiri? 2dò. An iidem etiam poſſint hanc benedictionem impertiri præſente aliquo Epiſcopo, aut ſedis Apoſtolicæ Legato, abſque illius aſſenſu? 3tiò. An ſolemnem hanc benedictionem impertiendo poſſint etiam Indulgentias quadraginta dierum per Epiſcopos dari conſuetas elargiri cunctis Chriſti fidelibus officio divino intereſſentibus, idque illis publicè denuntiare? 4tò. denique: An & quas Indulgentias poſſint ſuis Regularibus peracta in Monaſteriis ordinaria viſitatione?

Dico 1mo. *Poſſunt Cano-* 35
nicorum aliorúmve Regularium Prælati & Abbates, quoties ſolemniter in Pontificalibus divina peragunt, ſolemnem populo benedictionem impertiri.

Poteſtatem hanc prædictis Regularium Prælatis ac Abbatibus conceſſerunt plurimi Pontifices Romani, ita quidem, ut illa jam apud Prælatos omnes Jus exercendi Pontificalia habentes ſit uſu recepta: præ cæteris verò eandem Canonicorum Regularium Prælatis & Abbatibus conceſſit Joannes XXII. in Bulla: *Expoſcit veſtra. 12. Calend. Octob. Anno* 1318. *Pontif. 3tio.* Urbanus VI. in Bulla: *Expoſcit. Idibus Febr. Anno* 1386. *Pontif. 8vo.* Innocentius VIII. in Bulla: *Expoſcit. 4. Idus Febr. Anno 1486. Pontif. 3tio.* & univerſim toti Congregationi S. Salvatoris Bononienſi idem Innocentius VIII. in Bulla pariter incipiente: *Expoſcit. pridie Idus Novembr. Anno* 1489. *Pontif. 6.* Alexander VI. in Bulla: *cùm ſicut 8. Maii. Anno* 1493. *Pontif.* 1. Leo X. in Bulla: *Ex Superna*

Majeſtatis 3. Idus Octobr. Anno 1517. Pontif. 5. Paulus III. *die* 13. *Maji. Anno* 1539. Julius III. in Bulla: *cùm à nobis.* 10. *Calend. Novembr. Anno* 1551. *Pontif.* 2. ac toti Congregationi Lateranenſi Pius IV. 5. *Calend. Decembr. Anno* 1562. & Pius V. in Bulla: *Æquum reputamus.* 16. *Calend. Februarii* 1566. *Pontif.* 1. qui tamen SS. Pontifices aliique communiter hanc poteſtatem elargiendi ſolemnem benedictionem reſtringunt ad Miſſarum, Matutinarum ac Veſperarum ſolemnia: id quod etiam Alexander IV. *in cap. Abbates 3. de privil. in 6.* jam prius ſtatuerat hiſce verbis: *Abbates, quos Apoſtolica ſedes in exhibitione benedictionis ſuper populum ſpeciali privilegio inſignivit: in Eccleſiis, quæ ad eos pertinent pleno Iure, quando in eis divina Officia celebrant, poſſunt poſt Miſſarum ſolemnia & veſpertinas ac matutinas laudes benedictionem ſolemnem ſuper populum elargiri.* quibus etiam conformiter S. Congregatio Rituum in decreto juſſu Alexandri VII. *27 Septembr. Anno 1659. edito* §. 13. ſtatuit: Pontificales benedictiones cum trina crucis productione in Miſſis tantùm Pontificalibus, nec non Veſperis & Matutinis Pontificaliter itidem celebratis licere tantùm meminerint. His tamen non obſtantibus non deſunt graves Authores, qui docent, poſſe Prælatos & Abbates non tantúm in Miſſis ſolemnibus, Matutinis ac Veſperis, ſed etiam peractis proceſſionibus aliiſque actibus Pontificalibus expletis ſolemnem impertiri benedictionem, inter quos eſt etiã Dubal *in expoſit. Regul. S. Aug. part.* 1. *cap.* 18. *n.* 45. ubi id probat *ex Gloſſ. ad dict. cap. Abbates. V. elargiri.* & ex privilegiis ibidem allegatis: cui accinit quoque de Murga *to.* 1. *Diſquiſit. moral. & Canonic. tr.* 1. *diſquiſ.* 3. *dub.* 1. §. 2. *n.* 37. & *ad Conſtit.* 9. & 5. *Alexandri IV. n* 5. ubi ſupponit, quòd Abbates circa uſum Pontificalium pari greſſu procedant cum Epiſcopis & cum omnibus, quibus ille permiſſus eſt, & *ad conſtit.* 16. *Alexandri VII.* ex inſtituto probat decretum ſacr. Congregationis ſupra relatum non procedere reſpectu benedictionum. Quocirca Dubal *part.* 1. *cap.* 18. hæc habet ex Hiſpanico in Latinum tranſlata: poſſunt Abbates uti inſigniis Pontificalibus ſecundùm cæremoniale Epiſcoporum in Miſſa & in celebratione divinorum officiorum, Veſperarum & Matutinarum ac proceſſionum, in fine earum populo ſolemniter benedicendo, eo modo quo poſſunt Epiſcopi: & ſicut Epiſcopi poſſunt in proceſſionibus aliiſque occaſionibus ſolemnem dare benedictionem, ita pariter & Abbates in ſuis Eccleſiis; ita Dubal. & certè multa habentur privilegia præſertim Canonicorum Regularium Prælatis conceſſa etiam poſt dictum S. Congr. decretum, in quibus præter aſſignata tria tempora Miſſarum, Veſperarum, ac Matutinarum, expreſſè additur: *& aliorum divinorum officiorum*, quæ ſanè verba referenda ſunt ad omnes illos actus, in quibus Prælati Pontificali-

bus utuntur, ita ut iidem ſaltem vigore hujusmodi privilegiorum poſſint in quibuscunque actibus Pontificalibus ſolemnem populo benedictionem impertiri, ſicut Epiſcopi, quod ipſum comprobat univerſalis Prælatorum, noſtris ſaltem in partibus, praxis, & conſuetudo, qua ſolent in proceſſionibus, ac aliis quibuscunque divinis officiis, in quibus utuntur Pontificalibus, ſolemnem dare benedictionem. Verùm hic remanet dubium, an eam etiam dare poſſint præſente aliquo Epiſcopo, vel ſedis Apoſtolicæ Legato? Ad quod reſpondeo ac

56 Dico 2dò. *Non poſſunt Canonicorum aliorúmve Regularium Prælati & Abbates præſente aliquo Epiſcopo, aut ſedis Apoſtolicæ Legato ſine expreſſo illius aſſenſu ſolemnem impertiri benedictionem, niſi quis habeat ſpeciale adhoc privilegium.*

Concluſio hæc ſit certa ex innumeris SS. Pontificum Bullis, in quibus ubique ferè hæc clauſula expreſſè additur: *Dummodo in benedictionibus hujusmodi aliquis antiſtes vel ſedis Apoſtolicæ Legatus præſens non fuerit, aut ſi præſens fuerit, ad id ejus accedat aſſenſus*: quæ fundatur in regula Juris communiter recepta, quòd minor à majore, & non major à minore ſit benedicendus, prout deſumitur *ex can. cùm ad celebrandas 65. diſt.* 1. *de conſecr.* & ibi Gloſſa. & *ex can. denique 6. diſtinct.* 21. ubi Nicolaus Papa ait: *Si in Epiſtola ad Hebræos legimus, quòd minor à majore benedicitur* & infra: *hodieque in Romana Eccleſia, quæ magiſtra eſt omnium Eccleſiarum, impræteimiſſa ſervatur conſuetudo: ita ut nullus Sacerdos majore ſuo non innuente conſacerdote cujuslibet rei benedictionem dare nitatur: ſed anterior ſtans ad pronuntiandam aliquam lectionem, benedictionem quidem poſtulat, ſed ei quilibet inferior non audet penitus contradi ere.* Ex quo etiam Gloſſa *V. majore* argumentum deſumit, quòd minor Judex non poteſt jurisdictionem ſuam exercere, præſente majore Judice, quod ipſum probatur exemplo Melchiſedech, qui benedixit minori, Patriarchæ ſcilicet Abrahæ, de quo Geneſis *cap.* 14 ℣. 18 hinc etiam & decus Ordinis & præcellentiam perſonæ Melchiſedech ſupra Abraham Apoſtolus ad Hebræos inſinuat *cap.* 7. ex quibus SS. Pontifices fundamentum ſumpſerunt ſtatuendi, ne minor benedicat majorem, nec inferior Prælatus Epiſcopum. Idque procedit, etiamſi in quibusdam privilegiis non reperiatur adjecta hujusmodi clauſula, quemadmodum nulla talis reperitur in Bulla Alexandri IV. quæ incipit: *Inducunt nos.* Abbatibus S. Facundi *Nonis Maji Pontificatûs 6*, id eſt, 1256. conceſſa: nec etiam in Bulla Gregorii IX. quæ incipit: *Apoſtolicæ ſedis. 3. Cal. Junii anno Pont.* 10.

 id

id eſt, 1236. eiſdem conceſſa, quia clauſula, quæ de ſtylo in gratiis ſolet apponi præſertim communiter & plerumque, ſubintelligitur etiamſi non apponatur, ùt tradunt Sylveſter *V. Reſcriptum. q. 3.* Tamburin. *to. 1. Diſp. 12. quaſ. n. 5.* ex cap. *accepimus.* 13. & ibi Anton. de Butrio. *de ætat. & qualit.* & ex textu *in L. Magiſtratus.* & ibi Bartol. *ff. ad Municipalem.* Thomas Sanchez *de matrim. to. 3. libr. 8. Diſp. 25. n.* 19. Barboſa *in tract. de Clauſul. in princ. de Clauſ. in gener. n.* 1. Petrus de Murga *ad Conſtit. 16. n. 159.* & alii ab his citati: atqui clauſula: *Dummodo in hujuſmodi benedictionibus aliquis Antiſtes præſens non fuerit &c.* communiſſimè ac plerumque apponi ſolet: ergò ſubintelligitur; unde S. Rituum Congregatio in citato ſæpiùs decreto de Anno 1659. cap. 14. Prælatis omnibus præcipit, *ut præſente Epiſcopo ſine ſpeciali ſedis Apoſtolicæ permiſſu etiam Pontificaliter celebrantes à benedictionibus ceſſent.* Id quod jam priùs eadem S. Congregatio *die 17. Julii Anno 1604.* in una Eugubina ad inſtantiam Epiſcopi Eugubini declaraverat: poſſe Abbatem Monaſterii S. Petri de Eugubio ſolemniter celebrare & in Pontificalibus populo benedicere, ſed non in præſentia Epiſcopi. Unde non ſolùm de Jure communi nequeunt Abbates & Prælati præſentibus Epiſcopis vel aliis majoribus Eccleſiæ Prælatis benedictionem ſolemnem populo elargiri, ùt *ex Can. Miniſtrare 3. cauſ. 26. q. 6.* & aliis ſupra adductis Juribus benè docet Tamburinus *to. 1. Diſp. 21. quaſ. 9. n. 1.* ſed neque etiam in vim diſpoſitionum S. Congregationis Rituum, utpote quæ id prohibuit, approbante etiam Alexandro VII.

Dixi tamen in concluſione: *Niſi* 37 *quis habeat ſpeciale ad hoc privilegium,* quam exceptionem appoſuit quoque præfatum S. Congregationis Decretum Anno 1659. editum, ibi: *ſine ſpeciali ſedis Apoſtolicæ permiſſu*: tale autem privilegium ſpeciale habent Abbates Canonicorum Regularium S. Mariæ de Pace in Urbe, quod ipſis conceſſit Sixtus IV. in Bulla: *Redemptoris noſtri. 17. Calend. Octobr. Anno 1483. Pontif. 13.* ubi poſt alia plura ipſis ſpecialiter indulta privilegia etiam concedit, ut *ipſe Præpoſitus dictæ Præpoſituræ*, ſcilicet S. Mariæ de Pace, *qui pro tempore fuerit, Mitra, Annulo, & Baculo ac aliis Pontificalibus inſigniis etiam uti, nec non in dicto Pacis templo, ac intra ſepta dicti Monaſterii benedictionem ſolemnem poſt Miſſarum, Veſperarum & Matutinarum ſolemnia, etiamſi in benedictione hujuſmodi aliquis Antiſtes, Cardinalis vel ſedis Apoſtolicæ Legatus præſens fuerit, elargiri liberè & licitè poſſit, & valeat*: felicis recordationis Alexandri Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Abbates. & aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis & Congregationis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quacunque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis nequaquam obſtan-

ſtantibus, motu, ſcientia, & auctoritate prædictis concedimus pariter & indulgemus. Qua quidem facultate *Anno 1614. die 2da. Julii.* in feſto Viſitationis B. V. Mariæ uſus eſt Reverendiſſimus D. Joannes Chryſoſtomus Pungolenus Neapolitanus Canonicorum Regularium apud S. Mariam de Pace Romæ Præpoſitus ſeu Abbas, qui dicto die in præparato Faldiſtorio omnibus inſigniis Pontificalibus indutus & ornatus more Epiſcoporum & Prælatorum hujuſmodi facultatem habentium Miſſam ſolemnem de Viſitatione B. Mariæ cum omnibus cæremoniis ſolitis & conſuetis, à Prælatis prædictis habentibus uſum Pontificalium ſervari ſolitis celebravit, & in fine Miſſæ idem Præpoſitus ſeu Abbas in præſentia decem Presbyterorum S. R. E. Cardinalium, multorúmque aliorum Prælatorum ac Curialium juxta formam relati privilegii accepta Mitra & facta reverentia erga prædictos Cardinales præſentes ſolemnem benedictionem populo dedit more Prælatorum dicens: *ſit nomen Domini benedictum &c.* quemadmodum publico inſtrumento ad perpetuam hujus actionis memoriam deſuper confecto teſtatur Joannes Paulus Mucantius Presbyter Romanus J. V. D. ſac. cæremoniarum Magiſter & ſedis Apoſtolicæ Notarius, qui prædictæ Miſſæ interfuit, & unà cum aliis Miniſtris Capellæ Pontificiæ miniſtravit, teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis, adhibitis, atque rogatis RR. DD. Joan. Baptiſta Aglio Presbytero Cremonen. Diacono Capellæ SS. D. N. Papæ, qui Evangelium in prædicta Miſſa cantavit, & D. Carolo Antonio Vaccario SS. D. N. Papæ Capellano, qui in prædicta Miſſa Officium Capellani aſſiſtentis apud dictum Reverendiſſimum D. Abbatem ſeu Præpoſitum exercuit. Atque iſtud privilegium, plures ex Authoribus, qui ejusdem mentionem faciunt, præſertim de Murga ad Conſtitutionem *16. n. 162.* extendunt non tantùm ad cæteros Canonicorum Regularium, ſed etiam ad aliorum Ordinum Prælatos & Abbates, qui cum Canonicis præſertim Regularibus ac Lateranenſibus communicant in privilegiis. Verùm cùm hoc privilegium ſit planè extraordinarium, atque à Sixto IV. præcipue conceſſum ob ſpecialem affectum, quem gerebat ad imaginem B. V. Mariæ de Pace, ſic ab ipſomet denominatæ, quòd ejus præcipuè auxilio & interceſſione majorem & ſaniorem partem Principum & Dominorum Italiæ, inter quos magnum diſſidium, cruentáque bella vigebant, ad mutuam concordiam & pacis deſiderium cum magna totius ferè Italiæ lætitia & conſolatione perduxiſſet; hinc eſt, quòd vehementer dubitem, an id privilegium tam univerſaliter extendi poſſit ad alios Prælatos & Abbates; tum quia in generali communicatione privilegiorum non veniunt exorbitantia & quæ rarò aut rariſſimè conceduntur: neque ea,

quæ

quæ determinatæ cuipiam ac particulari Eccleſiæ ſive loco, ob ſpecialem rationem ac motivum conceſſa ſunt, quale eſt privilegium hoc noſtrum. Quamvis autem Petrus de Murga l. c. n. 160. referat ſimile privilegium à Clemente VI. Abbatibus Monaſterii Cadomenſis, Diœceſis Bajocenſis, quod incipit: *S. Romana Eccleſia. 10. Cal. Julii Pontificatûs Anno 5to.* datum, & aliud, quod incipit: *Expoſcit.* à Clemente VII. Antipapa Abbatibus Monaſterii Beccenſis conceſſum fuiſſe; in neutro tamen, quid tale, quod intendit præclarus hic Author, invenire licuit, quin potiùs ex utroque contrarium elicitur, cùm utrobique habeatur expreſſa hæc clauſula: *Dummodo aliquis Antiſtes vel Legatus ſedis Apoſtolicæ præſens non exiſteret aut foret in hujusmodi benedictione*: unde manet, privilegium Abbatibus Canonicorum Regularium S. Mariæ de Pace à Sixto IV. conceſſum eſſe prorſus ſingulare & extraordinarium, à nullo SS. Pontificum hactenus, quantum quidem conſtat, alteri conceſſum, ac propterea ſpecialiſſima nota dignum, adeóque nec venire in generali communicatione privilegiorum, niſi ſpecialiter exprimatur.

38 Ex hactenus porrò dictis, quibus ſtatuimus, poſſe Prælatos & Abbates Pontificaliter celebrantes in fine divinorum Officiorum dare ſolemnem populo benedictionem, inferunt Authores cum Tamburino *D. 21. quaſ. 8. n. 5.* quòd iidem quoque Prælati tam accedentes ad altare Pontificalem Miſſam celebraturi, quàm inde recedentes poſt ejuſdem Miſſæ Pontificalis celebrationem, aut tranſeuntes per Eccleſiam poſſint benedictionem privatam, etiam in habitu domeſtico Prælatitio, præſenti populo elargiri: quia qui poteſt majus, poteſt etiam quod eſt minus; plus enim ſemper in ſe continet quod eſt minus, ùt habet *Reg. Jur. 35. in 6.* atqui plus ac majus eſt poſſe ſolemnem populo elargiri benedictionem in Miſſa & aliis divinis Officiis, quàm benedictionem privatam dare tranſeundo per Eccleſiam, maximè cùm hæc etiam a ſimplicibus dari poſſit ſacerdotibus. Neque obſtat, quòd nullum extet privilegium, quod eam benedictionem in ſpecie concedit, ſicut tamen plura dantur privilegia, quæ ſolemnem concedunt. Video enim, hoc ipſo, quòd pleraque privilegia concedant ſolemnem ac majorem benedictionem, eo ipſo etiam concedere cenſentur minorem, quæ ſolemnis non eſt, neminique præjudicat. Accedit, quòd Urbanus II. in ſuo illo privilegio, quod incipit: *Cùm univerſis.* Anno 1092. dato, & à Paulo III. in Bulla: *Benignitas ſedis Apoſtolicæ. 5. Novembr.* Anno 1537. in ſpecie confirmato, ac de novo Congregationi Caſſinenſi conceſſo, quod hodie, teſte Tamburino l. c. omnibus ferè Prælatis ac Abbatibus eſt commune, concedat, quòd poſſint om-

omnia, quæ poſſunt Epiſcopi, SS. Ordinum collatione, Eccleſiarum & altarium conſecratione, ac Chriſmatis confectione ſolummodò exceptis: cùm igitur iſta benedictio non ſit inter excepta, vigore hujus privilegii cenſetur eſſe conceſſa: cúmque huic nullibi derogetur, poterunt Prælati & Abbates vi illius privatim benedicere populo per ſuas Eccleſias incedentes; atque ita etiam docet Petrus de Murga *ad cit. Conſtit. 16. ad fin. n. 152. & 154.* huic præcipuè innixus privilegio. Verùm quantacunque hæc omnia probabilitate dicantur, his tamen obſtare videtur Decretum ſacr. Congregationis *Rituum 27. Septembr. Anno 1659.* juſſu Alexandri VII. editum, ubi *cap. 13.* ita ſtatuitur: *Privatim verò populis, quamvis pleno jure ſubiectis, niſi expreſsè ipſis permiſſum fuerit, etiam Pontificalibus induti, per Eccleſiam incedentes, benedicere non præſumant.* quibus ſanè tam claris & expreſſis verbis omnibus omninò Prælatis interdictum eſſe videtur, privatim populis per Eccleſiam incedentes benedicere; quia licèt de Jure communi, cui licet plus, liceat etiam quod eſt minus, ùt etiam habetur *L. non debet. ff. de Reg. Jur.* & *Authent. multò magis. Cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* cenſetur tamen S. Pontifex, qui approbavit dictum decretum, & tanquam ſtatutum ſeu Conſtitutionem generalem publicari mandavit, dictis Juribus in hac parte, & caſu derogâſſe, quamvis de illis nullam fecerit mentionem; lex enim ultima primam contrariam tollit, licèt de ipſa contraria mentionem non faciat, *ex cap. 1. de Conſtitut. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ait: Romanus Pontifex (qui jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) Conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem (quamvis de ipſo mentionem non faciat) revocare noſcitur. Neque dicas: privilegium Urbani II. ſupra relatum id ipſis concedere, cui nullibi derogat S. Congregatio, quin potiùs illud approbare videtur, dum ait: *niſi expreſsè permiſſum id ipſis fuerit.* Per hæc ipſa enim verba S. Congregatio ſatis indicat, quòd omnibus velit derogare privilegiis, in quibus hæc poteſtas benedicendi populo per Eccleſiam non *expreſsè* conceditur: per dictum autem privilegium Urbani II. hæc poteſtas non conceditur expreſsè, ſed ad ſummum implicitè tantùm. Quo etiam facit ejuſdem ſacr. Congregationis Rituum declaratio apud Gavantum *in Manual. V. Benedictio. n. 22.* & Pax-Jordanum *to. 1. de re ſacra. L. 5. tit. 15. n. 41.* qua *25. Maji Anno 1624.* cenſuit, quòd habens uſum Mitræ & inſignium Pontificalium, & nullius diœceſis exiſtens, imò habens juriſdictionem & cognitionem omnium cauſarum, & jus viſitandi privativè ad quemcunque Ordinarium, & qui in Miſſis etiam privatis benedicit cum verſu: ſit nomen Domini &c. ad inſtar Epiſcoporum, non poteſt tamen benedicere populo extra actum celebrationis. Ex quibus ſequi-

ſequitur, quòd Prælati multò minùs poſſint extra ſuas Eccleſias, aut per vias ac civitates, vel per villas & caſtra populis, etiam ſibi ſub [illegible]tis, benedicere more Epiſcoporum, niſi ſpeciali ad hoc muniti ſint privilegio, de quo tamen, quòd alicui Prælato fuerit unquam conceſſum, non conſtat; quod tamen non obſtat, quo minus Prælatus in Eccleſia aliena Pontificaliter celebrans, poſſit ſolemnem dare benedictionem; nam acceſſorium ſequitur principale: ſed Miſſa Pontificalis eſt principale, & ſolemnis benedictio eſt acceſſorium illius: ergò potens in Eccleſia aliena Pontificaliter celebrare, poterit etiam in eadem ſolemnem dare benedictionem, prout id etiam habet praxis & conſuetudo.

39 Præter ſolemnem benedictionem ſolent etiam Epiſcopi indulgentias quadraginta dierum elargiri omnibus hujusmodi benedictioni intereſſentibus: ex quo dubium oritur, an eas etiam poſſint Prælati & Abbates concedere, quando ſolemnem hujusmodi benedictionem impertiuntur, eásque populo promulgare? quod antequam reſolvam, ſciendum eſt, quòd poteſtas concedendi indulgentias ad ſolum pertineat S. Pontificem, tanquam ſupremum Eccleſiæ caput, & Chriſti in terris Vicarium, ùt cum S. Thoma *in addit. ad 3. part. Quæſt. 26. art. 3.* & alibi ſæpiùs docent Theologi & Canoniſtæ communiſſimè, & deſumitur ex Concilio generali Lateranenſi 4to. Año 1215. celebrato ac relato *in cap. Cùm ex eo. 14. de pœnitent. & remiſſ.* & ex *Extravagant. Unigenitus Dei Filius 2. eodem. inter commun.* in qua Clemens VI. expreſsè ait: *quem quidem theſaurum* indulgentiarum *Chriſtus per beatum Petrum cœli clavigerum, ejúsque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum.* Unde ſequitur nulli alteri competere poteſtatem concedendi indulgentias, niſi quatenus eam acceperunt à S. Pontifice: & licèt Epiſcopi habeant facultatem aliquas indulgentias non plenarias elargiendi, eam tamen non habent ex Jure divino, ſed ex Jure tantùm Eccleſiaſtico, atque immediatè à S. Pontifice, prout iterum docet D. Thomas *in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4. ad 3.* ubi inquit: Poteſtas faciendi indulgentias plenè reſidet in Papa, quia poteſt facere, quod vult, cauſa tamen exiſtente legitima: ſed in Epiſcopis eſt taxata ſecundùm ordinationem Papæ: & ideò poſſunt dare ſecundùm quod eis taxatum eſt & non ampliùs; hæc verò taxatio indulgentiarum Epiſcopis facta eſt in dicto generali Concilio Lateranenſi, ubi Innocentius III. cap. 62. ſequentia ſtatuit: Ad hæc, quia per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur: decernimus, ut cùm dedicatur Baſilica, non ex-

tenda-

tendatur indulgentia ultra Annum, ſive ab uno ſolo, ſive à pluribus Epiſcopis dedicetur: ac deinde in Anniverſario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat, & infra. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet caſibus aliquoties conceduntur, cùm Roman. Pontif. qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueverit obſervare; quibus concordat *cap. Noſtro 15. de pœnitent. & Remiſſ. cap. Romana. 1. & cap. Indulgentiæ 3. eodem in 6.* Ex quibus etiam habetur, Epiſcopis haud eſſe permiſſum, plus quàm quadraginta dierum indulgentias in Anniverſario dedicationis aut aliis caſibus concedere præterquam in actuali dedicatione baſilica: ſimúlque efficax deſumitur argumentum, quòd poteſtas, quam habent conferendi indulgentias, non ſit de Jure divino; aliàs illam ipſis vel reſtringere non potuiſſet S. Pontifex & Concilium generale, vel certè indulgentiæ ab eis conceſſæ ultra terminum à Concilio generali ſtatutum validæ forent, contra quam ſtatuitur *cap. Indulgentiæ cit.* ubi Bonifacius VIII. expreſsè hujusmodi indulgentias invalidas declarat, inquiens: Indulgentiæ, quæ ab uno vel pluribus Epiſcopis in Eccleſiarum dedicationibus vel aliis quibuscunque caſibus conceduntur, vires non obtinent, ſi ſtatutum exceſſerint Concilii generalis. Accedit, quòd poteſtas concedendi indulgentias non ad poteſtatem Ordinis, ſed jurisdictionis pertineat, ùt conſtat *ex cap. Quod autem 4. de pœnitent. & Remiſſ.* ac docent authores communiter cum S. Thoma *cit. art. 4. ad 2.* poteſtatem autem jurisdictionis habent Epiſcopi immediatè à S. Pontifice, ùt iterum habet communiſſima DD. ſententia: ergò etiam poteſtatem concedendi indulgentias; quamvis hanc autem immediatè à Papa habeant, eam tamen habent Jure ordinario, cùm ſit inſerta in Corpore Juris: unde eas elargiri poſſunt ante conſecrationem & ſtatim ac ſunt electi & confirmati, eámque delegare poſſunt, quemadmodum quæcunque alia, quæ ad ipſos Jure ordinario pertinent. Quemadmodum autem S. Pontifex poteſt Epiſcopis concedere poteſtatem elargiendi quascunque indulgentias etiam plenarias, ita quoque eandem concedere poteſt Prælatis & Abbatibus, aliisque etiam inferioribus Clericis & Religioſis, prout ſæpiùs illam eis conceſſiſſe conſtat, quæ tamen ipſa poteſtas ſic conceſſa non competit illis de Jure, quantumlibet ſint exempti & jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habeant, ſed ex mero tantùm privilegio, & indulto Apoſtolico. An autem tale habeant Regularium præſertim Canonicorum Prælati & Abbates elargiendi quadraginta dierum indulgentias, ſicut habent Epiſcopi de Jure, quando ſolemnem populo dant benedictionem,

Digitized by Google

nem, nunc ſtatuendum eſt, & ad propoſitum ſupra dubium reſpondendum. Unde ulterius. (*Adde*; quòd poteſtas concedendi indulgentias pertineat ad ſolam poteſtatem jurisdictionis, non eſt certum, prout in opere de indulgentiis docui.)

40 Dico 3tiò. *Poſſunt Canonicorum Regularium Prælati & Abbates Pontificaliter celebrantes, præter ſolemnem benedictionem, indulgentias quadraginta dierum per Epiſcopum dari conſuetas adſtanti populo elargiri, & eas publicè denuntiare.*

Ita Bonifacius IX. Priori Canonicorum Regularium S. Frigdiani Congregationis Lateranenſis in Bulla: *Sacra Religionis. 8. Idus April. Anno 1400. Pontif. 11.* ibi: oblata ſiquidem nobis nuper pro tui parte continebat, quod dudum fel. record. Urbanus Papa VI. prædeceſſor noſter tibi gratiosè conceſſit, quòd Prior dictæ Eccleſiæ, qui foret pro tempore, Miſſarum ſolemnia & alia Officia liberè & licitè poſſit Pontificaliter celebrare. Tu, quæ propterea, ut ad dicta Officia eò libentius confluat major populi multitudo, quo uberius dono cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos, nobis humiliter ſupplicâſti, ut in fine dictorum Miſſæ, & Officiorum ſolemnium, concedendi auctoritate noſtra ipſis aſſiſtentibus aliqualem indulgentiam facultatem elargiri, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nóſque cupientes reddere Domino populum acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, Priori præfatæ Eccleſiæ pro tempore exiſtenti, dum Miſſam & alia divina Officia in Pontificalibus celebrabit, in fine dictorum Miſſæ, & Officiorum, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus prædictis aſtantibus, relaxandi quadraginta dies de injunctis eis pœnitentibus, de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, facultatem plenariam tenore præſentium elargimur, tibique poteſtatem populo prædicto aſtanti concedimus nuntiari faciendi. Similiter conceſſit Alexander VI. in Bulla: *Cùm ſicut 8. Maji Anno 1493. Pontific. 1mo.* Prioribus pro tempore exiſtentibus Canonicorum Regularium S. Antonii Venetiarum, ut quoties ipſos in quibuscunque Eccleſiis Monaſteriorum, ac Prioratuum & locorum Congregationis ſuæ Miſſam celebrare continget, Mitra, Baculo & aliis Pontificalibus inſigniis uti & benedictionem ſolemnem elargiri valeant, & ut omnibus utriusque ſexûs Chriſti fidelibus Miſſis hujusmodi intereſſentibus indulgentias per Epiſcopos videlicet quadraginta dierum dari conſuetas, quoties Miſſas hujusmodi contigerit celebra-

lebrare, elargiri poſſint. Quam conceſſionem Julius II. in Bulla: *Inter Cæteros. 4. Non. April. Anno 1512. Pontificat. 3. §. 3.* & Julius III. in Bulla: *Cùm à nobis. 10. Calend. Novembr. Anno 1551. Pontif. 2do.* ad totam Congregationem Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononienſem extenderunt & confirmârunt Pius IV. idipſum Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis 5to. Calend. Decembr. Año Pontificatûs 3tio. auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia indulſit, ut in ſolemnibus Añi feſtivitatibus Miſſas & Veſperas in Pontificalibus celebrare, nec non poſt Miſſas & Veſperas hujusmodi ſolemnem Chriſti populo benedictionem, non tamen in præſentia alicujus Antiſtitis, niſi de ejus licentia, impendere, ac utriusque ſexûs fidelibus benedictionibus hujusmodi intereſſentibus quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxare liberè & licitè valeant. Quod privilegium poſtea S. Pius V. per ſpecialem Bullam iisdem Prælatis Canonicorum Regularium confirmavit, quæ incipit: *Æquum reputamus. 16. Calend. Februarii Anno 1566. Pontificatûs 1mo.* in qua eandem poteſtatem indulgentias elargiendi de novo concedit. In quibus SS. Pontificum Bullis quatuor præcipuè notanda veniunt ſpeciali conſideratione digniſſima: 1mum. quòd poſſint Canonicorum Regularium Prælati & Abbates vi horum privilegiorum in fine Miſſæ Pontificaliter celebratæ dando ſolemnem benedictionem quadraginta dierum indulgentias elargiri, ùt conceſſit Alexander VI. 2dum. quòd easdem etiam poſſint concedere in Veſperis Pontificaliter habitis; ita enim expreſsè indulſerunt Pius IV. & S. Pius V. SS. Pontifices. 3tium. quòd dictas quoque indulgentias dare valeant in fine aliorum divinorum Officiorum, quando ea in Pontificalibus celebrant, ùt iterum expreſſis verbis concedit Bonifacius IX. ſuprà relatus. 4tum. quòd easdem quoque indulgentias poſſint publicè facere populo denuntiari, non minus quàm Epiſcopi, ùt idem Bonifacius exprimit. Forma porrò in promulgandis ejusmodi indulgentiis obſervanda Prælatis & Abbatibus, qui his muniti privilegiis volunt dictas indulgentias poſt Miſſæ, ac Veſperarum, aliorúmque divinorum Officiorum celebrationem elargiri, eſt ſequens: Reverendiſſimus Dominus N. Abbas dat & concedit omnibus hìc præſentibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta. Rogate Deum pro felici ſtatu ſanctiſſimi Domini noſtri N. divina providentia Papæ --- Dominationis ſuæ Reverendiſſimæ, & ſanctæ Matris Eccleſiæ; quam formulam refert Tamburinus *to. 1. in formulario Abbatum, formula 152.* & *to. 2. D. 9. quaſ. 2.* Hæc autem prilegia tantò majoris facienda ſunt, quòd ea, excepto Abbate de Monte Virginis, cui ſimile conceſſit

Urbanus IV. in Bulla: *Eccleſia Romana. 13. Septemb. 1263.* nulli alteri quantum quidem conſtat, fuerint à SS. Pontificibus conceſſa, præterquam Canonicorum Regularium Prælatis & Abbatibus: & cæteroquin ſacra Rituum Congregatio *27. Septemb. Anno 1659.* Prælatis omnibus Epiſcopo inferioribus abſolutè prohibuerit, ne indulgentias impertiri & publicare audeant abſque expreſſo ſanctæ ſedis Indulto, quale tamen cùm habeant Canonicorum Regularium Prælati, poterunt illi, non obſtante dicto S. Congr. decreto, utut ab Alexandro VII. approbato, tutâ conſcientia easdem indulgentias & elargiri & publicare. Reſtat modò, ut pauca quoq; dicamus de poteſtate Prælatorum concedendi indulgentias tempore viſitationis? atque hinc

41 Dico 4to. *Poſſunt Canonicorum, aliorúmve Regularium Prælati, qui ſunt Monaſteriorum Viſitatores, peracta viſitatione ordinaria, Religioſis Monaſterii ſic viſitati plenariam indulgentiam impertiri.*

Ita Abbati Generali ac Viſitatoribus Canonicorum Regularium conceſſit Sixtus V. S. Pontifex *8. Idus Januarii Anno 1586,* ut nempe finita viſitatione elargiri poſſint indulgentiam plenariam Collegialibus omnibus contritis, confeſſis, & communione refectis, ùt habetur in Bull. Lateran. novo. Id ipſum indulſit Provincialibus Minorum de obſervantia Leo X. vivæ vocis oraculo, ut acta viſitatione ordinaria in ſingulis domibus Religionis poſſint Conventus illius Religioſis concedere benedictionem, & indulgentiam plenariam, ùt refert Rodriquez. *to. 1. Bullar. inter viva vocis oracula Leonis X.* & *to. 2. QQ. Reg. quæſt. 87. art. 2.* Peregrin. *1. p. ſui Comp. V. Viſitatores* Lezana] *V. Indulgentia quoad Regulares n. 4.* & alii plures. Eandem etiam poteſtatem conceſſiſſe Viſitatoribus Societatis JEſu Gregorium XIII. vivæ vocis oraculo, refertur in ejusdem compendio *V. Viſitatores.* & *in compend. Minor. V. Indulgentia quoad Fratres. §. 16.* Lezana *cit. n. 4.* Quamvis autem hæc privilegia à SS. Pontificibus ſint conceſſa vivæ vocis oraculo, haud tamen cenſentur eſſe ſublata per Conſtitutionem Gregorii XV. & Urbani VIII. quia licèt hi Pontifices oracula vivæ vocis ſuo modo, quo Tract. I. diximus, revocaverint, ſub his tamen non comprehenduntur indulgentiæ, quippe quæ ſunt gratiæ in favorem animarum conceſſæ, quæ in generali revocatione non intelliguntur comprehenſæ, niſi de illis fiat expreſſa mentio, utpote ſpeciali nota dignæ quemadmodum pluribus probat Navarrus *Conſil. 2. de pœnitent. n. 3.* &

in

Digitized by Google

in Commentar. de Jubeo & Indulg. Notab. 28. *n.* 27. & *Notab.* 33. *in princ. & med.* Rodriq. *to.* 2. *quaſt.* 98. *art.* 4. Suarez. *L.* 8. *de Leg. cap.* 4. Peyrinis *ad Conſtit. Urbani VIII.* 18. *cap.* 12. *n.* 1. Donatus *tr.* 16. *Q.* 6. Bartholomæus à S. Fauſto *L.* 2. *de Jubil. quaſt.* 79. Dominic. Viva *de Indulg.* §. 1. *n.* 7. Petrus ab Angelis *D.* 8. *Sect.* 3. *n.* 2. Andreas à Matre *de privil. cap.* 2. *punct.* 6. §. 1. *n.* 52. Gobat. *Theol. Experiment. tr.* 9. *n.* 730. & hoc teſte magni Doctores: teſtatùrque Lugo in MSS. de privilegiis Societatis. *V. Indulgentia*, Urbanum VIII. declaraſſe, mentis ſuæ non fuiſſe in revocatione oraculorum indulgentias ſic conceſſas revocare; & quod attinet indulgentias illas poſt viſitationem Collegiorum conceſſas, cenſuit ac publicè edixit Vir eximius & Societ. JEſu Provincialis: ſe inquiſiviſſe Romæ, & reſponſum eſſe, quòd Urbanus interrogatus declaraverit ſe indulgentias illas non revocare, quamvis alioquin vivâ tantùm voce datas, ùt refert la Croix *de Leg. n.* 861. addens: unde dicendum eſt, eas adhuc valere; videri poteſt Illſung. *à n.* 71. Atque ita reipſa; haſce indulgentias peracta viſitatione concedunt ac promulgant in diverſis Ordinibus viſitatores, iiſque tanquam non dubiis utantur Religioſi ſic viſitati.

42 Neque dicas? quòd licèt hæ indulgentiæ revocatæ non ſint per Gregorium XV. & Urbanum VIII. illæ tamen revocatæ fuerint à Paulo V. per Conſtitutionem quæ incipit: *Romanus Pontifex* 23. *Maij Anno* 1606. datam, in qua revocat omnes indulgentias Regularibus ad id uſque tempus conceſſas, & alias de novo concedit, inter quas cùm non ſit hæc indulgentia à viſitatoribus concedenda, & à ſic viſitatis lucranda, cenſeri debet eſſe ſublata. Sed contra eſt, quòd etſi in ea Conſtitutione Paulina revocentur indulgentiæ Regularibus eousque conceſſæ, non tamen revocatur facultas concedendi indulgentias. facultas autem hæc non eſt indulgentia, & ex diverſis non fit illatio arg. *cap. ad audientiam.* 12. *de Decimis.* & aliàs ſequeretur, quòd Prælatis etiam ac Abbatibus facultatem habentibus concedendi in Miſſa Pontificaliter habita, & in aliis divinis officiis cum Pontificalibus celebratis quadraginta dierum indulgentias, eadem ipſis per hanc Conſtitutionem ſit adempta, quod quis tamen non facilè dixerit, cùm nulla ibi de ea fiat expreſſa mentio, qualis tamen requiritur: ſicut enim iſthæc non intelligitur conceſſa, niſi de ea fiat expreſſa mentio, ita neque ſublata cenſetur ſine illius expreſſa mentione, ùt docet Laur. de Peyrinis *ad conſtit.* 14. *Leonis X. n.* 12. Bordonus *Reſol.* 31. *Q.* 4. *n.* 4. & alii. (*Adde*; Si hæ indulgentiæ valent non valent per vivæ vocis oracula anteriora ad revocationem Gregorii XV. & Urbani VIII. ſed per poſteriora de novo collativa; quod enim indulgentiæ per anteriora non valeant, oſtendi de indulg. quæſt. 56.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De poteſtate Prælatorum conferendi minores atque etiam majores Ordines, aut ſuos ad quemcunque mittendi Epiſcopum ordinandos, ac diſpenſandi in temporibus Ordinationum, & in ætate per Tridentinum requiſita.

POſtquam ea, quæ ad habitum Prælatorum ac Pontificalium uſum, & elargiendam ſolemnem benedictionem & impertiendas indulgentias pertinent, pluribus diſcuſſimus, doctrinæ ordo nos ducit ad ea quoque expendenda, quæ ſpectant ad poteſtatem Odinis. poteſtas autem Ordinis dicitur illa, per quam quis poteſt rem aliquam vel perſonam ſanctificare ac conſecrare. Hæc verò poteſtas utut verè & propriè conveniat Epiſcopis utpote cum ipſi ſint verè & propriè Sacramenti Ordinis diſpenſatores, ùt latè probat D. Thomas *part. 3. q. 65. art. 3.* ac D. Bonaventura *in 4. diſt. 25. art. 1. q. 1.* cum cæteris Theologis communiſſimè: nihilominus tamen ea poteſt aliis quoque Prælatis Epiſcopo inferioribus ac Regularibus ex privilegio Apoſtolico competere, vi cujus primam Tonſuram & minores Ordines, quin & majores Subdiaconatûs ac Diaconatûs ſuis ſubditis conferre poſſint. Id quod intelligendum eſt de Prælatis Regularibus habentibus Prælaturas in titulum, non autem de commendatariis; quia Jura facultatem conferendi Ordines ſoli Prælato benedicto, vel privilegium ſpeciale habenti tribuunt: Prælati autem Commendatarii neque benedicuntur, nec loco benedictionis habent ſpeciale privilegium: tum quia privilegia Prælatis Regularibus conceſſa non extenduntur ad Commendatarios; nam etſi Commendatarius perpetuus dici poſſit verus quodammodo Prælatus, differt tamen in pluribus à vero Prælato, ùt ait Gomeſ. *Super Regul. Cancellar. in reg. de triennali. quaſt. 5. a. 1. n. 22.* de prioribus igitur ac Regularibus loquendo Prælatis examinandum hîc venit 1mò. De poteſtate Prælatorum conferendi ſuis ſubditis Religioſis primam Tonſuram ac minores Ordines, 2dò. De poteſtate Prælatorum eoſdem conferendi ſuis non ſubditis, 3tiò. De poteſtate Prælatorum conferendi majores Ordines, aut ſuos ad quemcunque mittendi Epiſcopum ordinandos. 4tò. De poteſtate Prælatorum diſpenſandi, ut extra ſtatu-

ſtatuta Ordinationum tempora ordinentur, & ante ætatem à Tridentino requiſitam. (*Adde*; quæ hic ſcribuntur de privilegio conferendi Ordines, ſacros etiam, Subdiaconatum & Diaconatum, aut poteſtatem Exorciſtatûs, examinanda ſunt ex Theologis Dogmaticis, nec ita facile admittenda. Diaconatus enim eſt certiſſimè Sacramentum, & non nuda deputatio ad functionem externam. Hinc diſputant Dogmatici, an illud privilegium conferendi Diaconatum, niſi fortè analogicè talem, fuerit unquam validum.)

Sectio I.

De poteſtate Prælatorum conferendi primam Tonſuram ac Ordines minores.

1 INter eas, quæ à Jure Pontificalia exercendi promanant, prærogativas, ferè princeps eſt poteſtas conferendi primam Tonſuram atque Ordines minores, quos conferendi poteſtas de Jure ordinario ſolis cæteroquin Epiſcopis competit conſecratis, ùt conſtat *ex Can. perlectis* 1. *&. ad Epiſcopum diſt.* 25. *Can. quamvis.* 4. *diſt.* 68. ſtatuitque Eugenius IV. in Concilio Florentino *poſt ſeſſ. ult.* §. *ſextum Sacramentum*: ac Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *& Can.* 7. *de Sacram. Ordin.* Hæc tamen poteſtas ſucceſſu temporis modo extraordinario conceſſa quoque fuit Prælatis ac Abbatibus Monaſteriorum in ſecunda ſynodo Nicœna & ſeptima univerſali ſub Adriano I. Papa celebrata Anno 787. ùt habetur *to.* 3. *Concil. part.* 1. atque etiam refertur *Can. Quoniam* 1. *diſt.* 69. (*Adde*; In illo C. *quoniam*, quod reperitur diſt. 69. Abbatibus ſolùm conceditur, ut poſſint conferre Tonſuram & Lectoratum; non verò Exorciſtatum, quod bene notandum eſt, quia aliud eſt deputatio ad miniſterium externum, aliud poteſtas ſupernaturalis & ſacramentalis in dœmones.) quæ tamen poteſtas illis iterum ablata fuit in Concilio I. Lateranenſi ſub Caliſto II. celebrato, ac iterum reſtituta per Innocentium III. innovata præfatæ Synodi conceſſione, ùt conſtat *ex cap. cùm contingat* 11. *de ætat. & qualit.* ubi declarat per primam Tonſuram juxta formam Eccleſiæ à talibus Abbatibus datam conferri clericalem Ordinem; à quo tempore poteſtas conferendi minores Ordines pluribus Abbatibus per particulares Bullas ac privilegia ſpecialia conferri cœpit, poſtquam illis conceſſus fuerat uſus Pontificalium. Ad hoc autem ut minores Ordines conferre potuerint ejuſmodi Prælati & Abbates, benedici de-

bebant ab Epiſcopo, quæ benedictio aliàs etiam conſecratio dicitur, licèt minùs propriè; conſecratio enim propriè dicitur, cum adhibetur Chriſmatis Unctio, qualis nulla uſurpatur in benedictione Prælati & Abbatis, ſed ea tantummodo fit per impoſitionem manûs Epiſcopi ſuper caput Abbatis cum certa quadam precationis forma, certisque cæremoniis, de quibus videri poteſt Aſcanius Tamburinus *to. 1. D. 11. quaſ. præſertim 14.* Hic autem mos benedicendi Prælatos & Abbates multis duravit ſæculis, adeò ut omnes, qui voluerunt uti hac poteſtate conferendi Ordines minores, debuerint ab Epiſcopo benedici, prout etiam ſtatuitur *Can. quoniam. 1. diſt. 69. & cap. cùm contingat 11. de ætat. & qualit.* quæ tamen benedictio non tam ex neceſſitate, quàm ex quadam convenientia ab Eccleſia fuit introducta, ut ſicut Epiſcopus conſecratur ad hoc, ut poſſit exercere actus Epiſcopales, ita & Abbates ac Prælati benedicantur ad hoc, ut poſſint exercere actus officii ſui proprios, quales ſunt, benedicere, ordinare in minoribus, uti Baculo, Mitra, & aliis Pontificalibus, & univerſim omnes actus jurisdictionis: ex qua convenientia iſta benedictionis ſolemnitas ſenſim in conſuetudinem abiit, ùt habetur *ex cap. cùm contingat cit.* ubi dicitur: *ſecundùm morem præficiendorum Abbatum.* & *Can. alienationes. 37. cauſ. 12. Q. 2.* ibi: *ſecundum Eccleſiæ ſuæ uſum conſecrandus eſt.* hac etiam convenientia ducti SS. Pontifices voluerunt expreſſè in plurimis Conſtitutionibus ac Bullis, ut Abbates ac Prælati juxta prædicta ſtatuta Canonum benedicerentur.

Subinde verò obtinuerunt Abbates Ciſtercienſes ab Alexandro III. privilegium, quod refertur *cap. ſtatuimus 1. de ſupplend. negligent. Prælator.* quòd *ſi Epiſcopus tertiò cum humilitate & devotione requiſitus Abbates eorum renuerint benedicere: eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere: & alia quæ ad officium hujusmodi pertinent exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiam recogitent, & Abbates benedicere non recuſent.* Succeſſivè obtinuerunt etiam illi & alii Abbates, ac Prælati, ut poſſint à quocunque Catholico Epiſcopo benedici, ſicque non neceſſariò debuerunt adire Diœceſanum Epiſcopum. Poſtmodum obtinuerunt iidem Abbates Ciſtercienſes ab Innocentio VIII. in Bulla: *expoſcit 9. April. Anno 1489.* & à Clemente VIII. *24. Julij Anno 1599.* privilegium aliud, vi cujus nedum valerent Abbates à quocunque Epiſcopo benedici, ſed inſuper quòd illius vigore Generalis eorum benedictionem impertiri poſſit ſuis Abbatibus non tantùm per ſe ipſum, ſed etiam per alium Abbatem aut Regularem ab ipſo deputandum, qualis benedictio jam non erat amplius Epiſcopalis, ſed ſolummodo Presbyterialis. Demùm obtinuerunt ſucceſſu temporis plures Abbates diverſorum Ordinum, ut abſque benedictione nec ab Epiſcopo Diœ-

ce-

Digitized by Google

ceſano, nec ab alio requiſita vel recepta omnes poſſent actus exercere, ac ſi eſſent benedicti, quemadmodum Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis conceſſit Pius IV. *5. Calend. Decembr. Pontificatûs Anno 3. Chriſti 1563.* cujus conceſſionem Pius V. in Bulla: *Æquum reputamus. 16. Calend. Febr. Anno 1566. Pontif.* 1. confirmavit & approbavit. Idem conceſſit Prælatis Canonicorum Regularium Congregat. S. Salvatoris Bononienſis Julius II. in Bulla: *inter cæteros 4. Non. April. Anno 1512.* Idipſum indulſit Abbatibus Congregationis S. Juſtinæ de Padua, nunc Caſſinenſis dictæ, Eugenius IV. *3. Idus Ianuar. Anno 1434.* & rurſus *pridie Cal. Julii Anno 1436.* ac iterum Innocentius XI. *Anno 1680.* Idem conceſſit Camaldulenſibus Leo X. & Clemens VIII. *3 Auguſt. Anno 1594.* Vallisumbroſanis Julius II. *Idibus Julii Anno 1507.* Olivetanis idem Julius II. *pridie Calend. Junii Anno 1507.* Valliſoletanis in Hiſpania Clemens VIII. *2. Aug. Anno 1596.* eodemque privilegio gaudent Abbates plerique, quod nuper admodùm ac recentiſſimè confirmavit Benedictus XIII. per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit: *Commiſſi pridie Non. Maji Anno 1725. Pontif.* 1. in qua plura alia quoad Abbatum ac Prælatorum benedictionem ſtatuit quamque ideò infra ex toto referemus. Ex hactenus porrò dictis ſatis conſtare videtur, Abbatum ac Prælatorum aliquos eſſe benedictos, qui prævie ad uſum Pontificalium benedici ſolent ac debent, ut ea poſſint exercere: alios vero non eſſe benedictos, qui nempe ex privilegio ſedis Apoſtolicæ habent poteſtatem, ut absque prævia benedictione Epiſcopali exercere poſſint Pontificalia, aliáque ad regimen ſubditorum ſuorum pertinentia. De utriſque hic nobis examinandum eſt, 1mò. An omnes Prælati & Abbates, qui habent uſum Pontificalium, & ab Epiſcopo ſunt benedicti, poſſint Regularibus ſuis conferre minores Ordines? 2dò. An eoſdem etiam conferre poſſint non benedicti? 3tiò. An eoſdem conferre poſſint ſibi non ſubditis? 4tò. An ſibi non ſubditis collati, ſint validi?

Dico 1mò. *Prælati & Abbates, qui habent uſum Pontificalium, & ſunt ab Epiſcopo benedicti, poſſunt Regularibus ſibi ſubditis conferre primam Tonſuram, & Ordines minores.* 3

Ita communiſſima Theologorum & Canoniſtarum ſententia, qui eandem potiùs ſupponunt, quàm probant; deſumitúrque ex *Can. quoniam 1. diſt. 69. & cap. cùm contingat 11. de ætat. & qualit.* ubi dicitur: *cùm in ſeptima ſynodo ſit ſtatutum, ut Lectores per manûs impoſitionem licentia ſit unicuique Abbati in proprio Monaſterio ſolummodò faciendi, dummodo ipſis* ab

ab Epiſcopo (*ſecundùm morem præficiendorum Abbatum*) *manûs impoſitio facta noſcatur, & conſtet eum exiſtere Sacerdotem: per primam Tonſuram juxta formam Eccleſiæ datam, à talibus clericalis Ordo confertur.* Idem etiam ſtatuitur: *cap. Abbates 3. de privil. in 6.* ubi etiam Gloſſ. ℣. *Tonſuram* ait: *poſſunt tales Abbates conferre etiam ſuperiores Ordines.* Nec refert, quòd in allegatis Juribus tantummodo fiat mentio primæ Tonſuræ, ac Ordinis Lectoratûs; quia Doctores communiſſimè interpretantur dicta Jura de omnibus Ordinibus minoribus, cùm ſint ejusdem qualitatis: tum quia ſic habet antiquiſſima praxis & immemorialis conſuetudo, quæ eſt optima Jurium, Legum, ac privilegiorum interpres: tum quia Conſtitutiones Pontificiæ diverſis conceſſæ poteſtatem faciunt omnes ſimul Ordines minores conferendi, nec unū ab alio diſtinguunt: tum quia denique, ubi eadem eſt ratio, ibi eadem etiam debet eſſe Juris diſpoſitio: ſed eadem eſt ratio de uno Ordine minori ac de altero: ergo eadem etiam debet eſſe Juris diſpoſitio, ùt pluribus quoque tum ex Jure tum ex auctoritate DD. probat Petrus de Murga ad Conſtit. 16. §. 19. n. 207. Neque dicas: *Can. 1. diſt. 69. & cap. cùm contingat. cit.* expreſſè dicitur, quòd unicuique Abbati licentia ſit Lectores ſolummodò faciendi, & conſequenter Lectoratum tantummodò conferendi, non autem reliquos etiam Ordines minores: nam contra eſt, quòd dictio *ſolummodò* in cit. textu non percutit, nec afficit Lectoratum, quaſi ſolum illum conferre liceat, ſed Monaſterium proprium, in quo ſolummodò dicitur conferri poſſe Lectoratum, ùt legenti clarè patebit. Concilium certè Tridentinum nullum inter hos Ordines facit diſcrimen, *dum ſeſſ. 23. cap. 10.* Abbatibus univerſim concedit, quòd poſſint Regularibus ſibi ſubditis conferre minores Ordines, ita quoad rem præſentem ſtatuens: *Abbatibus ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis non liceat intra fines alicujus Diœceſis conſiſtentibus etiamſi nullius Diœceſis vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſubditus non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferre.* quibus verbis Concilium ſat clarè innuit argumento ducto à ſenſu contrario; licere Prælatis & Abbatibus conferre minores Ordines Regularibus ſibi ſubditis; exceptio enim firmat regulam in contrarium *L. quæſitum ff. de fundo inſtr. Gloſſ. in Rubr. de R. J. in 6.* ergo ſicut Abbates ac Prælati per exceptionem factam non poſſunt amplius minores Ordines non ſibi ſubditis, ita è contrario poterunt etiamnum hodie ſicut antea eosdem Regularibus ſibi ſubditis conferre. Juxta quem ſenſum intelligunt & exponunt Authores communiter idem Concilium, eodemque prorſus ſenſu illud interpretatus eſt S. Carolus Borromæus pro ſua Diœceſi Mediolanenſi *part. 3. de Sacram. Ord.* ubi definivit, Abbatibus ac Prælatis Baculi & Mitræ

uſum

uſum habentibus omnino licere quatuor minores Ordines conferre ſuis ſubditis Regularibus: quod teſtimonium tantò majoris faciendum eſt, tum quòd ipſe optimè caluerit Concilii mentem, tum quòd iſtud ejus potiſſimùm opera ac ſollicitudine fuerit abſolutum. In eundem pariter ſenſum declaravit non ſemel dictum Concilii locum S. Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum: & quidem in ſpecie Anno 1592. & 1596. quibus pariformiter edixit: *Licere Abbatibus benedictis Tonſuram & minores Ordines conferre ſuis ſubditis Regularibus tantùm:* quas declarationes confirmavit Clemens VIII. in Bulla: *ut ea quæ 5. Martii Anno 1592.* & in alia, quæ incipit: *Sanè 2. Auguſt. Anno 1596.* idemque iterum declaravit eadem S. Congregatio Concilii in una Syracuſana *5. Julii Anno 1607.* apud Card. Petram *ad Conſtit. 6. Urbani IV. n 23.* prætereo plures alias ejusmodiS.Congregat. Concilii declarationes, plurimàsque SS.Pontificum tum univerſales tum particulares Conſtitutiones ac Bullas, quibus hanc Ordines minores conferendi poteſtatem Abbatibus ac Prælatis benedictis uſum Pontificalium habentibus concedunt & approbant, aut omninò id eis licere ſupponunt, ut adeò res hæc in Jus tranſiiſſe videatur.

Probatur autem concluſio noſtra ulterius & 2dò. ex ratione in cit. Juribus fundata; quia ad hoc ut Prælati & Abbates poſſint conferre minores Ordines, vi *can. quoniam 1. diſt. 69. & cap. cùm contingat 11. de ætat. & qualit.* tres tantummodò requiruntur conditiones: prima eſt, ut ſint Sacerdotes, prout expreſſè requiritur in utroque citato textu per ea verba: *& conſtet eſſe Sacerdotem ac Presbyterum.* rationem aſſignat Tamburinus to. 2. D. 1. quæſ.2. n. 2. tum quia collatio Ordinum eſt actus Ordinis: actus autem Ordinis exerceri non poteſt ab eo, qui caret Ordine: quia nemo dat,quod non habet *arg. cap. quod autem 5. de Jur. Patron.* tum etiam, quia poteſtas conferendi Ordines ſupponit poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum *cap. ex litteris 10. de Exceſſ. Prælat.* Sed ſolus Sacerdos habet poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum: ergò ſolus Sacerdos poteſt Ordines conferre. Ex quibus patet, quòd Abbas, qui non eſt Sacerdos, nequidem validè conferre poſſit Ordines. 2da. conditio eſt, ut ſint ab Epiſcopo benedicti, prout denotant ea verba cap. cùm contingat: *Si Abbati manus impoſitio facta noſcatur ab Epiſcopo ſecundùm morem præficiendorum Abbatum.* nec tantùm ſufficit, quòd ſint benedicti, ſed re quiritur etiam, ſaltem de Jure novo, ut habeant Jus utendi Pontificalibus inſigniis; nulli enim hodie permittitur poteſtas Ordines conferendi, niſi ſimul habeat uſum Pontificalium, qui quodammodo præſupponitur ad poteſtatem conferendi Ordines. 3tia. conditio eſt, ut jurisdictionem ha-

beant in eos, quibus volunt conferre minores Ordines hosque non aliis, quàm propriis Religioſis conferant, quod denotant illa verba: *Lectores per manûs impoſitionem licentia ſit unicuique, in proprio Monaſterio ſolummodò faciendi*: atqui has tres conditiones habent omnes & ſinguli Prælati & Abbates Regularium, de quibus in concluſione noſtra loquimur; ſunt enim Sacerdotes, & ab Epiſcopo benedicti: habent uſum Pontificalium, ac juriſdictionem in ſuos Religioſos, ùt ponitur: ergò omnes & ſinguli hujuſmodi Prælati & Abbates poſſunt conferre minores Ordines; idque etiam probat communis omnium talium Prælatorum praxis & conſuetudo, cùm omnes Prælati Regulares inſigniti Pontificalibus inſigniis hactenus tam ante quàm poſt Concilium Tridentinum contulerint, & adhuc in quieta poſſeſſione conferant quatuor minores Ordines ſuis ſubditis Regularibus. Conſuetudo autem habet vim parem cum lege. arg *cap. fin. de conſuet. & L. de quibus ff. de Leg.* Procedunt autem hactenus dicta de omnibus ac quibuscunque Prælatis, quæcunque demùm appellentur nomine, ſive Abbatum, ſive Præpoſitorum ſive Priorum, modo tribus ſupradictis conditionibus collectivè ſumptis ſint inſtructi; ex quo enim conſtat de corpore, non eſt curandum de nomine juxta Gloſſ. *In extravag. Joan. XXII. Execrabilis. V. nomine*, præſertim cùm omnes quoad rem ipſam conveniant, & una eademque benedictione nullo habito nominis diſcrimine ab Epiſcopo benedicantur, & ſub nomine generico Abbatis comprehendantur.

5. Verùm erit fors aliquis, qui reſcire cupiat, à quonam Epiſcopo hujusmodi Prælati benedici debeant? ℟. quòd jam ab antiquis temporibus de Jure communi debuerint omnes ab Epiſcopo Diœceſano ſeu loci, in quo ſitum erat Monaſterium, benedici, prout ſatis patet *ex Can. 1. diſt. 69.* & *cap. cùm contingat. cit.* quod continuavit etiam poſtquam eximi cœperunt à lege juriſdictionis Epiſcopalis, idque in reverentiam cathedræ Epiſcopalis. Verùm cùm poſtmodùm aliqui Prælati privilegia obtinuiſſent, ut à quocunque Catholico Epiſcopo benedici poſſent, ſenſim receſſum eſt à communi hoc Jure, & ab aliis quàm diœceſanis Epiſcopis benedici cœperunt, illis ſæpiùs etiam ad ſua Monaſteria advocatis: quin eò tandem deventum eſt, ut Abbates aliqui benedictionem Epiſcopalem petere ac obtinere omninò neglexerint. Sed his aliiſque abuſibus obviam iturus, Jurium Eccleſiaſticorum obſervantiſſimus Benedictus XIII. noviſſimè in Concilio Romano edidit memorabilem Conſtitutionem, quæ incipit: *Commiſſi. pridie Non. Maji. Anno 1725. Pontificatûs ſui 1.* quam hic referre placuit, cùm ad rem plurimùm faciat, ea verò ſic habet: „ Cùm itaque, ſicut accepimus, Abbates „ Regulares perpetui &c. ab Epiſcopis,

Digitized by Google

„ pis, in quorum Diœceſibus ſita „ ſunt Monaſteria, benedictionem „ obtinere imò & petere negligant; „ hinc eſt, quod Nos gravi ejuſmodi abuſui pro paſtoralis officii „ debito opportunè conſulere ac „ providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum „ noſtrorum S. R. E. Cardinalium, „ & aliquot inſuper Romanæ Curiæ „ Prælatorum ſuper hoc à nobis „ ſpecialiter deputatorum conſilio, „ ſuadentibus etiam Epiſcopis & „ aliis Eccleſiarum Prælatis in præſenti ſacro Concilio congregatis: „ nec non motu proprio, ex certa „ ſcientia, ac matura deliberatione, „ noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione injungimus, præcipimus, & diſtrictè mandamus omnibus & ſingulis Abbatibus Regularibus, licèt „ perpetuis ſolummodò ratione adminiſtrationis, qui Monaſteriis „ cujuſcunque Ordinis, Congregationis ac inſtituti de cætero „ præficientur, ut infra annum à „ die eorum electionis computandum ſolemnem benedictionem „ ab Epiſcopis, in quorum Diœceſibus Monaſteria conſiſtunt, juxta ritum in Pontificali Romano „ præſcriptum, omninò ſuſcipiant, „ vel ſaltem eam ter ab ipſis humiliter poſtulent, ſervata forma „ ſancita in cap. ſtatuimus de ſuppleud. neglig. Prælat. quòd ſi „ ſecùs fecerint, ab officio per annum ſint ipſo Jure ſuſpenſi. Volumus tamen & expreſſè declaramus, quòd ipſimet Abbates „ electi, durante præfato termino, „ interim omnia munia abbatialia „ liberè ac licitè exercere poſſint, „ & valeant; quódque Abbas ſemel benedictus, iterum benedictionem petere, vel obtinere „ non teneatur; tametſi ad gubernium diverſorum Monaſteriorum „ aliarum etiam Diœceſium, tranſlatus extiterit. Quoniam verò „ nonnulli ex prædictis Abbatibus „ Regularibus, Apoſtolicis, ùt aſſeritur, muniti ſunt privilegiis, „ quibus ampla ipſis tribuitur facultas ſuſcipiendi benedictionem „ à quocunque, quem maluerint, „ Catholico Antiſtite gratiam & „ communionem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ habente; Nos juſtis & „ rationabilibus adducti rationibus „ motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine paribus, ſtatuimus atque decernimus, ut ejuſmodi „ Abbates in poſterum non à quæcunque Antiſtite, ſed à Diœceſano tantùm Epiſcopo vel à Metropolitano infra prædictum terminum benedictionem omninò „ ſuſcipere teneantur; & quatenus „ ille, quem Abbas elegerit, tertiò humiliter requiſitus, ipſi petitam benedictionem impartiri „ detrectet aut negligat, tunc & „ eo duntaxat caſu eandem benedictionem à quocunque Catholico Antiſtite Abbas liberè ſuſcipere poſſit & valeat, ac ita perpetuis temporibus futuris ubique

„ ſer-

„ ſervari volumus & mandamus.
„ Cæterùm ejusmodi Indulta ex-
„ emptiva ab obligatione ſuſcipien-
„ di benedictionem à proprio Epi-
„ ſcopo illis duntaxat Abbatibus,
„ quibus ab Apoſtolica ſede dire-
„ ctè conceſſa fuerunt, juxta modū
„ ſupra expreſſum ſuffragentur.
„ Reliquis autem Abbatibus, qui
„ ea ex generali tantum privilegio-
„ rum aliis Ordinibus, Congrega-
„ tionibus vel Inſtitutis conceſſo-
„ rum communicatione ſibi com-
„ petere prætendunt, minimè ſuf-
„ ſuffragari poſſe nec debere de-
„ cernimus & declaramus. Uni-
„ verſos demum Epiſcopos atque
„ etiam Archiepiſcopos, a quibus
„ benedictio tribuenda erit, eorúm-
„ que Officiales, Aſſiſtentes &
„ Miniſtros quoscunque in Domino
„ hortamur, ac admonemus, ut
„ occaſione ſimilium benedictio-
„ num excutiant ac prorſus emun-
„ dent manus ſuas ab omni mune-
„ re; quin etiam prædictis Præſu-
„ libus ſub pœna interdicti ab uſu
„ Pontificalium per annum veta-
„ mus, ac inhibemus, ne tam an-
„ te quam poſt easdem benedictio-
„ nes, earúmque intuitu cujus-
„ cunque generis aut ſpeciei, etiam
„ bellariorum & comeſtibilium mu-
„ nera vel xenia à quoquam reci-
„ pere audeant, illisque præterea
„ diſtrictè injungimus, ut ab om-
„ ni abſtineant ſolemni pompa, quæ
„ ſumptus quantumvis modicos,
„ etiam prandii, ſecum ferat, cùm
„ ejusmodi ſacræ functiones ab in-
„ terna ſolidàq; potiùs benedicen-
„ tium, ac benedicendorum Re-
„ ligione & pietate, quam ab æter-
„ na & vana apparatûs magnificen-
„ tia debeant commendari.

6 Ita ſapientiſſimus Pontifex de benedictione Prælatorum ac Abbatum, eorum ſcilicet, qui ad hoc, ut poſſint Pontificalibus uti, ac Ordines minores conferre aliósque actus exercere, præviè ab Epiſcopo benedici debent. Jam verò, quid de illis dicendum ſit Prælatis & Abbatibus, qui ab Apoſtolica ſede obtinent privilegium, quo electi tantummodo poſſunt, etiam absque benedictione recepta ab Epiſcopo, omnes actus tam ſpirituales quàm temporales atque etiam Pontificalia exercere, non ſecùs ac ſi forent benedicti, major longè ac gravior eſt difficultas, an ipſi quoque, tametſi benedicti non ſint, nihilominus poſſint minores Ordines conferre? hiſce enim apertè reſiſtunt Jura ſupra allegata, utpote quæ non aliter tribuunt Abbatibus poteſtatem conferendi Ordines, quàm ſub expreſſa conditione: dummodo ipſis ab Epiſcopo manûs impoſitio facta noſcatur, per quam nihil aliud intelligitur, quàm benedictio Epiſcopalis hîc controverſa. Accedit, quòd etſi hujusmodi Abbates ac Prælati non benedicti habeant privilegium faciendi omnia, quæ poſſunt Abbates benedicti, quia tamen in dictis privilegiis ſaltem pluribus nulla ſit mentio minorum Ordinum,

quòd

quòd etiam iſtos conferre poſſint, videntur ejusmodi privilegia tantùm intelligenda eſſe de iis actibus, ad quos exercendos non requiritur ſpecialis aut ſpecialiſſima facultas, prout eſt illa collationis Ordinum, ùt latè & in terminis probat Hallier de Sacr. elect. part. 2. ſect. 5. art. 2. §. 2. n. 14. & ſeq. apud Card. Petra to. 5. ad Conſtit. 9. Pii II. n. 28. atque ita ſi in dictis privilegiis non exprimatur expreſsè facultas conferendi minores Ordines, dicendum videtur, Prælatos & Abbates non benedictos non poſſe conferre minores Ordines. Verùm his non obſtantibus

7 Dico 2do. *Prælati & Abbates etiam non benedicti ab Epiſcopo, quibus tamen ab Apoſtolica ſede conceſſum eſt privilegium faciendi omnia, quæ facere poſſunt Abbates benedicti, poſſunt Regularibus ſibi ſubditis conferre primam Tonſuram, ac Ordines minores.*

Ita Doctores tum Theologi tum Canoniſtæ maximo numero, qui vel apertè & in terminis noſtram tenent concluſionem, vel eam omninò tanquam certam ſupponunt: quos inter Gloſſa *in Can. alienationes 37. cauſ. D. Gruber de Privil. Religioſ.* 12. *Q. 2. V. conſecrandus.* dicens: *Unde Abbas ſine benedictione poteſt Monachos benedicere.* & *in cap. ſtatuimus 1. de ſuppl. neglig. Prælat. V. alia.* Cardinalis *in Clement. II. §. ſtatuimus. de ſtat. Monach. quæſt. 5. & ſeq.* Imola *ibidem col. 8.* Felinus *in cap. Eam te. col. 6. n. 7. de Reſcript.* & *in cap. Inter Monaſterium. 20. col. 2. n. 2. de ſentent. & re Judic.* Navarrus *to. 2. Conſil. L. 5. de Privil. Conſil. 13. n. 5.* Covarruv. *L. 1. variar. cap. 10. n. 9.* Joan. à Cruce *de ſtatu Relig. L. 2. cap. 8. dub. 1.* Rodriq. *to. 1. QQ. regul. quæſt. 38. art. 9.* Henriquez *L. 10. cap. 23. n. 3.* Confettius *in ſum. Privileg. tit. 15. cap. 2.* Zerola *in ſua praxi V. Abbas.* Bruno Chaſſaing. *p. 2. tr. 7. cap. 3. propoſ. 3.* Suarez *to. 4. de Relig. tr. 1. L. 2. cap. 29.* Ledesma *to. 1. de Sacram. Ordin. concluſ. 6.* Archang. Roman. *de Privil. V. Abbas.* & *V. Ordines.* Lotter. *de re beneficiar. L. 1. Q. 27. n. 21.* Gonzalez *in cap. ſtatuimus. 1. de ſupplend. neglig. Prælat. n. 2.* Fagnanus *ibidem. n. 31. & 53.* & *in cap. cùm contingat. cit. & alibi ſæpiùs.* Barboſa *de Jure Eccleſ. L. 1. cap. 17. n. 46.* & *in cap. cùm contingat. n. 7.* & *in cap. ſtatuimus. n. 4. & de poteſt. Epiſc. part. 3. allegat. 126. n. 21. & in Coll. ad Trident. ſeſſ. 23. cap. 10. n. 7. atque in collect. Bullar. V. Ordo.* alibique. Joan. Sylveira *Opuſcul. 2. Q. 8.* ubi refert ita fuiſſe declaratum à S. Congr. *8. Auguſt. Anno 1621.* Azor. *p. 2. cap. 1. quæſ. 12.* Sayrus *de Cenſuris L. 4. cap. 13. n. 15.* Aſcanius Tamburin. *de Jure Abbatum to. 1. D. 11. quæſ.*

3. & to. 2. D. 2. quaſ. 3. Diana *part. 11. tract. 2. Reſol. 30. & Coordinat. to. 2. tr. 5. Reſolut. 81.* alibique ſæpiùs. Lezana *to. 2. V. Ordines ſacr. n. 6.* Petrus de Murga *ad Conſtit. 4. §. 4. n. 45. & ſeq. & ad conſtit. 12. n. 5.* ac alibi ſæpiùs. Pax-Jordan. *to. 1. de re ſacr. L. 3. tit. 6. n. 28.* Pirrhing. *ad L. 1. Decret. tit. 11. ſect. 1. §. 6. n. 43.* Coninch. *de Sacram. D. 20. dub. 9. n. 77.* Octavius Maria *in Repert. Moral. Interrog. 63.* Clericatus *de Sacram. Ordin. Deciſ. 15. n. 7. & ſeq.* Schmalzgrueber *ad L. 1. decret. tit. 11. n. 31.* Krimer *ad eundem tit.* Miranda *Manual. Prælat. to. 1. Q. 38. art. 9. n. 6.* Alviſet *ſect. 3. cap. 20. §. 1.* Rotarius *to. 3. L. 2. punct. 4. n. 8.* Pignatell. *to. 1. Conſult. 364. & to. 4. Conſult. 158.* & qui omnium primus nominari debuiſſet, utpote rerum harum ſcientiſſimus & in Romana Curia verſatiſſimus ſcilicet Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Petra *to. 5. ad Conſtit. 9. Pii II. n. 30. fol. mihi 172.* ubi hanc noſtram concluſionem pluribus ex inſtituto propugnat. Superſedeo plures hanc in rem Authores referre, tum recentiores, tum antiquiores, quorum magnum numerum recenſet, & eorum authoritate hanc noſtram ac ſuam ſententiam corroborat Rodericus à Cunha Archiepiſcopus Braccarenſis *in 1. part. Decreti. diſt. 95. Can. pervenit n. 5.* Quæ authoritas vel ſola ſufficeret ad reddendam concluſionem noſtram omninò certam, & in praxi tutam; verùm non deſunt rationes, quibus eadem apertè demonſtratur, unde

8 Probatur 1mò. ex Concilio Tridentino, quod dum *ſeſſ. 23. cap. 10.* ſupponit, poſſe Prælatos & Abbates ſuis ſubditis Regularibus conferre minores Ordines, nullam omninò diſtinctionem facit inter benedictos & non benedictos, ſed de utriſque pariformiter loquitur & indiſtinctè: debuiſſet autem & quidem neceſſariò aliquam diſtinctionem facere, aut non benedictos excipere, ſi cenſuiſſet eos non poſſe conferre minores Ordines, præſertim cùm ageretur de re graviſſima, à qua valor minorum Ordinum dependebat, idque tantò magis exprimere debuiſſet, quòd plerique in Italia Prælati & Abbates jam tum non ſolerent ampliùs benedici, atque illi ipſi, qui in prædictò Concilio præſentes erant Abbates tum ex Congregatione Lateranenſi, ac Caſſinenſi, tum ex Ordine Ciſtercienſi aliiſque Ordinibus non eſſent benedicti: unde manifeſtum eſt, cenſuiſſe Concilium, quòd Prælati & Abbates ſine diſtinctione tam non benedicti, quàm benedicti poſſint conferre minores Ordines modò illi ex privilegio Pontificio habeant, ut abſque prævia benedictione Epiſcopali poſſint Pontificalia exercere, ac omnia alia facere, quæ poſſunt benedicti. Id quod longè magis fit manifeſtum ex declarationibus S. Congregationis Eminent. Card. Concilii Tridentini interpretum,

Digitized by Google

tum, quæ id ſæpiùs declaravit: ſic enim ſacra hæc Congregatio ad inſtantiam Congr. Ciſtercienſis B. M. de Alcobatia Portugallenſi ſequens decretum edidit: *Liceat Abbatibus benedictis, vel quibus à ſede Apoſtolica conceſſum eſt privilegium ea omnia faciendi, quæ poſſunt Abbates benedicti, Tonſuram & minores Ordines ſuis ſubditis Regularibus tantùm conferre, ac alia Pontificalia hujuſmodi Abbatibus competentia in ſui Ordinis Monaſteriorum Eccleſiis & limitibus exercere.* quam S. Congregationis declarationem approbavit & confirmavit Clemens VIII. per Bullam, quæ incipit, *ut ea, quæ. 31o. Martii Anno 1592.* Idipſum hic S. P. Clemens VIII. ſtatuit in Bulla: *Officii noſtri. 3. Aug. Anno 1594. poſſe ſcilicet Abbates, licèt munus benedictionis non ſit eis impenſum, liberè & licitè conferre minores Ordines,* & quidem, ùt ipſe addit, *juxta decreta Concilii Tridentini*, ùt refert Pittonus *in Deciſ. ad Regul. to. 2. n. 1248.* & in alia Bulla: *Sanè. 2. Auguſt. Anno 1596.* is idem Clemens VIII. comprobavit decretum S. Congregationis ad inſtantiam Congr. Valliſoletanæ factum, quo declaraverat: *Licere Abbatibus, quibus à ſede Apoſtolica conceſſum eſt privilegium, ut poſſint omnia ea facere, quæ poſſunt Abbates benedicti, Tonſuram, minoréſque Ordines ſuis ſubditis Regularibus conferre,* ùt refert de Murga *ad Conſtit. 12. n. 5.* ſic etiam eadem ſacr. Congregatio Concilii declaravit *Anno 1594 die 30. Martii: Abbates etiam benedictos vel habentes facultatem à ſede Apoſtolica faciendi omnia, quæ facere poſſunt Abbates benedicti, non poſſe minores Ordines conferre ſæcularibus:* ergò, inferre licet à ſenſu contrario, ad modum Concilii Tridentini, Abbates non benedicti, qui tamen habent facultatem à ſede Apoſtolica faciendi omnia, quæ facere poſſunt benedicti, conferre poſſunt minores Ordines ſuis Regularibus, ùt eſt apud Gallemart ad cit. loc. Trident. ubi id quoque habetur: *Abbas etiamſi non ſit benedictus, tamen poteſt ſuis ſubditis Ordines minores conferre, ſi id fuerit ei ex privilegio conceſſum*, nempe ut poſſit exercere Pontificalia, ac omnia alia facere, quæ poſſunt benedicti. Cúmque ibidem dubitaretur, an Abbas Ordinis Montis Oliveti non benedictus potuerit minores Ordines conferre per privilegium Julii II. qui dicti Ordinis Abbatibus conceſſerat, ut habeantur pro benedictis, Congregatio Concilii cenſuit: *non obſtare, quòd non ſit benedictus, quia ex privilegio Julii II. habetur in omnibus pro benedictis.* Similem hiſce declarationem, quæ omnem omninò dubitationem tollere videtur, refert Joan. Mar. Novar. *in Lucern. Regular. V. Ordo. n. 4.* & Barboſa *in ſum. Apoſt. Deciſ. Collect. 1. n. 19.* in hæc verba: *Abbas de Jure conferre poteſt Ordines minores ſuis ſubditis, licèt non ſit benedictus, ùt cenſuit S. Congreg. Concil. 16. Febr. Anno 1691.* & Anno 1647. *die 16. Martii* reſpondit eadem in Panormitana: *Abbas Regularis non benedictus poteſt, quatenus habeat privile-*

gium, faciendi ſcilicet ea omnia, quæ poſſunt Abbates benedicti, ùt aliàs declaratum eſt, *Ordines minores conferre ſuis ſubditis Regularibus & non aliis.* ùt habetur apud Th. Paſcucc. *in Compend. ad Conſult. Canon. Jacob. Pignatel. part. 1. tit. de Abbat.* Idipſum noviſſimè in terminis Abbatis Ciſtercienſis ab Epiſcopo non benedicti declaravit eadem ſacra Congregatio in Uratislavienſi *12. Febr.* Anno *1724. propoſito dubio : An Abbas Lubenſis, cæteríque ejuſdem Provinciæ Abbates Presbyteri non benedicti ab Epiſcopo poſſint tonſuram & minores Ordines ſuis ſubditis Regularibus conferre, ita ut niſi aliud Ordinatis obſtet Canonicum impedimentum, teneatur illis Ordinarius conferre majores Ordines : in caſu &c. ſacra Congregatio reſpondit affirmativè, & amplius.* ùt refert Card. Petra *to. 5. ad Conſtit. 9. Pii II. n. 34.* Plures ejuſmodi ſacr. Congregationis declarationes brevitatis ſtudio prætereo, cùm hæc ad probandum intentum noſtrum abundè ſufficiant.

9 Probatur proinde concluſio noſtra 2dò. ab inductione omnium Prælatorum ac Abbatum, qui licèt non benedicantur, tamen poſſunt Regularibus ſibi ſubditis conferre minores Ordines, ſiquidem ex privilegio Apoſtolico habeant poteſtatem utendi Pontificalibus, eáque omnia faciendi, quæ poſſunt benedicti. Sic enim Prælati & Abbates Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis, licèt non ſint benedicti, poſſunt nihilominus conferre minores Ordines ex privilegio Pii IV. *5to. Calend. Decembr. Anno 1563. Pontif. 3.* eiſdem conceſſo, quod dein Pius V. ampliſſimè confirmavit per ſpecialem Bullam, quæ incipit : *Æquum reputamus. 16. Cal. Febr. Anno 1566. Pontificat. 1mo.* expeditam. Idipſum conceſſit Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Congr. S. Salvatoris Bononienſis Julius II. in Bulla : *Inter cæteros 4to. Non. April. Anno 1512.* hiſce verbis : *quòd poſſint præter hoc, quòd eis munus benedictionis impendatur, omnes actus exercere & inſignia deferre, ac ſi munus bujuſmodi ſuſcepiſſent :* quam poteſtatem conferendi minores Ordines eiſdem, utut non benedictis, dedit Innocentius VIII. in Bulla: *Expoſcit veſtra. pridie Idus Novembr. Anno 1489.* eámque confirmavit Julius III. in Bulla : *Cùm à nobis. 10. Calend. Novembr. Anno 1551.* ùt videre eſt in eorum Bullariis. Hanc minores Ordines conferendi poteſtatem conceſſit pariter Abbatibus Congregationis S. Juſtinæ de Padua nunc Caſſinenſis dictæ licèt non benedictis Eugenius IV. in Bulla : *Etſi Monaſteria. 3. Idus. Januar. Anno 1434.* & in alia : *Regularem vitam pridie Calend. Julii Anno 1436.* & Innocentius XI. in Bulla Año 1680. edita, pro confirmatione ſpecifica Conſtitutionum Congregationis Caſſinenſis, inſertis in ea prædictis Conſtitutionibus, inter quas adeſt etiam ſequens : *Qui Abbates ex Indulto ſedis Apoſtolicæ habent omnia privilegia, & inſignia, & juriſdictionem, quam habent*

bent Abbates perpetui, & benedicti habere conſueverunt. Quòd enim noſtri nunc, ut olim non benedicantur, indultum fuit ad favorem Congregationis, non in detrimentum dignitatis, ut ex privilegio Eugenii IV. Idipſum indulſit Ciſtercienſibus Innocentius VIII. in Bulla: *Expoſcit. 9. April. Anno 1489.* Gregorius XIV. in Bulla: *Romanum. 26. Junii Anno* 1591. & iterum Clemens VIII. in Bulla: *Ut ea quæ. 5to. Martii Anno 1592.* data, ubi ſequentia in ſpecie habentur verba: *Liceat Abbatibus, quibus à ſede Apoſtolica conceſſum eſt privilegium ea omnia faciendi, quæ poſſunt Abbates benedicti, Tonſuram & minores Ordines ſuis Regularibus ſubditis conferre.* Eadem omninò verba repetit idem Clemens VIII. in alia Bulla, quæ incipit: *Officii noſtri. 3. Auguſt. Anno 1594.* Abbatibus Ordinis Camaldulenſis conceſſa, addens præterea: *id licere NB. juxta decreta Concilii Tridentini.* eandem ipſam poteſtatem conferendi minores Ordines adjudicavit is ipſe Clemens VIII. Abbatibus Congregationis Valliſoletanæ in Hiſpania ex eo, quòd ex privilegio Pontificio poſſint omnia facere, quæ poſſunt Abbates benedicti, prout conſtat ex Bulla: *Sanè. 2. Auguſti Anno 1596.* edita. Atque hinc etiam, quòd Julius II. in Bulla: *Ad univerſos 4. Junii Anno 1507.* Abbatibus Olivetanis conceſſerit privilegium, quòd in omnibus ac per omnia pro benedictis habeantur, ſubintulit ſacr. Congregatio Concilii ac declaravit, *eos etſi non benedictos poſſe minores Ordines conferre, cùm ex privilegio Pontificio pro benedictis habeantur,* ùt eſt apud Gallemart *ad ſeſſ. 23. cap. 10.* Tridentini. Eandem quoque poteſtatem conferendi minores Ordines impertivit Cœleſtinus V. Abbatibus Ordinis Cœleſtinorum in Bulla: *Etſi cunctos. 27. Septembr. Anno 1294.* ac poſtea confirmavit Paulus V. in Bulla: *Ad ſacram. 29. Januar. Anno 1616.* Abbatibus denique Ordinis Vallis umbroſæ idipſum conceſſit Julius II. in Bulla: *Militantis Eccleſiæ. Idibus Julii Anno 1507.* Quorum omnium privilegia nuper confirmavit in Concilio Romano Benedictus XIII. Conſtitutione edita, quæ incipit: *Commiſſi. pridie Non. Maji Anno 1725.* ubi ſequentia habet: *Quo verò ad Abbates, quibus à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris indultum fuit, ut à ſuis ſuperioribus Regularibus, vel ab eorum Prælatis delegatis benedictionem ſumere poſſint: vel etiam per ſpeciale Indultum Apoſtolicum conceſſum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipſo S. Pontifice, nihil innovandum eſſe ſancimus, & Apoſtolica, quibus gaudent, privilegia ubique inconcuſſè obſervari præcipimus & mandamus.* Ex quibus omnibus ſole clarius patere videtur, poſſe Prælatos & Abbates Pontificalium uſum habentes conferre minores Ordines, tametſi non ſint benedicti, modò ex privilegio Pontificio habeant poteſtatem faciendi omnia, quæ poſſunt benedicti: idque evidens fit tum ex relatis hactenus diverſorum Ordinum ac Congregationum Abbati-

bus ac Prælatis omnibus : tum ex adductis ſupra pluribus ſacr. Congregationis Concilii declarationibus, atque etiam SS. Pontificum Conſtitutionibus, & approbationibus, quibus ſententia noſtra videtur eſſe canonizata, præſertim cùm omnes fermè ſint univerſales, nullámque faciant exceptionem aut diſtinctionem, ac Decretis Concilii Tridentini omninò ſint conformes. Verùm ulteriùs

10 Probatur concluſio 3tiò. Poteſtas conferendi minores Ordines in Prælatis & Abbatibus non manat à benedictione recepta, ùt fit in Epiſcopo, in quo dicta poteſtas ordinandi ac conferendi Ordines procedit ab ordinatione & charactere Epiſcopali in ipſa conſecratione recepto, ſed ea provenit à privilegio Pontificio, quod quidem ſolet in Abbatibus requirere benedictionem Epiſcopalem, non tamen ùt neceſſariam ac ſubſtantialem, ſed ùt congruentem tantùm, & tanquam conditionem neceſſariam ex libera voluntate S. Pontificis concedentis dictam facultatem conferendi minores Ordines, ùt poſt alios benè explicat Fagnanus. loc. ſupra cit. n. 4. 6. & 28. & Eminentiſſimus Petra loc. cit. 31. cùm benedictio hæc neque imprimat characterem, neque ſit ex inſtitutione Chriſti, ſed mera quædam ſolemnitas à Jure Pontificio introducta ex decentia aliqua ab Epiſcoporum conſecratione deſumpta : ſicut igitur SS. Pontifices potuerunt concedere, ut Abbates & Prælati ab Epiſcopo benedicti conferre poſſint minores Ordines, ita potuerunt etiam concedere, ut idem poſſint absque benedictione ab Epiſcopo recepta ; cùm facultas hæc tam in benedictis, quàm non benedictis proveniat ab eadem poteſtate SS. Pontificum, qui, ſicut olim requiſiêrunt benedictionem, ita eam poſtea potuerunt remittere, prout reipsâ feciſſe conſtat ex tot privilegiorum conceſſionibus, SS. Pontificum Conſtitutionibus, ac ſacræ Congregationis Concilii declarationibus hactenus relatis. Unde non obeſt nobis *cap. cùm contingat. 11. de ætat. & qualit.* ubi Innocentius III. concedit quidem, ut Abbates poſſint conferre clericalem Ordinem, cum hac tamen conditione : *dummodo ipſis ab Epiſcopo ſecundùm morem præficiendorum Abbatum manûs impoſitio facta noſcatur.* Hic enim textus procedit juxta regularem & communem Juris Ordinem, quo quidem ſtatuitur, ut Abbates & Prælati minores Ordines collaturi ſint ab Epiſcopo benedicti, non tamen negatur, quòd eos absque benedictione conferre valeant ex privilegio Apoſtolico, ac conceſſione S. Pontificis, prout patet in caſu, quo Epiſcopus 3tiò. requiſitus renuit Abbati benedictionis munus impertiri ; nam tunc Abbas poteſt etiam absque benedictione recepta conferre minores Ordines, ùt expreſsè ſtatuit Alexander III. *cap. ſtatuimus. 1. de ſuppl. lend. neglig.*

neglig. Prælat. & ex eo tradunt DD. omnes; ſicut igitur in caſu negligentiæ Epiſcopi poteſt Prælatus ſeu Abbas etiam non benedictus, vi hujus privilegii in corpore Juris clauſi, conferre minores Ordines: ita etiam Prælatus ſeu Abbas utut non benedictus poterit eosdem conferre, modò habeat privilegium Pontificium ea omnia faciendi, quæ facere poſſunt Abbates benedicti; potiuntur enim eadem poteſtate ſpirituali, qua pollent benedicti, atque adeò etiam facultate conferendi minores Ordines. Neque refert, quòd in pluribus privilegiis non fiat expreſſa mentio poteſtatis minores Ordines conferendi; nam ſufficit, quòd SS. Pontifices concedant privilegium utendi Pontificalibus ſine benedictione, ac faciendi omnia, quæ poſſunt Abbates benedicti, prout ipſimet ſæpiùs declarârunt locis ſupra relatis. Ex hoc ipſo autem novum conficitur in rem noſtram argumentum, quo denique concluſio noſtra

11 Probatur 4tò. Jus & facultas conferendi minores Ordines in Prælatis & Abbatibus Regularibus provenit defacto à Jure & facultate exercendi Pontificalia; nulli enim ex Prælatis Regularibus conceditur defacto facultas conferendi minores Ordines, niſi poſt conceſſam poteſtatem exercendi Pontificalia, quæ ad priorem illam eſt quodamodo antecedens, ac veluti illius radix, ùt patet in Prælatis Clericorum Regularium ac Ordinum Mendicantium, qui licèt in cæteris Abbatum ac Prælatorum Regularium privilegiis largiſſimè communicent, non tamen in hoc minores Ordines conferendi privilegio, ídque non alia fermè de cauſa, quàm quia non habent poteſtatem exercendi Pontificalia: ergò qui habet Jus & facultatem exercendi Pontificalia absque benedictione Epiſcopali, eo ipſo etiam absque illa habet Jus & facultatem conferendi minores Ordines; quomodo enim prior facultas conceditur à S. Pontifice, eo modo concedi cenſetur poſterior tanquam conſequens ad priorem illam. Neque benedictio Epiſcopi aliquid ſuperaddere poteſt privilegio Pontificio eandem non prærequirenti, ſed eſt tantùm cæremonia aliqua ſacra, quæ indifferenter olim impertiebatur, & adhuc quibusdam in locis impertitur Prælatis Regularibus tam mitratis, quàm non mitratis, quæque ad facultatem conferendi minores Ordines nihil confert, utpote ex ſola provenientem S. Pontificis conceſſione & voluntate, ac proinde vel abeſſe vel adeſſe poteſt, ùt patet in Cardinalibus Presbyteris, & aliis quamplurimis Abbatibus & Prælatis, qui licèt non benedicantur, tamen poſſunt ſuis ſubditis conferre minores Ordines, ſiquidem ex privilegio Pontificio habeant uſum Pontificalium, ac poteſtatem faciendi omnia, quæ poſſunt benedicti, ùt ex ſupra relatis conſtat diverſorum Ordinum ac Congrega-

gregationum Prælatis & Abbatibus. Neque dicas: ad collationem minorum Ordinum præſupponi quidem ac prærequiri defacto in Prælatis Regularibus uſum Pontificalium, ſed tamen etiam prævia benedictio Epiſcopi; Jura enim & Bullæ Pontificiæ concedentes Prælatis facultatem conferendi minores Ordines, præter uſum Pontificalium ſupponunt etiam benedictionem Epiſcopi. Verùm id gratis omninò dicitur: præterquam enim quòd Bullæ Pontificiæ concedentes uſum Pontificalium ac poteſtatem conferendi minores Ordines à prævia hac Epiſcopi benedictione communiter abſtrahant, quamplures etiam ſunt, qui eam facultatem conferunt cum hac expreſſa clauſula: *Etſi munus benedictionis non ſuſceperint*, ùt videre licet in Bulla S. Pii V. quæ incipit: *Æquum reputamus.* Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Congr. Lateran. *Anno 1566. die 16. Cal. Februar.* & in Bulla Julii II. *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Prælatis Canonicorum Regularium Congr. S. Salvatoris Bononienſis data, aliisque ſimilibus pluribus, quas longum eſſet hìc referre; deinde licèt aliquæ ad conferendos minores Ordines in Prælatis præſupponant benedictionem Epiſcopi, aut eam etiam in ſpecie prærequirant, eæ tamen intelligendæ ſunt de illis tantùm Prælatis, qui priùs benedici debent ad hoc, ut poſſint exercere Pontificalia: in caſu autem noſtro ponitur, Prælatos poſſe etiam absque benedictione Epiſcopali exercere Pontificalia: ergò & absque ea poterunt conferre minores Ordines; mirum enim foret, ac fortè inauditum, quòd Prælatus quiſpiam poſſit ex privilegio Pontificio absque benedictione Epiſcopali exercere Pontificalia, & tamen benedici debeat, ad hoc, ut conferre poſſit Ordines minores. Denique Jura illa, quæ ad collationem minorum Ordinum prærequirunt in Prælatis benedictionem Epiſcopi, loquuntur de communiter olim contingentibus: olim autem ſolebant Abbates & Prælati, ſive uſum Pontificalium habuerint ſive non, ab Epiſcopo benedici, ùt conſtat ex diſciplina Eccleſiaſtica veteris Eccleſiæ, ſive ùt dicitur *cap. cùm contingat 11. de ætat. & qualit. ſecundùm morem præficiendorum Abbatum*, qui tamen mos in plurimis ac plerisque ſenſim Prælatis Regularibus deſinere cœpit, & quidem à trecentis jam annis, & à temporibus Martini V. & Eugenii IV. quibus ex ſpeciali ſedis Apoſtolicæ Indulto ac privilegio indultum ac conceſſum eſt, ut Prælati & Abbates non ſolùm benedicti, verùm etiam non benedicti tum Pontificalia exercere, tum minores Ordines conferre potuerint:

Ex quibus omnibus hactenus fuſiùs enarratis jam certum atque indubitatum eſſe videtur, quòd poſſint Prælati & Abbates etiam non benedicti, ſiquidem ex privilegio Apoſtolico habeant uſum Pontifica- 12

ca-

calium, ac poteſtatem faciendi omnia, quæ facere poſſunt Abbates benedicti, minores Ordines ſuis ſubditis Regularibus conferre, tametſi in eorum privilegio nulla fiat minorum Ordinum mentio, prout abundè patet ex tot ſacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declarationibus, quæ diverſis temporibus hac de re emanârunt: ex pluribus SS. Pontificum Conſtitutionibus, præſertim Clementis VIII, Innocentii XI, ac Benedicti XIII. qui idipſum confirmârunt: ex inductione omnium ferè Ordinum Abbatialium ac Prælatorum, qui ex eo, quòd ex privilegio omnia facere poſſint, quæ poſſunt Abbates benedicti, minores Ordines conferunt: ex rationibus ex ipſo Jure depromptis, quibus idipſum ſat clarè evincitur: ex auctoritate denique Doctorum tam Theologorum quàm Canoniſtarum longè maxima, quæ vel ſola ſufficeret ad conciliandam ſententiæ noſtræ maximam probabilitatem.

Sectio II.

De poteſtate Prælatorum conferendi minores Ordines ſuis non ſubditis.

13 ET hactenus quidem de poteſtate Prælatorum conferendi minores Ordines ſuis Regularibus ſubditis. Jam verò inſpiciendum etiam eſt nobis, an eosdem Ordines poſſint quoque conferre Regularibus aliis ſibi non ſubditis, aut ſæcularibus, ſaltem ſi hi ab Epiſcopo ſuo, & illi à ſuis ſuperioribus Regularibus ad hoc habuerint litteras dimiſſoriales? qua de re non modica inter Authores eſt controverſia. Etſi enim Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 10. expreſsè decernat: *quòd Abbatibus & aliis quibuscunque quantumvis exemptis non liceat inpoſterum intra fines alicujus Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis vel exempti eſſe dicantur, cuipiam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferre - - - ſed horum omnium ordinatio* (ſæcularium ſcilicet) *ſervatis omnibus, quæ in hujus ſanctæ Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, pertineat; non obſtantibus quibuscunque privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus*, cui Conciliari decreto plures quoque adſtipulantur ſacr. Congregationis Concilii delarationes ſupra relatæ, quæ dum Prælatis & Abbatibus Regularibus adſtruunt poteſtatem conferendi minores Ordines, expreſsè eandem reſtringunt ad eorum ſubditos Regulares *tantùm*; his omnibus tamen non obſtantibus plurimi iique magni nominis Authores docent, poſſe Prælatos & Abbates Regulares Pontificalium uſum habentes Tonſuram

Digitized by Google

& minores Ordines conferre ſæcularibus Epiſcopi juriſdictioni ſubjectis, dummodo ipſius Epiſcopi accedat aſſenſus, & ab eo litteras dimiſſoriales ſinguli impetrent ordinandi, ita ut licentia non ſufficiat generalis ab Epiſcopo conceſſa: ſicque eosdem Ordines multò magis conferre poſſe Regularibus ſibi non ſubditis, modò etiam horum Prælati conſentiant, & ab his habeant ſpeciales litteras dimiſſoriales: quam ſententiam tuentur Rodericus à Cunha Archiepiſcopus Bracharenſis in Commentar. *in 1. part. Decreti. diſt. 95. in cap. pervenit. n. 6.* Bonacina de Sacram. *Diſp. 8. quaſt. unic. punct. 4. n. 3.* Barthol. Gavant. *in Manual. Epiſcop. V. Abbas. n. 34.* Suarez *to. 4. de Relig. tr. 8. L. 2. cap. 29. n. 20.* Lezana. *in ſum. Quaſt. Regular. to. 1. part. 1. cap. 18. num. 65.* Azorius. *part. 1. Inſtit. moral. L. 12. cap. 20. quaſt. 7.* Layman *in quaſt. Canon. de Pralat. Elect. quaſt. 3.* & alii plures, quos citat & ſequitur Aſcanius Tamburinus *to. 2. Diſp. 2. quaſ. 7. n. 4. & ſeq.* ubi pariter teſtatur, plures non vulgaris ſcientiæ viros ſe inveniſſe, qui opinioni huic pertinaciter adhærent, & plerosque Abbates adhuc perſeverare in pacifica poſſeſſione conferendi Ordines minores tam Clericis ſæcularibus quàm Regularibus modo nempe ſupra explicato; nominatim verò refert Reverendiſſimum D. Angelicum de Graſſis, ſuæ Congregationis Generalem, virum integerrimum, verè Monachum, morum honeſtate, prudentia, & ſapientia præditum, ſæpè hac auctoritate fuiſſe functum, dum eſſet Abbas Monaſterii S. Sepulchri de Aſtivo Diœceſis Bergomenſis & acerrimè pro tali auctoritate pugnáſſe, & victoriam optimis demonſtrationibus, Doctorum placitis, ac immemorabilibus conſuetudinibus obtinuiſſe contra quosdam Canonicos Bergomenſes.

Fundatur autem horum ſententia præcipuè in Declarationibus ſacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis, quas præter alios refert Petrus Vincentius Marzilla ad decreta Conc. Trid. *ſuper cap. 10. ſeſſ. 23. L. 2. tit. 13.* & prædictus Tamburinus *l. c. n. 2.* quæ ſic habent, prima: *Abbates Regulares, habentes Jus Baculum deferendi & Mitram, poſtquam ſacerdotalem Ordinem & munus benedictionis ſuſceperint, poſſunt Tonſuram & Ordines minores ſubditis Epiſcopi juriſdictioni conferre, dummodo ipſius Epiſcopi conſenſus acceſſerit, & ab eo quisque dimiſſoriales litteras impetraverit; ita tamen, ut non ſufficiat id generatim Epiſcopum conceſſiſſe, ſed hac conceſſio ſemper ſingulis ordinandis ſit neceſſaria.* 2da. *Poſſunt ſupradicti Abbates conferre minores Ordines ſaecularibus aliorum Epiſcoporum juriſdictioni ſubjectis, dummodò ſuorum Ordinariorum ſpeciales litteras dimiſſoriales impetraverint, & ſpecialis Epiſcopi illius loci, ubi Ordines ſuſcipiuntur, conſenſus acceſſerit.* 3tia. *Licet prædictis Abbatibus minores Ordines cónferre aliis Re-* 14

gula-

gularibus, qui dimiſſorias litteras ſpeciales ſuorum ſuperiorum habuerint, nec non ſpecialem aſſenſum Epiſcopi illius loci, in quo hujusmodi Ordines ſunt conferendi. 4ta. *Congregatio Concilii cenſuit, Abbates etiam benedictos, vel habentes facultatem à ſede Apoſtolica faciendi omnia, quà facere poſſunt Abbates benedicti, non poſſe primam Tonſuram & quatuor minores Ordines conferre non ſibi ſubditis, niſi habeant litteras dimiſſorias ſuorum Ordinariorum.* Ita quidem relatæ S. Congregationis Declarationes, quæ ſententiam hanc plurimùm corroborant, cui permagnum ſanè pondus accedit ex ſtatuto in Concilio Mediolanenſi 5to. à S. Carolo Borromæo facto, ubi *part. 3. de Sacram. Ordin.* hæc habentur verba: *Abbates etiam Baculi & Mitræ Jure utentes, aliove ejusmodi privilegio munitos non patiatur Epiſcopus Diœceſanus Tonſuram atque minores Ordines (id quod Tridentina Synodus vetuit) aliis conferre, quàm iis, qui Regulares ſunt, & eorum jurisdictioni ſubjecti, niſi & ipſius Epiſcopi conſenſus antè accedat, & illi initiandi à ſuo Epiſcopo vel Regulari ſuperiore attulerint litteras dimiſſorias, non generatim ſed ſpeciatim conceſſas; nec verò quibusvis Abbatibus id permitti liceat, ſed iis tantùm, qui Sacerdotio initiati ſint, & ſtatis benedictionis precibus conſecrati.* quæ Conciliaris conſtitutio, ait Tamburinus *l. c. n. 5.* licèt pro una tantùm Mediolanenſi Provincia vim atque robur obtineat; in reliquis tamen Chriſtianæ Reipublicæ locis plurimi facienda eſt, atque inſimul conſiderandum, quòd ſi Juri conformis, & rationi conſona non fuiſſet, ſub tam piiſſimo, ſanctiſſimo, doctiſſimóque viro ac Eccleſiæ Præſule, qualis extitit D. Carolus Borromæus, neutiquam emanâſſet; unde eam meritò canonizavit, atque pro univerſæ Catholicæ Eccleſiæ locis probavit ſacra Congregatio, ſecundùm illam reſpondendo in citatis Declarationibus. Ex his ergò planè ſequitur, quòd Abbatibus non deſit poteſtas conferendi minores Ordines hujusmodi perſonis; quia ſi deeſſet, nequirent etiam cum dimiſſorialibus litteris ordinare; nam per dimiſſorias non reciperent poteſtatem ſed tantùm licentiam, vel Jus utendi ſua poteſtate circa talem perſonam. Quæ omnia per hoc etiam probari poſſent, quòd ex una parte *Cap. Abbates 3. de privil. in 6.* concedat Abbatibus licentiam minores Ordines conferendi non tantùm Regularibus, ſed etiam ſæcularibus, in quos Eccleſiaſticam & quaſi Epiſcopalem jurisdictionem obtinent: ex altera verò parte Concilium Tridentinum prohibens aliis quàm Regularibus ſubditis conferre minores Ordines, non intendit prædictis Abbatibus abſolutè auferre poteſtatem conferendi minores Ordines aliis quàm Regularibus ſubditis, ſed tantùm id facere videtur, ne jurisdictio aliorum ſive Ordinariorum, ſive ſuperiorum Regularium exinde violetur: hæc autem ratio ceſſat in caſu, quo habentur dimiſſoriales litteræ tum ab

Ordinariis pro ſæcularibus; tum à ſuperioribus pro Regularibus: ut adeò dicendum videatur, poſſe Abbates ac Prælatos conferre minores Ordines etiam non ſubditis ſive Regularibus ſive ſæcularibus, modò tam hi, quàm illi habuerint dimiſſorias à ſuis reſpectivè ſuperioribus. Verùm etſi hæc olim quàm probabiliſſimè dicta fuerint, nihilominùs hodie tenenda eſt ſententia contraria ac negativa, cum qua

15 Dico 1mo. *Prælati & Abbates Regulares ſive benedicti ſive non benedicti non poſſunt ampliùs Tonſuram aut minores Ordines conferre ſibi non ſubditis ſive Regularibus ſive ſæcularibus, etiamſi habeant litteras dimiſſorias ſuorum Ordinariorum, aut ſuperiorum Regularium.*

Ita reſolvit ſacra Rota coram Eminentiſſimo D. Card. Seraphino die Lunæ *27. Aprilis Anno 1592.* Cùm enim de Ordine ac mandato Clementis VIII eidem S. Rotæ per prædictum Cardinalem propoſitum fuiſſet dubium: An Abbates, qui habent facultatem conferendi Tonſuram & minores Ordines ſubditis ſibi Regularibus, poſſint ſtante decreto Concilii Tridentini *cap. 10. ſeſſ. 23.* Tonſuram ac minores Ordines conferre perſonis ſæcularibus habentibus litteras dimiſſorias à ſuis Ordinariis? re maturè diſcuſſa, Domini iverunt in ſententiam negativam, quòd non poſſint. Quamvis enim de Jure communi ante Concilii diſpoſitionem Abbates ex privilegio Apoſtolico habentes Jura Epiſcopalia, poſſent conferre primam Tonſuram, & etiam Ordines minores ſaltem usque ad Lectoratum ex ſententia Gloſſæ *in cap. Abbates. in V. Tonſuram de privil. in 6.* non ſolùm Monachis & converſis ſuis, ſed etiam puris laicis, nec converſis nec convertendis, dummodo in eos Epiſcopalem jurisdictionem obtinerent, ùt per illum textum tradit Gloſſa *in dict. cap. Abbates. in V. quaſi Epiſcopalem.* & poſt Guidon. & Archidiac. confirmat Turrecremata *in cap. Quoniam diſt. 69. n. 6.* cui ſententiæ accedit Innocentius *in Rubric. de Cleric. peregrinant. n. 3.* Angelus Clavas. *in ſumma. V. Ordo 2.* Joannes Andreas, & Butrius *in cap. cùm contingat. de ætat. & qualit.* tamen Concilium reſtringere voluit hanc facultatem ad Regulares ſubditos tantùm, ut in his locis liceat Abbatibus, quantumvis exemptis, Tonſuram & minores Ordines conferre. Et quamvis verba ſint clara, ita ut nulla probatione indigere videantur, poteſt nihilominus ſententia confirmari ex eo, quod in eodem loco prohibetur, ne ab Abbatibus litteræ dimiſſoriæ aliquibus Clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinen-

dinentur, concedantur; cùm enim ejuſdem ſit poteſtatis ordinare vel litteras dimiſſorias concedere *cap. 1. diſt. 72.* ſatis apparet, eis adimi poteſtatem dandi dimiſſorias, quia neque etiam ordinare poſſunt: & ideò denegatur eis hæc facultas reſpectu Clericorum ſæcularium tantùm, quorum ordinationem ad ſolos Epiſcopos vult pervenire; & hoc probabiliter, ea ratione, quia fortè multi his facultatibus abutebantur in præjudicium Epiſcopalis dignitatis, ad quam ſolam de Jure ſpectat Jus ordinandi ſuos ſubditos *cap. Nullus. de temporib. Ordinat.* Hinc ſequitur, Abbates non poſſe ſubditos alienos etiam cum dimiſſoriis proprii Epiſcopi ordinare; nam quemadmodum Papa non poteſt dare licentiam ei, qui ordinatus non eſt, conferendi Ordines ſacros, ùt tradit Innocentius *in cap. Quantò. de conſuetud.* cùm nemo det, quod non habet: ita nec per dimiſſorias ſuas poteſt Epiſcopus dare facultatem ei, qui ea facultate ex diſpoſitione Concilii caret; prout etiam videmus, quòd Conſecratio ſuffraganei ab Archiepiſcopo committi debet ei, qui aliàs ejus muneris obeundi ſit capax *cap. Quoad ſedem. de Offic. Ordin.* & ibi Doctores. Et ſimiliter audientia Confeſſionis poteſt demandari ab inferiore à Papa, dummodo perſonæ idoneæ & poteſtatem audiendi Confeſſiones habenti demandetur, ùt tradit Stephanus de Gaeta *in Repert. cap. ad limina. §. 5. n. 257. quæſt. 5.* quod eò magis in hoc Conciliari decreto ſtatuendum eſt, cùm veniat addendo & immutando reſpectivè diſpoſitionem Juris communis, ùt patet ex illis verbis, *non liceat in poſterum.* Cùm itaque ex Juris communis diſpoſitione ipſi Epiſcopo non liceret alienum ſubditum ordinare ſine dimiſſoriis. *d. cap. Nullus Epiſcopus. de tempor. Ordin.* videretur ſuperflua hæc prohibitio Concilii reſpectu non ſubditorum, niſi intelligeremus eam etiam in caſu, in quo ordinandi haberent litteras dimiſſorias; ideóque concludendum eſt ex mente Concilii, neque etiam licere cum dimiſſoriis ordinare; ex quo ſublata eſt præcisè & abſolutè facultas Abbatibus conferendi Ordines, præterquam Regularibus eisdem ſubditis: nam ſublato antecedenti, neceſſariò ſublatum etiam cenſetur conſequens ex eo proveniens, ùt per Baldum *in L. Conventicula. n. 3. verſ. item argumentum à remotione generis. Cod. de Epiſcop. & Cleric. & in L. 1. n. 11. Cod. de fideicommiſſ.* hócque eſt dicendum omninò, ne incidamus in abſurdum, quòd licentia inferioris tollat inhabilitatem provenientem ex lege ſuperioris. *cap. cùm inferior. de majorit. & Obed. cap. inferior diſt. 21. cum ſimilib.* Et ita concluſum, ſalva ſemper Domini noſtri determinatione.

Quæ equidem ſacræ Rotæ reſolutio licèt per ſe nullum Jus aut 16
legem faciat, cùm & ipſa illius determinationem reliquerit altiori judicio decidendam, & Clemens VIII.

Digitized by Google

cujus juſſu fuerat facta, nihil deſuper determinaverit; quia tamen poſtea à S. Congregatione Concilii in una Cataniens. *23. Novembr. Anno 1641*, fuit approbata, & Anno ſequenti 1642. ab Urbano VIII. confirmata, per eam tranſiiſſe videtur in rem judicatam, nec ullum relinquere dubium, quòd Prælati & Abbates non ampliùs poſſint conferre minores Ordines non ſibi ſubditis ſive Regularibus ſive ſæcularibus, etiamſi modo ſupra dicto habeant dimiſſoriales a ſuis reſpectivè ſuperioribus ac Ordinariis. Decretum porrò S. Congregationis ſic habet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum utraque parte informante, ore, & ſcriptis, ac rationibus hinc inde deductis maturè perpenſis, inhærendo decifioni Rotæ Romanæ ſub die 27. April. 1592. coram bonæ memoriæ Cardinali Seraphino, nec non declarationibus ipſius S. Congregationis dictæ deciſioni conformibus ſubſecutis, cenſuit, improbata opinione contraria, Abbates Regulares, etiam Benedictinos Congregationis Caſſinenſis, ſeu alterius Congregationis vel Ordinis aut inſtituti habentes etiam Jura Epiſcopalia, uſúmque Mitræ & Baculi ac facultatem primam Tonſuram minoréſque Ordines conferendi, non poſſe dictam primam Tonſuram, nec alios minores Ordines, niſi ſubditis ſuis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis vel Inſtituti, etiamſi habeant litteras dimiſſorias ſuorum ſuperiorum Regularium & conſenſum Ordinariorum, intra quorum Diœceſum fines ipſi Regulares ordinandi exiſtunt: & multò minùs perſonis ſæcularibus, etiam habentibus litteras dimiſſorias à ſuis Ordinariis: ac propterea inhibuit Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis inferioribus tam ſæcularibus quàm Regularibus, ut in futurum concedere non audeant ſupradictas litteras dimiſſorias hujuſmodi Abbatibus directas, nec ab iſtis recipi; quod ſi ſecùs fiat, tam concedentes, quàm ordinantes à collatione Ordinum ſuſpenſi ipſo Jure remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejuſdem ſacræ Congregationis reſervatas. Quam declarationem ſanctiſſimus Dominus noſter die 17. Januarii 1642. ad ſe delatam approbavit & inviolabiliter obſervari juſſit. Petrus Aloyſius Cardinalis Caraſa, Franciſcus Paulutius S. Congregationis Concilii Secretarius. Quam S. Congr. declarationem refert Fagnanus *in cap. Quantò. n. 30. de conſuet.* Petrus de Murga *ad Conſtit. 16. §. 19. n. 223.* Card. Petra. *ad Conſtit. 9. Pii II. n. 40.* & Lezana *in ſumma Quaſt. Regul. part. 1. cap. 14. n. 13.* cui conformiter eadem S. Congregatio idipſum multoties aliis quoque Annis declaravit, quas tamen declarationes hìc ſtudio brevitatis omitto, cùm omnes iſtæ in priori illa fundentur S. Congr. declaratione: ex qua illud quoque inferre

Digitized by Google

ferre licet, quòd cùm ea ſit edita poſt Authores pro priori ſententia citatos, atque etiam poſt declarationes ſuperius pro eadem contraria ſententia allatas, cenſendum ſit, has omnes per relatam & ab Urbano VIII. confirmatam S. Congregationis declarationem fuiſſe revocatas, & Authores contrariæ ſententiæ haud dubiè noſtram amplexuros, ſi eandem præ oculis habuiſſent, prout Aſcanius Tamburinus ultrò fatetur, qui totam hanc controverſiam concludit ſequentibus verbis: *Salvo tamen in hac re meliori judicio, & Superiorum determinatione ac cenſura*: quam cùm modo factam cernamus, eidem omnino inhærendum eſt, & ſecundùm illam intelligenda ſunt Concilii Tridentini verba, quibus vetuit Prælatis omnibus ac Abbatibus, ne cuiquam, qui Regularis ſubditus non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferant.

17 . An verò ſub hac Concilii diſpoſitione ac ſacr. Congregationis declaratione comprehendantur etiam Novitii, Oblati, ac Commiſſi nullis adſtricti ſolemnibus votis Religionis, res eſt necdum deciſa, & inter Authores multùm controverſa? cujus reſolutio pendet ex eo, an Novitii (idem eſt de Commiſſis & Oblatis) cenſeri debeant inter ſubditos Regulares ad mentem Concilii Tridentini prohibentis, ne Abbates cuiquam, qui Regularis ſibi ſubditus non ſit, minores Ordines conferant. Negant equidem Navarrus *manual. cap. 27. n. 158.* Rodriguez *QQ. Regul. to. 3. quaſt. 23. art. 2. in fin.* Miranda *in Man. Pral. to. 1. Q. 38. art. 9.* Henriquez *L. 10. cap. 23. §. 3.* Ugolinus *de poteſt. Epiſc. part. 2. §. 19. n. 2.* Diana Coordin. *to. 2. tr. 5. de Sacram. Ord. Reſolut. 81.* Pax-Jordan. *to. 1. L. 5. tit. 3. n. 60.* Tamburin. *to. 2. Diſp. 10. q. 10 n. 4.* Card. Petra *ad Conſtit. Urbani II. ſect. 2. n. 20.* & alii ab his citati; quia ad hoc, ut quis propriè dicatur Regularis, requiritur ſolemnis profeſſio trium votorum ſubſtantialium; nam illi, qui non vovent, etſi habitum geſtent regularem, degant in clauſtris, ac maneant ſub obedientia Superioris, nequeunt dici veri Regulares, deficiente eſſentiali requiſito ſolemnis profeſſionis. Verùm affirmativam ſententiam tenent Suarez *to. 4. de Relig. tract. 8. L. 2. cap. 29. quaſt. 4.* Layman *L. 5 tr. 9.* Salmanticenſes *de Sacram. Ordin. cap. 4. n. 39.* Gobat *Theol. experim. tr. 8. n. 324.* Pirrhing *ad tit. 11. de Tempor. Ordinat. n. 55.* Engl *de privil. Monaſt. privil. 49.* König *ad cit. tit. n. 26.* Franciſc. Schmier. *L. 1. tr. 4. cap. 2. ſect. 2. §. 1.* Krimer *ad cit. tit. n. 2117.* qui ſententiam hanc probabiliorem vocat, eamque communi DD. ſenſu firmatam dicit Guetrather *Inſtit. Jur. Can. L. 1. tit. 24 n. 7.* & probabilem agnoſcit Lezana *in Sum. QQ. Regul. V. Ordines. n. 6. in fin.* qui omnes dictos Novitios accenſent Regularibus ſubditis ad mentem Concilii, & tales eſſe probant:

bant: tum quia in favorabilibus Novitii veniunt nomine Regularium ac Religioſorum *per cap. Religioſo 21. de ſentent. excommunic. in 6.* atque hinc etiam gaudent eorum privilegiis non tantùm illis, quæ competunt perſonis Eccleſiaſticis, ùt eſt exemptio fori: ſed etiam illis, quæ ſolis cæteroquin conveniunt Religioſis, qua talibus, ùt patet ex plurimis SS. Pontificum Bullis: tum quia ſortiuntur forum contentioſum & jurisdictionem in Monaſterio, vi cujus judicari ac puniri poſſunt ac debent à Religionis Prælato: tum quia forum ſacramentale ibidem obtinent, ita ut non tantùm poſſint abſolvi à peccatis quibuscunque etiam S. Pontifici reſervatis, ſed etiam à cenſuris ob ea incurſis, & quidem à Confeſſario per ſolum Religionis Prælatum approbato, quæ ſanè convincunt Novitios eſſe Prælatorum Regularium ſubditos Regulares propriè dictos juxta mentem Concilii Tridentini, atque adeò poſſe recipere à Prælato ſuo minores Ordines. Quibus omnibus addi poteſt expreſſum privilegium Pauli III. Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Vallis Scholarium datum 13. Maji. Anno 1539. in quo eisdem poteſtatem minores Ordines conferendi Novitiis aliisque ſimilibus perſonis conceſſit expreſſis hiſce verbis: quòd nempe *Novitios, ſervitores ac mediatè vel immediatè ſubjectos dicti Monaſterii, nec non Prioratuum ac membrorum dicto Monaſterio ſubjectorum, & ad illud, ut inibi recipiantur, convolantes, ad hoc idoneos clericali charactere inſignire, & ad quatuor minores Ordines ſimul vel ſucceſſive (prout expediens fuerit) quibusvis feſtivitatibus promovere, ac Ordines eis conferre poſſint.* Nec refert, quòd privilegium hoc conceſſum ſit ante Tridentinum; nam hoc ipſo quòd ex una parte ſit certum, quòd poſſint Prælati per dictum privilegium Novitiis aliisque ſimilibus perſonis conferre minores Ordines: ex altera verò parte valdè dubium ſit, utrum Tridentinum voluerit iſtud & alia ſimilia privilegia revocare, ſtandum eſt pro privilegio ac poteſtate conferendi Novitiis minores Ordines; cùm ſemper in dubio melior ſit conditio poſſidentis: præſertim quòd admodùm ſit incertum, quòd Tridentinum per ſubditum Regularem præcisè intellexerit illum, qui ſolemnem emiſit profeſſionem ac tria ſubſtantialia Religionis vota; cùm tamen in Jure haud ita ſtrictè accipi ſoleat, utpote in quo Regularium nomine veniunt etiam Novitii & Oblati ſaltem in favorabilibus, in quibus hic quoque verſamur. Accedit, quòd correctio Juris, cùm ſit odioſa, ſtrictam poſtulet interpretationem, nec patitur, ut Jus antiquum *in cap. Abbates 3. de privil. in 6.* vi cujus licebat tam Novitiis, quàm ſubditis Regularibus minores Ordines conferre, per Jus poſterius Tridentini dicatur etiam quoad Novitios abrogatum, quandoquidem ne verbum quidem in eo de Novitiis, quoad hoc habeatur, & con-

Digitized by Google

conſequenter quoad iſtos Jus antiquum in ſuo vigore fuiſſe relictum, cenſendum eſt. Neque dicas: inconveniens eſſe, ut ſi Novitius mutet voluntatem, ad ſæculum redeat cum charactere Ordinum minorum; id enim tam parùm inconveniens eſt, quàm non eſt, ſi quis poſt ſuſceptos minores Ordines mutata voluntate ad ſtatum laicalẽ revertatur.

18 Quamquam autem hæc magna cum probabilitate dicantur, videtur tamen, quòd ſacra Congregatio Concilii oppoſitam ac negativam ſententiam fuerit amplexata in una Mutinenſi Ordinationis, ubi cùm Abbas Caſſinenſis cuidam Oblato ejuſdem Congregationis contuliſſet minores Ordines ac eadem deſuper fuiſſet conſulta, an licitè fuerint collati; reſpondit S. Congregatio negativè 14. Maji *Anno* 1689. quia non habuit Oblatum illum pro ſubdito Regulari, cùm non fuerit profeſſus tribus votis ſolemnibus, & Concilium præſervavit facultatem ordinandi ad ſubditos Regulares. Ex hoc ipſo autem nova rurſus exoritur quæſtio, eáque quoad praxin permagni momenti, ſiquidem ab ejus deciſione pendet valor Ordinum minorum: Utrum ſcilicet, ſi Prælatus ſive Abbas benedictus, vel aliàs ex privilegio Apoſtolico habens poteſtatem conferendi minores Ordines, eoſdem conferat ſibi non ſubditis ſive Regularibus ſive ſæcularibus, illi ſic collati ſint invalidi ac irriti, ita ut de novo debeant conferri: an verò tantùm ſint illicitè collati, nec opus ſit nova collatione? Irritos eſſe atque invalidos affirmat latè Hallier *de ſac. Elect. part. 2. ſect. 5. cap. 1. art. 2. §. 2. n. 18. & 19.* Coton. *L. 3. controv. 1. cap. 6. n. 128.* & alii, qui fundantur in declaratione S. Congregationis Concilii 4. April. Anno 1637. facta, in qua ſtatuit: *Ordinatos ab Abbate titulari Montis Regalis in Sicilia tam ſæculares, quàm Regulares, eſſe iterum ordinandos*: idque etiam ſuadet ratio; tum quia tota poteſtas conferendi Ordines in Prælatis provenit à privilegio: ergò ſublato privilegio, ſublata eſt etiam poteſtas: atqui per Tridentinum ſublatum eſt privilegium conferendi minores Ordines aliis, quàm ſubditis ſibi Regularibus: ergò etiam ſublata eſt poteſtas minores Ordines conferendi aliis quam ſubditis ſibi Regularibus: tum etiam, quia S. Congregatio Concilii in decreto ſupra relato de Anno 1641. expreſsè dicit, hujuſmodi Abbates minores Ordines conferre *non poſſe* ſæcularibus aut Regularibus non ſibi ſubditis, licèt habeant dimiſſoriales ſuorum Superiorum quibus verbis auffert Abbatibus omnem poteſtatem minores Ordines illis conferendi: ſed hac poteſtate ſublata invalidè conferuntur Ordines ùt patet: tũ deniq; quia poteſtas conferendi Ordines extraordinaria, quã habent Prælati & Abbates ex privilegio, ita eſt revocabilis, ut ſi eam Pontifex de facto revocet, validè non ordinent, quantumvis vel revocationem illam ignorent, vel contraria

conſuetudine antiquum ſuum Jus ordinandi etiam non ſubditos tueri conentur, cùm tota illa poteſtas pendeat unicè à voluntate concedentis: atqui hæc defacto eſt revocata ab Urbano VIII. hoc ipſo, quòd eandem S. Congr. declarationem juſſerit inviolabiliter ſervari, quod velle non potuit, niſi volendo, ut poſthac Abbates validè non ordinent non ſubditos, adeòque revocando conceſſum anteceſſorum ſuorum privilegium. Sed his non obſtantibus verior eſt ac communior ſententia, quæ pugnat pro valore Ordinum taliter collatorum, cum qua proin ulteriùs

19 Dico 2do. *Prælati & Abbates benedicti, vel habentes ex privilegio poteſtatem minores Ordines ſubditis ſibi Regularibus conferendi, eoſdem illicitè quidem, validè tamen conferunt ſæcularibus, aut Regularibus non ſibi ſubditis.*

Ita Tamburinus *to. 2. D. 2. quæſ. 8.* Laur. de Peyrin. *to. 2. q. 3. cap. 7.* Palao *tr. 27. punct. 14. n. 15.* Rodriquez *quæſt. Regular. to. 1. quæſt. 18. a. 1.* Gobat. *Theol. experim. tr. 8. caſ. 8. n. 330. & ſeq.* Fermoſ. *in cap. cùm contingat. quæſt. 2. n. 19. & ſeqq. de ætat. & qualit.* Fagnanus *in cap. Quantò n. 24. de conſuetud.* & latiùs *in cap. ſtatuimus de ſupplend. negligent. Prælat.* ubi ſolidè ac latè hanc ſententiam propugnat. Hieronym. Nicolius *in Lucubr. Jur. Can. de ætat. & qualit. L. 1. titul. 14. n. 2.* Card. Petra *ad Conſtit. 9. I ii II. to. 5. n. 38. fol. 174.* & plures alii ab his citati: qui nituntur pluribus declarationibus S. Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, in quibus res hæc reperitur in terminis deciſa. Sic enim in una Panormitana collationis Ordinum ad inſtantiam Archiepiſcopi Panormitani petentis declarari, an Ordines minores per Abbatem non benedictum collati non ſuis ſubditis ſint validi, etiamſi habeat privilegium illos conferendi. Eadem ſacra Congregatio 16. Mart. 1647. audita utraque parte & rationibus maturè perpenſis, reſpondit: *Abbatem non benedictum habentem privilegium conferendi minores Ordines, non poſſe Ordines minores conferre non ſuis ſubditis, etiam Regularibus alterius Ordinis, juxta declarationem aliàs factam in Cataníenſ. 23. Novembr. Anno 1641. tenoris infra ſcripti ----- Collationem autem Ordinum ſupra dictis non ſubditis ſuis, etiam Regularibus factam, ſi fuerit etiam de Minoribus, & dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium Apoſtolicum, Ordines collatos remanere invalidos, & ordinatos indigere alia Ordinatione: ſi verò Abbas non benedictus habeat privilegium, & Ordines minores tantùmodò contulerit ſuis non ſubditis, ordinatos non indigere alia ordinatione, ſed tantùmodo abſolutione & rehabilitatione à ſede Apoſtolica obtinenda.* quã declarationẽ refert Card. Petra l. c. n. 34. ex Libr. 18. decret. pag. 311.

qui

qui & aliam priori ſimilem recenſet ex L. 19. decret pag. 484. in Conimbrienſ. 26. Junii Anno 1655 factam, ubi propoſito dubio juſſu ſanctiſſimi Domini noſtri: An Abbates Congregationis S. Bernardi & S. Benedicti conferre potuerint Ordines minores Regularibus ſibi non ſubditis: nec non ſæcularibus, etiam habentibus litteras dimiſſorias ſuorum Superiorum Regularium ſeu Ordinariorum. Sacra Congregatio Procuratoribus dictorum Ordinum ſæpiùs citatis, ſupradictis dubiis maturè diſcuſſis, reſpondit, *dictos Abbates Ordines etiam minores Regularibus ſibi non ſubditis & multò minùs ſæcularibus conferre non poſſe, non obſtantibus illorum privilegiis. Promotos verò ab illis non indigere alia collatione dictorum Ordinum, ſed abſolutione & rehabilitatione à Sanctiſſimo obtinenda.* Aliam ejuſmodi S. Congregationis declarationem 1. Decembr. Anno 1668. in una S. Marci ſuſceptionis Ordin. factam refert Pittonus n. 3542. ubi ſtatuitur, quòd *Clericus, qui cum litteris dimiſſorialibus ſui Epiſcopi vel ejus Vicarii Generalis ab aliquo* Regulari Ab*bate minores Ordines ſuſcepit, fuit quidem validè promotus, ſed non licitè.* qua de re quoque acriter diſputatum fuit in eadem S. Congregatione in cauſa Mutinenſ. Ordinationis, ubi de Ordinatione facta ab Abbate Congregationis Caſſinenſis non benedicto dubitabatur, præſertim quòd in privilegiis, quibus Abbatibus non benedictis tribuitur poteſtas faciendi omnia, quæ facere poſſunt Abbates benedicti, non eſſet expreſſa facultas ordinandi; nihilominus attentis rationibus & DD. aſſertis & præſertim uſu, quòd ſi ſecùs decideretur, audiretur ſtrages innumerarum Ordinationum factarum pro præterito per iſtos Abbates non benedictos. Ad propoſita dubia: 1mò, an Ordines minores F. Carolo oblato dictæ Congregationis collati ab Abbate nō benedicto ejuſdē Congregationis Caſſinenſ. fuerint valide collati? & quatenus affirmativè 2dò. an etiam licitè? 3tiò. an dictus F. Carolus ordinatus deinde ad Ordines ſacros, licitè receperit eos ab Epiſcopo Regienſi, & quatenus negativè. 4tò. an ſuper hujuſmodi illicita Ordinatione, & irregularitate contracta, tam ex aſcenſu ad Ordines ſacros, quàm ex Miniſtratione in ipſis Ordinibus, non obſtante antecedenti ſuſpenſione, cum Oratore ſit diſpenſandum? Sacra Congregatio 14. Maji 1689. *ad primum reſpondit affirmativè, ad ſecundum negativè, quia non habuit Oblatum illum pro ſubdito Regulari, cùm non profeſſus fuerit tribus votis ſolemnibus, & Concilium præſervavit facultatem ordinandi ad ſubditos Regulares; ad tertium negativè, quia non potuerat promoveri ad ſacros Ordines dictus oblatus ſuſpenſus ab Ordinibus minoribus, imò ſine litteris dimiſſorialibus proprii Epiſcopi, dum non erat ſubditus quoad Ordines dicto Abbati dimittenti; ad quartum, eſſe diſpenſandum.* Ex quibus S. Congregationis declarationibus manifeſtum eſt, Prælatos & Abbates habentes facultatem minores Ordines conferendi

Digitized by Google

ſubditis Regularibus, eosdem adhuc validè conferre tam ſæcularibus, quàm Regularibus ſibi non ſubditis, Idque

20 Probatur etiam ratione: Poteſtas conferendi minores Ordines ſubditis ſibi Regularibus conceſſa Prælatis & Abbatibus *in Can. Quoniam* 1. *diſt.* 69. *& in cap. cum contingat.* 11. *de ætat. & qualit.* ac poſtmodum extenſa *per cap. Abbates de privil. in 6.* ac plures SS. Pontificum Bullas ad Regulares alios ac ſæculares ſibi ſubditos nuſpiam fuit ſublata nec à Tridentino, nec à S. Congregatione Concilii, nec ab Urbano VIII. ejusdem Congregationis declarationem confirmante, ſed ſolùm reſtricta ad ſubditos Regulares, ſicut poteſtas Epiſcoporum conferendi minores Ordines reſtricta fuit ab eodem Concilio ad proprios tantùm Diœceſanos ac Diœceſin propriam, quin tamen illis fuerit ſublata poteſtas ordinandi alienos ſubditos aut in aliena Diœceſi: ergò ſicut in Epiſcopis remanet poteſtas ordinandi alienos ſubditos, quamvis illa reſtricta ſit ad proprios, ita etiam in Prælatis & Abbatibus remanet quoque poteſtas conferendi minores Ordines ſibi non ſubditis, utut ea reſtricta ſit ad ſubditos ſibi Regulares: Jam verò ſi hæc poteſtas radicalis remanet in Prælatis & Abbatibus, hoc ipſo conferunt minores Ordines validè etiam ſibi non ſubditis, ſicut validè etiam Epiſcopi ordinant alienos Diœceſanos, utrique tamen illicitè; quia hoc illis prohibitum eſt à Concilio Tridentino, à quo poteſtas eorum reſtricta fuit ad ſolos ſubditos Regulares, & ad proprios Diœceſanos: ergò Prælati & Abbates validè, quamvis illicitè, conferunt minores Ordines aliis quàm ſibi ſubditis Regularibus, non minùs quàm Epiſcopi ordinant validè, licet illicitè, alienos ſubditos, ac Diœceſanos. Totum hoc argumentum videtur eſſe legitimum, nec quidquam, ſi termini rite accipiantur, relinquere probandum, quàm primum antecedens, quòd nempe Prælatis & Abbatibus neque à Concilio Tridentino, neque à S. Congregatione, neque ab Urbano VIII. adempta ſit aut penitùs ſublata poteſtas conferendi minores Ordines etiam non ſibi ſubditis, quod proinde probatur 1. Quia Tridentinum prohibens Prælatis, ne aliis quam ſuis ſubditis Regularibus minores Ordines conferant, utitur particulis *non liceat*, ſed hæ in proprio ſenſu ſumptæ ſignificant tantũ actũ eſſe illicitũ non autẽ invalidum. Nec dicas: hoc ipſo quòd Conciliũ dicat: *non liceat*, auffert à Prælatis poteſtatẽ conferendi minores Ordines, ac proinde tales Ordines reciperentur à nõ habente poteſtatẽ eos conferendi, adeóq; ſunt nulli ac invalidi. Verùm ℟. diſtinguendo, reciperentur à non habente poteſtatem eos conferendi licitè conc. per hoc autem actus tantùm redditur illicitus; reciperentur à non habente poteſtatem eos conferendi validè nego. hoc ipſo enim, quòd Concilium dicat, *non liceat*, ſignum eſt,

quòd

quòd noluerit ex toto auſferre poteſtatem conferendi validè minores Ordines, ſed tantùm, quòd voluerit eam auſferre ex parte, nempe poteſtatem eos conferendi licitè, adeóque & actum ſolùm reddere illicitum; ſi enim & invalidum reddere voluiſſet, clariùs exprimere debuiſſet, & talibus uti verbis, quæ idipſum ſignificarent. Latet enimverò in hoc aliíſque ſimilibus argumentis æquivocatio in verbo *Poteſtas*, utpote quæ duplex eſt, ſcilicet ad aliquid vel validè vel licitè faciendum. Etſi igitur ultrò fateamur, à Concilio ademptam fuiſſe Prælatis & Abbatibus poteſtatem minores Ordines *licitè* conferendi aliis quàm ſubditis Regularibus ſuis: negamus tamen iiſdem ademptam eſſe poteſtatem minores Ordines *validè* conferendi aliis quàm ſubditis Regularibus ſuis: atque in hoc ſenſu intelligenda eſt probatio noſtra, & ope hujus diſtinctionis diſſolvenda ſunt argumenta in contrarium allata.

21 Probatur autem idem antecedens 2do. quoad declarationem S. Congregationis; nam hoc ipſo, quod iſta nihil aliud intenderit aut potuerit declarare, quàm quod ſtatuerat Concilium Tridentinum, non poteſt illa in alio ſenſu intelligi, quàm in ſenſu Concilii: ſed hoc nil aliud ſtatuit, quàm quòd Prælatis & Abbatibus *non liceat* conferre minores Ordines aliis, quàm ſubditis ſibi Regularibus in ſenſu ſupra explicato: ergò nec S. Congregatio aliquid aliud declaravit. Nec obeſt, quòd eadem non utatur verbis *non liceat*, ſed abſolutè dicat, Prælatos *non poſſe* conferre minores Ordines, niſi ſubditis ſibi Regularibus, quæ in proprio ſenſu ſumpta ſignificant, quòd ne quidem validè eosdem conferre poſſint: etenim nihil eſt communiùs, quàm quòd dicamur ea facere non poſſe, quæ licitè facere non poſſumus; quòd autem S. Congregatio non alio in ſenſu, quam iſto acceperit illas particulas *non poſſe*, habemus ex ipſius S. Congregationis declarationibus ſupra relatis, quibus aſſerit hujusmodi Ordines à Prælatis collatos eſſe validos, quales eſſe non poſſent, ſi omnem illis poteſtatem voluiſſet adeptam. Quòd autem neque Urbanus VIII. per ſuam confirmationem prædictæ declarationis ademerit Prælatis poteſtatem conferendi minores Ordines aliis quam ſibi ſubditis, probatur idem antecedens 3tiò. Quia Urbanus non aliud voluit confirmare, quàm quod declaraverat S. Congregatio, ùt patet ex verbis confirmationis, quæ ſic habent: *quam declarationem ad ſe delatam approbavit & inviolabiliter obſervari juſſit.* Sed S. Congregatio nil aliud declaravit, quàm quòd Prælati non poſſint minores Ordines aliis conferre, quàm ſubditis ſibi Regularibus, ſcilicet licitè, ut ſeipſam poſtea explicavit: ergo nec Urbanus aliud confirmavit. Nec juvat dicere, quòd poteſtas minores Ordines conferendi aliis, quàm ſubditis Regularibus ſit revocata ab Urbano VIII. per hoc, quòd S. Congregationis decla-

rationem inviolabiliter juſſerit obſervari, cùm id velle non potuerit niſi volendo, ut poſthac Abbates validè non ordinent non ſubditos. Nam hæc omnia gratis omnino ac ſine ullo fundamento dicuntur, falſiſque laborant ſuppoſitis; etenim falſum eſt, Urbanum VIII. aut S. Congregationem revocâſſe poteſtatem minores Ordines conferendi aliis, quàm ſibi ſubditis; non enim revocavit hanc poteſtatem, ſed ſolùm prohibuit ac interdixit uſum hujus poteſtatis, ſicut Epiſcopis non revocavit, ſed nec revocare potuit poteſtatem ordinandi alienos ſubditos, ſed ſolùm illis interdicit uſum hujus poteſtatis. Ex hiſce ſimul patet reſponſio ad argumenta pro oppoſita ſententia adducta; quod attinet ad declarationem S. Congr. ibi relatam reſpondeo Abbatem illum titularem Montis Regalis omni omninò caruiſſe poteſtate conferendi minores Ordines, atque adeò mirum non fuit, ordinatos ab eo tam ſæculares, quàm Regulares iterum ordinandos fuiſſe ex declaratione S. Congregationis; nam quando agitur de Prælato, qui nullam habet facultatem Apoſtolicam Ordines conferendi, tunc certum eſt, Ordines collatos eſſe invalidos: ut ſi non eſſet benedictus, cum qua qualitate data eſt à Jure Abbatibus facultas ordinandi vel ſi non haberet privilegium faciendi omnes actus, quos facere poſſunt benedicti: vel demùm ſi abeſſet privilegiũ ſpecificum Ordines conferendi, vel ſi adeſſet quidem, ſed ſublatum fuiſſet per Tridentinum, quale eſt illud, quod habebant aliqui Prælati ſæculares, ante Concilium ordinandi ſæculares quod tamen in totum ſublatum fuit à Tridentino, quos omnes caſus ſummatim refert, ac ſcitè dilucidat Fagnanus *in cap. ſtatuimus. de ſupplend. neglig. Prælat. num. 53. & 54.* cujus verba non pigebit hic attexere, præſertim cùm huc maximè faciant.

Quamobrem ut caſus omnes 22 in hac materia præſtringamus, cùm quæritur, an Prælatus inferior, conferendo primam Tonſuram, & minores Ordines imprimat Characterem, & conferat Ordinis executionem, nec ne, duo caſus principales ſunt diſtinguendi. Primus eſt in Abbatibus Regularibus. Secundus eſt in inferioribus Prælatis ſæcularibus. Primo caſu aut Abbas eſt Presbyter ſolemniter benedictus, aut non. Si eſt, aut confert primam Tonſuram & minores Ordines ſuis ſubditis Regularibus, & non ſolùm imprimit characterem, ſed etiam confert Ordinis executionem; quia facultas, quam habet à Jure communi in dicto *cap. Quoniam diſt. 69. & cap. cùm contingat. de ætat. & qualit.* non eſt ſublata, imò præſervata à Concilio Tridentino quoad ſubditos Regulares in dicto *cap. 10. ſeſſ. 23.* Aut illos confert Regularibus ſibi non ſubditis ſeu Clericis ſæcularibus, & imprimit quidem characterem ratione poteſtatis, quam accipit in impoſitione manuum ſecundùm Gloſſ. Lapum, Archidiac. & alios, ſed Ordinis executionem non con-

confert ob ademptam ſibi à Concilio jurisdictionem quoad non ſubditos Regulares, ùt in declarationibus S. Congregationis ſuperius adductis. Aut Abbas Presbyter non eſt ſolemniter benedictus: & tunc aut habet privilegium ordinandi ante Concilium, aut non. Si habet, aut ordinat Regulares ſibi ſubditos juxta limites privilegii, & rata eſt ordinatio, etiam quoad executionem Ordinum, cùm privilegium hoc quoad Regulares tam de Jure communi in *d. cap. Abbates*, ubi Gloſſ. *fin. in 6. de privil.* quàm ex Concilio ſit præſervatum *in d. cap. 10.* Aut ordinat alios, quàm Regulares ſibi ſubditos, & tunc ſi Abbas ſit talis, ut nullos omninò ſubditos Regulares habeat, irrita eſt Ordinatio, quia privilegium ejus in totum fuit ſublatum per Concilium. Sin autem aliquos habeat ſubditos Regulares, tunc ordinando alios, imprimit characterem, cùm non careat funditùs ordinandi poteſtate; ſed ſic ordinati remanent ſuſpenſi ab executione Ordinum. Quòd ſi privilegium ſit poſt Concilium conceſſum, idem ſervandum erit, quod de Prælatis ſæcularibus inferiùs dicetur. Aut Abbas privilegium ordinandi non habet, & tunc aut Epiſcopus fuit ter requiſitus, ut ei munus benedictionis impenderet: & eo caſu character imprimitur & confertur Ordinis executio ad eum modum, quo dictum eſt ſupra de Abbate ſolemniter benedicto ſecundùm opinionem Gloſſæ hìc. Aut Epiſcopus non fuit requiſitus, & tunc Abbas non benedictus vel alius Regularis Prælatus, qui privilegio caret, ordinando nihil agit, cùm careat requiſitis eſſentialibus ad Ordines conferendos, ùt *in cap. Quoniam, & cap. Abbates*, non obſtante contraria conſuetudine, etiam immemorabili, ùt aliàs cenſuit S. Congregatio in cauſa Generalis Sylveſtrinorum. Secundo caſu principali, aut inferior Prælatus ſæcularis habet privilegium conferendi primam Tonſuram vel minores Ordines ſuis ſubditis ſæcularibus ante Concilium, aut poſt. Si ante Concilium, cùm privilegium fuerit funditùs ſublatum, ideoque non ſolùm careat jurisdictione, ſed etiam ordinandi poteſtate, characterem nullo modo imprimit juxta declarationem S. Congr. Concilii in cauſa Præpoſiti Peſcienſ. Aut habet privilegium poſt Concilium; & tunc aut ordinat perſonas deſignatas in privilegio, & ordinati ab ipſo recipiunt characterem, & executionem Ordinum, quia Concilium non ſuſtulit privilegia futura, nec eſt opus, ut Concilio Tridentino in litteris privilegii fuerit ſpecialiter derogatum, ſed ſatis eſt, quòd fuerit expreſſè conceſſum contrarium ejus, quod Concilium diſponit, ùt ſæpiùs cenſuit S. Congregat. Aut ordinat perſonas non comprehenſas in privilegio, ùt in caſu præſentis quæſtionis; & valida eſt Ordinatio ratione abſolutæ poteſtatis; ſed ob defectum jurisdictionis Ordinis executio non confertur, ùt patet ex ſupradictis, ubi ſatis ſuperque probavimus

Digitized by Google

mus, Prælatos & Abbates conferre validè minores Ordines etiam ſæcularibus, aut Regularibus non ſibi ſubditis.

23 Quamvis autem eosdem validè conferant, haud tamen licitè conferunt, & taliter conferendo peccant mortaliter, & tam ipſi, quàm ſic ordinati incurrunt ipſo facto ſuſpenſionem. Nam ordinati quidem manent ſuſpenſi ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec cum ipſis diſpenſetur, ùt ſtatuitur pluribus Juris Canonici textibus & in Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 8. de reform.* ubi Concilii PP. ſuſpenſionis cenſuram pronuntiant in omnes, qui Ordines ab alio, quàm à proprio Epiſcopo receperint: & declarationes S. Congr. ſupra relatæ non tam pronuntiant, quàm ſupponunt, taliter ordinatos ab Abbate eſſe ipſo facto ſuſpenſos ab executione Ordinum collatorum. Et ratio eſt; quia Abbas vel Prælatus ordinans alium quàm ſibi ſubditum non habet poteſtatem Ordines eidem licitè conferendi: ergò neque potuit illi, quem taliter ordinavit, uſum ſeu executionem Ordinum ſuſceptorum conferre. Quòdſi taliter ordinatus in ſuſceptis Ordinibus miniſtret, & actum Ordinis proprium exerceat, incurrit inſuper etiam irregularitatem, prout ſtatuitur *cap. Apoſtolicæ 9. de Cleric. excommunic. cap. cùm æterni 1. ℣. fin. de ſentent. & re judicat in 6. & cap. cùm medicinalis 1. ℣. fin. de ſentent. Excommunic. eodem.* Quod autem ad Prælatum illegitimè ordinantem attinet, is pariter ipſo Jure ſuſpenſus manet ab exercitio Pontificalium. Licet enim Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 10. prohibens Abbatibus, ne cuiquam, qui Regularis ſibi ſubditus non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferre poſſint, nullam ibidem pœnam imponat iis contrarium facientibus, eandem tamen pœnam illis impoſuit ſeſſ. 6. cap. 5. ubi ſtatuit: *quòd nulli Epiſcopo cujusvis privilegii prætextu liceat Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm, ſi ſecùs factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo Jure ſuſpenſi.* quibus verbis Concilium haud obſcurè comprehendit Abbates & Prælatos minores Ordines conferentes aliis, quàm Regularibus ſibi ſubditis, pargumento à majori deducto, & conſequenter & ipſi incurrunt pœnam ſuſpenſionis à collatione dictorum Ordinum & exercitio Pontificalium, & quidem non tantùm ad tempus aut per annum, ſed in perpetuum, niſi diſpenſentur. Ita enim teſtatur Tamburinus *to. 2. D. 2. quæſ. 9.* ſe accepiſſe à quibusdam Patribus Congregationis Olivetanæ: quod cùm fuiſſet quæſitum à ſacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, an Abbas S. Mariæ de ſuccurſu ejusdem Ordinis, potuerit in loco ſuæ ordinariæ juriſdictionis conferre Ordines minores dictis Regularibus S. Auguſt. à ſuis Superioribus ad hunc effectum dimiſſis; eadem Congregatio Concilii cenſuit, non potuiſ-

ſe

ſe conferre minores Ordines dictis Regularibus, ùt habetur *cap. 5. ſeſſ. 6.* tamen incurriſſe pœnam *cap. 10. ſeſſ. 23.* ſtatutam, quia ibi tantùm eſt ſermo de concedentibus dimiſſorias, non item in pœnam *cap. 2. ſeſſ. 14.* quia loquitur de Epiſcopis nullius: nec item in pœnam *cap. 8. ſeſſ. 23.* quod loquitur, quando ſine teſtimonio Ordinarii; ſed in pœnam *cap. ult. ſeſſ. 6.* eò quòd ſine licentia Ordinarii loci contulit Ordines: & licèt dictum caput loquatur de Epiſcopo, tamen Congregatio cenſuit, multò magis habere locum in Abbate: unde cùm dict. cap. ſimpliciter dicat: ſuſpenſus ab exercitio Pontificalium, intelligendum eſt abſolutè, non autem per annum duntaxat; nam quando dictum Concilium voluit per annum tantùm ſuſpendere, illud expreſſit, & ſic, quòd ille Abbas erit ſolummodò ſuſpenſus ab exercitio Pontificalium, nempe à collatione Ordinis & ſimilium, non autem à divinis; quia ut Religioſus ſacerdos celebrare poterit, ſicut de Epiſcopo habetur *in cap. tranſmiſſam. de elect.* quia celebratio non videtur propriè ad Pontificalia pertinere, cùm etiam alii ſimplices ſacerdotes Pontificalia exercendi auctoritatem non habentes, Miſſã celebrare poſſint.

24 His ita conſtitutis reſtant adhuc aliqua, quæ ad collationem minorum Ordinum ſpectant expedienda, ac dicenda de interſtitiis, de loco & tempore in iis conferendis obſervanda. Et quidem quod ad interſtitia attinet, ea quoad minores etiam Ordines ſervanda eſſe decernit Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 11. de reformat. ut eò accuratius, quantum hujus ſit diſciplina pondus, poſſint edoceri ac in unoquoque munere juxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant, ídque in ea, cui aſcripti erunt, Eccleſia.* atque ita quoque declaravit ſeu verius ſuppoſuit S. Congregatio Concilii *31. Maji Anno 1597.* dum permittit *ita demùm interſtitia minorum Ordinum remittere, ſi magis expedire viſum fuerit*; quod tamen intelligendum eſt ſecluſo privilegio ac conſuetudine, quæ ſi alicubi vigeat, ùt noſtris in partibus viget tam apud Prælatos Regulares, quàm apud Epiſcopos, poterunt illi ſimul cum prima Tonſura uno eodémque die conferri. Etſi verò talis conſuetudo alicubi non vigeret, poſſent tamen Prælati Regulares cum ſuis, quibus poſſunt conferre minores Ordines, diſpenſare, ut eos ſimul recipere poſſint, prout docent Authores communiter ex Regula generali: ad quem ſpectat ordinatio, ad eum ſpectat & diſpenſatio in interſtitiis, & acceſſorium ſequitur principale: ergò ſi Prælatis competit poteſtas conferendi ſuis minores Ordines, quod eſt principale, eisdem quoque competit cum ſuis diſpenſare in interſtitiis, quod eſt acceſſorium: & ſanè perquam abſurdum foret, ſi Prælatus poſſet per ſe conferre minores Ordines, & ab illo petere deberet diſpenſationem in interſtitiis. Idque etiam procedit caſu, quo Prælatus

latus infirmitate quadam aut alia de cauſa impeditus ſuis non poſſit ipſe conferre minores Ordines, eos dimittat ad Epiſcopum ordinandos, tunc enim adhuc ad eum pertinebit diſpenſare in interſtitiis, quin imò nec erit neceſſarium, ut de tali diſpenſatione interſtitiorum abs ſe facta mentionem faciat in litteris dimiſſorialibus, ùt tenet de Peyrinis *de Prælat. to. 2. q. 3. cap. 8.* & Tamburin. *to. 2. D. 2. Q. 23.* Neque ad hujusmodi diſpenſationem requiritur cauſa gravis, ſed ſufficit etiam levis, cùm eam in arbitrio ordinantis relinquat Concilium his verbis: *niſi aliud magis expedire videbitur*, nullo determinato certo tempore, quòd inter unum & alterum minorem Ordinem ſit obſervandum. Quamvis autem quis absque tali diſpenſatione ſimul ſuſciperet minores Ordines, vel cum eis primam Tonſuram, nullam tamen incurreret ſuſpenſionem, nec irregularitatem, ſi in iis ex officio etiam proprio miniſtret; nullo enim Jure talis reperitur ſtatuta, ùt advertit Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 2. Alleg. 11. n. 19.* Bonacina *de Cenſ. diſp. 7. q. 3. punct. 5.* & alii ab his citati. Ut autem quis à ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum ad ſacros & Subdiaconatum aſcendere poſſit, requiritur à Concilio Tridentino integer annus, niſi neceſſitas aut utilitas Eccleſiæ judicio Epiſcopi aliud expoſcat, quæ proinde ſi adſit, ſufficientem præbet Epiſcopo hac in re diſpenſandi cauſam: an tamen eousque, ut etiam Ordines minores ac Subdiaconatum ſimul unâ eademque die poſſit conferre, magna eſt inter Authores controverſia, in qua, ſecluſa ſaltem conſuetudine, communior eſt opinio negativa, quam tenent Bonacina *de ſuſpenſ. to. 1. D. 3. punct. 5. §. 1. n. 4.* & *de ſuſpenſ. in partic. to. 3. D. 3. q. 1. punct. 4.* Barboſa *ad Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 13. n. 14. de reform.* Pignatell. *conſult. 319. to. 1.* Theſaurus *de pœnis. part. 2. cap. 15. n. 2.* Card. Petra *ad Conſtit. 7. Pii II. n. 45.* & alii plures, ducti *cap. 2. de eo, qui furtivè.* ubi reprobatur ordinatio Clerici, qui poſt receptos quatuor minores Ordines iis non contentus Subdiaconatum temerario auſu recepit; favet etiam huic ſententiæ ſacra Congregatio Concilii, quæ in una Neapolitana cenſuit: *Ordinatum in prima Tonſura ac quatuor Ordinibus minoribus unà cum Ordine Subdiaconatûs eodem die, incurriſſe ſuſpenſionem, & quia miniſtravit in dictis Ordinibus, etiam incidiſſe in irregularitatem. 6. Aug. Anno 1611.* ùt ex *To. 11. Decret. pag. 103.* refert Card. Petra l. c. qui pariter ad rem noſtram adducit caſum in S. Congregatione Concilii propoſitum in una Bovenſi: An ordinatus eodem die ad Minores & Subdiaconatum, tam ille, quàm Epiſcopus ordinans in pœnas, & quas inciderint? & poſt acrem pro utraque parte diſceptationem die 7. Maji Anno 1707. reſolutum fuit, ordinatum in dicto caſu incurriſſe ſuſpenſionem ab Ordine Subdiaco-

na-

Digitized by Google

natûs & Epiſcopum graviter eſſe reprehendendum, cùm egerit contra morem Eccleſiæ & cæremonialis præſcriptum: dandam tamen eſſe abſolutionem ſic ordinato, impoſita ſalutari pœnitentia arbitrio Epiſcopi vicinioris (quia Epiſcopus ordinans fuerat particeps actionis prohibitæ) quo verò ad ordinantem, ad mentem, ut ſcilicet non ſolùm acriter admoneatur, ſed per litteras moneatur, quòd licèt gravior pœna ipſi eſſet infligenda, quia plus deliquit ſcienter conferendo minores Ordines cum Subdiaconatu eodem die: attamen ex benignitate Congregationis omnis pœna pro hac vice ei remittitur, quódque impoſterum à ſimilibus committendis omninò abſtineat. Hiſce S. Congregationis declarationibus conſonat praxis S. Pœnitentiariæ, quæ hujusmodi ordinatos habet pro ſuſpenſis, & ſi in Ordine Subdiaconatûs miniſtraverint, etiam pro irregularibus, ût teſtatur Pignatellus & Card. Petra ll. cc. ex quibus omnibus contrariæ ſententiæ, quamvis cæteroquin probabilis, multum ponderis decedit. Dixi tamen: *ſecluſa conſuetudine*; quia ſi hæc alicubi vigeat, ſicut eam vigere pluribus in Diœceſibus diverſi tradunt Authores cum Gobat. Theol. experim. *tr. 8. n. 462.* ea nullibi reprobatur; probandã tamen eſſe conſuetudinem talem dixit S. Congregatio in Calaguritana Ordinis *24. April. Anno 1694.*

25 Quoad examen Ordinibus ſuſcipiendis præmittendum tanquam Regula generalis ſtatui poteſt: ad eum ſpectat examinare, ad quem ſpectat ordinare; & hinc cùm ad Epiſcopos ſpectet Regulares ordinare ſacris Ordinibus, ad illos etiam ſpectabit hos examinare, niſi ab hoc eos eximat ſpeciale privilegium; cùm itaque Prælati Regulares uſum Pontificalium habentes ſubditis ſibi Regularibus poſſint conferre minores Ordines, ad eos quoque ſpectat iſtos examinare, etiam tunc quando Prælatus ob infirmitatem vel aliam cauſam non potens habere ordinationem ſuos dimittit ad Epiſcopum. Nec obſtat Concilium Tridentinum, dum *ſeſſ. 23. cap. 12.* ſtatuit, ut *Regulares quoque nec ſine diligenti examine ordinentur*: id enim intelligendum eſt vel quoad ordinandos Ordinibus majoribus ac ſacris, vel de iis Regularibus, quorum Prælati non poſſunt conferre minores Ordines, ût docent Navarrus *L. 5. Conſil. tit. de privileg. Conſil. 13.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 3. n. 7.* Tiberius *in inſtruct. pro Ordin. cap. 8. q. 58.* Tamburin. *to. 2. D. 2. q. 20.* Qua in re malè agunt Prælati quidam, qui abſque ullo examine ſæpè conferunt minores Ordines ne quidem ſcientibus quid illi ſint, quódve eorum officium, atque alia omnia, quæ ad dignam eorum ſuſceptionem requiruntur ſcitu neceſſaria, ignorantibus; proinde omninò decet, ut ſuos Regulares priusquam illis minores Ordines conferant, probè examinent, idque etiam faciant, antequam eos

ad ſacros Ordines recipiendos mittunt & Epiſcoporum examini ſubjiciunt, quò non niſi benè probatos, ac idoneos repertos Epiſcopo transmittant ordinandos, tantóque ſecuriùs atteſtari poſſint de ſuorum idoneitate ſubditorum, prout etiam reipſa laudabiliter facere ſolent prudentes & accurati Prælati Religionis ac Monaſterii benè ordinati; quo ſanè caſu DD. Epiſcopi absque ſcrupulo ſuam poſſunt conformare conſcientiam cum tali atteſtatione Prælatorum, atque taliter ſibi transmiſſos ordinare; quia ſicut credere poſſunt ac ſolent examinatoribus à ſe conſtitutis teſtimonium reddentibus de ſufficientia Regularium examinatorum, ita etiam credere poſſunt Prælatis Regularibus de ſuorum idoneitate Religioſorum atteſtantibus, utpote qui ſunt conſtituti in dignitate Epiſcopali proxima, & perſonæ cenſentur graviſſimæ, quibus juxta *Can. Nobiliſſimus diſtinct. 97.* fidem adhibere decet præ cæteris. Unde videmus plures Reverendiſſimos DD. Epiſcopos ſola atteſtatione Prælatorum contentos omne Regularibus examen remittere, quod eò faciliùs poſſunt, quò Concilium Tridentinum id in eorum remiſit arbitrium. Cavendum tamen vel maximè Prælatis quibuscunque, ne vel nimio ſuorum amore, aut ſiniſtro affectu ſeducti falſas confingant atteſtationes, ac Religioſos ſuos nullo prævio examine tentatos, ac multò minùs probatos pro dignis aut digniſſimis commendent Epiſcopo, quò faciliùs ad altiores Ordines admittantur, nihil curæ habentes, an digni ſint vel indigni? taliter enim peccarent ipſi mortaliter, ac in re graviſſima ſeducerent Epiſcopos, eisque juſtam præberent anſam nunquam credendi atteſtationi Prælatorum quorumcunque, atque ſic digniſſimos pariter ac indignos jure meritò ſubjiciendi rigoroſo examini: quæ unica videtur eſſe cauſa, quòd alicubi Regulares tam ſeverè examinentur, atque etiam ſæpiùs ab examinatoribus tanquam indigni ac inſufficientes rejiciantur ab Ordinibus, quòd ſciant Prælatos quosdam haud ſincerè de ſuorum capacitate Religioſorum atteſtari, eósque ſicut bonarum artium ac litterarum inſcios, ita & ſtudiorum omnium incurios, tales quoque amare Religioſos nulla ſcientia tinctos, aut obiter tantùm imbutos. Quamvis autem Epiſcopus poſſit atque etiam nonnunquam debeat examinare etiam Regulares, de quorum ſufficienti nempe ſcientia cauſam habet dubitandi, ita id fieri tantùm poteſt quoad doctrinam pro ſingulis Ordinibus requiſitam: in reliquis verò requiſitis ætatis, denuntiationum, & ſimilium ſtare debet teſtimonio Prælatorum Regularium, præſertim de moribus atteſtantium, utpote qui Prælato magis perſpicui ſunt, quàm cuicunque alteri, ùt docent Miranda *to. 1. q. 28. art. 2.* Barboſa *ad cap. ad aures. n. 2. de tempor. Ordin.* Tamburin. *to. 2. D. 2. q. 20. n. 4.* Campanil. *in diverſ. Jur.*

Rubr.

Rubr. 95. *cap.* 3. *n.* 53. Rodriquez. *to.* 1. QQ. *Regul. q.* 24. *art.* 7. Piaſecc. *in Praxi Epiſc. part.* 1. *cap.* 1. & alii communiter.

26 Quoad locum conferendi minores Ordines ſtatuitur *Can. Quoniam* 69. *& cap. cùm contingat. de ætat. & qualit.* quòd Abbates poſſint ſolummodò in proprio Monaſterio Lectores ordinare, exemplo ab Epiſcopis deſumpto, utpote quibus etiam non licet extra propriam Diœceſin Ordines conferre, quamvis ſuos vellent in aliena Diœceſi ordinare ſubditos, ùt patet *ex Can. placuit.* 22. *cauſ.* 7. *Q.* 1. *& ex cauſ.* 9. *Q.* 2. *& Clement. un. de foro compet.* unde ne videantur Abbates majorem Epiſcopis habere poteſtatem, ſtatutum quoque fuit, nec Abbates poſſe extra proprium Monaſterium, utpote quod eorum eſt quaſi Diœceſis, conferre Ordines. Nomine Monaſterii hic autem intelligitur, juxta communem Doctorum interpretationem, quævis Eccleſia Monaſterio annexa, eidémque ſubjecta; quia hac in re cenſeri debet idem ſtatutum eſſe pro Abbatibus in ordine ad conferendos minores Ordines, quod conſtitutum eſt pro Epiſcopis: ſed Epiſcopi poſſunt conferre Ordines in quacunque Eccleſia proprii tantùm Epiſcopatûs: ergò etiam Prælati & Abbates poſſunt eoſdem conferre in quacunque Eccleſia, proprii tamen ſolùm Monaſterii; ex quo ipſo ſequitur, quòd ſicut Epiſcopus juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. Ordinationes habere debet publicè in Eccleſia Cathedrali vocatis, præſentibúſque ad id Canonicis, aut ſi in aliquo alio Diœceſis loco eas inſtituere velit, in Eccleſia digniore præſente Clero: ita etiam Prælati minores Ordines conferre debent publicè in Eccleſia ſua Abbatiali præſentibus Canonicis, aut ſi eos velint in alia Monaſterio ſuo ſubjecta Eccleſia conferre, id faciant in digniore aliqua, ad quam frequentior populus convenire ſolet: nec decet ut hujuſmodi Ordinationem in privatis Capellis inſtituant. An verò Prælatus ab alio pariter uſum Pontificalium ac poteſtatem conferendi minores Ordines habente ad Monaſterium ſuum & Eccleſiam invitatus poſſit ibidem eos conferre tum propriis ſuis tum Prælati invitantis Religioſis ſubditis, quæſtio eſt in utramque partem multùm agitata, in qua affirmativam propugnat Gloſſa *in dictum Canonem: Quoniam. V. Monaſterio*, ubi aſſerit, Abbates, ſi ab aliis Abbatibus invitentur in eorum clauſtris, non ſolùm proprios, verùm etiam illorum Abbatum ſubditos ordinare poſſe: quod probat *ex Can. ult. cauſ.* 9. *Q.* 2. eandem Gloſſam ſecuti *Laur. Hoſtienſ.* & Joann. Andr. Dominic. à S. Gemin. *in cap. Abbates. V. quid ſi Abbas. de privil. in* 6. Majol. *de irregular. L.* 3. *cap.* 23. *n.* 12. Jacob. Graff. *deciſ. aur. part.* 2. *L.* 1. *cap.* 10. *n.* 2. Sayr. *de Cenſur. L.* 4. *cap.* 13. *n.* 5. quos refert & ſequitur Tamburinus *to.* 2. *D.* 2. *q.*

14. n. 2. eique conſentit Murga *ad Conſtit. 12. n. 13. & ſeq.* qui nituntur potiſſimùm declarationibus Cardd. relatis à Tamburino, & Murga *l. c. n. 10.* quibus iſtud videtur eſſe deciſum; ſed etſi hæc olim ſententia magnam habuerit probabilitatem, hodie tamen vix ampliùs ſuſtineri poſſe videtur ob claram deciſionem Rotæ ac declarationem Cardd. Concilii Trid. interpretum *Anno 1641. die 13. Novembr.* editam, & ab Urbano VIII. approbatam, in qua S. Congregatio *inhærendo deciſioni prædicta Rota cenſuit improbata opinione contraria, Abbates Regulares non poſſe primam Tonſuram nec alios minores Ordines niſi ſubditis ſuis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel inſtituti, etiamſi habeant litteras dimiſſorias ſuorum ſuperiorum Regularium & conſenſum Ordinariorum, intra quorum Diœceſium fines ipſi Regulares exiſtunt.* quibus verbis, cùm univerſaliter ad mentem Concilii Tridentini prohibeatur Abbatibus & Prælatis, ne aliis, quàm Regularibus ſibi ſubditis minores Ordines conferant, & in noſtro caſu Prælatus utut invitatus ab alio in ſuum Monaſterium, ut ibidem invitantis Prælati Religioſis ſubditis minores Ordines conferat, eoſdem revera conferret non ſibi ſubditis, dicendum eſt, id illi etiam eſſe prohibitum. Nec refert quòd ponatur adeſſe tum Prælati Regularis, tum Ordinarii conſenſus & licentia; nam neque Ordinarius poteſt ampliare gratiam à ſede Apoſtolica limitatam, nec Prælatus alieni Monaſterii poteſtatem concedere alteri Prælato conferendi minores Ordines alienis ſubditis aliunde prohibitam. Nec quidquam hic probant declarationes S. Congregationis pro oppoſita ſententia adductæ; cùm ſint antiquatæ, ac reſpectivè revocatæ à poſteriore illa ſuperius à nobis relata, ubi oppoſitum ſtatuitur *improbata etiam opinione contraria*, cujus quoque Patroni ante illam ſcripſère, aliter haud dubiè ſcripturi, ſi hæc illis innotuiſſet. Illud tamen haud difficulter conceſſerim, poſſe Prælatum conferre minores Ordines ſubditis ſibi Religioſis in alieno etiam Monaſterio cum hujus licentia Prælati, ac Ordinarii loci conſenſu; id enim nullo Jure reperitur prohibitum; nam etſi *Can. Quoniam. diſt. 69. & cap. cùm contingat. de atat. & qualit.* dicatur, quòd poſſint Abbates ſolummodò in proprio Monaſterio Lectores ordinare, & conſequenter non extra, nec in alieno Monaſterio; id tamen videtur tantùm intelligendum eſſe: ſine Ordinarii ac illius Prælati licentia, in cujus Monaſterio conferuntur Ordines: non autem, ſi utriusque accedat conſenſus. Verùm inſpicienda quoad hoc ſunt SS. Pontificum privilegia, an ea ſint illimitatè ac indefinitè conceſſa, an verò ad certum tantùm locum reſtricta, ùt ſupra jam monui.

Quod ad tempus attinet conferendi primam Tonſuram, ac mino- 27

res

res Ordines, nullum equidem determinatum eſt pro prima Tonſura, cùm quavis die ac hora conferri poſſit, ùt patet ex Pontificali Romano *tit. de Ordinib conferend. V. Clericatus.* & receptum eſſe univerſali conſuetudine teſtatur Fagnanus *in cap. 3. de Temporib. Ordinat. n. 4.* pro Ordinibus minoribus verò de Jure communi & ordinario ſtatuti ſunt dies Sabbathini quatuor Temporum & ante Dominicam Paſſionis & Paſchæ, quibus etiam majores Ordines conferri poſſunt, ita tamen ut minores Ordines Dominicis quoque ac feſtivis diebus conferri poſſint, ùt iterum habet Pontificale Romanum. *l. c. ℣. minores* & expreſsè ſtatuit Alexander III. *in cap. Subdiaconos 1.* & *cap. de eo. 3. de Temporib. Ordinat.* quæ licèt tantùm loquantur de Epiſcopis, ob paritatem rationis tamen meritò extenduntur ad Prælatos ac Abbates cæteros habentes poteſtatem minores Ordines conferendi. Quales verò eſſe debeant illi dies feſti, non conveniunt Authores; Feſtos non in Choro tantùm, ſed in foro etiam requirit Vivaldus noſter *in Candelab. aureo part. 1. de Sacrament. Ordin. n. 35.* Barboſa *de Offic. Epiſc. part. 2. alleg. 11.* Azor. *p. 2. L. 1. cap. 27.* Sylveſter *V. Ordo. 2. q. 6.* Eſcobar *Theolog. Moral. L. 23. probl. 124.* fuſiſſimè Card. de Lugo *in reſponſ. moral. L. 1. dub. 23.* Fagnanus *in cap. de eo 3. de tempor. Ordinat.* Card. Petra *ad Conſtit. 7. Pii II. to. 5. n. 42.* qui ait: ſupervacaneum eſſe ſuper hoc diſſerere, cùm ſatis ſit adducere infraſcriptam reſolutionem S. Congr. Concilii relatam à Fagnano *n. 42.* Præſuppoſito enim, quòd minores Ordines poſſint conferri diebus Dominicis aut aliàs feſtivis: dubitatum fuit, an apellatione diei feſti comprehendatur feſtum, in quo ab Eccleſia fit Officium, an verò debeat eſſe feſtum, quod à populo colitur: *Cenſuit eadem S. Congregatio, comprehendi dies Feſtos, qui à populo ſervantur; toto titulo de Feriis. de Conſecrat. diſt. 3. Can 1. & 12.* quod ipſum confirmatur auctoritate Urbani VIII. qui in nova recognitione Pontificalis *in titulo de Ordinib. conferend.* expreſsè mandavit addi, minores Ordines poſſe conferri omnibus diebus Dominicis & feſtivis ex præcepto, ut nemo ampliùs poſſit prætendere, ibi non comprehendi etiam dies, qui in Breviario appellantur feſta, ùt refert Card. de Lugo l. c. & ratio eſt: tum quia in vulgari ſignificatione nomine feſti intelligitur dies, quo vacatur ab operibus ſervilibus, ùt conſtat *ex tit. de Feriis*: tum quia ſi vellemus hic intelligere illos dies omnes, qui in breviario vocantur feſti, ſub illis intelligenda quoque forent feſta ſimplicia, cùm hæc non minùs quàm duplicia veniant in Breviario nomine feſtorum. Verùm his non obſtantibus dies feſtos in Choro tantantùm ſufficere exiſtimant Rodriquez *to. 3. q. 25. a. 5.* Fagundez *in 5que. præc. Eccl. Præc. 1. L. 1. cap. 2. n. 11.* & alii quidam, quo-

Digitized by Google

quorum ſententiam practicè probabilem dicunt Gobat. *tr. 8. n. 472. & 474. ac ſeq.* La Croix *de Sacram. Ordin. n. 2293.* Tamburin. *to. 2. D. 2. q. 13. n. 7.* quamvis hic oppoſitum in praxi conſulat. Verùm Authores hi omnes relatam ſupra S. Congregationis declarationem ignoràſſe videntur, unde niſi conſuetudo legitimè recepta vigeret, vixdum probanda videtur hæc ſententia: ex qua etiam conſuetudine ſuſtinetur multis in locis, ut Ordines minores etiam tempore Ordinationum generalium per anticipationem conferantur feria 4ta. quatuor Temporum, prout Henriquez *L. 10. cap. 12. n. 2.* id fieri poſſe exiſtimat non tantùm ex conſuetudine, ſed etiam de Jure antiquo, refértque La Croix *n. 2290.* iſto die Mercurii alicubi ſimul duodecim fuiſſe ordinatos Minoribus, ídque probant Sà. *V. Ordo. n. 13.* & Caſtropal. *tr. 27. punct. 13. n. 2.* addit præterea Gobat in Germania quibusdam in locis hunc eſſe morem, ut die Veneris quatuor Temporum conferantur; idque fieri Conſtantiæ manè iſtius diei, idémque de Hiſpania teſtatur Quintannadvenuas *tr. 6. ſingul. 17. n. 1.* & Henriquez l. c. idem teſtatur de Gallia Juvenin. *de Sacram. Q. 8. de Ritib. Sacrament. Ordin. cap. 2. in fin.* & generaliter attendi poſſe hanc conſuetudinem tradit Velaſc. *Alleg. Jur. to. 1. alleg. 4. n. 4.* & Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 1. allegat. 11. n. 21.* Quam in rem facit dubium in S. Congr. Concilii propoſitum ab Epiſcopo Portalegrenſi: an ſuppoſita conſuetudine immemoriali licitum ſit conferre minores Ordines feria 6ta. poſt prandium ante diem Sabbathi quatuor Temporum? Viſum etenim fuit, quòd etſi minores Ordines poſſint conferri diebus Dominicis & feſtivis, tamen non eſſet improbanda conſuetudo in iis locis, ubi antiquiſſima viget, conferendi eos Ordines feria ſexta poſt prandium ante diem Sabbathi quatuor Temporum, ex rationibus adductis à DD. id approbantibus, & præcipuè quòd conſiderari poſſit dies Sabbathi incœptus à Veſpere antecedenti: nec jejunium aut Miſſa Ordinantis in iis conferendis ſit neceſſaria. Unde præfata Congregatio Concilii ſub die 13. April. 1720. ad dictum dubium propoſitum reſpondit *affirmativè quoad minores Ordines conſuetudinem immemorabilem tollerari poſſe, ſed expedire, ut Epiſcopus ſe conformet Pontificali Romano, tit. de minor. Ordinib.* ùt refert Card. Petra. *l. c. n. 48.* ſeclusâ porrò conſuetudine, ſemper illi conferendi ſunt matutino tempore, non tamen requiritur, ut id fiat in Miſſa, ſed fieri etiam poteſt ſine Miſſa & à non jejuno, quamvis utrumque ſit maximè conveniens.

Sectio

Sectio III.

De poteſtate Prælatorum quoad Ordines majores.

28 PEr Ordines majores intelliguntur Sub-Diaconatus, Diaconatus, ac Presbyteratus, qui etiam Sacri dicuntur ad diſtinctionem minorum Ordinum, qui etiam non Sacri vocantur, non quòd non etiam iſti ſint Sacramenta, ſed quòd majores Ordines majorem ſanctitatem præferant, & propiùs accedant ad conſecrationem Corporis Chriſti. Eorum Miniſtrum ordinarium eſſe ſolum Epiſcopum, conſtat ex Concilio Florentino ac Tridentino. An verò Sacerdos ſimplex & non Epiſcopus illos ex delegatione Apoſtolica & ſpeciali privilegio conferre poſſit, magna eſt inter Authores contentio. Et quidem quod ad Presbyteratum attinet, fermè convenit inter illos, poteſtatem illum conferendi nec à S. quidem Pontifice committi poſſe ſimplici Sacerdoti non Epiſcopo, quod à poſteriori colligunt, quia nunquam hanc poteſtatem ulli ſimplici Sacerdoti collatam fuiſſe conſtat, quod ſignum eſt, id fieri haud poſſe. Idipſum negat S. Thomas *in. 4. diſtinct. 25. Q. 1. a. 1. ad 3.* de Sub-Diaconatu & Diaconatu cum pluribus aliis. Verùm communior hodie ac à pleriſque recepta ſententia id affirmat, poſtquam Innocentius VIII. in Bulla: *expoſcit tuæ devotionis 5. Idus April. Anno 1489.* idipſum conceſſit Abbati Ciſtercienſi pro omnibus ſui Ordinis Monachis, & quatuor ejus primariis Coabbatibus pro Monaſteriorum ſuorum Religioſis tantùm, cujus privilegii exiſtentiam licet in dubium revocet Ægidius Coninck *D. 20. de Sacram. dub. 9. concl. 4.* tum quia ſi iisdem fuiſſet conceſſum, nullum eſſet dubium, quin eo ſemper, quamdiu potuiſſent, fuiſſent uſi: tum quia cùm ille uſus fuiſſet publicus, non potuiſſet ita vulgo latere: tum denique quòd nulla ſit cauſa, cur Abbates poſt Tridentinum deſiiſſent uti illo privilegio, cùm hoc nullibi in toto Concilio revocetur. Sed obruitur hic Author multitudine teſtium & communiſſima Doctorum concorde ſententia illud ipſum recipientium, quos inter Chryſoſt. Henriquez. *in Compend. privileg. Ord. Ciſtercienſis,* & *in Faſciculo Sanctorum ejusdem Ordinis:* ac *in Menologio SS. Ciſtercienſ.* ubi pluribus locis probat exiſtentiam, uſum, & permanentiam hujus privilegii. Navarrus *L. 5. Conſilior. de Privil. conſil. 13.* Vaſquez *D. 243. de Ordin. n. 39.* Lamas *in method. p. 4. c. 3. §. 5.* Caſtropal. *tr. 27. D. un. punct. 14. n. 9.* Pax-Jordan, *to. 1. L. 3. tit. 6. n. 32.*

Marchinus *de Sac.Ordin.tr. 1. p. 2. cap. 13.* ubi dicit, ſe tenorem illius excepiſſe ex libro privileg. Ciſterc. & ibi eſſe ordine *121.* Emanuel Rodriquez, qui *to. 1. Bullar. ex originali Innocentii VIII. diplomate*, quod in forma Vidimus publica & ordinaria auctoritate Vicarii Generalis Salmanticenſis tranſumptum refert ad longum: idemque recitat Cornelius Margarinus *in Append. Bullar. Caſſin. Conſtit. 43.* quin & Victoria *in Relect. de Sacram. Ordin. n. 235.* & Chaſſaing. *tr. 7. cap. 3. propoſ. 4.* affirmant ſe ipſum originale vidiſſe, idque in praxin ſæpiùs fuiſſe deductum teſtatur Caramuel *in Theol. Regul. D. 129. n. 16. 26.* dicens: hoc privilegium eſt in praxi, & hodie ſuperſunt, qui ad majores Ordines ab ipſis Abbatibus fuêre promoti, & paulò inferiùs repetit: hæc praxis hodie permanet. Teſtatur pariter Joan. Præpoſitus *in part. 3. de Sacram. Ord. n. 120.* retuliſſe ſibi Abbatem de Nizella in Erabantia Gallicana, vidiſſe ſe Generalem eorum uno die conferentem Subdiaconatûs Ordinem quinque Religioſis Monaſterii Crambronenſis in Hannonia Ciſtercienſis, fidemque facit Rodriquez *to. 1. QQ. Regu'ar. Q. 18. art. 3.* ſe accepiſſe à dicti Ordinis Patribus, quòd eorum Abbates eo fuerint uſi, idemq; aſſerit Chaſſaing. quæ omnia confirmari poſſunt ex noviſſima conceſſione Innocentii X. qui teſte Alviſeto *ſ. 3. c. 20. n. 10.* hanc gratiam de novo indulſit ad ordinandos Subdiaconos R. D. Oſoliski Abbati Copriunicenſi Ord. Ciſt. in Polonia.

Ex quibus omnibus patet, privilegium hoc conferendi Sub-Diaconatum & Diaconatum revera fuiſſe collatum dictis Abbatibus Ciſtercienſibus, idque illos in uſum deduxiſſe nôn tantùm ante, ſed etiam poſt Tridentinum, cùm relati Authores ac præſertim Caramuel teſtantes de praxi longè poſt illud ſcripſerint, quibus longè magis credendum eſt, quàm Ægydio Coninck illud abſque ſolido fundamento, ſed ex meris ac inanibus conjecturis neganti. Unde Marchinus ſupra citatus: Bapt. Tiberius in inſtruct. *Ordin. c. 6. q. 36.* & Caramuel *in Reg. S. Benedic. cap. 62. n. 1626.* & alii affirmant etiamnum valere non tantùm in Gallia, ubi Abbatiæ in privilegio deſignatæ exiſtunt, & in qua Tridentinum non eſt receptum, ſed etiam in illis Provinciis, in quibus iſtud receptum eſt, cùm nullibi legatur expreſsè revocatum, licet Concilii Patribus teſte Tamburino *to. 2 D. 2. quaſ. 6.* de eo probabiliter conſtiterit. Nec obſtare videntur illa Concilii verba *ſeſſ. 23. cap. 8.* quibus præcipitur, ut unusquisque à proprio ordinetur Epiſcopo: quòd ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu, permittatur; nam hæc verba ſicut generaliter prolata ſunt, ita & generaliter ac de via ordinaria intelligenda putant, cúmque hoc privilegium ſit ſpecialiſſimum, ſpecialiſſimam etiam requirit mentionem, qualis cùm nulla ſit facta, eti-

am nulli ſubjacebit revocationi: cúmque privilegium iſtud ſit certum, incertum autem ſit, an unquam fuerit revocatum, ſtandum eſt privilegio certo, uſquedum certius aliquid ſtatuatur Romæ. Et certè duriſſimum eſt ac difficillimum, ait Gobat l. c. damnare ejusmodi praxin, & conſequenter ſacrilegii reos agere tum Prælatos adeò præſtantes virtute & doctrinâ: tum ipſos Epiſcopos, qui promotos ab iis ungunt in Sacerdotes. Et hæc quidem ſatis probabiliter ab illis dici poſſe videntur: quod autem ait de la Cruz & Chaſſaing l. c. privilegium iſtud etiam extendi poſſe ad alios Prælatos, idque probabile dicat Roſenthal, mihi nullatenus probatur; cùm privilegia exorbitantia & quæ nunquam & rariſſimè ac nonniſi cum maxima difficultate conceduntur, extendi non debeant ad alios. (*Adde*; Quod attinet Sub-Diaconatum, poteſt defendi, hujus collationem abſolutè committi poſſe ſimplici Presbytero, aut Abbati, cum abſolute defendi poſſit, illum non eſſe Sacramentum, immediatè inſtitutum à Chriſto, aut ab Apoſtolis. Sed quoad Diaconatum certum eſt, hujus collationem ab ipſis Apoſtolis ſubjectam fuiſſe Ordini Epiſcopali. Hinc illud privilegium Innocentii VIII. ſi comprehendit etiam Diaconatum, aut eſt ſuppoſititium, aut dicendum, Innocentium VIII. in hac conceſſione, quæ eſt facti, non doctrinæ directæ ad totam Eccleſiam, & obligantis totam Eccleſiam re ipſa erràſſe)

Et quidem quòd ad primum attinet, certum eſt potuiſſe Canonicorum, aliorúmve Regularium tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Prælatos, vi privilegiorum à SS. Pontificibus conceſſorum, Religioſis ſubditis ante Concilium Lateranenſe ac Tridentinum litteras dare dimiſſorias ad quemcunque Catholicum Epiſcopum, ut ab eo ordinarentur, aut omninò quem malebant ad ſua vocare Monaſteria aut alia loca, ut ibidem illis ſacros Ordines conferrent: quæ privilegia diverſis Ordinibus conceſſa referunt Auguſtinus à Virgine Maria *in Collect. OO. privil. p. 1. V. Ordinatio Clericor. & p. 2.* paſſim, atque etiam Pittonus in Conſtit. Pontif. pro Regular. quæ tamen cùm plurima ſint, nimis longum eſſet recenſere hoc loco, unde Lectore horum cupido ad citatos Auctores dimiſſo, & loquendo ſolùm de Canonicis Regularibus, hoc illis privilegium conceſſit Lucius III. in Bulla: *cùm nobis ſit 5. Non. Martii Anno 1182. Pont. 1.* Urbanus III. in Bulla: *cùm nobis ſit. 6. Febr. Anno 1186. Pont. 1.* Clemens III. in Bulla: *cùm nobis ſit. 16. Calend. April. Anno 1188. Pont. 1.* in quibus tres hi Pontifices pariformiter prædictis Regularibus Canonicis facultatem liberam concedunt, Ordinationes à quo maluerint Epiſcopo ſuſcipiendi, ſupponentes præterea, eam poteſtatem jam priùs illis fuiſſe conceſſam, prout eam re ipſa conceſſerat Alexander III. in Bulla: *cùm nobis ſit. 10. Calend. Febr. Anno 1177.* 29

Hanc ipſam poteſtatem indulſit Canonicis Regularibus Congregationis Bononienſis Julius II. in Bulla: *inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* ubi decernit, quòd ejusdem Congregationis Canonici præſentes & futuri poſſint omnes etiam ſacros Ordines, ad quos per eorum Superiores præſentati fuerint, à quocunque maluerint Catholico Antiſtite gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ habente recipere, & hujusmodi Antiſtitem ipſius Congregationis Monaſteriis, & locis duntaxat advocare, ipſeque Antiſtes Canonicos dictæ Congregationis à ſuis ſuperioribus ſibi pro tempore præſentatos Apoſtolica auctoritate abſque aliqua licentia & contradictione Diœceſani, & abſque quod aliàs illi propterea præjudicium generetur, nulla examinatione præmiſſa, ſtatutis tamen à Jure temporibus, abſque ulla promiſſione aut obligatione ordinare poſſit ac valeat. Idipſum quoque conceſſit Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad Univerſos. 10. Calend. Septembr. Anno 1477.* hiſce verbis: Liceat eidem Congregationi ſuos Canonicos ad omnes etiam ſacros Ordines promovendos, idoneos tamen, & juxta conſcientiam Prælatorum illius approbatos quibuscunque maluerint Catholicis Antiſtitibus gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habentibus præſentare: ipſique Antiſtites præſentatos à ſuis Prælatis Canonicos ſine ulla examinatione per eosdem Antiſtites facienda, vel abſque alia promiſſione aut obligatione promovendorum Canonicorum ad Ordines quoscunque etiam ſacros promovere poſſint ac debeant. Qua in re quoque valdè memorabilis eſt in Bulla Eugenii IV. quæ incipit: *Ad ea, quæ 6. Idus Auguſti Anno 1438.* iisdem Canonicis Lateranenſibus data, in qua auctoritate Apoſtolica de ſpeciali dono gratiæ concedit, quòd omnes & ſinguli præfatæ Congregationis Canonici præſentes & futuri à quibuscunque Catholicis Antiſtitibus gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ habentibus ad id per ſingulos Priores pro tempore exiſtentes quorumlibet præſentium & futurorum Congregationis hujusmodi Monaſteriorum, Prioratuum, ac locorum, in quibus Canonici ipſius Congregationis pro tempore permanſerint, quoties ipſius Prioribus viſum fuerit eligendis, ad omnes etiam ſacros Ordines, ſtatutis tamen à Jure temporibus, ſe promoveri facere: quòdque quilibet ex Antiſtitibus ſic electis prædictis, etiam in quibuslibet extra trium principalium Congregationis hujusmodi per illius Rectorem pro tempore exiſtentem, ſeu aliis omnibus & ſingulis aliorum quorumlibet Monaſteriorum, Prioratuum atque locorum ſæcularium vel Regularium Ordinum quorumcunque, ubicunque etiam extra civitates & Diœceſes, in quibus Monaſteria, Prioratus ac loca Ordinandorum pro tempore hujusmodi fuerit, conſiſtentium Ec-

de-

cleſiis, in quibus ad id benevolos receptores invenerint, per dictos Priores, quoties eis expedire videbitur, etiam eligendis, omnibus & ſingulis Canonicis prædictis, Ordines præfatos impendere, liberè & licitè valeant, Diœceſanorum locorum, & aliorum quorumlibet deſuper licentia & conſenſu minimè requiſitis.

30 Quamquam autem privilegium iſtud à quocunque Epiſcopo ſacros Ordines ſuſcipiendi, Canonicis Regularibus, aliiſque etiam Ordinibus Religioſis per tot Pontifices conceſſum ac confirmatum, poſtea videatur eſſe ſublatum in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. celebrato, in quo Bullâ per dictum Pontificem editâ *19. Decembr. Anno 1516.* ſtatuitur: quòd Fratres ipſi ad Ordines promovendi, per Ordinarios de Grammatica & ſufficientiâ examinari, & dummodo competenter reſpondeant, per eosdem Ordinarios liberè admitti; ac nullatenus in eorum Eccleſiis ſeu domibus, aut aliis eorum locis ab alio, quàm à Diœceſano Epiſcopo, niſi prius ipſo Diœceſano Epiſcopo, vel ejus Vicario ſuper hoc cum debita reverentia requiſito, & absque rationabili cauſa contradicente, vel eo à Diæceſi abſente, ad dictos Ordines promoveri debeant. Et in fine additur: non obſtantibus privilegiis & Indultis quibuscunque ſub quacunque forma conceſſis. Hæc tamen Conſtitutio Pontificia ac diſpoſitio Conciliaris nullatenus afficit Canonicos Regulares Lateranenſes, ùt ipſemet poſtea Leo X. ſpeciali Bullâ declaravit, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* Romæ in favorem eorumdem Canonicorum edita *Anno 1519. Pontif. 7.* ubi motu proprio & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernit atque declarat, per moderationem privilegiorum à prædicta Bulla Pontificia & Concilio factam nullum privilegiis, immunitatibus, conceſſionibus, gratiis & indulgentiis Congregationi Lateranenſi, & in illius favorem per tot Romanos Pontifices conceſſis & iteratis vicibus confirmatis præjudicium inferri, quemadmodum neque ea ſub hujusmodi moderatione comprehenſa fuiſſe vel eſſe, aut potuiſſe comprehendi aut poſſe, ſed quoad hujusmodi moderationem permanſiſſe ac permanere exemptam, eamque & illius Prælatos & Canonicos ſuis privilegiis abſque hujusmodi moderatione liberè juxta eorum tenorem uti poſſe & debere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi à moderatione hujusmodi & deſuper confectis litteris expreſsè fuiſſent excepti. Quibus ex verbis clarè patet, relatum ſupra à nobis privilegium ſuſcipiendi ſacros Ordines à quocunque Epiſcopo Canonicis Regularibus manſiſſe integrum, nec illi fuiſſe ſive per Leonem X. ſive per Concilium Lateranenſe ullatenus derogatum. Unde tota hujus rei controverſia ad hoc devolvitur,

Digitized by Google

an iſtud privilegium poſtea fuerit revocatum à Concilio Tridentino, aliiſque SS. Pontificum decretis ac ſac. Congregationis declarationibus adeò ut hodie non ampliùs illo liceat uti, aut in praxin deducere. Pro cujus reſolutione controverſiæ

31 Dico 1mò. *Privilegia ſuſcipiendi Ordines à quocunque Epiſcopo ante Tridentinum conceſſa, hodie ſunt revocata, atque adeò non poſſunt Prælati, vi dictorum privilegiorum, Regulares ſuos ad quemcunque Epiſcopum mittere ab eo ordinandos, multò minùs illum ad ſua vocare Monaſteria, ut ibidem ordinentur.*

Ita longè probabilior, ac Tridentino aliisque SS. Pontificum decretis, ac S. Congregationis declarationibus conformior, & inter Authores multo communior ſententia, contra non paucos alios, quos inter Rodriquez *QQ. Regular. to. 1. Q. 18. art. 6. & to. 3. q. 24. art. 1.* Toletus *L. 1. cap. 49. n. 6.* Avila *part. 3. de Cenſur. D. 5. dub. 7. concl. 1.* Palao *tr. 27. punct. 14. n. 8.* Layman *L. 1. tr. 9. c. 9. n. 9.* Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi. allegat. 7. n. 31.* Sanchez *in Conſil. L. 7. c. 1. dub. 20. n. 44.* dicens: hanc eſſe praxin omnium Religioſorum Gobath *Theolog. experim. tr. 8. caſ. 11. à n. 406.* Robertus König *ad tit. de Cleric. peregr. n. 7.* ubi aſſerit hanc ſententiam paſſim practicari. Card. de Luca *in adnot. ad Concil. Tridentin. diſc. 14. n. 18.* ubi privilegium iſtud Regularibus competere docet, ac noviſſimè P. Vitus Pichler *in ſuo Jure Canonico practicè explicato ad titul. de Tempor. Ordinat.* qui volunt, poſſe Superiores Ordinum Regularium ſuis Religioſis dare litteras dimiſſorias etiam pro Ordinibus ſacris ad quemcunque Epiſcopum, ut ab eo ordinentur, quæque in contrarium allegantur, ad ſummum habere locum exiſtimant in Regularibus Ordinario ſubjectis, quibus neque conſuetudo, nec ſpeciale quoad hoc privilegium ſuffragatur. Quanta verò hæc probabilitate dicantur, ex ſequentibus arbitrari poterit prudens Lector, poſtquam noſtræ ſententiæ fundamenta, ac iſtorum Authorum rationes animo indifferenti perſpexerit.

Probatur igitur concluſio noſtra 1. ex diverſis Concilii Tridentini textibus, quibus pluries mandavit, ut Ordines conferantur à proprio Epiſcopo, ut *cap. 1. ſeſſ. 6. de Reform.* ibi: Nulli Epiſcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſ- 32

Sa

ſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm; ſi ſecùs factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione ordinum ſint ipſo Jure ſuſpenſi. *Et ſeſſ. 7. cap. 11.* Facultates de promovendo à quocunque non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in litteris exprimendam & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine. *Et ſeſſ. 23. cap. 8.* Quisque à proprio Epiſcopo ordinetur. Quòd ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut ſpecialis reſcripti aut privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendetur: ſi ſecùs fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus. Volens etiam S. Concilium obviare aliquibus in hoc fraudibus quorumdam Epiſcoporum Titularium, qui ſedem ſuam collocabant in aliquo loco nullius Diœceſis, ibique Ordines miniſtrabant iis, qui non habebant litteras dimiſſorias proprii Epiſcopi, ideò *ſeſſ. 14. cap. 2. de reformat.* præſcripſit: Nemo Epiſcoporum, qui Titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cujusvis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii ſibi de promovendo quoscunque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, absque ſui proprii Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis, ad aliquos ſacros aut minores Ordines, vel primam Tonſuram promovere ſeu ordinare valeat, contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò promoti ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec Prælato ſuo viſum fuerit, ipſo Jure ſint ſuſpenſi. Ex quibus ſacri Concilii textibus deduxerunt Authores quam plures omnia circa hoc privilegia, ac quascunque facultates ante Concilium Regularibus conceſſas, fuiſſe revocatas, ac penitùs abrogatas, ita ut hodie à proprio tantùm Epiſcopo, & quidem in ſua Diœceſi reſidente poſſint ordinari.

Verùm Authores alii præſertim 33
Regulares exiſtimárunt, hujusmodi Concilii textibus nullatenus fuiſſe revocata privilegia hac in re per tot SS. Pontifices diverſis Ordinibus Religioſis conceſſa; tum quia in illis nulla uſpiam fit Regularium mentio, qualis tamen requiritur ad eorum derogationem: tum quia nullibi explicatur, an litteræ dimiſſoriæ ſufficiant proprii Prælati: tum quia Regulares mox à finito Concilio reclamare cœperunt quoad

hoc

hoc punctum contra Epiſcopos prætendentes, Regularium quorumcunque ordinationes ad Diœceſanum ſpectare, atque hinc paucis poſt abſolutū Concilium annis inter alia gravamina ſibi ab Epiſcopis irrogata iſtud etiam adduxerunt, quòd Diœceſani tantùm eos velint ordinare, nec ampliùs permittere, ut juxta conceſſa ſibi ab Apoſtolica ſede privilegia, à quocunque ordinentur. Unde S. Pio V. vixdum ad Pontificatum aſſumpto, eidem ſupplices accideruut Regulares præſertim Mendicantes, & de hoc, aliiſque gravaminibus ſibi ab Epiſcopis hinc inde illatis apud eundem conqueſti rogârunt, ut eisdem obicem poneret, ſeque ab illis immunes redderet. Quibus etiam permotus dictus S. Pontifex inſignem in favorem eorundem Mendicantium Bullam altero ſtatim ab initio Pontificatu anno edidit, quæ incipit: *Etſi Mendicantium. Romæ apud S. Petrum 17. Cal. Julii Anno 1567. Pont. 2.* quàmque eodem adhuc anno ad diverſas Canonicorum Regularium, & aliorum ibidem expreſſas Congregationes extendit per ſpecialem Bullam, quæ incipit: *Ex ſuperna diſpoſitionis. Romæ. Calend. Septemb.* editâ, in quibus contra Epiſcopos, qui, ùt ait ipſe Pontifex, Concilii Tridentini decreta in pravum ſenſum retorquebant, motu proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & ex certa ſcientia ac de poteſtatis plenitudine præter alia plura in rem præſentem ita ſtatuit: *ſeſſ. 23 cap. 8. neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe ſtatuens, in Regularibus locum non habere omnino declaramus, ita quòd Fratres hujuſmodi præfatos etiam ſacros Ordines à quolibet Antiſtite gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habente, Ordinarii loci minimè requiſita licentia, in locis ſeu domibus Fratrum hujuſmodi, aut alibi recipere poſſint.* Nec juvat dicere, relatam S. Pii V. Bullam: *Etſi Mendicantium.* fuiſſe à Gregorio XIII. ejus ſucceſſore revocatam, & ad terminos Juris cōmunis & Concilii Tridentini reductam per Bullam, quæ incipit: *In tanta rerum. Calend. Martii Anno 1573. Pont. 1.* edita. Nam ajunt, id incertum eſſe & ab adverſariis potiùs ſupponi, quàm probari, cum incertum ſit, an ea fuerit unquam promulgata; quamvis enim Gregorius XIII. ſibi propoſuerit hanc edere Bullam, id tamen certis de cauſis nunquam præſtitiſſe, nec eam promulgâſſe, prout plures etiamnum tenent Authores. Dein eſto, eam Bullam fuiſſe promulgatam, per eam tamen revocantur tantùm novæ Conſtitutiones Concilio Tridentino directè adverſantes, non autem adjectæ declarationes, cùm de his ne verbo quidem mentionem faciat Gregorius, neque etiam declarationes adverſentur decretis Tridentini, utpote, quæ potiùs ſecundùm illa cenſentur eſſe, quàm contra illa: Pius V. autem profitetur, ſe tantùm declarare, quòd dictum Concilii caput 8. in Regularibus locum non ha-

Digitized by Google

habeat, nec eos tangat, ut illud proinde malè extendant Adverſarii ad Regulares, nec illis quoad hoc punctum in minimo poſſit officere dicta Gregorii Bulla, licet ſuiſſet promulgata. Dicunt præterea, vel ipſum Tridentinum huic ſuæ haud obſcurè favere ſententiæ, dum *ſeſſ. 23. cap. 10.* decernit in hæc verba: nec ipſi Abbates, & alii exempti, aut collegia &c. litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, ſed horum omnium Ordinatio, ſervatis omnibus, quæ in hujus S. Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, pertineat: ergò cùm Abbatum & aliorum exemptorum, ac Collegiorum poteſtatem expreſsè reſtringat, *ne ſæcularibus* dent litteras dimiſſorias, tacitè permittit eas dari Regularibus ſubditis ad alienum ſubditum, prout citato Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 7. n. 31.* ac Miranda *to. 1. Q. 39. a. 3.* argumentatur P. Pichler l.c. Et certè ſi Concilii Tridentini textus ſupra relati intelligendi eſſent etiam de Regularibus, aut de his clarè loquerentur, non fuiſſet opus, ut S. Congregatio Concilii novam ſuper hoc declarationem ederet, qua tamen potiſſimùm nititur ſententia noſtra, ac ſtatuta concluſio ulteriùs

34 Probatur 2. ſimulque refertur dictæ S. Congregationis declaratio prout à Clemente VIII. S. P. fuit approbata, ejúsque juſſu edita: De mandato SS. D. Clementis divina Providentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus & ſingulis quorumcunque Regularium Superioribus, ut de cætero obſervent & obſervare faciant ea, quæ in decreto S. Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor eſt talis. „ Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit: Et ſi Diœceſanus abſuerit, vel nō eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcunque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines detulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abſuturus, vel nullas habiturus eſſet Ordinationes. Verùm cùm à Superioribus Regularibus Epiſcopo Diœceſano abſente vel Ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in iis utique hujusmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi & Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerit, officii & dignitatis ſeu adminiſtrationis, ac

„ ac vocis activæ & paſſivæ privationis, ac aliàs arbitrio ejusdem „ S. D. N. Papæ reſervatas pœnas „ incurrent, in quorum fidem &c. „ Datum Romæ die 15. menſis Martii Anno 1596. „ Quam S. Congregationis declarationem, ac ſubſequens Clementis VIII. decretum de novo mandavit obſervandum Innocentius XIII. Conſtitutione edita ſub die 13. Maji Anno 1723. & confirmavit Benedictus XIII. per aliam Conſtitutionem, quæ incipit: In Supremo. die 23. Sept. Anno 1724. ubi §. 15. hæc ſtatuit: „ Quoties verò Regulares ad Ordines „ erunt promovendi, ſervetur omninò decretum Congregationis „ Cardinalium Concilii Tridentini „ interpretum à piæ memoriæ Clemente Papa VIII. Prædeceſſore „ noſtro confirmatum die 15. Martii Anno 1595. quo ſancitur, non „ ad alium, quàm Epiſcopum Diœceſanum litteras dimiſſorias pro „ eorumdem Ordinum ſuſceptione „ à ſuis Superioribus eſſe dirigendas, præterquam in caſu, quo „ Diœceſanus à Diœceſi abeſſet, „ vel Ordinationes non eſſet habiturus; quo etiam caſu in litteris „ dimiſſoriis ad alium Epiſcopum „ dirigendis expreſſa fieri debeat „ mentio vel de prædicta Epiſcopi Diœceſani abſentia, vel de „ illa cauſa, videlicet, quòd Ordinationes non ſit habiturus; exceptis tamen, quòd prædicta, „ Regularibus illis, quibus per ſpeciale privilegium à ſede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum „ fuerit conceſſum, ut à quolibet „ Catholico Antiſtite Ordines ſuſcipere poſſint, ſuper quo Indulto nihil per præſentes innovare „ intendimus. Ne verò incertitudo, an Epiſcopi Ordinationes ſint „ habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis varia „ Diœceſis loca inhabitantibus, per „ menſem ante ſingulis vicibus publico edicto ab iisdem Epiſcopis „ denuntietur, ſe Ordinationes eſſe habituros, adeò ut quoties „ denuntiatio hujusmodi facta non „ fuerit, inde ſatis intelligant Regulares, Epiſcopum Diœceſanum „ Ordinationes ea vice minimè habiturum, ſibique idcircò licitum „ futurum, Ordines ab alio Epiſcopo ſuſcipere cum litteris dimiſſoriis ſuorum Superiorum ad „ eum directis, ſervata in iis forma ſuperiùs expreſſa. „ Quibus omninò conformia ſunt, quæ idem S. P. Benedictus XIII. ſtatuit in Concilio Romano Anno 1725. celebrató ſtatuit Tit. 5. de Tempor. Ordinat. cap. 1. ibi: „ Singulis ad ſacros Ordines promovendorum „ expreſsè ſignificamus, ut ſi quis „ ipſorum Apoſtolicæ diſpenſationis litteras, ſive per Datariam, „ ſive per Brevium Secretariam, ſive alio quocunque modo expeditas, quatenus ad ſacros Ordines „ extra conſueta Ordinationum „ tempora, à quocunque maluerit „ Catholico Epiſcopo, promoveri „ valeat, obtinuerit, illas ſemper

non

„ nonniſi cum clauſula : ſervata
„ forma decreti Clementis VIII.
„ conceſſas fuiſſe intelligat; atque
„ ita & non aliter executioni ab
„ ipſismet Epiſcopis promoventibus
„ demandandas fore, declaramus.
„ Ex quibus omnibus certum vide-
„ ri jam poſſet, quoscunque de-
„ facto Regulares non ab alio, quàm
„ Epiſcopo Diœceſano tantùm, Or-
„ dinationes habente, Ordinibus
„ initiari poſſe ac debere, ſolúm-
„ que in caſu, quo Diœceſanus
„ Ordinationes non eſſet habitu-
„ rus, à quocunque Epiſcopo ordi-
„ nari poſſe. „ (*Adde*; idem confirmari ab eodem ſummo Pontifice in eodem Concilio Tit. 21. de Regularibus, ubi per extenſum inſeritur decretum præfatum Clementis VIII.) Verùm hiſce non acquieſcunt contrariæ ſententiæ Patroni, ſed ad hactenus relata

35 Reſpondent, dictam S. Congregationis declarationem ac ſubſecutas SS. Pontificum confirmationes quoad eos tantùm procedere Regulares, qui Ordinariis plenè ſubjecti ſunt, nec ullo gaudent ſpeciali privilegio: non autem de illis, qui conceſſum aliquod habent à ſede Apoſtolica privilegium, & à Juriſdictione Epiſcopi univerſim ſunt exempti, cùm relata declaratio ne verbo quidem mentionem faciat exemptorum, & conſequenter hos nullatenus afficit. Nec obſtare putant, quòd in præfatione ejusdem decreti dicatur: tenore præſentium mandatur omnibus & ſingulis NB. quorumcunque Ordinum Superioribus, illud eſſe obſervandum; nam intelligunt ea verba: ſecluſo privilegio: tale verò privilegium habere plures Religioſos Ordines conſtat ex Pittono, & Auguſtino à Virgine Maria, ut adeò juxta hos Authores iisdem nihil officiat ſupra relata declaratio, præſertim cùm illis faveat praxis & conſuetudo optima Juris dubii interpres, quæ, ut ait P. Pichler l. c. ſatis demonſtrat, exemptis non eſſe ligatam poteſtatem in hoc puncto, cùm paſſim ſoleant ſuos ſubditos Regulares etiam tunc, quando proprius Epiſcopus Ordinationes facit, ad alienos dimittere pro Ordinibus ſuſcipiendis. His addunt plura privilegia, quæ diverſis Ordinibus Religioſis fuerunt etiam poſt Tridentinum conceſſa. Sic enim Gregorius XIII. conceſſit Societati JEſu privilegium per Bullam: *Pium & utile 21. Sept. Anno 1582.* ut poſſint illius Religioſi à quocunque Catholico Epiſcopo ad minores ac etiam ſacros & Presbyteratûs Ordines promoveri ſine proprii Ordinarii licentia, ac aliis requiſitis, ut eſt in Corp. Inſtit. d. Societ. Similiter Gregorius XIV. in Bulla: *Illius qui. 21. Sept. Anno 1591.* indulſit Congregationi ſeu Ordini Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis, ut à quibuscunque maluerint Catholicis Antiſtitibus de licentia Præfecti aut alterius Superioris ad ſacros etiam Presbyteratûs Ordines promoveri,

& ipſi Antiſtites conferre valeant. Clemens VIII conceſſit pariter Congregationi B. M. de Alcobatia Ord: Ciſterc. in Bulla: *ut ea, qua 5. Martii Anno 1592.* ut Monachi illius à Diœceſanorum ſuperioritate exempti absque illorum litteris dimiſſoriis à quibuscunque locorum Ordinariis cum teſtimonialibus litteris ſuorum Superiorum tantùm, ad omnes etiam ſacros & Presbyteratûs Ordines admitti poſſint ac debeant. Idem quoque Clemens VIII. conceſſit Patribus S. Joannis Evangeliſtæ in Portugallia 23. Novembr. Anno 1596 ut per quemcunque Epiſcopum non ſervatis Interſtitiis etiam extra tempora ordinari poſſint; ùt refert Tamburin. *q. 24. n. 6.* Portellus *in dub. Regular. V. Ordines ſacri.* Barboſa *in Conc. ſeſſ. 23. cap. 8. n. 7.* Paulus V. pariter in Bulla: *Ad ea per qua. 6. Mart. Anno 1617.* dedit poteſtatem Clericis Congregationis Scholarum piarum, ut qui votum paupertatis emiſerint, ad omnes etiam ſacros & Presbyteratûs Ordines à quocunque maluerint Epiſcopo ad titulum paupertatis hujusmodi Congr. promoveri valeant. Simile Indultum habent PP. Congregationis Oratorii, quòd promoveri poſſint ad quoscunque Ordines à locorum Ordinariis, in quorum Diœceſi habent in Congregatione domicilium absque litteris dimiſſorialibus proprii Epiſcopi, ùt ex declaratione Concilii Anno 1604. refert Monacell. *in form. part. 2. tit. 3. form. 4. n. 41.* Ex quibus ſat multis, etiam poſt Concilium Tridentinum conceſſis, privilegiis dedùcunt, quòd eorum vigore poſſint Regulares non tantùm illi, quibus ea directè conceſſa ſunt, ſed etiam cæteri omnes ac quicunque cum dictis Ordinibus ac Congregationibus communicantes poſſint per viam communicationis etiamnum hodie à quocunque Epiſcopo ordinari etiam ſine licentia Diœceſani proprii. Quàm rectè autem, & quàm probabiliter hæc dicantur, aliis dijudicandum relinquo, meúmque judicium ſubmitto Declarationi S. Congregationis ſuprarelatæ, ac ſubſecutis SS. Pontificum approbationibus.

Ex iſta verò ſatis ſupérque patet, Prælatos quorumcunque Ordinum ac Congregationum (illis exceptis, quibus per ſpeciale privilegium à ſede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum fuit conceſſum, ut à quolibet Catholico Antiſtite Ordines ſuſcipere poſſint, ſuper quo privilegio nihil innovandum intendit Benedictus XIII.) teneri litteras dimiſſorias dare ad Epiſcopum Diœceſanum ſive illum, in cujus Diœceſi ſitum eſt Monaſterium, ſiquidem Ordinationes ſit habiturus: in caſu verò, quo foret abſens, aut aliàs impeditus nullas haberet Ordinationes, tum demum integrum illis eſſe atque liberum, Regulares ſuos ad quem maluerint Epiſcopum, ut ab eo ordinentur, dimittere etiam trans vel ul- 36

tra

Digitized by Google

tra montes, dummodo ſit Catholicus, neque requiritur, ut dimiſſorias ad viciniorem dirigat, cùm S. Congregatio abſolutè permittat, quòd Epiſcopo Diœceſano abſente aut impedito poſſint dimiſſorias dare ad quemcunque Epiſcopum, nulla facta mentione vicinioris: neque etiam requiruntur litteræ commendatitiæ aut dimiſſoriales Epiſcopi Diœceſani abſentis aut impediti ab Ordinatione habendâ, cùm nec illud requirat ſupradicta declaratio, ſed ſufficiunt ſolæ litteræ dimiſſoriæ Prælati, ita tamen ut in iis ſimul cauſã exprimant abſentiæ Epiſcopi Diœceſani & Ordinationis ab eo non habendæ. An verò in caſu, quo alius Epiſcopus de licentia Diœceſani proprii Ordinationem faceret in Diœceſi, ad hunc teneantur dare dimiſſorias, & ſuos Regulares ad eum dimittere? dubium eſt, pro cujus reſolutione diſtinguendum videtur: ſi enim Diœceſanus ſit abſens, nullatenus cogi poſſunt Regulares, ut pro Ordinibus ſuſcipiendis Epiſcopum ſubſtitutum adeant; quia cùm hæc ſubordinatio Regularium ſit limitativa ſuorum privilegiorum, debet ſumi debito modo, & prout ſonant verba reſolutionis S. Congregationis: hæc autem tantùm requirit, ut Regulares Ordines recipiant à Diœceſano, quando hic fuerit præſens, & habuerit Ordinationes: cùm igitur is ſit reipſa abſens, nec habeat Ordinationes, liberum illis erit, quemcunque adire Epiſcopum, relicto illo ſubſtituto. Quòd ſi Epiſcopus Diœceſanus ſit præſens ac in Diœceſi, videtur teneri Regulares ſubſtitutum illum adire Epiſcopum, parum enim refert, ſi Diœceſanus faciat per alium, quod per ſe facere poſſet, atque ita poſt Peyrinis *ad Conſtit. 2. Sixti IV. n. 34.* Tamburinum *to. 2. D. 2. q. 19. n. 4.* Mirandam *to. 1. q. 38. art. 3.* diſtinguit Card. Petra *ad Conſt. Urbani II. n. 32.* addens præterea, quòd ſi abſentia eſſet longa, & adeſſet Suffraganeus, qui tale munus expleret, teneantur Regulares à tali Suffraganeo recipere Ordines.

37 Cæterùm hìc benè notanda ſunt verba præſatæ declarationis, quæ ſtudioſè addiderunt Eminentiſſimi Cardinales Concilii interpretes: modò Regulares ipſi non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abſuturus, vel nullas habiturus eſſet Ordinationes; hæc enim verba intelligenda ſunt haud dubiè de doloſa, fraudulenta, & malitioſa dilatione, non autem de ea, quæ fit ex juſta, rationabili ac prudenti cauſa; tunc enim utitur Prælatus Jure ſuo. Addit inſuper Card. Petra *l. c. n. 34.* nec debere Prælatos ac Superiores in fraudem Regulares ſuos de loco mutare, ut nempe faciliùs ad examen admittantur ac poſtquam ordinati fuerint, redeant ad priorem Diœceſin; quia per hoc propriam macularent conſcientiam, & ſi fraus poſſit in foro externo probari, deberent puniri, quia

facerent contra præceptum Papæ, & S. Congregationis, atque adeò non poſſet Superior ex induſtria alibi collocare Regularem, ut evitetur Ordinatio à proprio Epiſcopo, ùt etiam docent Peyrinis *to. 2. de Prælat. q. 3. cap. 7. n. 7.* Coton. *L. 3. controv. 1. cap. 4. n. 73.* Van-Eſpen *Jur. univ. Ecclef. part. 2. tit. 9. cap. 2. n. 40.* quod ita intelligi vult Card. Petra, ut non debeat Superior collocare Regularem animo, ut permaneat perpetuò, ſed compatibiliter cum ſtatu Regulari amovibili, ut tamen non ſit per ſimplicem tranſitum ſed de familia Conventûs; & ratio eſt; quia eſt actus quamvis in ſe liber & non punibilis, ut Superior amoveat Regularem, tamen actio eſſet deluſoria legis, quod prohibetur *in cap. Conſtitutus. de Conceſſ. Præbend.* Verùm Paſſerinus *de ſtat. hom. tom. 3. Q. 189. art. 10. n. 817.* cum aliis contrarium tenet, dicens: Prælatum Jure ſuo agere, ſi ſubditum ſibi Religioſum ex induſtria collocet in Monaſterio alterius Diœceſis, ut ibi faciliùs ordinetur, animo repetendi illum, poſtquam fuerit ordinatus, quod ſanè omninò verum eſſe videtur, accedente præſertim juſta aliqua cauſa, aut circumſtantia, ut ſi Prælatus Regularis ſuſpectum habeat Epiſcopum aut ejus Conſiliarios ſibi ſuóque Monaſterio malè affectos; nam tunc ceſſat fraus & remanet Jus primævum libertatis removendi Regulares, cùm ibi dicatur Regularis degere, ubi eſt ex Superiorum mandato collocatus, ùt ipſe quoque diſcurrit Card. Petra *n. 35.* qui hanc in rem affert declarationem S. Congregationis Concilii in una Neapolitana, ubi dubio propoſito *die 8. Auguſti Anno 1692.* per quantùm tempus Regulares ordinandi commorari debeant in Conventu Diœceſis Epiſcopi ordinantis ad hoc ut dici poſſint de familia ipſius Conventûs? S. Congregatio reſpondit: providebitur in caſibus particulariter proponendis; Et ita reſolvit aliud dubium: an Regulares ſint licitè ordinati in eadem Neapolitana, in qua Cardinalis Archiepiſcopus conqueſtus fuerat, Regulares per quatuor dies remotos fuiſſe à Conventibus Neapolis ante Ordinationes & fuiſſe ordinatos ab aliis Epiſcopis, ubi morabantur. Reſolvit S. Congr. Providebitur in caſibus particularibus; quia debent attendi circumſtantiæ, eæque ſpecialiter inſpiciendæ ſunt, ut poſſit colligi fraus, indéque procedi ad infligendas pœnas in dicto decreto Clementis VIII. contentas. (*Adde*; in caſu, quo Epiſcopus Diœceſanus non eſſet habiturus Ordinationes, verum quidem eſſe, quòd Regulares quicunque, utpote ordinandi ad titulum paupertatis, poſſint dare dimiſſorias ad alium Epiſcopum, ſed niſi ordinandus præbeat fidem, Diœceſanum non fore invitum, non facilè reperiet ordinantem in Germania; eáque difficultas erit major, ſi Diœceſanus apertè declaret, ſe poſitivè fore invitum ob rationes generales ſibi cognitas.)

Si-

32 Sicut autem vi hujus decreti, ac ſupradictæ declarationis S. Congr. non poſſunt Prælati dimiſſorias dare ad quemcunque Epiſcopum, ſed eas dirigere tenentur ad Epiſcopum Diœceſanum Ordinationes habiturum, ita multò minùs poſſunt alienum Epiſcopum ad ſua Monaſteria vocare, ut ibidem Regulares ſuos ordinent abſque licentia proprii Diœceſani. Id enim iterum expreſsè prohibuit Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5. de Reform. Nulli Epiſcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia.* & *ſeſſ. 7. cap. 11. Facultates de promovendo à quocunque non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint in litteris exprimendam, & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente.* Et hinc in diſpenſationibus recipiendi Ordines in tribus diebus feſtivis à quocunque Epiſcopo, hanc ipſe Pontifex apponere ſolet clauſulam: *vel in tua vel aliena, de Ordinarii licentia, Diœceſi ordinare poſſis.* & ita docent Authores communiter, quòd privilegia, quibus Regularibus ante Tridentinum fuerat conceſſum, ut ab extero Epiſcopo ordinari poſſint in Eccleſiis propriis, per dictos Tridentini textus ſint abrogata. Et licèt his eadem opponi poſſint argumenta, quæ ſupra contra principalem concluſionem oppoſuerunt contrariæ ſententiæ Patroni, eadem tamen modicam vim habent in praxi, utut ſpeculativè loquendo magnam habere videantur probabilitatem. Si tamen adduci poſſet aliquod privilegium poſt Tridentinum conceſſum & non controverſum, tunc utique vim haberet, ſed ùt advertit Card. Petrà n. 74. attentè inſpiciendum eſſet, an afficiat hunc caſum, quòd poſſit Epiſcopus Regularibus Ordines conferre in Eccleſia aliena abſque licentia Diœceſani: vel tantùm quòd poſſint Regulares adire quemcunque Epiſcopum pro Ordinibus ſuſcipiendis. Atque hinc, cùm in S. Congr. in una Mechlinienſi ad inſtantiam PP. Societatis JEſu fuiſſet diſputatum dubium ſub die 5. Julii Anno 1681. *An Clerici Societ. Jeſ. habitantes in Civitate Mechlinienſi, Archiepiſcopo Ordinationes habente, poſſint ordinari ab alio Epiſcopo?* reſponſum fuit *affirmativè*; ſed cùm deberet denuò in nova audientia reproponi dubium, cautè dicti PP. curaverunt, ùt idem proponeretur cum reſtrictiva: nempe *an Clerici Societatis JEſu habitantes in Diœceſi Mechlinienſi, Archiepiſcopo Ordinationem habente, poſſint extra Diœceſin Mechlinienſem ordinari ab alio Epiſcopo in propria Diœceſi?* & dubio tali modo propoſito, reſpondit S. Congregatio: *affirmativè ſub die 8. Maji Anno 1683.* & ideò reformârunt dubium juſto timore, ne Eminentiſſimi Cardinales à deciſis recederent; nam aliud eſt, quòd dicti PP. Societatis habeant prætenſum privilegium, quo poſſunt Ordines recipere à quocun-

Digitized by Google

que Catholico Epiſcopo; & aliud, quòd ſit illis licitum, alienum ad ſua Collegia vocare Epiſcopum, ut ſociis ſuis ſine proprii licentia Ordinarii, conferat Ordines. Porrò dubium moveri hic poſſet: an non ſaltem tunc liceat Regularibus alienum Epiſcopum ad ſua vocare Monaſteria pro Ordinibus conferendis, quando abſens eſt proprius Epiſcopus, aut ab Ordinationibus habendis impeditus? Enimverò id licere ſuadetur ex eo, quòd plures Regulares ac præſertim Canonici habeant quoad hoc ſpeciale privilegium: id autem nullibi videtur revocatum, neque in Concilio Lateranenſi; cùm iſtud non comprehendat Regulares Canonicos: non à Tridentino, cùm in eo circa hoc nihil expreſsè quoad Regulares ſit conſtitutum: neque etiam à S. Congregatione Concilii, cùm ſupradicta declaratio prohibens, ne Regulares recipiant Ordines niſi à Diœceſano Epiſcopo, relinquat liberam facultatem prædictos Ordines recipiendi à quocunque Epiſcopo in caſu abſentiæ vel impedimenti proprii Ordinarii, nec quidquam ſtatuat circa alterum privilegium, quo conceſſum eſt, quòd liceat (ſaltem in dicto abſentiæ ac impedimenti caſu) advocari quilibet Epiſcopus, qui in Eccleſiis Regularium conferat illis Ordines. Verùm etſi Regulares Canonicos non afficiat Concilium Lateranenſe, nec circa hunc caſum quidquam ſtatuerit S. Congregatio Concilii, id tamen ſatis expreſſit Tridentinum ll. ſupra citatis, quibus interdixit Epiſcopis omnibus, ne cujusquam privilegii prætextu audeant Pontificalia exercere in alterius Diœceſi, niſi de Ordinarii expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm, ita quidem, ut ſi ſecùs factum fuerit, Epiſcopi ab exercitio Pontificalium: & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo Jure ſuſpenſi. Quibus ſanè verbis ſatis clarè indicare videtur Concilium, quòd nolit ampliùs hujusmodi privilegium ſubſiſtere; quamvis enim expreſsè non revocaverit privilegia Regularium, implicitè tamen ea revocâſſe cenſendum eſt, legem generalem Epiſcopis imponendo, ne Pontificalia in alterius Diœceſi exerceant ſine expreſſa Ordinarii licentia; Epiſcopis certè hanc Tridentini prohibitionem obtendentibus, fruſtra privilegium hoc prætendunt Regulares.

(o)

Sectio

Sectio IV.

De poteſtate Prælatorum diſpenſandi cum ſuis ſubditis, ut extra ſtatuta Ordinationum tempora, & ante ætatem à Tridentino requiſitam ordinari poſſint.

39 DEveniendo nunc ad alteram prioris ſectionis partem, in qua quæritur, an Regulares extra ſtatuta Ordinationum tempora poſſint ordinari, duobus aut tribus diebus Dominicis ac feſtivis, continuis aut interpolatis, & Interſtitiis non ſervatis? pro cujus reſolutione ante omnia ſuppono, quòd Ordines ſacri de Jure communi tantùm conferri poſſint ac debeant in Sabbathis quatuor Temporum; & Sabbatho ante Dominicam Paſſionis, ac Reſurrectionis Domini, ùt habetur *cap. Ordinationes. ult. diſt. 75.* & *cap. de eo. 3. de Tempor. Ordinat.* ac Tridentinum *ſeſſ. 23. de Reform. cap. 8.* ita quidem ut contrarium nequidem per conſuetudinem induci poſſit. *cap. Sanè 2. de Tempor. Ordinat.* ab hac tamen lege excipitur Romanus Pontifex per *cap. 1. & 3. eodem.* utpote qui SS. Ordines ſemper & ubique conferre poteſt, cùm nulla lege Canonica teneatur: ſicut autem S. Pontifex extra tempora poteſt Ordines conferre, ita & diſpenſare poteſt, ut ab alio quoque extra tempora poſſint Ordines conferri, vel ſpecialiter pro certis ordinandis, ùt ſunt diſpenſationes, quæ conceduntur ab eo per litteras Apoſtolicas in forma Brevis, quæque vocantur diſpenſationes extra tempora: vel per privilegia, quæ certis ſtabiliter Ordinibus, Congregationibus ac Collegiis conceduntur, ut poſſint ab Epiſcopis ordinari extra dicta tempora. Hujusmodi privilegia plura conceſſerunt SS. Pontifices diverſis Religionibus tam ante, quàm poſt Tridentinum, & in ſpecie quidem Eugenius IV. Benedictinis in Hiſpania, ut ſinguli Monachi præſentes & futuri ad id idonei, quos Prior ſui Monaſterii ad hoc elegerit ſive nominaverit, ſacros Ordines etiam extra tempora à Jure ſtatuta à quibusvis Antiſtitibus gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ habentibus ſuſcipere, dictiq; Antiſtites eisdem Monachis Ordines hujusmodi conferre poſſint, ùt refert Tamburinus *to. 2 D. 2. quaſ. 17. n. 2.* Idem conceſſit Sixtus IV. in Bulla: *Pia vota fidelium. An. 1473.* Ordini S. Hieronymi de Piſis, ut de Prioris ſui licentia ad omnes ſacros Ordines à quo maluerint Catholico Antiſtite, etiam extra tempora à Jure ſtatuta ſe faciant promoveri, ipſéque Antiſtes iisdem Eremitis illos impendere liberè & licitè valeat; quam conceſſionem

idem Sixtus IV. ex certa ſcientia confirmavit in Bulla: *Sedes Apoſtolica* Anno 1476. ùt habetur apud Auguſtinum à Virgine Maria. Idiſpum indulſit Benedictinis Alexander VI. in Bulla: *Ex Apoſtolica.* Anno 1492. *ut à quiquscunque Catholicis Antiſtitibus ad omnes ſacros etiam Presbyteratûs Ordines aliquibus diebus Dominicis vel feſtivis etiam extra tempora ſe promoveri facere poſſint.* ùt eſt *apud Margarinum in Bullario Caſſinenſi.* Similiter Clemens VII. in Bulla: *inter multiplices curas.* Anno 1529. ac deinde Paulus III. in Bulla: *Rationi congruit. 3. Novembr.* Anno 1534. conceſſerunt Camaldulenſibus *ut poſſint per quemlibet Catholicum Epiſcopum ad SS. Ordines etiam extra tempora diebus tamen Dominicis vel feſtivis promoveri.* apud Boverium in Regeſto,& Cherubin. in Bullario. Pius IV. in Bulla: *Circumſpecta 1. Julii Anno 1560.* Fratribus Militibus S. Joannis Hieroſolymitani facultatem à Leone X. conceſſam & à Paulo III. ex certa ſcientia confirmatam, de novo & ipſe confirmat pari ſcientia, *omnes SS. Ordines à quocunque Catholico Epiſcopo recipiendi etiam extra tempora à Jure ſtatuta tribus diebus Dominicis ac feſtivis.* apud cit. Cherubin. in Bullar. Idipſum inter alia privilegia conceſſit idem Pius IV. & quidem poſt Concilium Tridentinum in Bulla; *Inter aſſiduas. 4. Maji.* Anno 1565. Fratribus Militibus Hoſpitalis S. Lazari Hieroſolymitani. apud eundem Cherubin. Gregorius XIII pariter poſt Tridentinum conceſſit Societati Jeſ. in Bulla. *Pium & utile. 21. Sept.* Anno 1582. *ut ejus Socii ad SS. Ordines extra tempora à Jure ſtatuta, tribusque Dominicis vel aliis feſtivis diebus etiam continuis promoveri poſſint,* ùt refertur *in Corpor. Inſtitut. dict. Societ.* Idem quoque Gregorius XIII. conceſſit Camaldulenſibus, *ut omnes SS. Ordines etiam extra tempora à Jure ſtatuta & non ſervatis Interſtitiis recipere valeant*, in Bulla: *Cum interna 7. Januarii.* Anno 1584. quam refert *Cherubin. in Bullar.* Clemens VIII. indulſit ſimiliter Patribus Congregationis S. Joan. Evang. in Portugallia *Anno 1596. die 23. Novemb. ut poſſint ordinari extra tempora tribus diebus Dominicis vel feſtivis, continuis vel interpolatis, nec ſervatis Interſtitiis à Concilio Tridentino deſignatis.* quod privilegium propriis oculis ſe vidiſſe teſtatur Portellus *in dub. Regular. V. Ordines ſacri. n. 4.* prætereo plura alia ejusmodi privilegia aliis etiam Ordinibus conceſſa, cùm hæc ad intentum noſtrum ſufficiant.

Quamquam autem tot hac in re 40
tam ante, quàm poſt Tridentinum Regularibus conceſſa ſint privilegia, quæ ad alios quoque cum prædictis Ordinibus in privilegiis communicantes extendi non erat dubium, certum jam videri poterat, licere Regularibus vi dictorum privilegiorum SS. Ordines ſuſcipere extra tempora & non ſervatis Interſtitiis, tribus diebus continuis aut interpolatis, feſtivis tamen ac Dominicis, ea ipſa tamen privilegia Authores tum Theologos tum Canoniſtas in transverſum egit, ita ut multi crederent ex illis, privile-

gi-

gia hujuſmodi ante Tridentinum conceſſa, per Concilium iſtud fuiſſe revocata: Indulta verò poſt Tridentinum, nullatenus aliis communicari. Alii econtra, iique multò plures cenſebant, privilegia ejusmodi nec per Tridentinum eſſe revocata, nec poſt Tridentinum conceſſa excludere communicationem iſtorum, ex qua Authorum, in diverſa abeuntium, controverſia demùm ſecuta eſt etiam ſciſſura inter ipſos Epiſcopos, dum aliqui huic, alii oppoſitæ ſententiæ adhærentes vel ordinârunt Regulares extra tempora, vel id facere recuſârunt. Inter eos porrò, qui putant hujusmodi privilegia fuiſſe per Tridentinum revocata, referuntur Gonzalez *in cap. de eo. 3. de Tempor. Ordinat. n. 7. V. ſed hodie.* Suarez *de Leg. Lib. 8. cap. 17. n. 8.* Laur. de Peyrinis *ad Conſtit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 39.* Miranda *to. 1. Quaſt. 38. art. 4.* Hurtado *de Ordin. difficult 23.* Lezana *in Summ. quaſt. Regular. to. 1. cap. 14. n. 1. & to. 2. V. Ordines SS.* Barboſa *ad Concil. ſeſſ. 23. cap. 8. n. 5.* & *de Jur. Eccleſ. cap. 33 L. 1. n. 182.* Matthæucci *in Official. Curia cap. 35. n. 5. & ſeq.* ac plures alii, qui omnes fundantur 1mò. ac præcipuè in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 8.* ubi tanquam Regula generalis ſtatuitur: ut Ordinationes SS. Ordinum ſtatutis à Jure temporibus celebrentur, quibus verbis generaliter Epiſcopis omnibus, ne extra dicta tempora Ordinationes habeant; hinc licèt SS. Pontifices conceſſerint Regularibus, ut poſſint extra tempora ordinari, eam tamen facultatem per ſuam generalem revocationem ademit Epiſcopis præfatum Concilium. Nec juvat dicere, iſtud generaliter tantùm loqui & ſecluſis privilegiis, quæ nullibi revocat; nam dicunt, Concilium ea ſufficienter revocâſſe *ſeſſ. 25. cap. 22 de Regular.* ubi præcipit, omnia & ſingula in ſuis decretis contenta obſervari debere à Regularibus, non obſtantibus quibuscunque privilegiis: per quam clauſulam omnia privilegia ante Tridentinum conceſſa, & decretis ejusdem Concilii contraria jam putant eſſe revocata. Fundantur 2dò. in Bulla Pii IV. *Benedictus Deus. 7. Calend. Febr. Anno 1563.* & in alia ejusdem Pii IV. quæ incipit: *In Principis Apoſtolorum 13. Calend. Mart. Anno 1565.* in quibus ac præſertim in 2da. revocantur, caſſantur, annullantur, & ad ipſius Concilii terminos ac limites reducuntur omnia privilegia Regularibus ſub quacunque verborum formâ conceſſa, & Concilii decretis adverſantia: ſed privilegia, quòd poſſint Regulares ordinari extra tempora, adverſantur decretis Concilii Tridentini: ergò ſunt ipſo Jure revocata, annullata, & ad terminos Concilii reducta. Fundantur 3tiò. in Bulla Sixti V. quæ incipit: *Sanctum & ſalutare. 5. Januarii Anno 1588.* contra malè promotos edita, in qua ſub gravibus pœnis præcipitur tam Regularibus, quàm ſæcularibus, ne extra tempora a Jure ſtatuta ordinen-

nentur, nec aliter, quàm in Tridentino præcipitur, Ordines recipiant, non obſtantibus quibuscunque privilegiis. Fundantur denique 4tò. in praxi Epiſcoporum, qui huic ſententiæ adhærentes recuſant ordinare Regulares extra tempora, ac ipſorum etiam Regularium, qui frequentiſſimè recurrunt Romam pro obtinenda diſpenſatione, ut extra tempora ordinari poſſint, id haudquaquam facturi, niſi ſuis ipſi diffiderent privilegiis. Certè Innocentius XII. in decretis ſuper moderatione Indultorum ſuſcipiendi Ordines extra tempora à Jure ſtatuta *14. Decembr. Anno 1693.* editis, expreſsè quoque meminit Regularium, cauſas pro illis præſcribens, ob quas diſpenſari poſſunt, ut extra tempora ordinentur, quod utique non feciſſet S. Pontifex, niſi cenſuiſſet, eorum privilegia per Tridentinum eſſe revocata. Ex quibus omnibus ſatis patere exiſtimant, quòd hujusmodi privilegia ante Tridentinum conceſſa ſint ac maneant revocata.

41 Et licèt ea privilegia quibusdam fuerint poſt Tridentinum conceſſa, illa tamen illis ſolis, quibus indulta ſunt, ita volunt eſſe propria, ut ad alios Regulares, etiam ampliſſimam cæteroquin privilegiorum communicationē cũ prædictis habentes nullatenus extendi poſſe contendant; tum quòd hæc privilegia ſint difficillimæ conceſſionis, quæ non veniunt in generali communicatione privilegiorum: tum quia conceſſa ſunt ob cauſas peculiares, & circumſtantias, quæ non verificantur in aliis Regularibus: tum quia reſtricta ſunt ad certam Religionem, omnem excludendo communicationem, ùt eſt illud Societatis JEſu, quod Gregorius XIII. ulli alteri Religioni communicari vetuit. Hinc contendentibus nonnullis Regularibus vigore communicationis privilegiorum cum Societate JESU, quòd poſſint ac debeant extra tempora ordinari abſque diſpenſatione Apoſtolica, Sac. Congregatio Concilii propoſito dubio: An Archiepiſcopus Senenſis licitè hoc facere poſſit, reſpondit *die 11. April 1699.* Dilata, & Archiepiſcopus abſtineat, donec exhibeantur ſufficientia privilegia. Et in alia Aſſiſienſ. *23 Januarii 1706.* ſub dubio: An Epiſcopus potuerit Ordines extra tempora Regularibus conferre, & quatenus negativè, 2dò. An & in quas pœnas ordinati inciderint. Sac. Congregatio reſpondit: Dilata, & ſcribatur Epiſcopo, quòd ſe abſtineat, donec exhibeantur privilegia Regularium. Quas reſolutiones referunt Monacell. *in formular. part. 2. tit. 13. n. 37.* Matthæucci *in Official. Curiæ c. 35. n. 5.* & Card Petra *ad Conſtit. 7. Pii II. n. 25.* Ex quibus conſtare videtur, S. Congregationem nunquam habuiſſe hanc privilegiorum communicationem pro legitima cauſa conferendi SS. Ordines extra ſtatuta tempora, ſed voluiſſe ſibi exhiberi privilegia, ut exin-

exinde decerneret, an quoad hunc caſum habeant locum. Unde in Lamacenſ. *22. Sept. 1696.* reſcripſit: Epiſcopus ſe abſtineat, donec certioratâ ſac. Congregatione, reſponſum habuerit, an hujusmodi privilegia ſe extendant ad caſum extra tempora Ordinationum. Verùm his non obſtantibus

42 Dico 2dò. *Privilegia ſuſcipiendi SS. Ordines extra tempora ante Tridentinum conceſſa, non ſunt revocata, adeóque poſſunt Canonici aliive Regulares ejusmodi privilegia, ſive expreſsè ſive per viam communicationis, habentes, extra ſtatuta Ordinationum tempora, SS. Ordinibus initiari tribus diebus Dominicis ac feſtivis, continuis vel interpolatis, etiam non ſervatis Interſtitiis.*

Ita jam olim communis, nunc autem certa hodie ſententia, quam propugnant præter alios plures Rodriquez *QQ. Regular. to. 1. quæſt. 55. art. 17.* & *to. 3. quæſt. 13. art. 5. ac quæſt. 24. art. 1.* Marchinus *de Ordin. tr. 1. p. 7. cap. 2. & 7.* & *p. 8. cap. 6.* Homobonus *de exam. Eccleſ. to. 1. tr. 2. cap. 1. q. 13.* La Cruz *de ſtat. Relig. L. 2. cap. 8.* Moneta *de commut. ult. vol. c. 10. n. 188* Villalobos *in Sum. to. 1. tr. 11. diff. 12. & 13.* Caſtropalao *to. 4. tr. 27. punct. 13.* Diana *part. 3. tr. 2. Reſol. 81. & 86.* & *part. 5. tr. 13. Reſol. 57.* Donatus *in Praxi Regular. to. 1. tr. 7 quæſt. 8. n. 10.* & *to. 3. tr. 3. q 26.* Baſſæus *V. Ordo.* Portel. *in dub. Regular. V. Ordines Sacri. n. 4.* Paſſerinus *de ſtat. hom. to. 3. quæſt. 189. art. 10.* Sporer Theol. *Sacram. p. 1. cap. 5. n. 121.* Tamburin. *to. 2. D. 2. quæſ. 17.* Averſa *q. 3. S. 9.* Giribaldus *tr. 9. cap. 3. dub. 5.* Roſſignolus *part. 1. de Ordin quæſt. 11. art. 9.* Rotarius *to. 3. cap. 2. punct. 13. n. 7.* Andreas à Matre Dei *tom 2. Theol. mor. de Sacram. in gener. tr. 8. cap. 8. punct. 5 n. 82. & ſeqq.* & Eminentiſ. Petra *ad dict. Conſtit. 7. Pii II. à n.* 31. ex quibus Averſa de ſuo Clericorum Regularium minorum Ordine teſtatur, id ſæpiùs in pluribus Diœceſibus, & in ipſa urbe Roma factum ſervatúmq; fuiſſe. Diana quoque cum Peregrino fidem facit, plures ex ſuis Theatinis vigore dictorum privilegiorum à multis Epiſcopis ad SS. Ordines extra tempora admiſſos fuiſſe: quibus ſtantibus, ait Roſſignol., cernimus in dies doctiſſimos & graviſſimos Epiſcopos, noſtros extra tempora in diebus feſtivis ad SS. Ordines promovere, quod ipſemet etiam aliquando vidi Ingolſtadii factum à Suffraganeo Eyſtadienſi; quæ ſola authoritas tot graviſſimorum Doctorum ſufficere poterat

rat ad reddendam ſententiam noſtram maximè probabilem & in praxi tutam, præſertim cùm ex iſtis plerique in Italia atque etiam Romæ ſcripſerint, ſcientibus SS. Pontificibus ac ſacra Congregatione Concilii, eàmque confirmet tot ſapientiſſimorum Epiſcoporum praxis, qui non dubitârunt diverſorum Ordinum Regulares extra tempora SS. Ordinibus initiare, tametſi plerique ex iſtis hoc privilegio gauderent tantùm per viam communicationis, haud utique facturi, niſi judicâſſent privilegium in ſuo etiam vigore perſiſtere. Verùm

43 Probari poteſt etiam concluſio noſtra ex ipſo Concilio, quod dicto *cap. 8. ſeſſ. 23.* duplicem diſpoſitionem continet: prima eſt, ut Epiſcopus Ordinationes celebret ſtatutis à Jure temporibus: ſecunda eſt, ut unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur, ſubdens: Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus, permittatur, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Ex quorum contextu verborum elicitur, quòd reſpectu primæ partis, in qua præcipitur, ut Ordinationes fiant ſtatutis temporibus, nulla addita ſit clauſula derogatoria privilegiorum, quæ tamen appoſita eſt quoad ſecundam partem, ubi præcipitur, ut unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur & nullius prætextu privilegii ab alieno; quin imò in hac ſecunda parte apertè ſupponit Concilium talia exiſtere privilegia, quorum vigore poſſint Regulares ordinari extra tempora, dum ibidem dicit: nullatenus id ei permittatur, *etiam ſtatutis temporibus*: quibus utique verbis clarè innuit, poſſe aliquem ordinari extra tempora vi privilegiorum, & licèt hoc fieri poſſe ſupponat, voluit tamen, ut talis Ordinatio fiat à proprio Ordinario vel cum ejus dimiſſoriis. Ex quibus ſic argumentor: Decreta, quibus à Tridentino nulla additâ eſt clauſula revocatoria privilegiorum, non derogant privilegiis Regularium: ut ex dictis Tract. 1. Diſp. 5. Sect. 4. abundè conſtat, ubi hoc ipſum ex inſtituto probatum eſt: ſed decreto, quòd Epiſcopus Ordinationes celebrare debeat ſtatutis à Jure temporibus, nulla addita eſt clauſula revocatoria privilegiorum: ergò decretum iſtud non derogat privilegiis Regularium ſuſcipiendi SS. Ordines extra tempora à Jure ſtatuta. Neque dicas: hujuſmodi privilegia Regularium licèt non ſint revocata dicto cap. 8. eſſe tamen revocata *ſeſſ. 25. cap. 22.* Nam licèt ea Concilii diſpoſitio intelligenda foret de decretis priorum ſeſſionum, attamen illis tantùm decretis eſſet applicanda, in quibus expreſsè derogatur Regularium privilegiis, non verò extendenda ad omnia decreta, quæ etiam ſine derogatione privilegiorum fuerunt edita.

Ex

44 Ex quibus patet Reſponſio ad 1mum. contrariæ ſententiæ argumentum, quibus inſuper addo, quod ea Concilii verba: Ordinationes SS. Ordinũ ſtatutis à Jure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia celebrentur, intelligenda ſint de Ordinationibus Generalibus, de quibus nulli dubium eſt, quòd fieri debeant ſtatutis à Jure temporibus, non autem de ſpecialibus ac particularibus, quæ fieri poſſunt extra tempora vel vi privilegiorum à ſede Apoſtolica Regularibus conceſſorum, vel alicujus vigore diſpenſationis Româ obtentæ, de quibus Concilium nihil omninò ſtatuit, ùt ſatis clarè colligitur ex toto contextu, qui ſic habet: Ordinationes ſtatutis à Jure temporibus ac in Cathedrali Eccleſia, vocatis præſentibusque ad id Eccleſiæ Canonicis, publicè celebrentur. Si autem in alio Diœceſis loco, præſente Clero loci, dignior quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur, quæ verba de alia non poſſunt intelligi Ordinatione, quàm de generali ac publica; Ordinationes enim, quæ fiunt extra tempora vi privilegii aut diſpenſationis, dici non poſſunt publicæ, neque fiunt præſentibus Eccleſiæ Cathedralis Canonicis, aut Clero loci publicè ſed privatim tantùm ac in Capella ſæpius privata; voluit præterea Concilium illo decreto quorumdam abuſum Epiſcoporum tollere, qui dum aliquos vi privilegii aut diſpenſationis extra tempora ordinabant, ſimul indixerunt ac celebrârunt Ordinationes generales, & quidem in Eccleſiis non nunquam privatis, eáſque facere negligebant ſtatutis à Jure temporibus; dum alii econtra eas quidem ſtatutis temporibus inſtituebant, non tamen publicè ſed privatim tantùm: contra quos meritò ſtatuit Concilium, ut Ordinationes ſtatutis à Jure temporibus & in Eccleſia Cathedrali aut alia digniore publicè celebrentur, quæ omnia nihil faciunt ad Regulares. Ad alterum Adverſariorum argumentum ex Pii IV. Bullis Concilium Tridentinum confirmantibus deſumptum reſpondeo, non alio ſenſu eas intelligi poſſe ac debere, quàm quo intelligitur Tridentinum, nec alio modo per eas revocari privilegia, quàm quo revocantur ab ipſo Tridentino: ſicut ergò Tridentinum non cenſetur revocare privilegia illa, quæ quidem ejusdem decretis adverſantur, nullam tamen habent clauſulam derogatoriam, ita etiam Bullæ in ejusdem confirmationem editæ non cenſentur ea revocare; cùm enim factæ ſint ad majorem obſervantiam & robur Concilii, intelligenda etiam ſunt & explananda prout idem Concilium intelligitur, & explicatur; nam omnis conſtitutio confirmatoria interpretanda eſt juxta ſenſum & mentem legis quam corroborat, easdem limitationes & extenſiones, quas habet & recipit corroborata, recipere etiam debet corroborans: cùm igitur præfatæ Pii IV. Bullæ tantùm intendant confirmare decreta Tri-

Tridentini, debent illæ quoque juxta mentem & ſenſum dictorũ decretorum intelligi & explicari: & conſequenter quia ipſa decreta Concilii ſine clauſula privilegiorũ revocatoriâ poſita non derogant privilegiis juxta alibi dicta, nec ipſæ Bullæ corroborantes dicta decreta eisdem derogant, ſed illa eodem modo & ſenſu relinquunt in ſuo valore, quo relinquuntur in decretis. Ad 3tium ex Conſtitutione Sixti V. contra malè promotos edita deprompttum ℞deo. eam neutiquam ad eos ſpectare Regulares, qui vigore privilegiorum ſuorum extra tempora ordinantur, qui talibus muniti privilegiis promoventur ad ordines. Quid? quòd Conſtitutio illa Sixtina tantùm loquatur de ordinatis extra tempora absque Indulto Apoſtolico: ſed qui tot habent privilegia à SS. Pontificibus conceſſa, dici non poſſunt ordinati absque Indulto Apoſtolico; deinde ſi quid probaret ea Conſtitutio, probaret, quòd nec liceat primam Tonſuram ac minores Ordines extra tempora ac ſimul omnes uno eodémque die non ſervatis Interſtitiis conferre aut recipere; de illis enim pariformiter loquitur, ſicut de majoribus, quod tamen hodie repugnat comuni omnium praxi. Denique Clemens VIII. hanc ipſam Sixti V. Conſtitutionem tanquam inutilem ac plurimis ſcrupulis obnoxiam penitùs abrogavit, & ad terminos SS. Canonum ac Conſtitutionis Pii II. & ad diſpoſitionem Tridentini reduxit per Bullam, quæ incipit: *Romanum. 28. Febr. Anno 1595.* per quam totum iſtud corruit argumentum. Ad 4tum. ℞deo. Praxin Epiſcoporum diverſam eſſe, ùt conſtat ex dictis, quæ non aliunde provenit, quàm ex probabilitate utriusque ſententiæ, cúmque plures oppoſitam ſequantur, atque ideò recuſent ordinare Regulares extra tempora, hinc fit, quòd hi id ſcientes, aut certè repulſam verentes recurrant ad SS. Pontifices pro obtinendis hujusmodi Indultis ac diſpenſationibus: dum interim alii, benigniores nacti Epiſcopos ac noſtræ ſententiæ Patronos nil curant de obtinendis hujusmodi diſpenſationibus, ſed ſatis freti privilegiis Regulares ſuos ejusmodi Epiſcopis præſentant ordinandos. Quod attinet Decretum Innocentii XII. pro expeditione hujusmodi Indultorum etiam pro Regularibus editum, potuit illud eſſe factum pro Regularibus non habentibus dictum privilegium ne quidem per communicationem, vel qui recurrerent pro tali Indulto obtinendo ad ſubmovendas difficultates, quas Regularibus objiciunt Epiſcopi quidam eorum hac in re privilegia recipere nolentes. (*Adde*; in Diœceſi Auguſtana noſtra continuam vigere praxin, Regulares ordinandi extra conſueta tempora etiam ſine diſpenſatione Pontificia.)

Juxta hactenus porrò dicta non abs re quis dixerit, ſententiam hanc poſteriorem ac noſtram non modò 45

in-

inter Authores communiorem, ſed etiam præ oppoſita multò probabiliorem eſſe, præſertim cùm Regulares ſint in poſſeſſione ſuorum privilegiorum, à qua nunquam dejici potuêre quibuſcunque rationibus, ſive ex Concilio Tridentino ſive ex Bulla Pii IV. illius confirmatoria depromptis; unde non mirum, quòd eam in praxi ſint amplexati tot ſapientiſſimi ac in SS. Canonibus verſatiſſimi Præſules, qui haud gravatè Regularibus vigore hujusmodi privilegiorum etiam ante Tridentinum obtentorum ac in vim communicationis Ordines extra tempora à Jure ſtatuta contulerunt, quos inter cum laude refert Card. Petra n. 39. eximium Cardinalem Vincentium Mariam Urſinum de re Canonica optimè meritum, & in Rituum Eccleſiaſticorum praxi tam verſatum, dum ante ſummum Pontificatum adhuc ageret Archiepiſcopum Beneventanum. Quia tamen contraria ſententia non carebat ſua probabilitate, ſed magna Doctorum authoritate ac rationibus non contemnendis fulciebatur, hinc Epiſcopi plures tum virtute tum doctrina præſtantes eandem ſecuti, noluerunt Regulares in vim dictorum privilegiorum ante Concilium obtentorum SS. Ordinibus initiare. Unde ex hac eorum diverſitate, qui vel hanc vel illam ſequebantur opinionem, nata eſt etiam diverſa praxis, & velut ſciſſura inter Epiſcopos, ita tamen ut exinde nequeant argui Epiſcopi, ſi alteru-tram amplexi, nunc hi affirmatvæ, nunc illi negativæ adhæſerint ſententiæ, eique ſeſe in praxi accommodaverint, idque tam diu, donec tandem præfatus Vincentius Maria Cardinalis Urſinus ad ſacram Petri Cathedram, aſſumpto Benedicti XIII. nomine, 29. Maji Anno 1724. evectus, pro ſuo quo flagrabat zelo ad antiquam Eccleſiæ diſciplinam in celebrandis Conciliis revocandam, Romanum in Baſilica Lateranenſi Concilium ſub perſonali ſua Præſidentia celebrandum indixit, in quo juxta plurimorum etiam Epiſcoporum vota factum eſt decretum, quòd Regulares ſuorum vigore privilegiorum, tutò abſque novo Indulto Apoſtolico extra tempora ſacris initiari poſſint, quod in dicto Concilio Romano Anno 1725. celebrato *Tit. 5to. de Temporib. Ordinationum cap. 2.* refertur hisce verbis: *Quo verò ad Regulares privilegia à SS. Pontificibus habentes ſive expreſsè ſive per viam Communicationis conceſſa, ſacros videlicet Ordines extra tempora ſuſcipiendi, cùm privilegia ipſa in ſuo robore perſiſtant, nec iis derogatum fuiſſe conſtet, decernimus proinde, Regulares eosdem abſque novo Indulto Apoſtolico, tutò poſſe extra tempora ordinari*: quo decreto tandem ſententia noſtra tantopere hactenus tum ab Authoribus contrariæ ſententiæ, tum etiam ab Epiſcopis eidem addictis exagitata, ab ipſo demùm S. Pontifice & quidem non privatim, ſed publicè in Concilio canonizata eſt; quamquam eam etiam jam pridem pro-

probaverit S. Congregatio Concilii, dum *Anno 1596. die 7 Novembr.* in Nullius Congregationis S. Joannis Evangeliſtæ Portugalliæ cenſuit, ac edixit: Privilegium prædictum, ſcilicet ſuſcipiendi SS. Ordines extra tempora, minimè Concilii Tridentini Decretis eſſe revocatum, ac propterea Clemens VIII. illud ipſum dictæ Congregationis Patribus pro majori ſecuritate renovaverit *23. Novembr. Anno 1596.* prout ſupra verbotenus relatum fuit.

46 Ex quo jam certum eſt hodie, non tantùm eos Regulares, qui ſpeciale privilegium habent ſuſcipiendi SS. Ordines extra tempora ſive ante ſive poſt Concilium obtentum, ſed etiam illos, qui nullum ejuſmodi ſpeciale quidem habent privilegium, cum prioribus tamen in privilegiis communicant, poſſe vi hujus etiam privilegiorum comunicationis extra tempora ordinari, cùm ea hic maximè locum habeat, tum quòd privilegium hoc præſertim ante Tridentinum non fuerit difficilis conceſſionis, tum quòd in nullius cederet præjudicium, nequidem Epiſcopi Diœceſani, utpote cui Regularium Ordinationes, licèt olim & ante Tridentinum vigore plurimorum privilegiorum fieri potuerint à quocunque Epiſcopo, hodie ſunt reſervatæ, juxta ſuperiùs dicta: unde nihil obſtat, quo minùs privilegium ſuſcipiendi SS. Ordines extra tempora aliis communicetur generalem privilegiorum communicationem habentibus, ùt etiam declaravit Benedictus XIII. in decreto ſuprarelato & pridem agnovit S. Congregatio Concilii in citat. Nullius S. Joannis Evangeliſtæ Portugalliæ, in qua ſuppoſuit dictos Patres habere hoc privilegium per communicationem eis indultam à ſede Apoſtolica cum privilegiis Ordinis S. Hieronymi ante Concilium, ùt elicitur ex facto in dicta Congregatione relato apud Card. Petra *ad fin. n. 33.* ſicut autem privilegium iſtud ante Tridentinum conceſſum communicatur aliis Ordinibus privilegiorum communicationem habentibus, ita non eſt ratio, cur illud quibusdam poſt Tridentinum conceſſum non poſſit communicari aliis comunicationem privilegiorum habentibus; non enim eſt tam difficilis conceſſionis, ùt volunt Adverſarii, cùm id pluribus Religionibus ſit etiam poſt Tridentinum conceſſum, & illud jam omnes fermè Regulares per viam communicationis ſaltem obtineant: & licèt aliqua conceſſa ſint ob cauſas peculiares v. g. Miſſionum in Indiis, ea tamen perpauca ſunt, ac multò plura, quæ univerſaliter indulta fuerunt, in quibus tantùm fundatur ſententia noſtra. Nec obeſt, quòd privilegium hoc Societati Jeſu conceſſum Gregorius XIII. vetuerit aliis communicari; nam licèt hanc clauſulam hic Pontifex appoſuerit, eandem tamen iterum ſuſtulerunt ac annullârunt ſucceſſores Pontifices, communicando aliis Ordinibus dictæ

ctæ Societatis privilegia cum fortiſſimis, efficaciſſimis, ac inſolitis clauſulis, quibus omnes clauſulas reſtrictivas, exceptivas, reſervativas, ac communicationis penitùs caſſârunt ac annullârunt, prout pluribus oſtendi in Diſp. de Communic. privileg. Multò minùs officit, quòd Sac. Congregatio Concilii ad quæſita, an vi communicationis privilegiorum cum Societate Jeſu obtentæ Regulares poſſint ordinari extra tempora, reſponſum diſtulerit, ac juſſerit Epiſcopos abſtinere interim à tali Ordinatione; id enim factum eſt, quòd S. Congregatio noluerit præcipitare ſententiam vigente præſertim peracri inter utriusque partis Authores ſuper hac re controverſia, donec examinaret privilegia, dictam comunicationem concedentia, an tam prægnantibus concepta ſint verbis, ac inſtructa clauſulis, ut ex iis conjici poſſit, voluiſſe S. Pontificem talem omninò privilegiorum communicationem concedere non obſtante incommunicabilitate dicti privilegii; per hoc ipſum enim ſignificavit, quòd talis communicatio locum habere poſſit etiam poſita prohibitione communicationis à Gregorio XIII. facta. Verùm hæc omnia jam finem habere videntur, poſtquam in Concilio Romano à Benedicto XIII. ſolenniter decretum eſt, poſſe Regulares privilegia à SS. Pontificibus habentes ſive expreſsè, ſive per viam communicationis conceſſa, SS. Ordines extra tempora ſuſcipere.

§. Tametſi verò hos ita poſſint 47
ſuſcipere extra tempora, fieri tamen id debet diebus Dominicis ac feſtivis, etſi plures Ordines ſuſcipere voluerint, interpolatis aut ſaltem continuis; nefas eſt enim uno eodémque die ſimul plures SS. Ordines aut conferre aut ſuſcipere, ùt habetur *cap. dilectus. 15. de Tempor. Ordinat.* & *cap. litteras 13. eodem*, ubi etiam illicita dicitur Ordinatio facta die Sabbathi in Diaconum & continuato jejunio die ſequenti in Presbyterum: & noviſſimè Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 13. de Reformat.* ita ſtatuit: Duo SS. Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur; privilegiis ac Indultis quibusvis conceſſis, non obſtantibus quibuscunque: idque hactenus tam ſanctè fuit obſervatum, ut nullum privilegium poſt Tridentinum conſtet in contrarium fuiſſe conceſſum; quin imò de Jure requiritur, ut qui plures ſacros Ordines cupiunt extra tempora vel conferre vel recipere, id faciant diebus interpolatis, quemadmodum etiam, ſi quando in litteris Diſpenſationum extra tempora tribuitur facultas accipiendi tres Ordines ſacros tribus diebus feſtivis, comuniter additur, *interpolatis*, & licèt non addatur explicitè, ſubintelligitur tamen, ùt docet Gobat *Theol. experim. tract. 8. n. 464.* Quia verò quibusdam Ordinibus ac Congregationibus ac in ſpecie Societati Jeſu ac Congregationi S. Joannis Evang. in Portugallia conceſſum eſt

privilegium, ut poſſint tribus diebus feſtivis non tantùm interpolatis, ſed etiam continuis extra tempora ordinari, hinc nullum videtur eſſe dubium, quin etiam alii Regulares privilegiorum communicationem habentes tribus etiam diebus continuis poſſint ſacris Ordinibus initiari; tum quia privilegium hoc, ùt eſt ante Tridentinum conceſſum, nullo Jure reperitur revocatum, tum quia illud ipſum prout eſt poſt Tridentinum quibusdam indultum neque cedit in præjudicium Ordinarii, aut cujusquam alterius, neque tam difficilis eſt conceſſionis, ut non etiam particularibus ac plebeis ex cauſa vulgari de facili concedatur per diſpenſationem, prout hujusmodi exemplum refert Gobat l. c. & incommunicabilitas hujus privilegii; cum Societate à quibusdam prætenſa pridem ſublata fuit per SS. Pontifices Gregorio XIII. poſteriores, ùt à nobis alibi demonſtratum eſt; unde nulla apparet ratio, cur iſthoc privilegio non gaudeant cæteri Regulares communicationem privilegiorum habentes, aut ordinari non poſſint extra tempora tribus diebus feſtivis ac continuis. Porrò per dies feſtivos intelliguntur hìc non tantùm illi, qui celebrantur in choro ſub ritu duplici aut ſemiduplici, ùt probabile & in praxi tutum reputat Diana *part. 5. tr. 13. Reſol. 97.* cum quibusdam aliis, ſed illi, qui etiam in foro ſervantur à populo, prout declaravit S. Congregatio Concilii apud Fagnanum *in cap. de eo. 3. de tempor. Ordinat.* ac tenet communis ac multò probabilior ſententia; qua de re plura diximus ſupra, quæ huc quoque referri debent.

Quemadmodum autem poſſunt Regulares ordinari extra tempora tribus diebus continuis, ita etiam non ſervatis Interſtitiis, absque ulla alia diſpenſatione; id enimverò clarè deſumitur ex pluribus ſupra relatis privilegiis, in quibus diverſorum Ordinum Regularibus expreſsè conceditur, ut extra tempora diebus feſtivis ordinari poſſint non ſervatis Interſtitiis, nulla facta mentione alicujus diſpenſationis ad hoc neceſſariæ. Neque dicas: Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 11. & 13.* diſpenſationem Interſtitiorum quoad Ordines majores reſervâſſe judicio Epiſcopi, ſpectata neceſſitate ac utilitate Eccleſiæ, conſequenter ab Epiſcopo petenda eſt diſpenſatio; nam loquitur Concilium ibidem de Clericis potiſſimùm ſæcularibus, ùt patet ex contextu utriusq; capitis, non verò de Regularibus privilegium habentibus ſive expreſſum ſive per communicationem ſuſcipiendi ſacros Ordines extra tempora non ſervatis Interſtitiis, quorum nullibi vel minimam mentionem facit, multò minùs eorum derogat privilegiis; quid? quòd privilegium iſtud quibusdam Ordinibus Religioſis conceſſum ſit etiam poſt Tridentinum, quod per communicationem tranſit ad alias Religiones non mi- 48

Digitized by Google

minùs quàm illud ſuſcipiendi ſacros Ordines extra tempora. Nec his obſtat declaratio Congregationis Concilii, in qua cenſuit, ſuperiores Regulares non poſſe diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper Interſtitiis, ſed remiſſionem eorum etiam quoad Regulares ex cauſis tantùm à Concilio expreſſis faciendam pertinere ad Epiſcopum ordinantem, eum tamen hac in re debere quoad cauſas deferre judicio & atteſtationi ſuperioris Regularis ordinandi; hæc enim declaratio intelligenda eſt, quantum eſt de Jure communi & ſecluſis privilegiis, cum quo optimè ſtat, quòd idipſum per privilegium competat Regularibus: nec ullo modo potuit illa declaratio enervare privilegia ipſo Tridentino poſteriora: unde ſufficit vigore dictorum privilegiorum, quòd Prælati diſpenſent cum ſuis Regularibus in prædictis Interſtitiis: id quod etiam per hoc fieri poteſt, dum eos mittunt ad Epiſcopum ordinandos extra tempora tribus diebus ſive continuis ſive interpolatis; atque ita reipſa docent Suarez *to. 4. de Relig. tract. 8. L. 2. cap. 12.* Sanchez *de Ordin. dub. 54.* de la Cruz *part. 2. de Sacram. Ordin. dub. 2. concluſ. 2.* Rodriquez *to. 1. q. 13. art. 6.* Sporer *Theol. Sacram. part. 1. cap. 1. S. 4. n. 122.* Diana *part. 3. tr. 2. Reſolut. 32.* & alii ab his citati; quibus licèt ſic ſtantibus ſolent plerumque ſuperiores Regulares, quo benevolentiores habeant Reverendiſſimos DD. Epiſcopos, ex modeſtia rogare, ut in Interſtitiis diſpenſent cum ſuis Religioſis, & rectè omninò; cùm enim diſpenſatio Prælati ſit inutilis, niſi Epiſcopus annuat, & hic non facilè annuat, niſi rogatus à Prælato præſentantis, unde utriusque hac in re requiritur conſenſus, ùt etiam obſervat Paſſerinus *n. 838.* licèt autem diſpenſatio in Interſtitiis pertineat ad Epiſcopum, tenetur is tamen credere Prælato teſtificanti ſubſiſtere diſpenſandi cauſam, prout ſtatuit ſupra-relata Concilii declaratio, ac docent Rodriquez *to. 3. q. 24. art. 3.* & alibi ſæpiùs. Riccius *in Prax for. Deciſ. 561.* Barboſa *de Offic. Epiſc. part. 2. alleg. 18. n. 10.* & alii communiter, quos citat & ſequitur Tiberius *cap. 8. quaſt. 58.* Cauſæ porrò diſpenſandi in Interſtitiis afferuntur à Tridentino duæ, nempe utilitas & neceſſitas Eccleſiæ, quæ utraque requiritur copulativè ad diſpenſandum inter Diaconatum & Presbyteratum, ùt habetur *ſeſſ. 23. cap. 14.* Ad diſpenſandum verò inter Minores & Subdiaconatum requiritur alterutra disjunctivè, neutra tamen inter Subdiaconatum & Diaconatum, ſed ſufficit quævis rationabilis cauſa, ùt iterum deſumitur ex eodem Concilio *cap. 13.* Utilitas autem Eccleſiæ tunc cenſetur eſſe, quando adſunt quidem idonei Miniſtri, ſed inſuper aliis indiget, quò meliùs ei deſerviatur: neceſſitas verò, quando pluribus indiget Miniſtris, ut injunctis poſſit oneribus ſatisfacere, & ritè pias obire func-

ctiones; quæ omnia juxta virorum prudentûm arbitrium ſpectatâ conditione ac ſtatu loci & temporis determinanda ſunt: qua in re tamen non ad rigoroſum verborum ſenſum, ſed ad eum, qui rebus moralibus accomodatior eſt, attendendum eſt. Cæterùm cùm etiam Societati Jeſu conceſſum ſit à Gregorio XIII. privilegium, ut ejus alumni ad ſacros Ordines promoveri poſſint absque ulla in eisdem Ordinibus priùs obita functione, eodem quoque privilegio frui poſſunt alii Regulares privilegiorum communicationem habentes.

49 Jam verò, quod attinet ætatem ad ſuſcipiendos ſacros Ordines requiſitam, ſciendum eſt, nullam ad Ordines etiam ſacros validè recipiendos neceſſariam eſſe certam ætatem, ita quidem, ut etiam infans & ante uſum rationis validè ordinari poſſit, ùt poſt S. Thomam *in 4. diſt. 25. quaſt. 2. art. 1.* docet communiſſima Authorum ſententia. Hæc tamen infantium Ordinatio ſemper fuit reprobata, nec unquam uſurpata, non quidem ex neceſſitate præcepti, ſed ex honeſtate ac convenientia, ùt ipſe etiam docet S. Thomas loc. cit. donec tandem Ordinatio infantium in quocunque Ordine etiam prima Tonſura abſolutè prohibita fuit à Bonifacio VIII. *cap. Nullus. 4. de Tempor. Ordinat. in 6.* Nulla tamen antiquitùs certa videtur ætas pro SS. Ordinibus deſignata, usquedum Patres Synodi Neocæſarienſis ſub Sylveſtro Papa Año 316. celebratæ *cap. 11.* præceptum ediderunt, quòd ante annum trigeſimum Presbyter non ordinetur, quia D. N. JEſus Chriſtus trigeſimo anno baptizatus eſt, & prædicavit. Idem ſtatutum fuiſſe videtur à Syricio Papa *Can. 3. diſt. 77.* & à Zoſimo *Can. 2. eâdem.* ac denique in Concilio Agathenſi ſub Symmacho Papa circa annum 506. habito prohibetur, ne quisquam præſumat Presbyterum vel Epiſcopum ante triginta annos ordinare. Ætas verò pro Diaconatu præfixa fuit in Concilio Carthaginenſi 3tio. ſub Syricio Papa circa annum 390. celebrato ad annum vigeſimum quintum, cui concordant Arelatenſe 3tium. *Can. 1.* & Aurelianenſe 3tium. *Can. 6.* Pro Subdiaconatu denique definita erat ætas viginti annorum, ùt habetur ex Epiſt. 1. Syricii Papæ ad Hymerium Tarraconenſem *cap. 9. Can. quicunque 3. diſt. 77.* quam ætatis rationem pro ſingulis Ordinibus ſacris ſervavit antiquitùs etiam Orientalis Eccleſia; de qua varia temporum antiquorum diſciplina latè Thomaſſinus *de nova & veteri diſciplina part. 1. L. 2. cap. 67. & ſeqq.* poſtea tamen ſucceſſu temporis hæc ipſa Juris ac Conciliorum diſpoſitio & obſervantia neglecta eſt, ac ſenſim introducta fuit conſuetudo, qua Subdiaconi decimo octavo, Diaconi vigeſimo, ac Presbyteri 25to. ætatis anno ordinari cœperunt, quodipſum denique in Concilio generali Viennenſi ſub Clemente V. An-

Anno 1311. per 300. Epiſcopos celebrato univerſali lege ſtatutum fuit: Generalem Eccleſiæ obſervantiam volentes antiquis Juribus in hac parte præferri; decernimus, ut (alio non obſtante impedimento Canonico) poſſit quis liberè in decimo octavo ad Subdiaconatûs, in vigeſimo ad Diaconatûs, & in vigeſimo quinto ætatis ſuæ anno ad Presbyteratûs Ordines promoveri: prout etiam refertur *Clement. 3. de ætat. & qual. præficiend.*

50 Verùm contra hanc Concilii Generalis diſpoſitionem obtinuêre diverſorum Ordinum Regulares plura privilegia, vi quorum poterant abſoluto vigeſimo ſecundo ætatis anno ad S. Presbyteratûs Ordinem promoveri; ſic enim Sixtus IV. conceſſit Carmelitis in Bulla: *Sedis Apoſtolica. Anno 1483.* ut ſi contingat in eorum domibus tot Fratres in ſacerdotio conſtitutos non exiſtere, qui ſufficiant pro Miſſis & aliis Officiis divinis in Eccleſiis earundem domorum celebrandis, Prioribus dictarum domorum reſpectivè pro tempore exiſtentibus, quòd aliquot ipſorum Fratres in vigeſimo tertio ſuæ ætatis anno conſtitutos aliàs idoneos in numero ſufficienti, prout expedire cognoverint, ad ſacerdotium per Ordinarios locorum promoveri facere poſſint. Similiter Innocentius VIII. in Bulla: *Tuis ſupplicationibus. Anno 1486.* indulſit Eremitis S. Auguſt. ut viginti quinque dicti Ordinis Profeſſores, qui nunc ſunt & pro tempore perpetuò erunt, poſtquam 22dum. eorum ætatis annum attigerint, poſſint ad Presbyteratûs Ordinem aſſumi. Idem vivæ vocis oraculo pro toto Ordine Minorum conceſſit præfatus Innocentius VIII. quòd poſtquam Fratres attigerint vigeſimum tertium annum ætatis, poſſint promoveri ad ſacerdotium & celebrare Miſſas. Alexander VI. quoque permiſit Monachis Monaſteriorum Sublacenſis, Specûs & Farfenſis Ord. S. Benedicti in Bulla: *Exponi nobis. 10. Febr. Anno 1495.* ut qui vigeſimum quintum annum nondum attigerint, ad Presbyteratûs Ordinem promoveri, & poſtquam promoti fuerint, miniſtrare liberè valeant. Julius II. pariter indulſit Minimis in Bulla: *Dum ad Sacrum. 5to. Calend. Auguſt. Anno 1506.* quòd Fratres hujuſmodi in vigeſimo ſecundo ſuæ ætatis anno tunc & pro tempore conſtituti ad Presbyteratûs Ordinem, aliàs tamen ritè, ſe promoveri facere liberè poſſent. Leo X. in Bulla: *Sacra Religionis jugo. 17. Novembr. Anno 1514.* conceſſit etiam Ciſtercienſibus, ut eorum Monachi 22dum. ætatis annum pro tempore attingentes ad omnes ſacros & Presbyteratûs Ordines promoveri licitè valeant. Idem quoque Leo X. in Bulla: *Exponi nobis. 27. April. Anno 1514.* indulſit Camaldulenſibus, ut ſingulis annis diſpenſare poſſint quatuor Monachos 22dum. ſuæ ætatis annum attingentes, ut ad Presbytera-

Digitized by Google

teratûs Ordinem à quocunque Catholico Antiſtite promoveri liberè & licitè valeant. Idem eisdem iterum absque ulla reſtrictione aut numero permiſit Clemens VII. in Bulla: *Inter multiplices curas. Anno 1529.* poſtmodum confirmata à Paulo III. in Bulla: *Rationi congruit. 3. Novembr. Anno 1534.* Quibus aliiſque pluribus privilegiis moti Chriſtophorus à Capite Fontium *in Compend. V. diſpenſatio, §. 14.* Alviſet *ſect. 3. §. 2. n. 13.* aliique plures affirmant abſolutè poſſe ſuperiores Regularium vi privilegiorum hactenus relatorum etiam diſpenſare in ætate ad ſuſcipiendos SS. Ordines per Tridentinum requiſita. Verùm cùm hæc omnia privilegia ante dictum Concilium fuerint conceſſa, hinc abſolutè

51 Dico 3tiò. *Privilegia ſuſcipiendi ſacros Ordines, ante præſcriptam per Tridentinum ætatem, hodie manent revocata: adeóque nullus Regularis poteſt ampliùs ad Subdiaconatum ante vigeſimum 2dum, ad Diaconatum ante 23tium, & ad Presbyteratum ante 25tum ætatis annum promoveri.*

Ita certa hodie, & inter Authores tam Theologos quàm Canoniſtas recepta ſententia, eáque habetur expreſſa in ipſo Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 12.* ubi ſtatuitur: Nullus impoſterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante 22dum, ad Diaconatûs ante 23tium, ad Presbyteratûs ante 25tum ætatis ſuæ annum promoveatur: Regulares quoque nec in minori ætate ordinentur privilegiis quibuscunque quoad hoc penitùs excluſis; cúmque præterea non conſtet de ullo privilegio poſt dictum Concilium ſuper hac re conceſſo, certum eſt, haud ampliùs licere hodie diſpenſare Prælatis in ætate à Concilio præſcriptâ, idque confirmat praxis univerſalis, quâ videmus, à quibuscunque Ordinibus hac in re pro diſpenſatione ad ſedem Romanam recurri. Neque audiendi ſunt Authores illi, qui volunt, quòd Regulares adhuc hodie poſſint in foro conſcientiæ uti privilegiis etiam expreſsè per Tridentinum revocatis, conſequenter & illo ſuſcipiendi SS. Ordines ante ætatem à Tridentino requiſitam, prout Minoribus S. Pium V. vivæ vocis oraculo declaráſſe ferunt *13. Martii Anno 1566.* Nam relatum Tridentini decretum etiam poſt Pium V. confirmatum fuit à Sixto V. in Bulla: *Sanctum & ſalutare 5to. Januarii Anno 1588.* & licèt hæc moderata fuerit in aliquibus à Clemente VIII. per Bullam: *Romanum Pontificem. 28. Febr. Anno 1595.* hoc ipſum tamen factum eſt juxta terminos

nos ac diſpoſitionem Concilii Tridentini. Deinde hæc ſententia: Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum, eſt ipſiſſima propoſitio numero 36. ab Alexandro VII. damnata: ſed ſententia aſſerens, poſſe Regulares uti in foro conſcientiæ privilegio ſuſcipiendi SS. Ordines ante ætatem à Tridentino requiſitam, licèt expreſsè per iſtud revocatum ſit, continetur in propoſitione illa damnata, tanquam particularis in univerſali: ergò etiam eſt damnata. Cæterùm quod ſpectat ad annos ætatis pro ſingulis Ordinibus ſacris à Tridentino requiſitos, non eſt neceſſe, ut ſint completi, ſed ſufficit, quòd ſint inchoati juxta communiſſimam DD. ſententiam cum Navarro *Man. cap. 23. n. 116.* Sanchez *Conſil. Moral. L. 7. cap. 1. n. 33.* Paſſerino *quæſt. un. n. 20.* & conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ decretum Tridentini ſic ſemper intellexit; ſufficit autem annum à Concilio pro quolibet Ordine deſignatum, eſſe inchoatum etiam per unicum diem, ùt cum pluribus aliis à ſe citatis docet Sanchez n. 4. imò ſi per dimidium diem, ùt idem Sanchez n. 7. Bonacina *D. 8. de Sacram. punct. 5. n. 12.* Coninck. *de Sacram. Diſp. 20. n. 102.* Diana *part. 2. tr. 16. Reſol. 29.* quin imò ſufficere, ſi per dimidium quadrantem, cenſet Leander apud Dianam *part. 9. tr. 9. Reſol. 50.* Ratio eſt; quia tunc nihilominus propriiſſimè dicetur, quòd non ſit ordinatus ante annum v. g. 25tum. Unde Authores communiter ſcribunt, ſufficere, quòd quis attigerit illum annum; an autem ſufficiat, quòd annus ætatis præſcriptus ſit moraliter inchoatus, an verò requiratur, ut ſit phyſicè incœptus: & utrum in ætate ordinandorum habenda ſit ratio dierum bisſextilium, latè tractat, & rem hanc pluribus caſibus practicabilibus illuſtrat Gobat *in Theolog. experiment. Tract. 8. Caſu 13.*

Ex hoc ipſo porrò, quòd Regulares non poſſint ampliùs ante ætatem à Tridentino præſcriptam ad SS. Ordines promoveri, ſequitur etiam, quòd illi ſint ipſo Jure ſuſpenſi, ſi ſacrum aliquem Ordinem ante legitimam ætatem ſuſcipiant, & ſiquidem etiam durante hujusmodi ſuſpenſione in iisdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo etiam incurrant irregularitatem, prout in terminis ſtatuit Pius II. in ſua Conſtitutione expreſsè hanc in rem edita, quæ incipit: *Cùm ex Sacrorum. 15. Calend. Decembr. Anno 1461.* quam deinde Sixtus V. in Bulla: *Sanctum & ſalutare. 510. Januar. Anno 1588.* innovavit, & Clemens VIII. in Bulla: *Romanum Pontificem. 28. Febr. Anno 1595.* quoad hoc punctum confirmavit ſequentibus verbis: pœnis & cenſuris per Conſtitutionem Pii II. cujus tenorem pro expreſſo haberi volumus, Conciliúmque Tridentinum injunctis, ſalvis & firmis remanentibus. Ne- 52

que dicas: prædictam Pii II. Conſtitutionem non comprehendere Regulares ante legitimam ætatem promotos; cùm in ea nulla de Regularibus fiat mentio, ſed tantùm de Clericis, ùt eam legenti patebit: nomine Clericorum autem in odioſis non veniunt Regulares, quia odia reſtringenda ſunt, & favores ampliandi. *Reg. Jur. 15. in 6.* & ideò interdictis Clericis non cenſeri interdictos Regulares docent quamplures Authores, non alia ducti ratione, quàm quòd in materia pœnali & odioſa non veniant Religioſi ac Clauſtrales nomine Clericorum ſæcularium, de quibus tamen ſolis loqui videtur ſupradicta Conſtitutio Piana. Verùm etſi hæc ita ſe habeant quantum ad alia, præſertim quæ concernunt vel Clericos tantùm, vel tantùm Regulares, quando tamen agitur de materia utrumque æqualiter tam Clericum Regularem quàm ſæcularem reſpiciente, ùt est in præſenti caſu materia Ordinum recipiendorum, ut non recipiantur ante legitimam ætatem, nulla prorsùs inter ipſos differentia cognoſci poteſt: & ideò Clerici nomen, quo Pius II. in ſua Conſtitutione fuit uſus, in hoc ſenſu univocum eſt & nomine ac definitione convenit ac comprehendit Clericos tam Regulares quàm ſæculares: & ideò concludendum eſt, Religioſos ante legitimam ætatem ad SS. Ordines ſe promoveri facientes ipſo Jure ſuſpenſionem à ſuſceptis Ordinibus incurrere; prout docent Miranda *to. 1. q. 39. art. 6.* Aloyſ. Ricciul. *in deciſ. Cur. Archiep. Neapol. deciſ. 130. part. 4.* Portel. *in dub. Regul. V. Ordines ſacri. n. 13.* D. Auguſt. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. Allegat. 16. n. 24.* quos citat & ſequitur Tamburin. *to. 2. D. 2. q. 15. n. 8.* & alii communiter. Tametſi verò etiam dicta Pii II. Conſtitutio ſolos voluiſſet comprehendere Clericos ſæculares, prout ſatis probabile videtur, non tantùm quòd nullam omninò fecerit Regularium, ſed etiam ideò, quòd tunc temporis plerique ex hiş vigore ſuorum privilegiorum, quibus nullibi derogatum fuerat, potuerint extra tempora à quocunque Catholico Antiſtite ſine dimiſſoriis proprii Epiſcopi, atque 18vo. ad Subdiaconatum, 20. ad Diaconatum, & 22do. ætatis anno ad Presbyteratum promoveri: ea tamen Pii II. Conſtitutio poſt Concilium Tridentinum ad cujusvis Ordinis ac Militiæ Regulares expreſsè fuit extenſa à Sixto V. per citatam Bullam: *Sanctum & ſalutare*, in qua renovat dictam Conſtitutionem Pianam hiſce verbis: Pii II. veſtigiis inhærentes eosdem Clericos ſæculares vel cujusvis Ordinis aut Militiæ Regulares poſthac malè promotos ab executione, miniſterio, & exercitio Ordinum ſuſceptorum perpetuò ſuſpenſos declaramus, & ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, etiam irregulares; quam ipſam Sixti V. Bullam ac diſpoſitionem quoad hoc punctum unà cum præcedente Pii II. Conſtitutione ita confirmat

Cle-

Digitized by Google

Clemens VIII. ut ejus etiam tenorem pro inſerto velit habere, pœnis & cenſuris per eandem Conſtitutionem Pii II. & Concilium Tridentinum injunctis, ſalvis & firmis remanentibus; quibus nullus relinquitur dubitandi locus, quin Regulares etiam cujuscunque Ordinis ante legitimam & à Tridentino præſcriptam ætatem ad SS. Ordines ſcienter promoti, incurrant ipſo facto ſuſpenſionem, ſi non virtute Conſtitutionis Pianæ, ſaltem vigore Bullæ Sixtinæ ac Clementinæ priorem illam Pii II. Conſtitutionem renovantium & confirmantium.

53 Ex hac ipſa quoque Bulla Sixti V. habemus, dictam ſuſpenſionem eſſe perpetuam ac tamdiu durare, usque dum illâ irretitus fuerit abſolutus; declarat enim S. Pontifex ibi, *ſic ordinatos perpetuò ſuſpenſos*, ùt etiam tradunt Rebuffus *in praxi beneficiar. part. 2. de Cleric. ad SS. Ordin. promot.* Gonzalez *in cap. 14. de tempor. Ordin. n. 7.* Toletus *L. 1. cap. 21.* Bonacina *de Sacram. D. 8. quæſt. un. punct. 1. n. 13.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. Alleg. 16. n. 10.* Lezana *in ſum. part. 1. cap. 14. n. 2.* Tamburin. *D. 2. q. 15. n. 4.* Roſſignol. *q. 3. a. n. 16.* Paſſerin. *Q. 189. art. 10. n. 844.* Card. Petra *ad Conſtit. 7. Pii II. ſect. un. n. 13.* & alii multò communiùs, idque provenit ex natura rei, cùm cenſuræ abſolutè prolatæ ſimpliciter durent usquedum relaxentur, & ſuſpenſus ab illis abſolvatur. Ab hac tamen ſuſpenſione abſolvere poſſunt Prælati tum Canonicorum tum aliorum Regularium, atque etiam cum eis diſpenſare in irregularitate exinde contracta, cò quòd miniſtraverint in Ordine malè ſuſcepto, à quo fuerant ſuſpenſi, ùt præter alios docent Vivaldus *1. p. Candel. aur. Tit. 15. n. 37.* Suarez *de Cenſur. D. 31. S. 1. n. 32.* Bonacina *de Cenſur. D. 3. q. 6. punct. 5.* Peyrinis *ad Conſtit. 1. Julii II. n. 34.* & *de Prælat. q. 3. c. 7.* Henriquez *L. 14. c. 20.* Portellus, *V. Ordines ſacri. n. 14.* Tamburin. *to. 2. D. 2. q. 13. n. 14.* & nos alibi ex inſtituto. Prædicta tamen abſolutio, à ſuſpenſione & diſpenſatio in irregularitate concedenda, eſt primùm poſt adeptam legitimam ætatem, ùt iterum docent Suarez *to. 4. de Relig. L. 5. cap. 15.* Navarrus *conſil. 9. de tempor. Ordinat.* Barboſa *ad cap. 12. Trident. ſeſſ. 23.* Roſſignol. *p. 1. de Ordin. quæſt. 11. art. 9. n. 24.* Paſſerin. *l. c. n. 846.* plures alios referens; quia ad abſolvendum à ſuſpenſione, & diſpenſandum in irregularitate requiritur eadem ætas, quæ requiritur à Tridentino ad SS. Ordines ſuſcipiendos: ſed ad hos requiritur ætas legitima & à Tridentino præſcripta: ergò etiam hæc requiritur ad abſolvendum à ſuſpenſione, & diſpenſandum in irregularitate; id quod etiam ex praxi S. Pœnitentiariæ confirmatur, quæ hac in re non aliter abſolutionem à ſuſpenſione, & diſpenſationem ab irregularitate impertitur, quàm ſub clauſula: dum-

Digitized by Google

modo de præſenti habeat ætatem, aut dummodo legitimam ætatem expleverit, quin imò teſte Card. Petra *l c. n. 23.* neceſſarium omninò eſt, ut Ordinatus habeat legitimam ætatem tempore gratiæ obtentæ, ut ea poſſit executioni demandari, nec ſufficit, quòd ætatem habeat tempore executionis gratiæ. Quamvis autem Bonacina *de Cenſur. D. 3. q. 1. punct. 1. n. 9.* & *de Sacrament. D. 8. q. un. punct. 5. n. 13.* cum aliis exiſtimet, quòd hæc etiam irregularitas incurratur ab eo, qui ante legitimam ætatem ordinatus ac propterea ſuſpenſus, celebrat Miſſam cum Epiſcopo, in qua ordinatur: negant id tamen Barboſa *in cap. 12. Trident. ſeſſ. 23. n. 7.* Pax-Jordanus *to. 1. L. 3. de ſe. Sacra. tit. 6. n. 218.* Diana *part. 5. tr. 10. Reſol. 37.* Card. Petra *n. 20.* & alii ab his citati, quorum ſententia ſicut longè communior eſt ac probabilior, ita quoque in praxi recepta eſt; quia actiones illæ, quæ exercentur ab ordinatis cum Epiſcopo, non cenſentur actus moraliter diſtincti ab ipſa ordinatione: cùm igitur ſuſpenſio incurratur ratione ordinationis, non poterit incurri irregularitas propter illa miniſteria, quæ ſunt circumſtantiæ neceſſariæ ad illam actionem ordinationis. Idque procedit etiam de Diacono & Subdiacono, qui in Miſſa Epiſcopi ordinantis cantant Evangelium & Epiſtolam; quia tamdiu durare cenſetur Ordinatio, quamdiu durat illa Miſſa, quæ eſt quaſi pors totius Ordinationis: ergò etiam omnes actiones ſub ea peractæ cenſentur eſſe pars Ordinationis, & moraliter loquendo ab ea ſunt indiſtinctæ. Quemadmodum autem irregularitas hæc non incurritur per actus in Miſſa Ordinationis exercitos, ita neque incurritur juxta communem DD. ſi ordinatus exerceat Ordines ritè ſuſceptos, ſed tantùm quando exercet actum Ordinis malè & illegitimè ſuſcepti; ſic enim, qui malè ſuſcepit ſacerdotium, & ritè Diaconatum vel Subdiaconatum, canendo Epiſtolam vel Evangelium etiam ritu ſolemni, non fit irregularis: fit autem, ſi Miſſam celebret, aut alios exerceat actus, ſacerdoti proprios, ùt docent Suarez *de Cenſur. Diſp. 31. ſect. 1. n. 18.* Bonacina *de ſuſpenſ. in particul. quæſt. 1. punct. 1. n. 8.* Diana *part. 2. tr. 4. Reſol. 182.* Theſaurus *de pœnis part. 2. cap. 1. n. 2.* Pignatel. *to. 10. Conſult. 159. n. 17.* Verùm contraria ſententia videtur eſſe conformior Conſtitutioni Pii II. utpote in qua expreſsè dicitur, quòd omnes & ſinguli, qui abſque Canonica ante legitimam ætatem ad aliquem ex SS. Ordinibus ſe fecerint promoveri, à ſuorum Ordinum executione ipſo Jure ſuſpenſi ſint; & ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in iiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant. Ex quibus patere videtur, quòd ſi unum Ordinem malè ſuſceperint, ſive ùt ibi dicitur: ad aliquem ex SS. Ordinibus ſe fecerint

pro-

promoveri, remaneant ſuſpenſi ab omnibus, ùt indicant illa verba: à ſuorum Ordinum (non autem à ſui Ordinis malè ſuſcepti) executione ipſo Jure ſuſpenſi ſint; quod ampliùs declarant verba ſubſequentia: *Si in iisdem Ordinibus* (ſcilicet ſuis) *miniſtrare præſumpſerint*, irregularitatem incurrant. Non enim poſſent incurrere irregularitatem, miniſtrando in Ordinibus etiam benè receptis, niſi fuiſſet etiam ab iis ſuſpenſio contracta, ùt explicat Fagnanus *in cap.* 14. *de tempor. Ordinat. n.* 11. *&* 14. & Marcus Leo, *in praxi S. Pœnitent. part.* 3. apud Card. Petra *l. c. n.* 10. quo teſte datur in eadem S. Pœnitentiaria abſolutio hujusmodi malè ordinatis à ſuſpenſione incurſa quoad omnes Ordines, quos habent, etſi in uno tantùm recepto ante ætatem peccaverint; imò injungitur, ut Confeſſarius eos retineat ſuſpenſos ab Ordinibus omnibus per aliquot tempus pro ſuo arbitrio, prout ex eodem Marco Leone l. c. notat dictus Eminentiſſimus Card. Petra *n.* 10. ab incurrenda porrò hac pœna ſuſpenſionis excuſatur ille, qui bona fide & ex ignorantia invincibili ante legitimam ætatem promovetur ad SS. Ordines, ut ſi quis credens matri aſſerenti, ſe præſcriptam à Tridentino ætatem jam adeptum, ſuſcipiat SS. Ordines; quia Jura imponentia ſuſpenſionem ob malè ſuſceptos Ordines loquuntur expreſsè de illis, qui ſe temerè promoveri faciunt ante legitimam ætatem, aut aliàs illegitimè, prout etiam Pius II. in ſua Conſtitutione in terminis ait: *nos eorundem temeritatem tali caſtigatione reprimentes*, quibus S. Pontifex ſupponit aliquam præceſſiſſe temeritatem, ad quam ſufficit ignorantia craſſa & ſupina, vel negligentia culpabilis in inquirenda legitima ætate, quemadmodum Theſauro *part.* 2. *cap.* 1. teſte docent Authores communiter. Quamvis autem aliquis bona fide & ex ignorantia invincibili ſuſcipiens S. Ordinem ante legitimam ætatem, non incurrat hanc ſuſpenſionem, nec irregularitatem, etiamſi durante illa miniſtret in ſuſcepto taliter Ordine ſacro, ſi tamen poſt Ordinationem cognoſcat, ſe necdum requiſitam pro tali Ordine ætatem adeptum eſſe, manet ipſo facto ſuſpenſus, usque dum ad legitimam pervenerit ætatem, quâ adeptâ eundem absque aliqua diſpenſatione exercere poterit: ſi tamen interim ſciens ſe necdum illam attigiſſe, in ſuo cœpto Ordine miniſtret, ipſo facto incurreret irregularitatem; hæc enim notitia facit, ut taliter etiam bona fide ordinatus jam agnoſcat ſe incurriſſe ſuſpenſionem ob malam Ordinis ſuſceptionem, ſimúlque admonet, ne illum impoſterùm audeat exercere: unde abſtinere ſe debet ab illo, & niſi abſtinuerit, incurret irregularitatem, cùm bona fides & ignorantia jam deſièrint. *cap.* 9. *de Cleric. excom. Miniſt. & Gloſs. ibidem.*

 DIS-

DISPUTATIO III.

De poteſtate Prælatorum res ſacras benedicendi, conſecrandi, confirmandi, & ſacrum Chriſma conficiendi.

Benedictio pro ſacra actione ſumpta communiter definiri ſolet, quòd ſit profanitatis & nequitiæ excluſio atque ſanctificationis infuſio; nam omnis benedictio principaliter dirigitur ad detergendam alicui rei profanitatem, & ad repellendam immundorum ſpirituum nequitiam, per quod ſanctitas rebus benedictis infunditur, vel ad benefaciendum hominibus *Can. Aquam 20. de Conſecrat. diſt.* 3. ùt eſt benedictio aquæ, candelarum, domûs, panis, aliorúmque, quæ à ſimplici quoque ſacerdote benedici poſſunt: vel ad res quaſdam divino cultui dicandas, ùt ſunt ornamenta ac paramenta, Oratoria & Eccleſiæ, aliæque res, quæ vel ad ſacrificium Miſſæ, vel ad cultum divinum pertinent, quarum omnium benedictio de Jure communi ſolis competit Epiſcopis, non quidem, quòd iſtæ ſanctificationes & benedictiones ſint Ordinis Epiſcopalis, aut Jure divino inſtitutæ, ſed quia laudabilis conſuetudo ab Eccleſia approbata id obtinuit, adeóque Epiſcopis ſolùm competunt ex inſtitutione Eccleſiæ, quas ad majorem reverentiam rebus ſacris conciliandam noluit ab alio quàm Epiſcopo fieri ſaltem de Jure ordinario. Hoc ipſo autem, quòd hujusmodi rerum ſacrarum benedictiones ab Eccleſia ſint inſtitutæ, poſſunt illæ quoque de abſoluta S. Pontificis auctoritate, utpote ſupremi Eccleſiæ capitis ac Chriſti Vicarii, committi aliis, atque iis etiã, qui nullo Epiſcopali ſed ſacerdotali tantùm Ordine ſunt inſigniti: ad eam enim poteſtatem pertinet alicujus actionis deſignare Miniſtros, quæ illam inſtituit: ſed Eccleſia rerum ſacrarum inſtituit benedictiones: ergò ad eandem quoque pertinet earum deſignare Miniſtros, ſive dein Epiſcopos, quibus id Jure ordinario commiſit, ſive Prælatos alios, quibus idipſum ex privilegio concedere poteſt; ſicut autem S. Pontifex Prælatis concedere poteſt rerum ſacrarum tam ad ſacrificium Miſſæ, quàm ad cultum divinum pertinentium benedictionem, ita etiam concedere poteſt Prælatis conſecrationem rerum ſacrarum, ùt ſunt calices, campanæ, altaria, aliarúmque ſimilium, in quibus in-

intervenit ſacri Chriſmatis unctio, quæ licèt magis propriè ad Epiſcopum pertineat, quia tamen provenit ex inſtitutione Eccleſiæ, etiam illam concedi poſſe Prælatis defendunt Authores communiter, utpote quæ de Jure communi eam attribuit Epiſcopis, relinquens S. Pontifici facultatem eam Prælatis committendi. Major difficultas eſſe videtur circa conſecrationem Eccleſiarum, an hæc poſſit committi Prælatis Regularibus, in qua licet plerique id fieri poſſe permittant: id tamen communiſſimè negant, factum unquam fuiſſe ad hoc uſque tempus, quod ipſum proportionaliter quoque dici poſſet de collatione Sacramenti Confirmationis, cujus conferendi poteſtatem etſi S. Pontifex concedere poſſit Prælatis, id tamen rariſſimè faciat, niſi ex cauſis urgentiſſimis, & in caſu neceſſitatis publicæ, quod privilegium alicui collatum, an ſit aliis Prælatis communicativum, non immeritò valdè dubitatur, cum ſit exorbitans. Quemadmodum & illud maximè controverſum eſt inter Doctores, an conſecratio ſacri Chriſmatis ad conferendum Confirmationis Sacramentum & ad conſecrandas Eccleſias ac Altaria, campanas & calices neceſſarii poſſit à S. Pontifice committi Prælatis. Quæ omnia cùm maximis obnoxia ſint diſceptationibus, accuratiori examine hic nobis ſunt perpendenda: unde diſputationem hanc in tres Sectiones dividemus, quarum prima aget de poteſtate Prælatorum benedicendi res ſacras, lapidem fundamentalem, Oratoria & Eccleſias, eáſque quovis modo pollutas reconciliandi? Secunda, de poteſtate Prælatorum conſecrandi calices, campanas & Altaria? Tertia denique de eorumdem poteſtate conſecrandi Eccleſias, conferendi Sacramentum Confirmationis, & conficiendi ſacrum Chriſma.

Sectio I.

De poteſtate Prælatorum benedicendi res ſacras lapidem fundamentalem, Oratoria & Eccleſias, eáſque pollutas reconciliandi.

1 NOn eſt nobis hìc ſermo de benedictione rerum illarum, quam etiam dare poteſt quilibet ſimplex Sacerdos, qualis eſt benedictio Palmarum, candelarum, novæ navis, domûs, Agni Paſchalis, panis & aquæ, aliarúmque hujuſmodi, quarum fit mentio in Miſſali Romano, & in ſingularum Diœceſium Ritualibus; cùm enim Prælati ſupponantur

tur eſſe Sacerdotes, dubium haud eſſe poteſt, quin iſta poſſint benedicere, unde de illis nullus hìc nobis erit diſcurſus, ſed de illarum tantùm rerum benedictione hìc erit agendum, quæ vel pertinent ad Sacrificium Miſſæ, ùt ſunt paramenta, vel ad ornatum Eccleſiaſticum, ùt ſunt ornamenta, & alia ſimilia ad ea, qua decet, ſanctimonia divino cultui applicanda ſive conſecranda, cùm conſecrare nil aliud importet, quàm Deo certis verbis dicare ſuper re dedicanda prolatis, ùt habet Barboſa *de Jur. Eccleſ. L. 3. cap. 3.* omnis creatura ſanctificatur verbo Dei, & oratione ex Apoſtoli *1. ad Timoth. 4.* Unde in *Can. detrahe. 54. cauſ. 1. Q. 1.* dicitur: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Hoc autem vel fit ſimpliciter, & ſic largè: vel oleo perfuſo ad gratiam Spiritûs ſancti deſignandam, & ſic ſtrictè ac propriè conſecratio dicitur, de qua in ſequentibus agemus: de illa verò largo modo accepta hic nobis eſt agendum ac inquirendum. 1mò. An Canonicorum aliorúmve Regularium Prælati poſſint benedicere ornamenta ac paramenta ad cultum divinum ac Miſſæ Sacrificium pertinentia pro ſuis ſaltem Eccleſiis? 2dò. An etiam pro alienis? 3tiò. An Decani quoque ac Priores clauſtrales & Vicarii Prælatorum in eorum abſentia poſſint eadem licitè benedicere pro ſuarum ſaltem Eccleſiarum uſu? 4tò. An Prælati ſupradicti poſſunt benedicere Cruces, Imagines ſacras, arma & vexilla bellica? 5tò. An iidem valeant primarium lapidem in Eccleſiæ fundatione ponendum more Pontificali benedicere? 6tò. An Oratoria, capellas, & Eccleſias noviter conſtructas? 7mò. denique An eaſdem quomodolibet pollutas iterum reconciliare poſſint? quibus omnibus ſatisfacturus.

2 Dico 1mò. *Poſſunt Canonicorum aliorúmque Regularium Prælati benedicere quæcunque paramenta, veſtimenta, ornamenta, & alia quævis ad cultum divinum ac Miſſæ Sacrificium pertinentia tam pro Altari, quàm pro Sacerdotibus, etiam corporalia, pro ſuis ſaltem Eccleſiis.* Ita Sixtus IV. Prælatis Canonicorum Regularium Congr. Lateran. in Bulla: *Intelleximus 30. Martii. Anno 1480. Pont. 9.* Innocentius VIII. Prælatis Cann. Regg. Congregat. Bononienſis in Bulla: *Expoſcit veſtra devotionis. prid. Idus Novembr. Anno 1489. Pont. 6.* Julius II. iiſdem in Bulla: *Inter cæteros. 4 Non. April. Anno 1512.* Paulus III. Prælatis Cann. Regg. Congregat. Vallis Scholarium *13. Maji. Anno 1539.* Pius IV. ſupradictis Prælatis Congr. Lateran. *5. Calend. Decembr. Anno 1565. Pont. 6.* idque confir-

firmans Pius V. in Bulla: *Æquum reputamus. 16. Calend. Februarii Anno 1566. Pont. 1.* Omitto alios SS. Pontifices, qui illud ipſum privilegium aliis etiam Ordinibus & particularibus Monaſteriis conceſſerunt, ut illud jam omnibus Religionibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium videatur eſſe commune. Unde Diana *part. 3. tr. 2. Reſol. 15.* & Barboſa *de Jur. Eccleſ. L. 1. cap. 17. n. 82.* cum aliis exiſtimant, jam non eſſe neceſſarium in ſpecie concedere Prælatis facultatem benedicendi paramenta, ſed ſufficere, quòd illis in genere ſit conceſſus Pontificalium uſus abſque alia conceſſione, ſicque etiam ſacram Congregationem Concilii *to. 11. pag. 27.* declaràſſe refert Card. Petra *ad Conſtit. 6. Urbani IV. n. 23.* in una Siracuſana *5. Julii Anno 1607.* hiſce verbis: *Abbas benedictus poteſt primam Tonſuram & pariter minores Ordines ſubditis Regularibus conferre, & omnia ornamenta ſacra benedicere exceptis his, quæ unctionem requirunt, & hæc habet ſolemniter benedicere abſque alia conceſſione.* & in Tornacenſi *die 8. Februarii. 1608. cit. tom. 11. pag. 27.* additur: *quamvis in privilegio mitræ & baculi non fiat mentio.* quin imò plures Authores in ea ſunt ſententia, quòd ſicut per conſuetudinem Epiſcopi ſibi has benedictiones vindicàrunt, ita hæ pariter valeant per inferiores Prælatos contra Epiſcopum præſcribi *per cap. Abbates 3. de privil. in 6.* & *Clementin. attendentes. 2. de ſtatu Monach.* in qua quidem conſuetudine, ac præſcriptione benedicendi paramenta Eccleſiaſtica omnes fermè Prælatos fundari putant; quamvis enim ea, quæ competunt Epiſcopis ratione ſuæ conſecrationis de Jure divino, non poſſint conſuetudine aut præſcriptione acquiri *cap. Quanto. 4. de Conſuet.* cùm conſuetudo non poſſit mutare Jus divinum, poſſunt tamen ea, quæ Epiſcopis ſolùm ex inſtitutione Eccleſiæ conveniunt aut reſervantur, ùt eſt paramentorum Eccleſiaſticorum benedictio, acquiri per conſuetudinem à ſimplici Sacerdote. Verùm generalis hæc conſuetudo videtur omninò fundata in privilegiis antea Prælatis à ſede Apoſtolica ſive particulariter ſive generaliter conceſſis, neque talis præciſè conſuetudo facere poteſt, ut vi illius ea poſſint benedicere, ùt tradunt Barboſa *de Jur. Eccleſ. L. 1. cap. 17. n. 62.* & *63.* & *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 27. n. 36.* ac pluribus citatis Suarez *to. 4. de Relig. tr. 8. L. 2. cap. ult. n. 2. & ſeqq.* Azorius *L. 10. part. 1. cap. 28. quæſ. 2.* Tamburin. *to. 1. D. 22. quæſ. 1. n. 5.* Lezana *in Sum. cap. 18. n. 58.* Card. Petra *l. c. n. 24.* Ratio deſumitur *ex cap. Aqua 9. de Conſecrat. Eccleſ.* ubi Gregorius XI. conſuetudinem, qua in Diœceſi Bracharenſi ſolebat ab Epiſcopis fieri ſimplicibus Sacerdotibus poteſtas reconciliandi Eccleſias conſecratas per aquam ab Epiſcopo benedictam, quando erant pollutæ, vocat corruptelam, hanc addens cauſam: *quia licèt Epiſcopus committere valeat, quæ juriſdictionis exiſtunt; quæ Ordinis ta-*

men Epiſcopalis ſunt (etiam ex inſtitutione Eccleſiæ tantùm) *non poteſt inferioris gradûs Clericis demandare.* Unde conſuetudo hujusmodi potiùs habenda eſt pro ſigno conceſſionis à S. Pontifice ſuper hoc Abbatibus ac Prælatis factæ, quàm quòd per talem conſuetudinem hæc poteſtas tribui valeat, cùm nullo jure ſit expreſſum, quòd ea poſſit acquiri conſuetudine, licèt etiam hæc eſſet immemorialis, cùm eo quoque caſu ſpeciale privilegium præſumeretur, quamvis adeſſet vehemens Juris reſiſtentia, juxta tradita per Rotam *in deciſ. 734.* per totam coram Emerix junior apud Card. Petra l. c. qua de re quoque videri meretur Fagnanus *in cap. quanto. de conſuet. n. 32. & ſeqq.* ubi rem hanc latè exornat. Tametſi verò hujusmodi benedictio paramentorum ſola conſuetudine acquiri non poſſit, certum tamen eſt, eam hodie omnibus Prælatis non tantùm Pontificalium uſum habentibus, ſed etiam aliis, Ordinum quoque Mendicantium Superioribus per plurima SS. Pontificum privilegia competere, pro ſuarum ſaltem Eccleſiarum uſu: & licèt corporalium benedictio reſervata videatur ſoli Epiſcopo *per Can. conſultò. de Conſecrat. diſt.* 1. ubi ſtatuitur, ut Sacrificium Altaris in puro linteo ſeu corporali ab Epiſcopo conſecrato celebretur; id tamen intelligendum eſt tantùm de Jure communi; nam & corporalium quoque benedictionem conceſſerunt plures SS. Pontifices variis Ordinibus Religioſis, & ſolus quidem Innocentius VIII. eam conceſſit poteſtatem Prælatis Canonicorum Regularium Congreg. Lateranenſis Nonis Martii Anno 1486. Congregationi Caſſinenſi Anno 1487. Ordini Ciſtercienſi 5. Idus Apr. Anno 1489. in Bulla: *expoſcit.* Auguſtinianis. Anno 1486. in Bulla: *Vacantibus.* Julius quoque II. idipſum indulſit Canonicis Regularibus Congregationis Bononienſis in Bulla: *inter cæteros. 2. April.* 1512. Idemque Minimis in Bulla: *Dum ad Sacrum. 28. Julii. Anno 1506.* & iterum Auguſtinianis. in Bulla: *Etſi ad benemerendum. 17. Junii. Anno 1508.* & ſic alii Pontifices aliis Ordinibus.

3 Verùm maxima hìc eſt controverſia, & in praxi quotidiana, an Prælati habentes poteſtatem benedicendi ac conſecrandi res ſacras, id poſſint non tantùm pro Eccleſiis ſibi ſubditis, ſed etiam pro alienis, ſi ad eos deferantur? Negant Geminianus *in cap. Abbates. de privil. in 6* Gavantus *in Rubr. Miſſal. part. 2. tit. 1. Sect. 4. dub. 3. diffic. 1. & part. 4. tit. 18. n. 22. & in Manual. Epiſcop. V. Abbas n. 29. & ſeqq.* Barboſa *de Jure Eccl. part. 1. L. 1. cap 18. n. 61. & L 3. cap. 2. n. 32.* Riccius *in prax. part. 1. Reſol. 471. n. 2.* Hieronym. Garzias. *in Sum. tr. 3. difficult. 8. dub. 4. punct. 1. n. 10. & ſeq.* Averſa *de Euchariſt. quæſt. 11. Sect. 13 V. ſextò* Lezana *in Sum. to. 1. part. 1 cap. 18. n. 57. in fin.* Paſſerinus *Q. 189. art. 10. n. 928.* Card. Petra *ad Conſtit. 6. Urbani*

Digitized by Google

bani IV. n. 27. & alii ab his citati. Fundantur Authores iſti præcipuè in declarationibus quibusdam Sacr. Congreg. quas referunt Gavant. Barboſa, & alii. Sic enim declaráſſe fertur Sac. Congregatio Rituum in una nullius Provinciæ Burgenſis 24. Auguſt. Anno 1609. Abbates & alios Prælatos Regulares non poſſe benedicere paramenta Eccleſiarum non ſibi ſubditarum. Idemque rurſus eandem declaráſſe ad favorem Epiſcopi Spoletani 30. Septemb. Anno 1628. & 18. Auguſt. 1629. omninò cenſuiſſe, non habere locum contrariam conſuetudinem, referunt iidem Authores, quibus & ſequentem addunt ſub die 13. Martii. Anno 1632. editam: Abbates, Priores, Guardiani & alii Religionum Prælati, etiam ex Societate JEſu, habentes privilegia benedicendi veſtes ſacras, Cœmeteria & ſimilia, dicto privilegio uti non poſſent, niſi in his rebus, in quibus ſacra Unctio non adhibetur, & pro ſervitio duntaxat Monaſteriorum, & propriarum Eccleſiarum. His omnibus accedit decretum S. Congregationis Rituum authoritate Alexandri VII. editum 27. Septemb. Anno 1659. ubi cap. 18. præcipitur, ut Eccleſiaſticam ſuppellectilem pro ſervitio duntaxat ſuarum Eccleſiarum vel Monaſteriorum benedicant. Nec aliam fuiſſe SS. Pontificum intentionem ejusmodi privilegia concedentium, colligitur ex eo, quòd pleráque talia privilegia expreſsè limitata ſint atque reſtricta ad proprias Eccleſias ac Monaſteria: & quamvis aliqua non ſint ita reſtricta ac limitata, haberi tamen debent pro limitatis; quia clauſula communiter apponi ſolita, ſubintelligitur & habetur pro expreſſa arg. *cap. accepimus. de ætat. & qualit.* & tradunt Authores comuniter apud de Murga *ad Conſtit. un. Gregorii IX. §. 2. n. 9.* cùm igitur clauſula reſtringens Prælatis poteſtatem benedicendi res ſacras ad proprias Eccleſias inſeri ſoleat pleriſque privilegiis, in cæteris, quibus non eſt inſerta, pro expreſſa haberi debet; hinc autem certum eſſe videtur, non poſſe Prælatos res ſacras pro alienis Eccleſiis benedicere neque vigore privilegiorum, quæ ſunt expreſsè limitata ad proprias Eccleſias, neque etiam virtute illorum, quæ quidem non ſunt expreſsè reſtricta, attamen nec extenſa ad alienas Eccleſias; & ratio ulterior eſt, quia licèt privilegia merè favorabilia latè interpretari poſſint, & extendi ad ea, quæ verba patiuntur: in odioſis tamen & quæ cedunt in præjudicium tertii præſertim Epiſcopi Diœceſani, ſtrictè interpretari debent, neque extendi ad non expreſſa: ſed privilegia concedentia poteſtatem benedicendi paramenta aliáſque res ſacras ſunt odioſa & cedunt in præjudicium Epiſcopi Diœceſani; cùm ad eum de Jure communi ſpectet iſta benedicere: ergò hujusmodi privilegia Prælatis conceſſa ad prædicta benedicenda ſtrictè interpretari debent, nec exten-

tendi ad non expreſſa: & per conſequens non poſſunt Prælati vi talium privilegiorum, quæ non ſunt extenſa ad alienas Eccleſias, & multòminùs eorum vigore, quæ ſuêre expreſſè limitata ad proprias Eccleſias, benedicere res ſacras pro alienis Eccleſiis: idque & non plus velle videntur Authores ſupra relati, neque plus evincunt ſupradictæ declarationes Cardinalium; in quo ſenſu veram eſſe hanc ſententiam omninò judico. Verùm cùm plura ſint privilegia diverſis conceſſa, quibus expreſſè poteſtas hæc benedicendi ac conſecrandi res ſacras extenditur etiam ad alienas Eccleſias, hinc remanet difficultas, an non ſaltem Prælati non tantùm illi, quibus hujusmodi privilegiũ eſt expreſsè conceſſum, ſed etiam cæteri, qui cum iſtis in privilegiis pleniſſimè communicant, poſſint benedicere paramenta, aliáſque res ſacras pro alienis Eccleſiis? pro cujus reſolutione

4 Dico 2do. *Poſſunt Canonicorum aliorumve Regularium Prælati paramenta, veſtimenta, aliáſque res ſacras benedicere non tantùm pro ſuis, ſed etiam pro alienis, & extraneis Eccleſiis.*

Ita hodiedum Authores communiter, quos inter Sylveſter *in Summa. V. Benedictio. n. 3.* Caſarub. *in addit. ad compend. privil. Mendic. eodem V.* Suarez. *to. 4. de Relig. tr. 8. L. 2. cap. 30. n. 11.* Rodriquez *to. 1. QQ. Reg. quæſt. 19. art. 2.* Laurentius de Peyrinis *2. p. ritualis notab 8. & 9.* & *ad Conſtit. 1. Julii II. n. 44.* & *de Prælat. Relig. quæſt. 3. cap. 8. n. 2.* Miranda *in Man. Prælat. to. 1. quæſt. 4. art. 3.* Marchinus *tr. 3. de Sacram. Ordin. p. 3. cap. 12. n. 3.* Aſcanius Tamburin. *to. 1. D. 22. quæſ. 2. n. 1. & D. 23. quæſ. 13. n. 1. & ſeqq.* Joan. à Cruce *L. 1. de ſtatu religion. cap. 5. d. 2.* Paſqualigo *de Sacrif. novæ legis to. 2. quæſt. 803.* Dubal. *in Expoſit. regul. S. Aug. p. 1. cap. 18. n. 47.* Antonius à Spiritu S. *tr. 2. D. 1. n. 13.* Virginius Alviſet *Sect. 3. cap. 2.* Thomas Tamburin. *Opuſc. de Sacrif. Miſſ. L. 1. cap. 3. §. 2. n. 3.* Petrus de Murga *ad Conſtit. un. Gregorii IX. §. 2. à n. 10.* Bonagratia *V. Benedicere n. 59.* Gobat. *Theol. experim. tr. 3. caſ. 11. n. 359.* Sporer. *Theol. Sacram. part. 2. cap. 6. ſect. 3. §. 2. n. 411.* Rotarius *to. 3. L. 2. cap. 2. punct. 1. n. 6.* & alii plures ab his citati.

5 Probatur autem concluſio noſtra 1. ex diverſis SS. Pontificum privilegiis hanc in rem conceſſis; ſic enim Sixtus IV. ùt refert Margarinus in Bullar. Caſſinenſ. *to. 1. Conſtit. 96.* quæ incipit: *Aliàs. 13. Martii Anno 1483.* conceſſit Abbatibus S. Mariæ de Florentia, ut benedictionem veſtimentorum Sacerdotalium, corporalium, & ornamentorum Altaris tam pro dicti Monaſterii

ſterii, quàm etiam pro quorumcunque accedentium uſu elargiri poſſint; & licèt aliqui cum Lezana *in Sum. to.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *n.* 57. privilegium iſtud inter vivæ vocis oracula referant, atque adeò per Gregorium XV. & Urbanum VIII. revocatum eſſe putent, contrarium tamen clarè patet ex ipſis S. Pontificis verbis, cujus narrativa ſic habent: *Aliàs cùm expoſuiſſet nobis, ex conſuetudine antiqua Abbates prædeceſſores in iſta Abbatia tua Corporalia, Altaris linteamina, nec non Sacerdotales & alias divino cultui dicatas veſtes, tam ad Abbatiam ipſius pertinentia, quàm undecunque transmiſſa benedicere conſueviſſe.* Accepta autem hac narratione S. Pontifex Sixtus IV. conceſſit facultatem benedicendi hujusmodi res ſacras pro uſu ipſius Abbatiæ: cùm autem poſtea eidem S. Pontifici fuiſſet ſupplicatum, ut poteſtatem quoque concedere vellet easdem res ſacras benedicendi pro alienis Eccleſiis juxta antiquam conſuetudinem, huic etiam petitioni aſſenſit hiſce formalibus verbis: *ut Monaſterium ipſum tuum Abbatia Florentia túque, & qui pro tempore fuerint Abbates in eo ſtatu & conditione ſitis, quoad prædicta, in quo tu & Monaſterium ipſum eratis ante primam conceſſionem, ſeu declarationem hujusmodi per ſignaturam manu noſtra factam, tenore præſentium annuimus & concedimus.* Ex quibus evidenter apparet, privilegium hoc fuiſſe conceſſum per ſignaturam ſimplicem, quæ diſtinguitur à vivæ vocis oraculo, ùt ipſe cum communi Doctorum tradit Lezana *to.* 2. *V. Oracula vivæ vocis*, ubi ait: unde non ſolùm conceſſiones factæ per Bullam aut Breve non dicuntur Oracula vivæ vocis, ſed etiam illæ, quæ fiunt per ſignaturam Papæ, quando ſcilicet ipſe alicui petitioni ſubſcribit, vel ſolùm ſcribendo *fiat*; quia tales conceſſiones non fiunt oretenus, ſed etiam manu: atqui privilegia per ſimplicē ſignaturā conceſſa non fuerunt revocata per Gregorium XV. & Urbanum VIII. ergò neque relatum hactenus privilegium: & quamvis etiam id eſſet Oraculum vivæ vocis, non tamen cenſeretur eſſe revocatum, cùm poſtea fuerit per plures SS. Pontifices bullatum. Præter dictum privilegium conceſſit aliud ſimile Innocentius VIII. *Anno* 1487. tam Abbatibus Caſſinenſibus quàm Prioribus principale regimen Monaſterii obtinentibus, quòd poſſint benedicere corporalia, veſtimenta, cæteràq; ornamenta Eccleſiæ & ad cultum divinum pertinentia, tam ſuæ Eccleſiæ, quàm etiam undecunque delata, ùt iterum recenſet Margarinus ad fin. Bullar. Caſſin. ex quo infert Tamburin. *to.* 1. *D.* 22. *q.* 2. *n.* 1. Id hodie non amplius eſſe in controverſiam trahendum. Idipſum quoque conceſſit idem Innocentius VIII. Abbatibus Ciſtercienſibus in Bulla: *expoſcit.* 5. *Idus April. Anno* 1489. in hæc verba: cúmque ab aliquibus hæſitetur, an tu & dicti Abbates Pallas & alia ornamenta hujusmodi extra ipſius Ordinis Mona-

Digitized by Google

naſteria, & etiam illa, quæ ad Monaſteria & loca dicti Ordinis non ſpectarent, & an poſſint in quibuslibet aliis Monaſteriis & locis dicti Ordinis utriusque ſexûs benedicere, licèt Abbates prædeceſſores à tanto tempore, citra cujus contrarii memoria non extitit, præmiſſa omnia ſeu majorem partem facere conſueverint. Nos qui Ordinem ipſum præ cæteris in viſceribus gerimus charitatis, & illum intendimus non minoribus gratiis & privilegiis, quam prædeceſſores noſtri fecerint, decorare, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus tuis ac dictis Abbatibus nunc pro tempore exiſtentibus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus prædicta, & quæcunque alia veſtimenta & ornamenta Eccleſiaſtica, corporalibus, vaſculisque ad reponendum ſacram Euchariſtiam, ac Imaginibus quibuslibet comprehenſis, in locis & domibus dicti Ordinis benedicere & Calices conſecrare, tam de dicto Ordine, quàm ſi ad vos aliunde nonnunquam deferantur, poſſitis, ex certa ſcientia indulgemus. Pius V. denique in Conſtitutione ſua, quæ incipit: *Volentes 25. Junii Anno 1571.* omnibus & ſingulis Prioribus tam Provincialibus quàm Conventualibus Ordinis FF. Prædicatorum auctoritate Apoſtolica conceſſit, ut quæcunque veſtimenta, ac paramenta Eccleſiaſtica non ſolùm pro ſuis propriis Conventibus & Eccleſiis, ſed etiam pro aliis tam ſæcularibus quàm Regularibus ſecundum morem S. R. Eccleſiæ benedicere poſſint, non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque, quod privilegium in Archivio Dominicanorum Conventûs Andegavenſis aſſervatur, ubi ſe authenticum vidiſſe teſtatur Auguſtinus à Virgine Maria V. Benedicere. n. 17.

Ex quibus hactenus relatis SS. 6
Pontificum privilegiis ſatis ſuperque conſtat, poſſe Prælatos non tantùm illos, quibus directè & expreſsè conceſſa ſunt, ſed etiam cæteros, qui cum illis privilegiorum communicationem habent, omnia & quæcunque veſtimenta ac paramenta ad cultum divinum ac Miſſæ Sacrificium pertinentia benedicere pro alienis etiam Eccleſiis; verba enim dictorum privilegiorum ſunt clara ac univerſalia, nec ulla reſtrictione coarctantur ad certum locum ſed extenduntur ad omnem & quemcunque ſine ulla exceptione. Neq; ulla eſt ratio, cur iſta privilegia non communicentur aliis, amplam cæteroquin privilegiorum communicationem habentibus, ùt etiam agnoſcunt Authores omnes ſupra relati, qui illa ad omnes cæteros Abbates & Prælatos quorumcunque Ordinum extendunt, qui dictam privilegiorum communicationem habent. Jam verò conſtat ex dictis tractatu I. de communicat. privileg. & ex Bullis SS. Pontifi-

cum

cum ibi relatis, quòd Canonicorum Regularium Prælati ampliſſima hac gaudeant communicatione, & quidem cum Congregatione Caſſinenſi ac toto Ordine Benedictino ejúsque ſingulis Monaſteriis per Bullam Sixti IV. *Dum ad Univerſos. 23. Auguſt. Anno 1477.* Item per Bullam Julii II. *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* & per Bullam Gregorii XV. *Injuncti nobis 23. Auguſt. Anno 1622.* deinde communicant iidem Canonicorum Regularium Prælati in privilegiis cum toto Ordine Ciſtercienſi per Bullam Innocentii VIII. datam Canonicis Windeſemenſibus, & per Bullam S. Pii V. *Ex ſuperna diſpoſitionis. Calend. Sept. Anno 1567.* denique cum Ordine Prædicatorum per Bullam Julii II. *Inter cæteros. 2. April. Anno 1512.* & per prædictam S. Pii V. *ex ſuperna.* Unde dubium non eſt, quin poſſint Canonicorum Regularium Prælati, vi hujus tam amplæ communicationis, benedicere paramenta ac veſtimenta Eccleſiaſtica non tantùm pro ſuis, ſed etiam pro alienis Eccleſiis. Idem autem dicendum de aliorum Ordinum Prælatis ſimilem privilegiorum communicationem habentibus. Neque hactenus dictis officiunt declarationes Cardinalium ſupra in contrarium allatæ: tum quia referuntur ab Authoribus ſine ſubſcriptione Cardinalis Præfecti ac Secretarii S. Congregationis: tum quia non emanârunt de mandato & cum approbatione S. Pontificis ſaltem priores illæ tres; tum quia licèt ita emanâſſent, intelligendæ tamen eſſent de illis tantùm privilegiis, quæ expreſſè ſunt reſtricta ad proprias Eccleſias, aut ſaltem non extenſa ad alienas: non autem de illis, quæ expreſsè concedunt poteſtatem benedicendi prædicta omnia pro alienis etiam Eccleſiis, qualia ſunt modò recenſita privilegia, quæ à ſacra Congregatione nullibi leguntur eſſe revocata, ſed nec revocari poſſunt ſine expreſſo conſenſu ac mandato S. Pontificis, utpote cui ſoli competit Anteceſſorum ſuorum revocare privilegia: quin imò ex ipſis potiùs ſac. Congregationis Concilii declarationibus colligitur, eam nullatenus intendere hujusmodi derogare privilegiis, dum *Anno 1614. die 10. Septembr.* declaravit, ſe nolle ſpecialibus ſedis Apoſtolicæ privilegiis derogare. Nec aliam SS. Pontificibus fuiſſe mentem præſumi poteſt, dum hujusmodi privilegia conceſſerunt, quàm quòd illi tantùm voluerint ea limitatè concedere ad proprias Eccleſias, qui illud expreſſerunt: econtra verò illi voluerint ea illimitatè concedere, qui iſtud expreſſerunt, ac extenderunt ad alienas Eccleſias. (*Adde;* ejusmodi Reſponſa S. Congregationis plerumque referri ad loca particularia, in quibus ob varias circumſtantias etiam declaranda eſt alia Concilii mens, utpote cuivis objecto per Epikiam congrua. Hinc fortè pro exiguis civitatibus, ubi reſident perpetuò Epiſcopi, non eſt conveniens, ut pro ejusmodi benedi-

dictionibus non recurratur ad Epiſcopos ab Eccleſiis ſubditis Epiſcopo. Sed alia eſt ratio in vaſtis Diœceſibus.)

7 Probatur concluſio noſtra 2dò. ex communi praxi & conſuetudine antiquiſſima, in qua exiſtunt plerorúmque Ordinum Abbates & Prælati benedicendi paramenta, ac veſtimenta, aliáſque res ſacras non tantùm pro ſuarum Eccleſiarum uſu, ſed etiam pro alienis Eccleſiis, undecunque ad ſe deferantur benedicenda, de qua plures teſtantur Authores; ſic enim inquit Tamburinus *to. 1. D. 23. quæſ. 13.* certum eſt ex communi praxi & conſuetudine & ex pacifica poſſeſſione, in qua prædicti Abbates communiter reperiuntur, eos poſſe benedicere Pallas Altaris, & quæcunque alia ornamenta Eccleſiaſtica ac corporalia & pixides &c. Idem teſtatur Paſqualigo *de Sacrif. Miſſ. Quæſt. 777. n. 4. & quæſt. 803. à n. 8.* de qua certè praxi, conſuetudine & pacifica poſſeſſione Abbatum meæ Congregationis Benedictinæ Hiſpanæ teſtari benè poſſum, ait Petrus de Murga *ad Conſtitut. 4. & un. Gregorii IX. §. 2. n. 27.* cùm ſæpè ſæpiùs illos viderim iſta benedicere, ac conſecrare calices & Aras, diverſis ex locis ad eorum Cœnobia nullo modo pertinentibus, allatas. De hac ipſa conſuetudine teſtatur Bonagratia Capucinus *in Sumula QQ. Regul. V. Benedicere. n. 65.* dum ſequentia ſcribit; apud Nos privilegium benedicendi ſacras veſtes etiam ad uſum exterorum contra decreta ſeu declarationes hujusmodi S. Congregat. cæteroquin nobis nonniſi fortuitò ferè cognitas, prorſus obtinuiſſe per diuturnum illius uſum ob Epiſcoporum raritatem & multiplicem neceſſitatem, non invitis iisdem DD Ordinariis, qui gravioribus occupati negotiis, hanc operam ſuis ſubditis proficuam libenter concedunt. Sporer quoque *part. 2. Theol. Sacram. cap. 6. n. 411.* fidem facit, Superiores ſui Ordinis Seraphici id paſſim bona fide facere, permittentibus & ſæpe ad eos remittentibus Epiſcopis; quibus addit La Croix *de Sacrif. Miſſæ. n. 353.* ſcio etiam id factum ſæpius per Rectores Societatis JEſu, & idem innuit Pellizarius *to. 2. tr. 8. cap. 5. n 110.* His accinit Ludovicus Engl. *L. 3. Decretal. tit. 40.* inquiens: Ex eadem quoque conſuetudine videmus Abbates paſſim exercere conſecrationes etiam pro aliis Eccleſiis, quàm ſuis; & P. Anacletus Reiffenſtuel ad eundem titulum §. 2. n. 52. ait: Accedit praxis & conſuetudo plurium Regularium, paramenta Eccleſiarum etiam alienarum paſſim benedicentium: Conſuetudo autem eſt optima Legum interpres *cap. 8. de conſuetud.* Ex quo dictus Author poſt pauca ſubinfert: poſſe Superiores ſuos tutò pergere in conſuetudine ab antiquo jam hucusque in aliquibus præſertim ſua Provincia practicata benedicendi paramenta omnia etiam aliena, & alia, ubi

Un-

unctio Chriſmatis non intervenit. Rotarius quoque *tom. 3. Lib. 2. cap. 2 punct. 1. n. 6.* teſtatur, ſe vidiſſe ſæpiùs ſuperiores Regulares benedicere paramenta, & ſacras veſtes alienarum Eccleſiarum. Sciòque idipſum paſſim practicari à Prælatis Regularibus, nec ſemel ejusmodi benedictionibus interſui, idque etiam abſque difficultate præſtare Abbates Ciſtercienſes compertum eſt. Unde ait P. Pichler *in Candid. L. 3. tit. 40. n. 8.* Apud hos hæc privilegia Regularibus conceſſa per uſum ita ſunt moderata, ut etiam pro aliis Eccleſiis benedicere dicta paramenta valeant, uti praxis declarat; hinc Superiores Minorum, Societatis &c. tutò pergunt in conſuetudine benedicendi paramenta etiam pro aliis Eccleſiis.

8 Ex quibus tot Authorum, quos nemo non fide digniſſimos, atque etiam omni exceptione majores dixerit, de communi praxi, & conſuetudine, ac uſu hujus privilegii atteſtantium teſtimoniis ſat clarè patet, univerſalem apud Regularium Prælatos vigere conſuetudinem benedicendi res ſacras pro alienis etiam Eccleſiis. Nec obeſt, quòd aliqui non utantur hoc privilegio; id enim fit vel ob ignorantiam ac inſcientiam ſuorum privilegiorum, qua plures laborant, vel ob inanem metum, ne alios offendant: vel quòd reipſa hujusmodi privilegio nequidem per communicationem gaudeant, quod tamen non officit, quo minùs alii uti poſſint ac utantur tali privilegio, quod ſufficit ad conſtituendam conſuetudinem. Jam verò recepta eſt doctrina apud plerosque Authores tum Theologos tum Juriſtas, conſuetudinem præſertim immemorialem atque in privilegiis Apoſtolicis fundatam, qualis eſt illa, de qua loquimur, vim obtinere privilegii expreſsè conceſſi: & conſequenter vi hujus etiam tam univerſalis conſuetudinis poterunt Prælati & Abbates benedicere res ſacras pro alienis Eccleſiis. Neque dicas: hujusmodi conſuetudinem abrogatam eſſe à ſacra Congregatione Rituum, dum *Anno 1629. die 18. Auguſt.* ad favorem Epiſcopi Spoletani declaravit: *conſuetudinem contrariam non habere hìc locum*; nam quidquid ſit de hac derogatione, ſolùm illa procedere poteſt de ſimplici conſuetudine, non autem de conſuetudine immemoriali, & Apoſtolico privilegio expreſsè munita: at verò conſuetudo illa, qua fulti plerique Prælati & Abbates ſolent benedicere res ſacras pro alienis Eccleſiis, non eſt ſimplex ac qualiscunque conſuetudo, ſed eſt immemorialis, cùm de hac Authores de viſu & ex propria experientia à centum jam annis & ultra teſtentur, & nititur pluribus privilegiis Pontificiis ſupra relatis: unde dici haud poteſt abrogata per ſupra dictam declarationem ſac. Congregationis Rituum. Manent igitur Prælati & Abbates in poſſeſſione benedicendi res ſacras pro

pro alienis etiam Eccleſiis tum vigore dictorum privilegiorum, tum virtute conſuetudinis hujus immemorialis in his privilegiis fundatæ. Num verò hæc poteſtas benedicendi res ſacras extendatur etiá ad Decanos & Priores clauſtrales, ac Vicarios Monaſteriorum, qui in abſentia & deceſſu Prælatorum principale regimen obtinent cum plena poteſtate, donec vel redeat Prælatus abſens, aut eligatur vel nominetur alius, nova quæſtio eſt, pro cujus reſolutione notandum 1mò. quòd hæc procedat in illis tantum Ordinibus, quorum immediati Prælati hanc habent benedicendi poteſtatem ſive per privilegium expreſſum, ſive per viam communicationis, ſicut habent Canonici Regulares, ac plerique alii tam Mendicantium quàm non Mendicantium Ordines, non vero de illis, quorum Superiores immediati hac carent poteſtate. Notandum 2dò. quòd ea quoque tantùm procedat de illis rebus, quæ nullam requirunt unctionem, nec ſupponunt uſum Pontificalium; de his igitur loquendo.

9 Dico 3tiò. *Decani & Priores clauſtrales, ac Vicarii Monaſteriorum, qui in abſentia & deceſſu Prælatorum principale regimen obtinent cum plena poteſtate, poſſunt etiam paramentá, veſtimenta, aliáſque res ſacras benedicere pro ſuarum ſaltem Eccleſiarum uſu*

Ita docent Emanuel Rodriquez *to. 1. QQ. Regular. quaſt. 19. art. 2.* Aſcanius Tamburinus. *to. 1. D. 22. quaſ. 1. n. 7.* Miranda *to. 1. q. 4. art. 3.* Suarez. *to. 4. de Relig. tr. 8. L. 2. cap 30.* Marcus Vidal. *in arca Vitalis tit. de jurisdict. Inquiſit. 4. n. 27. & ſeqq.* allegans Capucinum *in annotat. ad compend. minor. tit. Benedicere Eccleſiaſtica* Collectorem privileg. Ord. S. Hieronymi *fol. 37. §. 1.* Confettium *in Collect. privileg. de Eccleſiar. Regular. benedictione cap. 4.* Portellum *in dub. Regular. Reſolut. 40.* Zacharias Paſqualigo *de Sacrif. nova legis to. 2. quaſt. 803. n. 4.* pro ſe n. 7. referens Joannem à Cruce *de ſtat. Religion. L. 1. cap. 5. dub. 2.* Nigrum *in addit. ad Ruiz. part. 1. præſuppoſ. 4. quaſt. 36.* Ludovicum à S. Joanne *in Sum. quaſt. 12. de Euchariſt. art. 10. dub. 2. append. 4.* Thomam Tamburin. *Opuſc. de Sacrif. Miſſ. L. 1. cap. 3. §. 2. n. 7.* & Martinum à S. Joſeph *in Regul. S. Franciſci tract. de authorit. Prælator. tit. de authorit. Guardiani n. 16* quos pariter refert & ſequitur Petrus de Murga *in diſquiſit. Paſtorali de Jure Prioris annexi n. 109.* ubi plura cum approbatione octo doctiſſimorum Virorum cumulat, & non pauca privilegia recitat pro firmanda

da facultate præfata. Idipſum pluribus quoque propugnat *ad Conſtit. 4. & unic. Gregorii IX. §. 3. num. 37. & ſeqq.* & iterum *ad Conſtit. 16. & unic.* Alexandri *VII. §. 18.* eandem ſententiam tenent Dubal *in Expoſit. Regul. S. Auguſt. part. 1. cap. 16. n. 56.* citans alios. Georg. Gobat. *tract. 3. caſ. 11. n. 358.* Patritius Sporer. *Theol. Sacram. p. 2. cap. 6. n. 411.* Virginius Alviſet *ſect. 3. cap. 2.* Reiffenſtuel. *de Conſecr. Eccl. n. 50.*

10 Fundantur Authores iſti præcipuè in privilegio Innocentii VIII. Caſſinenſibus Anno 1487. conceſſo, in quo tam Abbatibus, quàm Prioribus principale regimen Monaſterii habentibus indulſit, quòd poſſint benedicere corporalia, veſtimenta, cæteráque ornamenta Eccleſiaſtica & ad cultum divinum pertinentia tam ſuæ Eccleſiæ, quàm etiam undecunque delata; vi cujus privilegii exiſtimant plures ex relatis Authoribus, poſſe Decanos ac Priores Clauſtrales & Vicarios Monaſteriorum non tantùm pro ſuis, ſed etiam pro alienis Eccleſiis prædicta omnia benedicere, quos inter Aſcanius Tamburinus l. c. ait: Notandum, quòd hæc poteſtas, ſcilicet benedicendi res ſacras, non ſolùm Abbatibus conceſſa eſt, verùm etiam extenditur ad Priores & Vicarios ipſorum Abbatum per privilegium ab Innocentio VIII. conceſſum, quod deinde quæſito 2. probat ad alienas quoque Eccleſias extendi; conſonat & Pasqualigo loco recenſito dicens: Eſt etiam advertendum, quòd dictum privilegium benedicendi veſtes Eccleſiaſticas & ornamenta, non ſolùm convenit Prælatis localibus, ſed etiam in ipſorum abſentia eorundem Vicariis, & cuilibet alteri, cui incumbit principale regimen Monaſterii. Ita conceſſit Innocentius VIII. Anno 1487. Congregationi S. Juſtinæ &c. unde ſi in abſentia ſuperiorum regimen Monaſterii devolvatur ad ſeniorem, quamvis aliàs non habeat titulum ſuperioris, poterit benedicere, quia privilegium non requirit titulum ſuperioritatis, ſed ſolùm exercitium regiminis Monaſterii. Hæc Pasqualigo ſupponens ſemper, id procedere quoad res ſacras pro alienis etiam Eccleſiis benedicendas. Idipſum aſſerit P. Vidal loco relato inquiens: Prælati Regulares & quilibet alius habens pro tempore principale regimen Monaſterii, poſſunt hìc & nunc validè & licitè benedicere omnia Sacerdotis ornamenta & paramenta Eccleſiæ, undecunque ſint. Ita conceſſit per authenticam Bullam Innocentius VIII. S. Juſtinæ de Padua Anno 1487. ùt notat Capucinus in ſuis annotationibus in Compendium Minorum tit. benedicere Eccleſiaſtica; & affirmant ac ſentiunt Collector &c. Ita Marcus Vidal, qui n. 26. & ſeqq. ſicut etiam Pasqualigo n. 8. & ſeqq. conſtanter tenent & latè probant, dictum Innocentii privilegium hodie permanere in ſuo vigore non obſtantibus declarationi-

bus S. Congregationis per Gavantum, Novarium, ac Lezanam adductis *de Annis 1609. die 24. Auguſti, 1628. 30. Septembr. 1629. 18. Auguſti*, & 1633. 13. *Martii.* Idem ſentit de Murga tum in Comentar. ad Conſtit. Apoſtol. tum ac præcipuè in Disquiſit. Paſtorali, ubi à n. 109. non obſtante etiam decreto S. Congreg. Rituum authoritate Alexandri VII. 27. *Sept. Anno* 1659. edito pluribus defendit hanc poteſtatem benedicendi corporalia, aliáſque res ſacras ad cultum divinum pertinentes tam ſuorum Monaſteriorum, quàm etiam undecunque ſint, non tantùm in favorem Prælatorum, ſed etiam aliorum quorumcunque principale regimen Monaſterii in abſentia eorum obtinentium, qualicunque demùm nomine appellentur; & ratio eſt: quia tota poteſtas Prælati Ordinarii in ejus abſentia ſaltem diuturna devolvitur ad Decanum, & Priorem vel Vicarium Monaſterii; cùm tunc habeant adminiſtrationem cum tanta jurisdictione in utroque foro, quanta pollet Abbas aut alius quilibet Ordinarius aut localis Prælatus, ita ut poſſint abſolvere à reſervatis & cenſuris, diſpenſare in votis & irregularitatibus, aliósque actus exercere, quæ ſolis cæteroquin competunt Prælatis ordinariis, niſi vel per Conſtitutiones Ordinis vel aliunde expreſsè illis fuerit hæc poteſtas limitata, ùt latè probat de Murga in dicta Disquiſitione Paſtorali *à n. 99.* ergò cùm poteſtas benedicendi res ſacras competens Prælatis ordinariis nullibi legatur limitata, ſed ea potiùs per Innocentium VIII. ſit extenſa ad eos, qui in abſentia Prælati principale regimen obtinent, dicendum eſt, quòd hæc quoque poteſtas benedicendi res ſacras devolvatur in abſentia Prælati ad Decanos, Priores, & Vicarios Monaſteriorum: & conſequenter hi poſſunt dictas res ſacras benedicere non tantùm pro ſuis, ſed etiam alienis Eccleſiis, cùm etiam ad has Innocentius VIII. præfatam poteſtatem extenderit tam Abbatibus, quàm Prioribus principale regimen Monaſterii obtinentibus.

11 Plus ultra adhuc progreditur Virginius Alviſet *ſect. 3. cap. 2. n. 14.* dum vult, quòd quivis Sacerdotes ſimplices poſſint omnia paramenta, veſtimenta, ac ornamenta benedicere ex privilegio Sixti IV. qui Minoritis conceſſiſſe dicitur, quòd eorum fratres Sacerdotes poſſint benedicere paramenta Altaris, Miſſalia, ac indumenta, exceptis duntaxat corporalibus, prout refert Rodriquez, ſpeculum Minorum, & Auguſtinus à Virgine Maria *V. benedicere.* inque hujus ſuæ ſententiæ confirmationem plures adducit Authores ſcilicet Cruzium *in Epitom. privil. L. 2. cap. 4. concl. 3.* Bauny *in Theolog. Mor. q. 17. de ſacrif. Miſſ.* Saà *V. benedicere.* Armillam *V. Conſecratio.* Corraſum *in ſum. privileg. Mendicant.* Chaſſaing. *tr. 7. de privil. Regul. cap. 4. propoſ. 1.* Poſſevinum

in

in prax. aur. cap. de ſacriſ. Miſſ. n. 37. & alios. Neque acquieſcit, licèt illi objiciatur, quòd privilegium iſtud ſit tantùm vivæ vocis oraculum, quod ab Urbano VIII. ac Gregorio XV. cenſeri debet eſſe revocatum: & quòd nunquam fuerit in uſu apud Minores, ùt enim refert Rodriquez, privilegium hoc ſtatim poſt conceſſionem in proximè ſecuto Capitulo generali reſtrictum fuit ad Guardianos privativè ad ſimplices Sacerdotes; unde factum eſt, quòd cùm inter Minores ſoli Guardiani ſeu ſuperiores hoc privilegio utantur, ideò & inter alios Ordines, ſolos ſimiliter ſuperiores poſſe ſibi illud vendicare, cùm ad illos non derivetur, niſi per viam comunicationis. Nam reſpondet, hæc omnia gratis dici, nec ullo modo obeſſe, quo minùs ſimplices Sacerdotes ſuo privilegio utantur, juxta tenorem ſuæ originariæ conceſſionis, tam in Ordine ipſo Minorum, quàm in aliis cum illo comunicantibus: non primùm, quia licèt privilegium iſtud appelletur oraculum ab aliquibus, non tamen ab aliis omnibus: ſunt enim plures, qui abſolutè privilegium vocant & inter alia privilegia per ſcripturam conceſſa reponunt; deinde etiam conceſſo, quòd originariè fuerit emanatum per oraculum, attamen virtute confirmationis ſecutæ & factæ per ſcripturam, accepit vim & naturam conſtitutionis ſcriptæ & propriè dictæ, atque ideò ſub revocatione Urbani VIII. non comprehenditur. Sed neque huic privilegio obeſt altera objectio de non uſu hujus privilegii & reſtrictione facta à Minoribus; tum quia in communicatione privilegiorum non communicantur privatæ reſtrictiones privatorum Ordinum aut perſonarum utentium, vel uſus & non uſus; hæc enim non ſunt privilegium, ſed ipſa gratia, prout emanavit in ſua origine à Papa, juxta dicta de Communic. privil. hoc autem privilegium emanavit à Papa pro ſimplicibus Sacerdotibus: ergò &c. & ita Portellus V. *Benedicere in addit.* refert, Dominicanos in praxi obſervare & hoc privilegio uti, quamvis illud habeant per ſolam communicationem cum Minoribus: tum quia etiam in ipſo Ordine Minorum illa reſtrictio, cujus meminit Rodriq. ſicut & ſtatuta Capituli generalis, in quo facta eſt, non fuerunt recepta in multis Provinciis, ùt qui poſt Rodericum ſcripſit, notat & teſtatur Chaſſaing loc. ſupra cit. Et ſic manet privilegium hoc fartum tectum ſimplicibus Sacerdotibus tam in ipſo Ordine Minorum, quàm in aliis cum ipſo communicantibus; & ita præter Portellum & Chaſſaing tenent PP. Recollecti in Compendio Roderici *V. benedicere.* Bauny, Saà, & Cruz ab initio citati. Corraſus item ibi citatus, qui reponit hoc privilegium inter communia omnibus Regularibus Mendicantibus. Et tandem, ut alios omittam, Poſſevinus l. c. non modo non dubitat de ejus validitate, & uſu lici-

licito, quin potiùs ita certum ſupponit, ut ibi hortetur Parochos ad petendam benedictionem ſuorum ornamentorum à Regularibus, quos per ſuas Parochias interdum tranſire contingit. Et ſic recapitulando pro validitate & uſu licito hujus privilegii, produco familiam Recollectorum, nobile membrum Ordinis S. Franciſci cum ſeptem Authoribus, qui communiter recipiuntur in aliis materiis, nempe Portel. Saà. Corraſ. Cruz, Poſſevin. Chaſſaing, Bauny. quibus adde alios allegatos, nempe Cordubam, Molpheſium, Mirandam, Bonacinam, atque ipſum Rodericum. Ita Alviſetus: addens præterea, quòd nonnulli ſuperiores Regularium, invidentes hoc privilegium ſuis inferioribus, dicant, ſed non ſecundùm ſcientiam, illos non poſſe eo uti hoc tempore. Quanta verò hæc omnia probabilitate dicantur, quantúmve huic privilegio tribuendum ſit, aliorum eſto judicium, mihi ſufficit, iſta retuliſſe: unde redeo ad Prælatos, à quibus pauliſper digreſſus ſum, & ulteriùs

12 Dico 4tò. *Poſſunt Canonicorum, aliorúmve Regularium Prælati benedicere cruces, ſacras imagines, libros, arma, & vexilla bellica.*

Ita Paulus III. Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Congregationis Vallisſcholarium *Anno 1539. die 13. Maji*, ubi non ſolùm poteſtatem concedit benedicendi veſtes, indumenta, ornamenta, & paramenta Eccleſiaſtica etiam ſacerdotalia, ſed etiam, ùt expreſsè ſubdit, libros, imagines, cruces &c. quemadmodum refert Renatus Choppinus Monaſtic. *L. 1. tit. 2. n. 18.* Tamburin. *to. 1. D. 22. Q. 5. & to. 2. D. 2. Q. 1. n. 7.* Lezana *V. benedictio. n. 12.* Quod verò ad arma & vexilla ac alia ſimilia attinet, à fortiori cenſendum eſt, ait Tamburinus cit. *Diſp. 22. quaſ. 5. n. 2.* ea poſſe Abbates ſolemniter benedicere, idque ſuo tempore Romæ à multis Abbatibus factum fuiſſe teſtatur, & in ſpecie refert Reverendiſſimum D. Horatium Morandium Eccleſiæ S. Praxedis de Urbe Abbatem ſolemniter coram ingenti militum & populi multitudine in eadem Eccleſia benedixiſſe vexillum Excellentiſſimi D. Ferdinandi Urſini; nec immeritò, cùm hoc Abbatibus per viam communicationis licere colligatur ex privilegio conceſſo Abbati SS. Trinitatis Cavenſi Ordinis S. Benedicti, & nunc Congregationis Caſſinenſis ab Urbano II. *18. Calend. Octobr. Anno 1092.* in quo prædicto Abbati & ſucceſſoribus ejus Canonicè promovendis conceſſit, quòd omnia Pontificalia exercere valeant, exceptis ſacrorum Ordinum collatione, Baſilicarum & Altarium conſecratione, & Chriſmatis confectione,

ne, ùt eſt apud Cornel. Margarinum *in Bullar. Caſſinenſ. to. 1. Conſtitut. 9na.* quæ incipit: *Cùm univerſis.* cùm igitur exceptio firmet Regulam in contrarium, & exceptiò unius ſit incluſio alterius, ſequitur, quòd benedictio armorum & vexillorum, utpote non excepta, cenſeatur incluſa in univerſali conceſſione benedicendi res quaſcunque, prout etiam obſervatur in praxi, qua conſtat, tum noſtri tum aliorum Ordinum Prælatos ea paſſim absque ulla contradictione benedicere.

13 Dico 5tò. *Poſſunt quoq; Canonicorum aliorùmque Regularium Prælati in ædificatione ſeu erectione Eccleſiæ, Capellæ, Oratorii, aut Hoſpitalis primum lapidem angularem ponere, ac fundamentum more Pontificali ſolemniter benedicere.* Ita conceſſit Cœleſtinus V. Abbatibus Ordinis Cœleſtinorum illius Inſtitutor in Bulla: *Etſi cunctos. 5to. Calend. Octobr. Anno 1294.* Pont. 1mo. hisce verbis: Liceat quoque tibi tuiſque ſucceſſoribus inter Fratres ejuſdem Ordinis & aliis ad Miſſas veſtras convenientibus benedictionem ſolemnem facere, nec non in ædificandis Capellis, Eccleſiis, Hoſpitalibus primum lapidem & fundamenta Pontificali more benedicere; ùt refertur apud Cherubin. *in Bullar. Roman. to. 1. Conſtit 1.* quam deinde Eugenius IV. ex certa ſcientia, non obſtante non uſu, præſcriptione &c. confirmavit in Bulla: *Ad decorem. 5to. Calend Novembr. Anno 1434.* apud Rodericum *in nov. Collect. Bullar. Apoſtolic. pro Regular. Bull. 18. ejusd. Font.* His accedit declaratio Sacr. Congregationis Concilii, dum cenſuit, quòd Abbas, qui eſt benedictus, vel qui ex privilegio ſedis Apoſtolicæ habet, ut Pontificalia exercere poſſit ac ſi eſſet benedictus, poſſit omnia ſacra benedicere, illis exceptis, in quibus unctio requiritur: atqui ad ponendum primum lapidem, cúmque ac fundamentum Pontificali more benedicendum nulla requiritur unctio: ergò poteſt illum benedicere unà cum fundamento; & hujusmodi uſus benedicendi lapides ac fundamenta in ædificandis Capellis, Eccleſiis, aut aliis ſacris domibus inter Abbates præcipuè Regulares, maximè viget teſte Tamburino, de quo ipſus etiam teſtari poſſum, cùm hujusmodi benedictionibus primi lapidis à Prælatis ſolemni ac Pontificali ritu celebratis interſuerim, etiam ùt Magiſter Cæremoniarum. Eſt autem hic mos benedicendi fundamentum ac primarium lapidem antiquiſſimus, competitque de Jure communi ſoli Epiſcopo, ita ut Prælatis Regularibus tantùm competat ex privilegio, aut ex conſuetudine quidem, in privilegio tamen Pontificio fundata. In be-

benedictione porrò hujusmodi debet Prælatus habens hanc poteſtatem fundamenti locum & atrium ipſe viſitare ac deſignare, ſimúlque curare, ut lignea crux pridie in eo loco, ubi erigendum eſt Altare, in terram defigatur, ùt habetur *Can. nemo Eccleſiam. 9. de Conſecration. diſtinct.* 1. ſequenti verò die primarius lapis, cui impreſſa aut inſculpta ſit crux, in fundamento ponendus eſt eo modo ac ritu, quo refertur in Pontificali Rubric. de benedictione & impoſitione prim. lapid. pro Eccleſ. ædificand.

14 Dico 6tò. *Poſſunt etiam Canonicorum, aliorúmque Regularium Prælati Cœmeteria, & Eccleſias de novo conſtructas, Capellas, ac Oratoria pro divino cultu & celebrando ibidem Miſſæ ſacrificio ſolemniter benedicere.*

Deſumitur ex privilegio Urbani II. Monaſterio Cavenſi conceſſo in Bulla: *Cùm univerſis. 18. Calend. Octobr. Anno 1092. Pontif. 5to.* in quo ejusdem Prælatis & Abbatibus dat poteſtatem Eccleſias conſtruendi, & cruce ſignandi, aliáque Pontificalia exercendi, ſacrorum Ordinum collatione, Baſilicarum & Altarium conſecratione, ac Chriſmatis confectione ſolummodo exceptis: ergò cùm Cœmeteriorum, Eccleſiarum, ac Oratoriorum benedictio non ſit excepta, permiſſa cenſetur; exceptio enim firmat Regulam in caſibus non exceptis. Hoc ipſum autem in ſpecie verbis expreſſis conceſſit Julius II. Ordini Minimorum in Bulla: *Dum ad ſacrum. 5to. Calend. Aug. Anno 1506. Pontif. 3tio.* quòd eorum ſuperiores omnes & ſingulas ejusdem Ordinis Eccleſias, Cœmeteria, Capitula & Oratoria ubicunque receptas ſeu recepta, & recipiendas ſeu recipienda ſolemni benedictione benedicere poſſint; ùt eſt apud Laurent. de Peyrin. *Conſtit. 1. Julii II. §. 22.* Idem quoque conceſſit Leo X. Minoribus in Bulla: *Religionis honeſtas. 3. Febr. Anno 1514. Pontif. 2do.* ut eorum pariter ſuperiores poſſint omnes ejusdem Ordinis Eccleſias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria ubicunque exiſtentia ſolemni benedictione benedicere; apud eundem Peyrinis. Conſtit. 18. hujus Pontificis. Quæ privilegia benedicendi Eccleſias, Oratoria, ac Cœmeteria, quamvis directè tantùm præfatis Ordinibus ſint conceſſa, per viam tamen communicationis extenduntur ad Canonicorum Regularium Prælatos, utpote quibus omnia prædictorum Ordinum privilegia ita fuerunt communicata, ac ſi eisdem ſpecialiter ac nominatim fuiſſent de verbo ad verbum conceſſa, ùt patet ex privilegiis Sixti IV. Julii II. Julii III. & Gregorii XV. aliorúmque Pontificum; quibus accedit declaratio

Digitized by Google

ratio S. Congregationis Concilii definientis, quòd Prælati uſum Pontificalium habentes poſſint omnia benedicere, in quibus unctio non intervenit: atqui in ſolemni benedictione Eccleſiarum, Oratoriorum ac Cœmeteriorum non intervenit unctio: ergò poſſunt ea benedicere Prælati Pontificalium uſum habentes. Quod ipſum ex eo quoque confirmatur, quòd Canonicorum Regularium Prælati poſſint reconciliare, & ut ita dicam, rebenedicere Eccleſias pollutas, ùt mox dicemus: ergò poſſunt eas etiam primò benedicere; nam par cenſetur eſſe utrobique poteſtas, nempe ex SS. Pontificum Indulto deſcendens, qui eam poſſunt concedere Prælatis, ùt nemo dubitat, cùm ſit ex inſtitutione Eccleſiæ: unde cui unum eſt conceſſum, etiam alterum videtur eſſe conceſſum.

15 Priusquàm tamen aliquid de poteſtate Prælatorum reconciliandi Eccleſias pollutas ſtatuamus: ſciendum, alias eſſe conſecratas, alias tantùm benedictas. Eccleſiæ ſolummodò benedictæ ac nondum conſecratæ, ſi polluantur, poſſunt à quolibet ſimplici Sacerdote reconciliari per aſperſionem ſolius aquæ luſtralis etiam abſque licentia Epiſcopi, ſervato tamen ritu ab Eccleſia præſcripto in Rituali Romano, ùt colligitur *ex cap. fin. de Conſecrat. Eccleſ.* & docet Gloſſa *V. Lavetur.* Panormitanus *ibid. in fin.* Sylveſter *V. Conſecratio.* Navarrus *in Manual. cap. 27. n. 151.* Henriquez *L. 9. de Miſſa cap. 27.* Azor. *p. 2. L. 9. c. 5. q. 5.* Sayr. *de Cenſur. L. 5. c. 16. n. 31.* Diana. *part. 4. tr. 4. Reſol. 91.* Piaſec. *prax. Epiſc. p. 1. c. 2. art. 4. n. 7.* Barboſa *de Offic. Epiſc. p. 2. allegat. 28. n. 57.* Monacell. *p. 1. Formul. 10. tit. 6. n. 25.* Matthæucc. *Offic. Cur. Eccleſ. cap. 7. n. 7.* Rotarius *to. 3. L. 2. cap. 2. p. 1. n. 7.* Eccleſia verò conſecrata de Jure communi non ab alio reconciliari poteſt, quàm ab Epiſcopo Diœceſano, vel de ejus licentia etiam ab extraneo per aquam ab Epiſcopo ipſo benedictam, & vino ac cinere admixtam, eo ritu ac verbis, qui in Pontificali Romano continentur, ùt habetur *cap. proposuiſti 4. & cap. aqua. 9. de Conſecrat. Eccleſ.* & præter ſupra citatos notant Miranda *to. 2. q. 36. art. 8.* Filliuccius *QQ. mor. to. 1. tr. 5. cap. 4. n. 118.* Giribaldus *tr. 5. de Sacrif. c. 8.* Reiffenſtuel *ad tit. 40. de Conſecrat. Eccl. n. 25.* Nec poteſt hanc Eccleſias reconciliandi poteſtatem ſimplici Sacerdoti delegare, ùt expreſsè habetur *cap. aqua. cit.* ubi Gregorius IX. S. P. ait: *Aqua per Epiſcopum benedicta Eccleſiam reconciliari poſſe per alium Epiſcopum non negamus, per Sacerdotes ſimplices hoc fieri de cætero prohibentes. Non obſtante conſuetudine Provinciæ (quæ dicenda eſt potiùs corruptela)* & additur ibidem ratio; *quia licèt Epiſcopus committere valeat, quæ juriſdictionis exiſtunt: quæ Ordinis tamen Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradûs Clericis demandare.* & hoc ſæpius etiam à ſacr. Congregatione Ri-

Rituum deciſum fuiſſe refert Paſſerinus *Q. 189. n. 931.* ùt in una Cameracenſi *9. Febr. Anno 1608.* in Pratenſi *21. Julii. 1632.* in Aretina *9. April. 1633.* His tamen non obſtantibus poteſt S. Pontifex ex privilegio ac de Jure extraordinario concedere Prælatis inferioribus Epiſcopo, atque etiam ſimplici Sacerdoti poteſtatem reconciliandi Eccleſias conſecratas ac quomodocunque pollutas, prout multis defacto eam conceſſiſſe conſtat: an verò etiam Canonicorum Regularium Prælatis, nunc nobis eſt ſtatuendum. Unde

16 Dico 7mo. *Poſſunt Canonicorum Regularium Prælati Eccleſias, Capellas, ac Cæmeteria, quavis ex cauſa pollutas, quoties opus fuerit, reconciliare.*

Ita Alexander VI. Prælatis Canonicorum Regularium Congreg. S. Salvatoris in Bulla: *Cùm ſicut 8. Maji. Anno 1493 Pont. 1.* conceſſit, ut Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, & alia loca quæcunque, illorúmque Monaſteria pro tempore quomodocunque polluta reconciliare perpetuò valeant. Paulus III. quoque conceſſit Anno 1539. Canonicorum Regularium Prælatis & Abbatibus Congregationis Vallis Scholarium, ut Eccleſias vel earum Cœmeteria, & alia loca Eccleſiaſtica ſanguinis vel ſeminis effuſione aut aliàs quovis modo pollutas vel polluta, aqua tamen per aliquem Canonicum Antiſtitem, ùt moris eſt, benedicta, reconciliare liberè & licitè valeant. Similem poteſtatem conceſſerunt Canonicorum Regularium Prælatis alii SS. Pontifices, ùt Urbanus VIII. in Bulla: *Decet Romanum Pontificem 8. Cal. Febr. 1628.* Innocentius XI. in Bulla: *In Apoſtolica. 13. Cal. Januar. Anno 1680.* Innocentius XII. in Bulla: *In Apoſtolica. pridie Calend. Mart. Anno 1692.* Clemens XI. in Bulla: *In Apoſtolico 8. Idus Junii Anno 1703.* Idipſum indulſit Abbati Caſſinenſi & omnibus ac ſingulis Abbatibus, Prioribus eidem Monaſterio ſubjectis in Bulla: *Veſtra devotionis. Anno 1391.* Bonifacius IX. ut Eccleſias & Cœmeteria per aliquem Sacerdotem idoneum reconciliare valeant quoties fuerit opportunum; aqua priùs per aliquem Antiſtitem gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis, ùt eſt moris, benedictâ. Julius II. in Bulla: *Dum ad Sacrum 5. Cal. Auguſti Anno 1506.* dedit pariter facultatem Ordini Minimorum reconciliandi omnes & ſingulas ejusdem Ordinis Eccleſias & Cœmeteria & earum quamlibet ſanguinis ſive ſeminis effuſione ſive aliàs quomodocunque pollutas ſive polluta, quoties opus foret, aqua tamen priùs per aliquem Catholicum Antiſtitem, ùt moris eſt, benedicta. Denique Leo X. in Bulla: *Religionis honeſtas. 3. Febr. Anno 1514.* conceſſit etiam Ordini Minorum de Obſer-

ſervantia; ut per Vicarium ſeu Guardianos, aut alios ad hoc à vobis in veſtris Capitulis Generalibus providè deputandos omnes & ſingulas ejusdem Ordinis & obſervantiæ Eccleſias, Cœmeteria, ac Capitula & Oratoria, & eorum quodlibet ſanguinis ſeu ſeminis effuſione, ſeu aliàs quomodolibet pollutas & polluta, quoties opus fuerit, aqua per vos, præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas diætas adire non poteritis, benedictâ reconciliare valeant.

17 In quibus tamen privilegiis benè notandum, quòd omnes fermè Pontifices ad reconciliandam Eccleſiam vel Cœmeterium requirant, ut aqua ad id neceſſaria ſit per Epiſcopum benedicta: quod ipſum tamen citatus Leo X. ita explicat, atque ampliat, ut Prælati ac Superiores valeant Eccleſias ſuas, & Cœmeteria aqua per ipſos benedicta reconciliare, præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas diætas habere non potuerint; ex quo deducunt graves Authores, nec pauci, poſſe Prælatos hujus virtute privilegii Eccleſias ſuas ac Cœmeteria qualitercunque pollutas aquâ per ipſos benedictâ reconciliare, nec requiri neceſſariò, ut ea ſit ab Epiſcopo benedicta, etiam quando per duas diætas non diſtat, quod putant potiùs requiri ex convenientia, quàm ex neceſſitate; verbum enim *præſertim* non eſt particula inducens in aliis caſibus neceſſitatem ſed convenientiam. Nam ùt obſervat Paſqualigo *tr.* 1. *de reconcil. Eccl. q.* 610. *n.* 4. dictio *præſertim* facit, quòd conceſſio potiori modo locum habeat in caſu diſtantiæ: non autem tollit, quòd ſecluſa diſtantia privilegium non habeat locum: quin imò ſupponit habere, quia exprimit caſum minùs dubitabilem, & implicat magis dubitabilem. *L. fin. ff. de liber exhibend.* ubi Gloſſa V. *præſertim* & *in cap. pro humani* 1. *V. præſertim de homicid. in* 6. & ſupponunt ibi Doctores, hoc verbum præſertim non eſſe reſtrictivum authoritatis, ſed eam implicitè ampliare & extendere, & ſignificat idem Jus haberi in caſu contrario, ùt firmant Martha *Conſil.* 490. *volum.* 3. *n.* 4. Caſſador. *Deciſ.* 4. *n.* 8. *de Conceſſ. Præbend.* Atque ita cum Paſqualigo l. c. reipſa docent Confett. *in Sum. mar. magn. art.* 6. Portellus *V. benedicere.* Caſarub. *eodem V. & V. Eccleſia.* Sayr. *de cenſur. cap.* 10. *n.* 31. Ugolinus *de Offic. Epiſ. cap.* 29. §. 7. Henriquez *L.* 9. *cap.* 27. Lugo *Sect.* 2. *n.* 61. Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.* 2. *alleg.* 28. Giribaldus *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 74. Marchinus *de ſacr. Ordin. tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 10. *n.* 14. ubi refert ſe olim juxta hujus privilegii tenorem Eccleſiam ſui Ordinis Barnabitarum reconciliâſſe Ticini, & aquam Gregorianam in hunc finem feciſſe: & cùm poſt factum multos habuiſſet adverſarios ex Curia Epiſcopali, viſo privilegio & Authoribus, à quibus re-

fertur tacuiſſe. Quæ licèt ita ſe habeant, valdè tamen conveniens eſſe videtur, ut ſi fieri commodè poſſit, aqua ab Epiſcopo benedicta in Eccleſiæ reconciliatione adhibeatur, tum quòd eam requirere ſoleant cæteri Pontifices, qui teſtantur ita moris eſſe, tum quòd per eam, utpote vino, ſale & cinere permixtam, ac ſpeciali benedictione exorcizatam decentiùs reconcilietur Eccleſia; cùm enim Eccleſia conſecrata ſit in altiori & nobiliori ordine ſanctificationis, quàm ſit benedicta tantùm, ùt dicit Paſqualigo *Q. 608. n. 6.* maximè conveniens eſſe videtur, ut reconcilietur modo digniori, quod fit per aquam ab Epiſcopo benedictam, qualiſcunque demùm ille fuerit; neque requiritur, ut illa ab Epiſcopo Diœceſano benedicatur, ùt putat Lezana *V. Eccleſia n. 16.* ſed ſufficit, quòd ea ſit ab aliquo Epiſcopo benedicta, cùm plùs non requirant SS. Pontifices privilegium hoc concedentes: & conſequenter poſſunt Prælati Regulares aquâ à quocunque Epiſcopo benedictâ Eccleſias reconciliare, etiam extra Diœceſin illius; nulla enim lege prohibitum eſt transferre aquam benedictam ab una Diœceſi ad aliam, & illa ibidem uti; quæ tamen intelligenda ſunt de locis ab Epiſcopo aliquo non admodùm remotis: ſecùs eſſet, ſi multùm ab eo diſtent & ultra duas diætas, prout ipſe S. Pontifex Leo in privilegio Minoribus conceſſo declarat, & ſæpè contingit in partibus noſtris, ubi tam amplæ dantur Diœceſes, ut vixdum intra duos vel tres dies Epiſcopum adire liceat. Quidnam verò per diætam intelligatur, non tam facilè quis determinabit. Tamburinus *to. 1. D. 23. q. 10. n. 4.* cum aliis à Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 28. n. 65.* relatis vult diætam continere 20. milliaria ſeu ſeptem leucas ex Gloſſa *in cap. nonnulli. 28. ℣. ultra duas diætas. de reſcript.* Rotarius econtra diætam definit decem milliaribus *ex L. 3. ff. de verb. ſignif.* Reiffenſtuel verò *ad tit. 40. L. 3. Jur. Canon. n. 27.* exiſtimat, unam diætam continere 20. milliaria Italica, quæ quatuor vel quinque circiter Germanica efficiunt, ſed non explicat, quid per milliare Italicum, quid per Germanicum intelligat: alii idipſum aliter explicant, quæ opinionum diverſitas à diverſa milliarium & leucarum acceptione provenire videtur, difficulter componenda, niſi quisque explicet, quid per milliare, quid per leucam intelligat. Fors non eſſet abs re, ſi quis diætam unam quinque horarum ſpatio aut unius dimidii diei itinere definiret, atque adeò ſi Epiſcopus decem horarum ſpatio, aut unius integræ diei itinere diſtet, duabus diætis diſtare cenſendus ſit: quod etiam convenire videtur cum 40. milliaribus, quibus Gloſſa duas diætas circumſcribit: ſumendo unum milliare pro diſtantia mille paſſuum Geometricorum, quorum quatuor millia, unius horæ ſpatio ſa-

Digitized by Google

facilè confici poſſunt. Cæterùm notat Rodriquez *to.* 1. *Q.* 19. *art.* 6. quem ſequitur Barboſa & alii, poſſe Regulares dicto privilegio reconciliandi Eccleſias aquâ per ipſosmet benedicta uti, non tantùm quando Epiſcopi diſtant duabus diætis ab Eccleſia polluta, ſed etiam quando Epiſcopus ordinarius aliàs abeſt, aut interveniente morte, renuntiatione aut depoſitione non exiſtit: quo caſu maximè ſervire poteſt privilegium tum à Leone X. Minoribus, tum ab Alexandro VI. Canonicis Regularibus conceſſum, in quo poſteriori nulla omninò fit mentio aquæ ab aliquo Epiſcopo benedictæ.

18 Eccleſia porrò quinque potiſſimùm modis polluitur, ac primò quidem per homicidium voluntarium ac injurioſum tum perſonæ tum loco ſacro intra Eccleſiam perpetratum ſive fiat cum effuſione ſanguinis ſive ſine illa; prout habetur *Can. Si motum.* 19. *de Conſecrat. diſt.* 1. ibi *Si homicidio Eccleſia violata fuerit, diligentiſſimè expurgetur & denuò conſecretur.* & *cap. propoſuiſti.* 4. *de conſecrat. Eccleſia.* Innocentius III. ſtatuit, quòd ſi in Eccleſia *homicidia contingunt fieri, ipſa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam.* ubi etiam DD. communiter; dicitur autem per homicidium voluntarium & injurioſum; nam ſi homicidium vel non eſt voluntarium, vel non injurioſum perſonæ aut loco ſacro, per illud non polluitur Eccleſia. Ex quo ſequitur non pollui Eccleſiam per homicidium cauſale, neque per illud, quod commiſſum eſt à carente uſu rationis, aut quod factum eſt ob defenſionem ſui cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ: nec quando lethaliter extra Eccleſiam vulneratus ad eam fugit, ibique moritur. Et ratio hòrum omnium eſt; quia hujusmodi homicidia vel non ſunt voluntaria vel non injurioſa loco ſacro aut perſonæ. An verò polluatur Eccleſia, ſi quis exiſtens in Eccleſia jaculo vel glande alium exiſtentem extra Eccleſiam ad internecionem feriat, controvertunt Authores. Negant Suarez, Zœſius, Engl, Pirrhing, Schambogen, aliique. Affirmant Navarrus, Marchinus, Lugo, Giribaldus, Matthæucci. Conveniunt autem in eo, quòd Eccleſia polluatur, etſi occiſor exiſtat extra illam, & alium intra Eccleſiam exiſtentem occidat; reipſa enim talis occiſio contigit intra Eccleſiam & conſequenter procedit diſpoſitio Juris. Similiter polluitur Eccleſia, ſi quis intra illam exiſtens vulnus lethale accipiat, etſi extra illam moriatur, quia cauſa lethalis in Eccleſia accidit, & hæc inſpicitur, non ipſe effectus; idem dicendum de eo, qui rationis compos ſe ipſum in Eccleſia ex ira, deſperatione aut tædio vitæ occidit. Polluitur item Eccleſia per mortem alicui ob fidem illatam; quia licèt mors ſit ſancta, tamen eſt injurioſa tum ipſi Martyri tum loco ſacro, & quamvis per Martyris mortem quatenus eſt paſ-

 ſio,

ſio, & habet rationem Martyrii non violetur, ſed potiùs conſecretur Eccleſia *cap. Fundamenta 17. de Elect. in 6.* polluitur tamen per eam, quatenus conſideratur ùt actio injurioſa perſecutoris, juxta illud: Actio diſplicuit, paſſio grata fuit, nam ùt talis eſt revera ſacrilegum, & injurioſum homicidium. Gloſſ. *in cap. un. de conſecrat. Eccleſ. in 6.* ℣. *Sanguinis.* polluitur pariter Eccleſia per mortem reo ex ſententia Judicis illatam in Eccleſia, aut Bannito, in cujus vitam poteſtas omnibus data eſt; quia licèt occiſio hæc juſta ſit, nec injurioſa reo mortem merito, ejus tamen executio injurioſa eſt loco ſacro & ipſi Deo, cui Eccleſia eſt dedicata. *cap. decet. 2. de Immunitat. in 6.* Secùs eſſet, ſi ſola mortis ſententia in reum prolata ſit in Eccleſia, executio verò facta extra illam; nam etſi talis ſententiæ prolatio ſit de Jure nulla *ex cit. cap. decet. 2.* ac injuriam faciat loco ſacro, nullo tamen Jure expreſſum eſt, quòd per illam violetur Eccleſia. Neque etiam polluitur, ſi quis occidatur ſupra vel infra Eccleſiam: quia tunc homicidium non eſt commiſſum intra Eccleſiam: nam *Intra* denotat ſpatium Eccleſiæ interius ab interiore tecto usque ad pavimentum, & à ſumma Ara uſque ad parietem oppoſitum, & conſequenter quod in aliis Eccleſiæ annexis vel in porticu, & ambulacris exterioribus, vel in turri & ſpeluncis ſubterraneis fit, extra Eccleſiam fieri cenſetur.

Polluitur Eccleſia 2dò per vo- 19
luntariam, injurioſam, & graviter peccaminoſam ſanguinis effuſionem in Eccleſia factam, aut cauſatam, qualis contingere ſolet ex vulnere injurioſè illato, prout tenet communis eaque certa DD. ſententia *arg. can. Eccleſiis 20. de conſecr. diſt. 1.* ubi dicitur, quòd Eccleſiis ſemel Deo conſecratis non debeat iterum conſecratio adhiberi, niſi ſanguinis effuſione polluta fuerint; conſonat *cap. 10. & fin. de conſecr. Eccl.* ibi: *Si Eccleſia fuerit ſanguinis effuſione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur.* idem deſumitur *ex cap. propoſuiſti. 4. eodem.* & *cap. ſi Eccleſiam. un. eodem in 6.* Ad hoc autem, ut per ſanguinis effuſionem polluatur Eccleſia, requiritur 1mò. ut ſit effuſio ſanguinis humani; id enim ſupponunt allegata Jura, atque hinc etiamſi in Eccleſia fundatur ſanguis cujuscunque animalis irrationalis, per illius tamen effuſionem non pollueretur Eccleſia, cùm id nullibi ſit in Jure expreſſum, nec ſpecialiter interdictum, nec cuiquam injurioſum. Requiritur 2dò. ut hæc effuſio ſanguinis humani ſit voluntaria; quia quæ non ſunt voluntaria, ad peccatum imputari non poſſunt: atque hinc ſi facta ſit à furioſo, amente, infante, plenè ebrio aut ab alio rationis uſu carente: vel ea acciderit caſu fortuito trabe, lapide aut incruſtatura decidente; vel à tauro aut alio animali in Eccleſiam aut Cœmeterium irruente: vel ſi ſecuta ſit ex actione illicita quidem, tali tamen, quæ ex ſe non erat

Digitized by Google

erat periculoſa, nec intenta ad effundendum ſanguinem humanum, non polluitur Eccleſia. Requiritur 3tiò. ut ſit injurioſa; quia ſi voluntariè quidem, ſed licitè fit ob juſtam v. g. ſui defenſionem ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, non polluitur Eccleſia, cùm ea non ſit injurioſa. Requiritur 4tò. ut ſit etiam graviter peccaminoſa; quia ſi ex actione leviter tantùm peccaminoſa fiat ſanguinis effuſio, non violatur Eccleſia, & hinc etſi in rixa inter pueros in Eccleſia exortâ unus alterum in faciem cædat, ac inde magna ſanguinis copia è naribus fluat, non tamen pollueretur Eccleſia; quia talis percuſſio in pueris communiter non cenſetur graviter peccaminoſa, aut Eccleſiæ injurioſa. Idem univerſaliter dicendum putat Diana *part. 6. tr. 6. Reſol. 24.* Pirrhing *ad tit. de conſecrat. Eccl. n. 11.* & alii, ſi percuſſio talis fiat in aliqua corporis parte, ex qua ſanguis facilè profluit, ùt ſunt dentes ac nares, qui ad pugnum vel alapam etiam levem facilè prorumpit; cùm ea percuſſio ſupponatur, non eſſe mortaliter peccaminoſa. Contrarium tamen reſolvit ac judicatum refert Mar. Anton. *Variar. reſolut. L. 1. Reſol. 112. caſ. 6.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 28. n. 36.* & alii in caſu, quo Majores quatuordecim annis ſeſe percutientes, ſanguinis effuſionem è naribus cauſant; quia hujusmodi percuſſio v. g per alapam publicè in Eccleſia alteri inflictam, ordinariè cenſetur graviter injurioſa & peccaminoſa. Verùm in caſibus particularibus attendendum eſt ad gravitatem percuſſionis, quæ ſi ſupponatur eſſe graviter injurioſam ac peccaminoſam, per eam cenſeri debet Eccleſiam violari, non item, ſi tantùm leviter ſit injurioſa ac peccaminoſa. Aliud eſſet, ſi percuſſio fieret gladio, enſe, aut aliis ejusmodi inſtrumentis, quæ de ſe grave ſolent cauſare vulnus, & ad quorum conflictum magna ſemper ſequitur ſanguinis effuſio; tunc enim ſicut & ipſe conflictus, præſertim in Eccleſia, cenſetur eſſe graviter peccaminoſus, ita & percuſſio, etſi tantùm ex naſo ad inflictum ictum ſanguis profluerec. Requiritur 5tò. ut ſanguinis effuſio ſit copioſa; unde licèt percuſſio ſit graviſſima non polluitur Eccleſia, ſi non multum ſed tantùm aliquæ guttæ ſanguinis fluant; nam effuſio ſanguinis abundantiam & fluxum copioſum ſignificat. Ex quo ſequitur, multò minùs ſufficere ſolam percuſſionem, quamvis ea graviſſima ſit ac maximè injurioſa; quia Jura ſolùm ſtatuerunt pollui Eccleſiam per ſanguinis effuſionem, non item per percuſſionem etiam enormem, non igitur ultra verborum tenorem ſunt extendenda ad non expreſſa & ad percuſſionem, præſertim cùm juxta *R. J. 15. in 6* pœnalia & odioſa non ſint extendenda. Requiritur denique 6. ut effuſio ſanguinis copioſi cauſetur in Eccleſia; & hinc non violatur Eccleſia, ſi quis extra illam vel in porticu, turri, aut ſubtùs in ſpelunca Eccleſiæ percuſſus fugiat

ad

ad Eccleſiam, ibique ſanguinem copioſè fundat: Sicut ea neque polluitur, ſi percuſſio tantùm facta ſit in Eccleſia, & effuſio ſanguinis fiat extra Eccleſiam; quia textus Juris requirunt ſanguinis effuſionem in ipſa Eccleſia, ùt tradunt Barboſa loc cit. *n.* 24. Zœſius *ad tit. de conſecr. Eccl. n.* 4. Pirrhing. *ibidem n.* 11. & alii; quamvis contrarium teneant Navarrus *in Man. cap.* 27. *n.* 256. Sylveſter *V. conſecratio.* 2. *q.* 5. Azorius *p.* 2. *L.* 9. *cap.* 5. *q* 2. qui putant, ſufficere, quòd cauſa effuſionis ſanguinis graviter injurioſa ac peccaminoſa ponatur in Eccleſia: ubicunque dein effuſio per accidens ſequatur. Verùm prior ſententia ſicut Juribus ſupra citatis conformior, ita etiam probabilior eſt, in qua tamen non requiritur, ut ſanguis ipſam contingat Eccleſiam, dummodo intra ipſam ſit effuſus, ſive deinde excipiatur in vaſe quoppiam, ſive arbſorbeatur veſtimentis, ſive impediatur oppoſitione naſutergii aut omnino obſtruatur vulnus, prout colligitur *ex cap. propoſuiſti.* 4 *de conſecr. Eccl.* in quo quidem fit mentio vulneris, neutiquam verò maculationis, cùm non tam per contactum ſanguinis violetur Eccleſia, quàm per violentam illius effuſionem in ea factam.

20 Polluitur Eccleſia 3tiò. per voluntariam & illicitam ſeu peccaminoſam humani ſeminis effuſionem in illa factam, ùt habetur *can. Eccl.* 20. *de conſecrat. diſt.* 1. ibi: *cujuscunque ſeminis effuſione polluta fuerint.* & *cap. un. de conſecr. Eccl. in* 6. ibi: *Si Eccleſiam ſeminis effuſione pollui contingat.* Nec refert, an ſimplici pollutione, fornicatione, adulterio, Sodomia &c. contingat. *arg. cap. ſignificaſti.* 5. *de Adulter.* & *Can. Eccleſiis. cit.* Ad hoc autem ut per ſeminis effuſionem polluatur Eccleſia, requiritur 1mo. ut ſit voluntaria; quia ad peccatum requiritur voluntarium: ergò cùm ad pollutionem Eccleſiæ per effuſionem humani ſeminis factam requiratur peccatum, requiritur etiam voluntarium. Atque hinc non polluitur Eccleſia per effuſionem ſeminis, quam quis invitus patitur, neque per eam, quæ facta eſt ab amente, aut ab ebrio rationis impote, vel à dormiente in ſomno, tametſi prius dediſſet cauſam, vel evigilans de habita oblectaretur; quia tunc non tam ſeminis effuſio, quàm antecedens poſitio cauſæ, vel ſubſequens voluntaria oblectatio peccaminoſa eſt. Neque violatur Eccleſia per menſtruum fœminarum etiam in pavimentum illius defluens. Requiritur 2dò. ut ſit illicita ac peccaminoſa. Ex quo capite docent AA. communiter, quòd ſi duo conjuges in Eccleſia concluſi, quemadmodum tempore obſidionis aut captivitatis contingere poſſet, redderent ſibi debitum ad vitandum incontinentiæ periculum, non polluatur Eccleſia; quia tali caſu actus conjugalis non eſſet illicitus: pollueretur tamen, ſi extra hunc caſum id facerent; quia tunc eſſet illicitus reſpectu loci ſacri, utpote

re

repugnans illius Sanctitati. ùt docet Navarrus *in man. cap. 27. n. 257.* Sylveſter *V. conſecratio. 2. q. 5. caſ. 3.* Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 28. n. 48.* & *in cap. un. de Conſecr. Eccl. in 6. n. 13.* Gonzal. *in cap. 7. de Conſecr. Eccl. n. 7.* Sanch. *de matr. L. 9. D. 15. n. 7.* plurimos citans cum Gloſſ. communiter recepta contra Saa. *℣. Eccleſia* Baſilium Pontium & alios. Requiritur 3tiò. ut ſit ſeminis humani effuſio; nam ab ea, quæ fit ab animali irrationali ſive per coitum ſive aliàs, non polluitur Eccleſia: eáque debet eſſe in notabili ac ſufficienti quantitate, ſeu corporis pollutio completa, nec ſufficit inchoata, aut modica ſeminis humani diſtillatio; aliàs enim non verificaretur ſeminis effuſio, qua voce tamen utuntur allegata Jura, quæque copiam denotat. Requiritur 4tò. ut intra Eccleſiam facta ſit: quo nomine hic intelligitur interius Eccleſiæ corpus; & hinc ſi ejusmodi ſeminis effuſio fieret ſupra tectum ſeu fornicem Eccleſiæ, in campanili & turri, in cameris & cubiculis adjacentibus, aut in Sacriſtia & in cryptis ſubterraneis, quæ tamen pro divinis Myſteriis inibi peragendis, aut pro fidelibus ſepeliendis non ſunt deputata: in Eccleſiæ aditu extra januam: in adſitis & extra ipſius Eccleſiæ murum, pro ſtatione ſeu deambulatione extructis porticibus & atriis, non polluitur Eccleſia; quia non cenſentur fieri intra Eccleſiam: & licet hæc omnia in favorabilibus veniant nomine Eccleſiæ, non item in odioſis ac pœnalibus, in quibus Eccleſiæ nomen ſtrictè accipiendum eſt. Atque hinc etiam requiritur 5tò. ut pollutio Eccleſiæ, ſive ſeminis ac ſanguinis effuſione, ſive ex homicidio aut alia quacunque cauſa proveniat, ſit publica & notoria vel per evidentiam facti, vel per condemnationem rei crimen confeſſi, aut de eo convicti in judicio, vel etiam per legitimam criminis in iſto probationem *arg. cap. ſignificáſti. 5. de adulter.* & Gloſſa *in cap. un. de conſecr. Eccl. in 6. ℣. pollui.* ac docent Authores communiter. Ratio eſt, tum quia Eccleſia non judicat de occultis. *arg. cap. tua.* 34. *de Simon.* ibi: *nobis datum eſt de manifeſtis tantummodò judicare.* & *Can. Erubeſcant. 11. diſt. 32.* ibi: *de manifeſtis loquimur, ſecretorum autem cognitor Deus & Judex eſt.* tum quia, quamdiu res manet occulta in judicio & æſtimatione humana, Eccleſia non cenſetur violata, ſed retinet ſuam bonam famam: tum quia cùm reconciliatio Eccleſiæ ſit actus publicus & manifeſtus, ſupponit delictum etiam publicum & manifeſtum: ergò quamdiu hoc manet occultum, nec publicatur à conſciis, reconciliatione non indiget; cùm tam à parte rei, quàm in æſtimatione morali hominum perſeveret eſſe ſancta. Quod ſi tamen homicidium aut ſanguinis vel ſeminis humani effuſio, occultè in Eccleſia facta, poſtea innoteſcat publicè, habetur Eccleſia ex eo tempore pro polluta, & eſt neceſſariò reconcilianda.

Digitized by Google

21 Polluitur Eccleſia 4tò. per ſepulturam infidelis aut pagani *Can. Eccleſiam 27.* ubi dicitur: *Eccleſiam, in qua paganus ſepultus eſt, non liceat conſecrare, neque Miſſas in ea celebrare, ſed jactari foras & mundari oportet.* & *Can. ſeq. de Conſecrat. diſt. 1.* ſtatuitur: *Eccleſiam, in qua mortuorum cadavera infidelium ſepeliuntur, ſanctificare non licet: ſed ſi apta videtur ad conſecrandum, inde evulſis corporibus & raſis parietibus vel tignis ejus loci, readificetur.* Rationem addit Gloſſ *ad cit. Can. 27. v. celebrare; quia ab Eccleſiis infideles repelluntur vivi: ergo etiam mortui* repelli debent. Ex quorum Canonum verbis, & ex aliis, quæ à DD. communiter allegantur, ſequitur, non ſufficere, quòd Eccleſia eo caſu tantùm reconcilietur, ſed etiam requiri, ut cadavera hujuſmodi infidelium exhumentur ac foras projiciantur, nec non parietes & tigna ejuſdem Eccleſiæ radantur, ſiquidem Eccleſia nondum fuit conſecrata, ùt firmant Sylveſter. *V. conſecratio. 2. n. 5. caſ. 4.* Delbene *de immunit. to. 1. cap. 2. dub. 2. ſect. 6. n. 6.* Card. Petra *to. 2. ad Conſtit. 2. Honorii III. ſect. un. n. 55.* ſi verò fuerit conſecrata, ſufficit ſi illa iterum dealbetur ad vitandam execrationem, ùt cum Pax-Jordano *de reſac. L. 5. tit. 12. n. 124.* notat idem Card. Petra. Nomine autem infidelis non veniunt hoc loco Cathechumeni, atque adeò per eorum ſepulturam non polluitur Eccleſia, quia licèt nondum receperint baptiſmum aquæ, ac propterea nondum ſint, neque dicantur propriè ac rigoroſè fideles, poſſunt tamen tales largo modo dici ratione deſiderii, quo in illum feruntur, & habere traduntur baptiſmum flaminis, cúmque vi charitatis, qua flagrant in Chriſtum, fidelibus conjuncti ſint, hinc nec in ſepultura ab illis ſeparari debent, atque adeò licitè in Eccleſia ſepeliri poſſunt, quin ea per eorum ſepulturam polluatur; ſicut nec polluitur per ſepulturam infantis in utero matris mortui; quia pars matris eſſe cenſetur. *L. Temporibus 1. §. ex hoc 1. ff. de inſpiciend. ventr.* ideóque licitè etiam cum matre fideli mortua ſepelitur in loco ſacro; idem dicendum de infante dubiè baptizato; cùm ſic ad ſepulturam in loco ſacro Jus habere videatur. Major controverſia eſt inter Authores, an locus ſacer polluatur per ſepulturam infantis parentum quidem fidelium, qui tamen ante baptiſmum deceſſit? Affirmant Gloſſa, Hoſtienſis, Tabiena, Amilla, Angelus, Rodriquez, Suarez, Bonacina, Avila, Piaſeccius, Azorius, Fagundez, Reginaldus, Layman, Coninck, Caſtropalao, Leſſius, Aſcanius, Tamburin., Diana, Quarti, Delbene, Zoeſius, Matthæucci, & alii ab his citatis, quorum ſententiam Card. Petra *n. 59.* & veriorem vocat & communiorem, quam probant ex *Can. 27. & 28.* ſupra relatis, *de conſecr. diſt. 1.* tum etiam ex eo, quòd talis infans ſit infidelis ſaltem negativè, & quòd ante baptiſmum nemo ſit intra Ec-

cle-

cleſiæ gremium recipiendus, cùm illius janua ſit baptiſmus. Quibus tamen non obſtantibus negativam defendunt Paludanus, Sayrus, Bordonus, Paſqualigo, Ugolinus, Pax-Jordanus, Paſſerinus, Engl, Wieſtner, Schmalzgrueber, Pichler, aliique plures, qui putant, quòd etſi infantes ex parentibus Chriſtianis nati & ante baptiſmum mortui, ſepeliendi non ſint in loco ſacro, per eorum tamen ſepulturam non polluatur Eccleſia, ex ratione; quia lex privans ſepultura Eccleſiaſtica eſt odioſa & pœnalis, adeóque ſtrictè interpretanda, nempe de infidelibus poſitivè talibus ſaltem profeſſione parentum; nam ideò tantùm per ſepulturam infidelium polluitur Eccleſia, quia fidem Catholicam vel in ſe, vel in parentibus ſunt deteſtati: atqui fidelium infantes ante baptiſmum mortui fidem Chriſtianam neque in ſe neque in parentibus ſunt deteſtati, & tales cæteroquin cenſentur eſſe, quales ſunt parentes: ergò per eorum ſepulturam non polluitur Eccleſia. Nec quidquam probant allati in contrarium Canones, cùm primus expreſſè loquatur de paganis, alter verò infidelium nomine eosdem intelligat paganos. Rationes allatæ plus non probant, quàm quòd ejusmodi infantes ſepeliendi non ſint in loco ſacro, neutiquam verò, quòd exinde polluatur, cùm id nullo Jure ſit expreſſum: Lex autem pœnalis & odioſa extendi non debet ad non expreſſa; ſicut ex hoc, quòd illi ſepeliendi non ſint in loco ſacro: qui in peccato mortali notorio decedunt, haud ſequitur, quòd per eorum ſepulturam polluatur Eccleſia, ùt etiam adverſæ ſententiæ Patroni facilè concedunt non alia ducti ratione, quàm quia id Jure non eſt expreſſum, & in pœnalibus non datur extenſio ad non expreſſa, nec contenta.

Polluitur denique 5tò. Eccleſia per ſepulturam fidelis quidem, ſed excommunicati, prout deſumitur *ex cap. conſuluiſti. 7. de conſecrat. Eccl.* ubi Innocentius III. ſtatuit: *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contigerit, reconcilianda erunt aſperſione aquæ ſolemniter benedictæ, ſicut in dedicationibus Eccleſiarum fieri conſuevit.* quibus verbis licet ſolius fiat mentio Cœmeterii, ob paritatem tamen rationis refertur ab Authoribus ad Eccleſiam, cùm eidem non minor inferatur irreverentia per ſepulturam excommunicati, quàm Cœmeterio. Talis tamen excommunicatus debet eſſe vitandus, ùt docet communiſſima Doctorum, qui taliter interpretantur dictum textum & alios in hac materia: quibus adſtipulatur quotidiana praxis ac conſuetudo in Germania ac finitimis Regionibus, ubi Catholici permixti vivunt hæreticis, eademque pro ſepultura utantur Eccleſia aut Cœmeterio absque alterutrius pollutione, ùt ſæpius ipſe vidi pluribus in locis. Excommunicati porrò vitandi poſt Conſtitutionem Mar- 22

tini V. in Concilio Conſtantienſi editam hodie non ſunt niſi publicè denuntiati, ac notorii Clericorum percuſſores, ùt in puncto concludunt Navarrus *in man. cap. 27. n. 25.* Reginald. *in praxi L 32. n. 17.* Henriquez *in ſum. L. 9. de Miſſ. cap. 27. §. 5.* Leander *part. 5. tract. 5. Diſp. 1. §. 4. q. 34.* Barboſ. *de offic. Epiſc. p. 2. Alleg. 29. n. 52.* apud Card. Petra *n. 52.* & ratio diſparitatis eſt inter excommunicatum vitandum & non vitandum, quia cum excommunicatis vitandis non communicamus vivis, communicamus autem cum non vitandis, ut adeò procedat regula *cap. Sacris Canonibus 12. de ſepult.* tradita: ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus, & econtra. Caſu autem quo excommunicatus vitandus in Eccleſia ſepultus fuit, ante omnia exhumandum eſt illius cadaver, ac poſtea primùm reconcilianda Eccleſia, ad hoc ut Officia divina iterum in ea celebrari, aut fideles inibi poſſint ſepeliri, ùt deſumitur ex *Can. 27. & 28. de Conſecr. Eccl. 1.* & *cit. cap. ſacris 12. de ſepultur.* Ex hoc porrò, quòd per ſepulturam excommunicati vitandi polluatur Eccleſia, inferre conantur aliqui ob paritatem rationis, quòd eadem etiam polluatur per ſepulturam interdicti: Verùm etſi perſonaliter interdictus non ſit ſepeliendus in loco ſacro, ùt expreſſè ſtatutũ habetur *cap. Is. cui. 20. de ſentent. excommun. in 6.* ibi; *Interdictus ſi durante interdicto decedat, non debet in Eccleſia vel Cœmeterio Eccleſiaſtico, niſi pœnituerit, ſepeliri:* imò taliter ſepultus exhumari jubeatur, ſi oſſa illius ab aliis poſſint diſcerni *arg. can. Eccleſiam 28. juncta. Gloſſ. de conſecr. diſt. 1.* haudquaquam tamen per illius ſepulturam polluitur Eccleſia; id enim nuſpiam in Jure legitur expreſſum, & in odioſis ac pœnalibus Jura ſtrictè ſunt accipienda, nec ultra claram eorum diſpoſitionem extendenda à caſibus expreſſis ad non expreſſos: ob quam ipſam rationem etiam tenendum, quòd præter homicidium, & ſeminis ac ſanguinis humani effuſionem nullo modo polluatur Eccleſia per aliud crimen in ea commiſſum, quamvis æque aut etiam magis enorme foret, ùt contra Hoſtienſem, & Piaſeccium docent Pax Jordanus *de re ſacr. L. 5. tit. 12. n. 78.* aliique communiter, tametſi contraria, ſi alicubi vigeat conſuetudo, non ſit improbanda.

Quæ hucusque de pollutione Eccleſiæ ejusque reconciliatione dicta ſunt, eodem proportionaliter modo dicenda ſunt de pollutione & reconciliatione Cœmeterii, pro qua tamen videndum, an illud Eccleſiæ ſit contiguum, an ab ea remotum aut ſejunctum; nam ſi eſt conjunctum, pollutâ Eccleſiâ, etiam ipſum pollutum eſt, non tamen viciſſim polluto Cœmeterio polluitur etiam Eccleſia, ùt habetur *cap. ſi Eccleſiam. un. de conſecr. Eccl. in 6.* & additur ibidem ratio: *ne minus dignum, majus aut acceſſorium principale* 23

ad

ad ſe trahere videatur. Eſt enim Cœmeterium acceſſorium Eccleſiæ: acceſſorium autem ſequitur principale, non autem principale acceſſorium. Ex quo ſequitur, quòd ſi Cœmeterium polluatur ob pollutam Eccleſiam, per hujus reconciliationem, eo ipſo reconcilietur Cœmeterium, prout ex eodem ſumitur *cap. un. de conſecr. Eccl. in 6.* Si verò Cœmeterium ſit ab Eccleſia remotum ac ſeparatum, eo modo reconciliari debet ac ritu, quo polluta reconciliari ſolet Eccleſia *arg. cap. 7. de Conſecr. Eccl.* & *cap. un. eodem in 6.* & patet ex Pontificali Romano, vi cujus eodem ritu conſecratur Eccleſia & Cœmeterium, atque adeò eodem quoque ritu reconciliari debent, niſi tamen Cœmeterium fortè tantùm ſit benedictum, tunc ſola aquæ luſtralis aſperſione reconciliari poteſt à ſimplici Sacerdote *arg. cap. fin. de conſecr. Eccl.* Quòd ſi non unum, ſed plura Cœmeteria ſint, quæ quamvis ſibi cohærentia, pariete tamen ſejunguntur medio, tunc violato eorum altero, alterum, licèt de uno ad alterum per portam intermediam habeatur acceſſus, non propter hoc reputabitur violatum, ùt in terminis docet Bonifacius VIII. *cap. un. de conſecr. Eccl. in 6.* quia nempe paries intermedius duo moraliter Cœmeteria conſtituit, & utrumque dividit, ſicut ſi una domo paries intermedius attollatur, jam non una domus, ſed duæ cenſebuntur. *L. Si quis. 6. §. Si quis 1. ff. plane. ff. commun. præd.* Major difficultas eſt, ſi in porta intermedia contingat fieri homicidium, vel ſemen aut ſanguis humanus effundatur, quodnam ex duobus Cœmeteriis cenſeri debeat eſſe pollutum? In qua diſtinguendum eſt in varios caſus, qui contingere poſſunt; vel enim uni ex illis Cœmeteriis vicinior eſt porta, & tunc etiam illud pollutum eſt: ſi verò porta illa ſit in medio, tunc illud Cœmeterium cenſetur eſſe pollutum, cujus gratiâ paries & porta facta eſt tanquam acceſſorium illius: in dubio verò, cujus gratiâ factus ſit paries & porta, utrumque pollutum cenſebitur.

Cæterùm quando contingit Eccleſiam pollui, non poteſt in ea, vel in Cœmeterio contiguo quis ſepeliri donec reconcilietur, ùt habetur *cap. un. de conſecr. Eccl. in 6.* Neque poſſunt ibidem Miſſæ Sacrificia aut Officia divina celebrari *can. conſecrationem 1. Can. Sicut. 11. & can. nullus. 15. de conſecr. diſt. 1* & *cap. fin. de conſecrat. Eccl.* & ibi Doctores communiter, qui tamen contrarium ageret, peccaret quidem graviter, irregularitatem tamen nullam incurreret aut cenſuram aliquam, ùt habetur clarè deciſum *cap. 18. de ſent. excom. in 6.* ibi: *Is qui in Eccleſia polluta ſcienter celebrare præſumit: licèt in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen, cùm id non ſit expreſſum in Jure, laqueum non incurrit.* Ex quo ipſo Authores communiter inferunt, nec alii pœnæ ſubjacere il- 24

Digitized by Google

illum, qui in Eccleſia polluta celebrat divina, ex ratione, quia neque talis pœna ullo Jure invenitur expreſſa. Neque dicas: qui celebrat in Eccleſia interdicta incurrit irregularitatem: ergò etiam, qui celebrat in Eccleſia polluta, cùm non minor ſit irreverentia, ſive quis in hac, ſive in illa celebret. Verùm lata eſt in hoc diſparitas: ſi enim quis celebret in Eccleſia interdicta, violat cenſuram interdicti, non autem ſi celebret in Eccleſia polluta; nam interdictum eſt cenſura, cujus violatio irregularitatem inducit: talis autem non eſt pollutio Eccleſiæ, unde nec irregularitatem inducere poteſt, aut alias pœnas, quæ ſine claro textu inducendæ non ſunt. Quibuscunque autem modis polluatur Eccleſia quamprimùm fieri poteſt reconciliari debet *arg. cap fin. de conſecr. Eccleſ.* ibi: *Protinus.* & additur: *ne divina laudis organa ſuſpendantur.* Si tamen Reconciliatio Eccleſiæ haud poſſit tam citò fieri, exiſtimat Fagundez *de præcept. Eccl. p. 1. L. 3. cap 14 n. 2.* cum aliis, poſſe interim Epiſcopum diſpenſare, ut in ea poſſint celebrari Officia divina ac Miſſæ Sacrificia; cùm Epiſcopus poſſit univerſim diſpenſare in Jure poſitivo ſaltem in caſu neceſſitatis ad evitandum ſpirituale damnum, aut incommodum temporale. Verùm alii non tam facilè ad ejusmodi diſpenſationem deveniendum eſſe putant, cùm uſus ejusmodi reconciliationis in Eccleſia ab antiquis etiam temporibus ſemper fuerit ſacroſanctus, unde potiùs tam officia divina in alio decenti loco, quàm Miſſæ Sacrificia in Altari portatili volunt eſſe celebranda, uſque dum Eccleſia reconcilietur.

Sectio II.

De poteſtate Prælatorum conſecrandi calices, campanas, & Altaria.

25 Rerum ſacrarum benedictioni affinis eſt earumdem Conſecratio, quæ ab invicem per hoc diſtinguuntur, quòd in benedictione, quam in certa verborum & precationum forma conſiſtere diximus, nulla adhibeatur S. Chriſmatis unctio talis verò adhibeatur in Conſecratione. Mos quippe antiquiſſimus eſt, Deo ſacras res unctione dedicare. Jam enim à tempore primæ legis Jacob hac uſus eſt conſecratione, dum tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper *Geneſ. 28. ℣. 18.* & in ſecunda lege Moyſes tabernaculum, & Salomon Templum Deo dicantes, precibus & unctione ſacrârunt *Exodi 40. ℣. 9. & 2. Paralip.*

ſip. 7. ex quibus in lege gratiæ ritus dedicandi Domino loca, res, & perſonas promanavit, ùt habetur *Can. 2. de Conſecr. diſt. 1.* Si enim Judæi (verba ſunt citati Canonis) qui umbræ legis deſerviebant, hæc faciebant; multò magis nos, quibus veritas patefacta eſt, & gratia per Jeſum Chriſtum data eſt, Templa Domino ædificare, & prout meliùs poſſumus ornare, eaque divinis precibus & ſanctis unctionibus, ſuis cum Altaribus & vaſis, veſtibus quoque & reliquis ad divinum cultum explendum utenſilibus devotè & ſolemniter ſacrare debemus. Hæc ipſa verò poteſtas res cultui divino dicatas conſecrandi cum S. Chriſmatis unctione de Jure communi & ordinario ſoli competit Epiſcopo non quidem ex inſtitutione Chriſti, ſed ex laudabili tantùm conſuetudine ab Eccleſia approbata, præſertim cùm ad illum tantùm pertineat conficere Chriſma, ùt habet communis ac certa DD. ſententia ob claros Juris textus *Can. quamvis 4. diſt. 68. Can. nemo. 9. & can. nullus. 15. de Conſecr. diſt. 1.* vi quorum Epiſcopus hanc poteſtatem conſecrandi res ſacras, ne quidem committere poteſt ſimplici Sacerdoti, quia ùt dicitur *cap. aqua 9. de conſecrat. Eccleſ.* licèt Epiſcopus committere valeat, quæ juriſdictionis exiſtunt: quæ Ordinis tamen Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris Ordinis Clericis demandare. Ex quo Gloſſa, & DD. ibi communiter deducunt hujuſmodi rerum Conſecrationem à ſimplici Sacerdote, etiam ex delegatione ac commiſſione Epiſcopi factam, eſſe nullam ac irritam, atque adeò reiterandam, niſi à S. Pontifice ratihabeatur. *ex cit. cap. aqua in fin.* Nec ulla conſuetudine introduci poteſt, ut ſimplex Sacerdos acquirat hanc poteſtatem, niſi talis conſuetudo in aliquo fundata ſit privilegio, ùt iterum tenet communis Authorum *arg. cap. quanto 4. de conſuet.* Ratio eſt; quia ùt dicitur in ſummario ſeu Rubrica dicti Capituli, conſuetudo non poteſt operari, ut Clericus non Epiſcopus poſſit exercere ea, quæ ſunt reſervata Ordini Epiſcopali, ſive dein ad hunc pertineat Jure divino aut humano, in eo enim Capitulo reprobatur conſuetudo, vi cujus Sacerdotes ſimplices conferebant Sacramentum Confirmationis, cùm tamen poteſtas conferendi hoc Sacramentum de Jure ſolùm humano pertineat ad Ordinem Epiſcopalem, hoc ipſo, quòd eam aliàs S. Pontifex ſimplici Sacerdoti ac non Epiſcopo conferre non poſſet, prout tamen ſæpiùs feciſſe conſtat, ac deinde dicemus. Quæ tamen omnia non obſtant, quin S. Pontifex ex ſpeciali privilegio eam conſecrandi res ſacras poteſtatem etiam cum unctione S. Chriſmatis poſſit committere ſimplici Sacerdoti, cùm ea non competat Epiſcopis ratione Conſecrationis & de Jure divino, ſed de Jure ſolùm humano & ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ pro arbitrio S. Pontificis mutari poſſunt, ùt docent Innocentius & DD. unani-

nimiter *in cit. cap. Aqua.* An verò hactenus, & quibus hanc poteſtatem conceſſerint SS. Pontifices, hìc in particulari indagandum eſt: ac 1mò. quidem: An Canonicorum Regularium Prælati poſſint calices, patenas, pixides, aliáque ſacra vaſa, pro aſſervanda Euchariſtia deputata conſecrare pro ſuis ſaltem Eccleſiis? 2dò. An etiam campanas? 3tiò. an Altaria quoque ac lapides deſervientes ipſis Altaribus mobilibus? 4tò. An Altaria etiam fixa ac ſtabilia? 5tò. An prædicta conſecrare poſſint non tantùm pro ſuis, ſed etiam pro alienis Eccleſiis? 6tò. An etiam Prælati illi, qui nullum quidem habent ſpeciale privilegium conſecrandi, cum aliis tamen tale habentibus in privilegiis communicant, vi hujus generalis communicationis iſta poſſint conſecrare?

26 Dico 1mò. *Poſſunt Canonicorum aliorúmque Regularium Prælati & Abbates conſecrare calices, patenas, pyxides, aliáque vaſa pro aſſervanda Euchariſtia deputata pro ſuis ſaltem Eccleſiis.*

Ita Paulus III. Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Congregationis Vallis Scholarium conceſſit *13. Maji Anno 1539.* ut calices, vaſa & tabernacula quæcunque benedicere liberè & licitè valeant; ut refert Renatus Choppinus. *in Monaſtic. L. 2. tit. 2.* Tamburinus, & Pittonus ad dict. An. Pius IV. *Anno 1565. die 5. Calend. Decembr.* & S. Pius V. in Bulla: *Æquum reputamus. 16. Cal. Febr. Anno 1566. Pont. 1.* conceſſit pariter Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis, ut quæcunque ornamenta & vaſa ad divinum cultum neceſſaria benedicere poſſint. Sic etiam Innocentius XI. in Bulla: *In Apoſtolica dignitatis 13. Calend. Januar. Anno 1680.* Canonicorum Regularium Prælatis indulſit, ut calices, vaſa, & tabernacula juxta S. R. E. ritum cum ſolitis ſolemnitatibus ac cæremoniis benedicere valeant, idemque conceſſit Innocentius XII. in Bulla pariter incipiente: *In Apoſtolica dignitatis pridie Calend. Martii Anno 1692.* quorum omnium Bullæ habentur in Bullario novo Lateranenſi.

Urbanus II. quoque in Bulla Salerni data *18. Cal. Octobr. Anno 1092.* quæ incipit: *Cùm univerſis.* conceſſit Abbatibus Monaſterii Cavenſis privilegium Eccleſias ædificandi, cum cruce ſignandi & omnia alia Pontificalia exercendi, quæ Epiſcopi in ſuis Diœceſibus facere poſſunt, ſacrorum Ordinum collatione, Baſilicarum & Altarium conſecratione, ac Chriſmatis confectione duntaxat exceptis; quo præcipuè privilegio fundantur Abbates Congregationis Caſſinenſis, dum ſibi vindicant po-

Digitized by Google

poteſtatem ea conſecrandi, in quibus unctio S. Chriſmatis intervenit.

Urbanus IV. ſimiliter indulſit Abbatibus Congregationis montis Virginis in Bulla: *Eccleſia Romana. 11. Sept. Anno 1263. Pont. 3.* ut poſſint benedicere etiam calices, & omnia alia ornamenta ſacra; ùt refert Margarinus in Bull. Caſſin. to. 1. Conſtit. 336. & Murga ad Conſtit. 16. §. 12. n. 113.

Innocentius VIII. denique in Bulla: *Expoſcit veſtra devotionis 5. Idus April. Anno 1489.* conceſſit Abbatibus Ciſtercienſibus de ſpeciali dono gratiæ, ut calices conſecrare tam de dicto Ordine, quàm ſi aliundè ad eos deferantur, valeant vaſculis etiam ad reponendam S. Euchariſtiam comprehenſis.

27 Ex quibus omnibus manifeſtè conſtat, Canonicorum Regularium Caſſinenſium, ac Ciſtercienſium Prælatos & Abbates ſpecialibus inſtructos eſſe privilegiis, vi quorum poſſint calices, patenas, aliáque vaſa, in quibus S. Chriſmatis unctio intervenit conſecrare: an verò aliorum Ordinum Prælati, qui ſpeciali hujusmodi privilegio ſunt deſtituti, cum prædictis tamen Ordinibus in privilegiis communicant, eodem uti poſſint virtute hujus communicationis, inferiùs ex inſtituto examinabimus. Certum autem interim videtur, non poſſe Prælatos illos, qui non habent uſum Pontificalium, ea conſecrare, in quibus S. Chriſmatis unctio intervenit, etiamſi cæteroquin cum prædictis Ordinibus ampliſſimè communicent in privilegiis: tum quia poteſtas hæc illis tantummodo ſolet concedi, qui prædictum Pontificalium uſum habent actu: tum quia Pontificale Romanum, & pleræque cæremoniæ eundem ſupponunt. Id quod multò magis procedit de Prælatis & Superioribus Ordinum Mendicantium, quamvis Generales ſint, ac ſupremâ fulgeant in ſuo Ordine dignitate, & aliàs poteſtatem habeant ampliſſimam benedicendi res ſacras: tum quia conſecrationes, quæ fiunt cùm S. Chriſmatis unctione, expreſſè ſunt prohibitæ quibuscunque Mendicantium Superioribus in conceſſione privilegii benedicendi ornamenta ſacra & Eccleſias: tum quia ſunt benedicti, aut ſaltem privilegium habent faciendi omnia, quæ facere poſſunt benedicti, atque inſuper Pontificalium uſum obtinent, ratione quorum plura conceduntur privilegia hujusmodi Prælatis & Abbatibus, quàm Superioribus Mendicantium, aliiſque Prælatis hunc uſum Pontificalium non habentibus, ùt etiam advertit Diana *part. 3. tr. 2. Reſolut. 15.* Barboſa *de Jur. Eccleſ. L. 1. cap. 17. n. 62. & 63.* & Rotarius *to 3. L. 2. cap. 2. punct. 4. n. 5.* quæ omnia confirmari poſſunt declaratione ſacræ Congregationis Rituum *3. Martii Anno 1632.* factæ, ubi cenſuit: Priores & alii Religionum Prælati, etiam ex Societate JEſu, habentes privilegia benedicendi veſtes ſacras, dicto privile-

gio uti non poſſunt, niſi in iis rebus, in quibus ſacra unctio non adhibetur; ût refert Barboſa *in Summa deciſionum Apoſtolic. collect. 1. num. 14.* & Card. Petra *ad Conſtit. 6. Urbani IV. n. 25.*

28 Dico 2dò. *Poſſunt etiam Canonicorum Regularium Prælati & Abbates benedicere & conſecrare campanas.*

Ita Innocentius VIII. Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium in Bulla: *Expoſcit veſtra devotionis. pridie Idus Novemb. Anno 1489. Pontif. 6.* in ſpecie conceſſit, ut campanas quoque & alia divino cultui deputata vel deputanda in quibusvis Monaſteriis Prioratibus, & aliis locis benedicere liberè & licitè poſſint, ût habetur in Bullario Bononienſi fol. 105. Julius III. quoque iisdem Canonicorum Regularium Prælatis in Bulla: *Cùm à nobis 10. Calend. Novembr. Anno 1551.* non modò dictum Iñocentii privilegium, ſed etiam hanc campanas benedicendi poteſtatem expreſſè confirmat. Paulus III. etiam dictis Canonicorum Regularium Abbatibus Congregationis Vallis Scholarium *Anno 1539. die 13. Maji.* conceſſit, ut præter calices & alia vaſa ſacra, campanas quoque benedicere liberè & licitè valeant; quibus addi poſſunt Innocentius XI. in Bulla: *In Apoſtolica. 13. Cal. Januar. Anno 1680.* Innocentius XII. in Bulla ſimiliter incipiente: *In Apoſtolica. pridie Cal. Martii. Anno 1692.* & Clemens XI. in Bulla: *In Apoſtolico. 8. Idus Junii. Anno 1703.* qui omnes in relatis Bullis eandem campanas benedicendi poteſtatem diverſis Canonicorum Regularium Prælatis expreſſè conceſſerunt: quibus omnibus addi quoque poteſt privilegium Urbani II. Monaſterio Cavenſi conceſſum ac ſupra relatum, quo ejusdem Abbatibus conceſſit, ut omnia Pontificalia exercere poſſint, quæ Epiſcopi in ſuis Diœceſibus facere poſſunt, exceptis duntaxat SS. Ordinum collatione, Baſilicarum & Altarium conſecratione, ac Chriſmatis confectione; cùm exceptio firmet Regulam in contrarium, in caſibus non exceptis *arg. can. Dominus 6. cauſ. 32. q. 7.* juncta Gloſſ. ideò cùm in prædicto privilegio non excipiatur campanarum benedictio, cenſetur eſſe conceſſa, ût etiam diſcurrit Aſcan. Tamburinus *to. 1. D. 23. quaſ. 12. n. 3.*

Ex quibus nullum videtur ſupereſſe dubium, quin Canonicorum Regularium Prælati & Abbates præter calices, patenas, ac alia ſacra vaſa, campanas quoque poſſint benedicere & conſecrare, cùm tot ſpecialibus SS. Pontificum hac in re privilegiis ſint muniti. Neque his obſtat declaratio per ſacram Congregationem Cardinaliu n in quodam reſponſo ſuper Concilium Tri- 29

dentinum *ſeſſ. 23. c. 10.* facta, qua cenſuit, quòd Abbas, qui eſt benedictus, vel qui ex privilegio ſedis Apoſtolicæ habet, ut Pontificalia exercere poſſit ac ſi eſſet benedictus, poſſit omnia ſacra benedicere, illis exceptis, in quibus unctio requiritur, prout eandem in Syracuſana *5. Julii Anno 1607.* declarâſſe refert Card. Petra *l. c. n. 23. ex tom. 11. Decretor. pag. 10.* ubi etiam *n. 36. ex eodem to. 11. Decret. pag. 86.* aliam ac ſimilem ejuſdem S. Congregationis declarationem *2. Octobr. Anno 1610.* editam adducit, qua ſtatuitur, quòd Abbates utcunque benedicti benedicere nequeant ea, in quibus unctio requiritur; nam hæ aliæque hujuſmodi S. Congregationis declarationes haudquaquam afficiunt Canonicorum Regularium, aut eorum Ordinum Prælatos, ſpecialibus SS. Pontificum privilegiis munitos, ſed eos tantùm, qui vel nullis ejuſmodi privilegiis gaudent, vel uſum Pontificalium non habent, quemadmodum ſeſe ipſa ſacra Congregatio ſatis explicavit in relata poſteriori declaratione, dum expreſſè addidit notanda hæc verba: *niſi ſpecialibus privilegiis ſedis Apoſtolicæ fuerint muniti.* Et licèt poſtea nonnulli nimis ſcrupuloſi eas declarationes conati fuerint extendere ad omnes omninò Prælatos & Abbates etiam eos, qui ſpecialia quoad hoc habebant privilegia, interceſſit tamen iiſdem Generalis in Romana Curia Procurator Congregationis Caſſinenſis, propoſitiſque SS. Pontificum hanc in rem conceſſis privilegiis ſupplicavit ſacræ Congregationi Concilii, quatenus ad tollendam omnem difficultatem declarare dignaretur, quòd ſtantibus dictis privilegiis confirmatis & approbatis prædicta facultas benedicendi & conſecrandi competat Prælatis & Abbatibus ſupradictis, non obſtantibus relatis declarationibus, quæ quidem non comprehendunt Prælatos & Abbates privilegiatos, ſed tantùm Prælatos nō privilegiatos ac ſæculares, qui non gaudent iſtis privilegiis, ſed tantùm habent, quod illis concedit Jus commune. Ad hæc ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit deciſionem à ſe aliàs editam, quòd Abbates utcunque benedicti, benedicere non poſſunt ea, in quibus unctio requiritur, non obſtare, quo minùs iidem munus prædictæ benedictionis, quoad ea, in quibus unctio requiritur, impendere queant, ſi ſpecialibus ſedis Apoſtolicæ privilegiis, quibus idem Concilium nequaquam derogat, muniti fuerint. Datum die 10. Sept. Anno 1614. P. Cardinalis Arigon. quā S. Congregationis declarationem referunt Tamburinus *to. 1. D. 23. quaſ. 1. n. 5.* Barboſa *de Jur. Eccl. L. 1. cap. 17. n. 67.* & *in Sum. Deciſ. Apoſt. collect. 1. n. 12.* de Murga *Diſquiſ. mor. to. 1. tr. 2. diſquiſ. 9. n. 2. & ad Conſtit. 4. n. 29.* & Margarin. *in Bullar. Caſſin. to. 1. Conſtit. 260.* Cúmque poſtmodum contradicente D.

Digitized by Google

Epiſcopo Patavino contingeret dubitari, an Abbati Venet. Monaſterii S. Juſtinæ de Padua liceat benedicere campanas & calices, exhibitum eſt propterea privilegium Urbani II. ſupra relatum, & ab aliis SS. Pontificibus approbatum; quo quidem privilegio Abbates Congr. Caſſin. ſemper absque ulla contradictione uſi ſunt in benedicendo calices & campanas. Quare pro parte Abbatis ſupplicatum fuit, per hanc ſacram Congregationem declarari, prout jam ſupra declaratum fuerat, quòd eis competat facultas prædicta benedicendi campanas & calices. Ad hæc: ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit, Abbates prædictæ Congr. Caſſin. uti hac in parte ſedis Apoſtolicæ privilegiis munitos poſſe utique in locis eorum jurisdictioni ſubjectis campanas & calices benedicere. die 5. Aprilis. Anno 1620. R. Cardinalis Ubaldinus. quæ declaratio pariter refertur à Tamburino *l. c. quæſt.* 2. *n.* 3. Margarino *conſtit.* 282. de Murga *ad cit. conſtit.* 4. *n.* 30. & *conſtit.* 16. *n.* 200. nec non *in Diſq. mor. cit. diſq.* 9. *n.* 3.

30 Ex relatis hactenus S. Congregationis declarationibus clare patet, concluſionem noſtram tam priorem quàm præſentem ab eadem S. Congregatione canonizatam eſſe; nam ſtatuit abſolutè, quòd Prælati & Abbates poſſint benedictionis munus impendere etiam quoad ea, in quibus requiritur unctio, ſi ſpecialibus ſedis Apoſtolicæ privilegiis ſint muniti: atqui Canonicorum Regularium Prælati & Abbates ſpecialibus ſunt muniti ſedis Apoſtolicæ privilegiis, ut conſtat ex recenſitis hactenus in utraque concluſione: ergò poſſunt etiam munus benedictionis impendere quoad ea, in quibus requiritur unctio, præſertim cùm Tridentinum dictis privilegiis nequaquam deroget. Neq; dicas: eandem S. Congregationem relatas ſupra declarationes tacitè revocâſſe per aliam *13. Martii Anno 1632.* editam, in qua decernit, quòd Abbates, Priores, Guardiani, & alii Religionum Prælati, etiam ex Societate JEſu, habentes privilegia benedicendi veſtes ſacras, Cœmeteria & ſimilia, dicto privilegio uti non poſſint, niſi in his rebus, in quibus ſacra unctio non adhibetur; per quam declarationem utpote poſteriorem derogatum eſſe prioribus cenſendum eſt, ſicut lex poſterior cenſetur abrogare priorem. Ad hanc inſtantiam R. 1mò. Negando ſuppoſitum, quòd poſterior hæc declaratio loquatur de Prælatis & Abbatibus Apoſtolico privilegio munitis conſecrandi calices & campanas, aliáque vaſa, in quibus requiritur S. Chriſmatis unctio, ſed ea loquitur & intelligenda eſt tantùm de Prælatis & Superioribus Ordinum Mendicantium, aut de Prælatis Ordinum Abbatialium quidem, ſed illis tantùm, qui vel non habent uſum Pontificalium, vel nullis mu-

muniti ſunt privilegiis ejusmodi res conſecrandi cùm unctione S. Chriſmatis, ſed ſolùm benedicendi veſtes ſacras, Cœmeteria, & ſimilia, prout S. Congregatio ſeipſam ſatis clarè explicat; neque enim privilegium benedicendi ſacras veſtes &c. extendi poteſt ac debet ad conſecrandos calices & campanas, in quibus requiritur unctio, quod ſolùm vult dicta declaratio. ℞. 2. negando pariter, quòd lex poſterior ſemper deroget priori, imò per priorem ſpecialem limitanda eſt poſterior generalis, & juxta illam intelligenda & interpretanda; ut vitetur Juris correctio, quæ maximè vitari debet, ùt expreſsè ſtatuitur *cap. Cùm expediat. 29. de election. in 6.* ubi etiam Gloſſa *V. ſuſtineri.* Lezana *to. 2. V. Leges Regular. n. 40.* Caſtropalao *to. 1. tr. 3. D. 5. punct. 3. §. 3. n. 13.* & de Murga *to. 2. Disquiſ. Moral. diſq. 1. dub. 14. n. 142. & 148.* ubi plura hanc in rem allegat Jura, pluréſque cumulat Doctores; atque hinc declaratio poſterior de Anno 1632. quæ generalis eſt, non debet derogare priori ſpeciali de Anno 1614. poſt exhibitionem privilegiorum factæ: qua de re plura videri poſſunt apud *cit. de Murga ad Conſtit. 4. n. 33.* Ex quibus omnibus denique nullus relinquitur dubitandi locus, quin Canonicorum Regularium aliorúmque Ordinum ac Congregationum, præſertim Caſſinenſium & Ciſtercienſium Prælati & Abbates, qui hac in re ſpecialibus muniti ſunt privilegiis, calices & campanas benedicere & conſecrare poſſint. Num verò etiam conſecrare poſſint Altaria, nova difficultas eſt, ſpecialis indaginis digna; pro qua tamen

Sciendum, Altaria duplicis eſſe 31
generis, fixa ſcilicet & portatilia. Altare fixum eſt, quod continet totam menſam, ſuper quam peragitur Miſſæ Sacrificium, dicitúrque fixum aut ſtabile, quòd ſemel conſecratum in Eccleſia perſeveret nec amoveatur. Altare portatile eſt parvus lapis, qui & ara appellatur ac viaticum, ſic dictus, quòd de loco ad locum portari poſſit; utrumque ſufficit ad peragendum Miſſæ Sacrificium, cùm utrumque ſit verum Altare, requiritúrque, ut ſit lapideum juxta *Can. Altaria 31. de Conſecr. diſt. 1.* ſaltem quoad partem ſuperiorem, ſuper quam reponitur SS. Corpus & ſanguis Chriſti, idque ex uno integro conſtare debet lapide, quo unitas perſonæ, quæ in Chriſto eſt, aptiùs repreſentetur, non autem ex duobus aut pluribus coadunatis lapidibus; aliàs in duobus conſecratio fieret Altaribus; utrumque pariter debet eſſe conſecratum ad licitè in eo celebrandum, ita quidem, ut ſi quis ſciens in Altari non conſecrato Miſſam celebraret, juxta comuniſſimam Authorum ſententiam mortale comitteret peccatum. Altare portatile debet ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine figuræ quadrangularis eſſe, tantæque magnitudinis, ut poſſit commodè ca-

capere pedem calicis ac patenam cum hoſtia conſecrata, vel ſaltem, ut ſuper eo major eorum pars firmiter abſque ullo cadendi aut dilabendi periculo valeat collocari, nec minorem uno palmo eſſe debere illius latitudinem, cenſuit S. Congregatio Epiſcoporum, ut teſtatur Nicolius *in floſc. n. 5. §. dummodo.* & Card. Petra *tom. 4. ad Conſtit. 1. Gregorii XI. n. 33.* An autem ad conſecrationem utriusque Altaris requiratur de ſubſtantia ac neceſſitate, ut aliquæ in eo Reliquiæ includantur Sanctorum? haud convenit inter Authores; & quidem neceſſarias eſſe maximè pro Altari fixo tenet Sylveſter *V. Altare. q. 1.* Barboſa *de Jure Eccleſiaſt. L. 2. cap. 8. n. 20.* & *de poteſt. Epiſc. Alleg. 27. n. 26.* Azor *part. 1. L. 10. cap. 26. q. 10. & cap. 27. q. 12.* Paſqualigo *in Deciſ. moral. deciſ. 44.* & alii ducuntur 1. auctoritate Concilii Carthag. 5. *Can. 14.* & Africani *cap. 50.* relatis *Can. placuit 26. de conſecr.* ubi præcipitur, ut Altaria, quæ paſſim per agros & per villas tanquam memoriæ Martyrum conſtruuntur, in quibus nullum corpus aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui locis eisdem præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur; & in Synodo *generali 7. Can. 7.* prohibetur, ne templa ſine Reliquiis Martyrum conſecrentur; nomine autem templi non intelliguntur nudi parietes, ſed Altaria, quæ templum à locis profanis diſtinguunt. Accedit, quòd circa impoſitionem Reliquiarum & conſecrationem ſepulchri præcipuæ benedictiones, inunctiones & cæremoniæ in Pontificali præſcribantur: & aliàs non verificaretur, quod Sacerdos poſt introitùm deoſculans Altare dicit: Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hic ſunt. Verùm his non obſtantibus

Alii permulti iique graves Au- 32
thores, licèt concedant, quòd ſit valdè conveniens, ut in conſecratione Altaris reponantur Sanctorum Reliquiæ, negant tamen eas eſſe de eſſentia aut neceſſitate Altaris conſecrati, quos inter Panormitan. *in cap. 1. de Conſecr. Eccl. n. 2.* Suarez *D. 81. ſect. 5.* Vasquez *D. 233. c. 2.* Lugo de Euchariſt. *D. 20. n. 75.* Coninck. *q. 81. n. 240.* Dicaſtil. *de Miſs. D. 4. n. 148.* Caſp. Hurtado. *de Sacrif. D. 4. difficult. 8.* Layman *L. 5. tr. 5. cap. 6. n. 9.* Thomas Tamburin. *L. 1. cap. 5. §. 1.* Caſtropalao *tr. 22. punct. 9.* Burghaber *centur. 2. caſ. 43.* Pirrhing *ad tit. de Conſecr. Eccl. n. 26.* Reiffenſtuel *ibidem n. 40.* hancque ſententiam Arriaga *de Euchariſt. D. 55. n. 4.* dicit eſſe tutam, LaCroix *de Sacrific. Miſſ. n. 306.* abſolutè probabilem, eóque teſte ſenſerunt Buſeus, aliique Theologi Romani, quibus adhuc plures addi poſſent tum Theologi tum Canoniſtæ; & ratio horum omnium eſt, quia nullo claro textu Juris oſtendi poteſt, Reliquias Sanctorum eſſe neceſſarias ad conſecrationem Altaris, quamvis laudabiliſſimè ob-

an-

antiquam Eccleſiæ conſuetudinem adhibeantur. Quod enim attinet Canonem placuit & Concilia ibidem relata ℞. ibi nullatenus prohiberi, ne conſecrentur Altaria ſine Martyrum Reliquiis, ſed prohiberi tantùm, ne absque Reliquiis Martyrum conſtruantur memoriæ Martyrum; reperiebantur enim per agros & villas erecta plura Altaria, tanquam continentia Martyrum corpora, cùm tamen ibi nullæ probarentur eſſe Martyrum Reliquiæ, unde ſuperſtitioſum incertorum Martyrum ac Reliquiarum cultum, & erectas memorias removere voluerunt Patres per dictos Canones: non verò decernere, quòd Altaria, in quibus celebrandum, conſecrari non poſſint absque Reliquiis in eisdem incluſis, ùt legenti textum patet, quidquid dicat Summarium illius Canonis; in hoc enim expreſsè dicitur: & omninò nulla memoria Martyrum acceptetur, niſi ubi corpus aut Reliquiæ certæ ſunt, aut origo alicujus habitationis vel poſſeſſionis vel paſſionis fideliſſima origine traditur; nam quæ per ſomnia & per inanes quaſi relationes quorumlibet hominum ubicunque conſtituuntur Altaria, omninò reprobentur. hæc in cit. Can. Cæterùm Decreto 7mæ. Synodi prohibetur tantùm, ne templa ſine Reliquiis conſecrentur, ad quod ſufficit, quòd aliquæ Reliquiæ in eodem reponantur: non autem præcipitur, quòd in ſingulis Altaribus Sanctorum Reliquiæ recludi debeant tanquam de eſſentia requiſitæ: & licèt etiam ibidem diceretur, quòd nullum Altare ſine Sanctorum Reliquiis conſecrari debeat, id tamen intelligendum eſſet de convenientia, non autem de neceſſitate, præſertim nunc poſtquam uſus & conſuetudo contraria invaluit, qua Altaria ſaltem portatilia paſſim conſecrantur ſine ullis incluſis Reliquiis, quod etiam de fixis Suarez, Vasquez, Coninck, Dicaſtillo teſtantur, idque vel maximè ob impoſſibilitatem quamdam habendi tam multas ac exploratas SS. Reliquias; unde ſi certæ non poſſint haberi Reliquiæ, absque his omninò poteſt Altare conſecrari: quamvis ſi haberi commodè poſſint, Altaris ſepulchro immittere deceat ob antiquiſſimum Eccleſiæ ritum communiter obſervatum. Qua in re tamen rejicienda eſt penitùs opinio Durandi *L. 1. Ration. cap. 7.* & Joan. Andreæ *in cap. Placuit. cit.* aſſerentium, quòd ubi Reliquiæ haberi non poſſunt, illarum loco ponendam eſſe particulam conſecratæ hoſtiæ; eſt enim hoc contra reverentiam debitam Sacramento, cùm non ſolùm corruptioni exponatur, verùm etiam, quamdiu non eſt corruptum, debitus honor ei non tribuatur genufleclendo, aut lumen perpetuum ibi aſſervando; quod ad auctoritatem Pontificalis Romani attinet, id nihil omninò probat, cùm eadem, quæ in Altari fixo fiunt ac præſcribuntur, etiam fiant ac præſcribantur in conſecratione Altaris

taris

taris portatilis, & tamen nemo hodie dicit, quòd ad hoc neceſſariò requiratur ſepulchrum aut Reliquiæ in eo collocatæ; multò minùs probat argumentum ab oratione poſt introïtum dicenda deſumptum, nam ea ſenſum habet non abſolutũ ſed conditionatum, ſi nempe ſint ibi aliquæ Reliquiæ, ùt inquit Caſtropalao l. c. ſicut dicitur: Dominus vobiſcum, Orate fratres, aut: Ite Miſſa eſt, quamvis nullus aut unicus tantùm adſit Miniſter; deinde in antiquis habetur Miſſalis Rubricis, quòd ſi in aliquo Altari Reliquiæ non habeantur, illa oratio debeat in Miſſa omitti: quo ſatis innuitur, dari poſſe Altaria ſine Reliquiis. His ita notatis, jam ulterius (*Adde*; à Pontaſio *V. Altare.* non improbari hanc ſententiam Soti, Turrecrematæ Cardinalis, & San-Bovii)

33 Dico 3tiò. *Poſſunt quoque Canonicorum Regularium Prælati & Abbates benedicere ac conſecrare quoscunque lapides marmoreos vel porphyrios aut alios ad uſum Altarium portatilium accommodatos pro uſu ſuorum Monaſteriorum & Eccleſiarum, ac aliorum piorum locorum, ſuper quibus Miſſa celebrari poſſint.*

Ita Paulus III. Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium 13. Maji Anno 1539. abſolutè conceſſit facultatem benedicendi & conſecrandi Altaria, ùt videre eſt apud Renatum Choppinum, Tamburinum, ac Pittonum. Idem conceſſit Prælatis Canonicorum Regularium Innocentius XI. in Bulla: *In Apoſtolica dignitatis 13. Cal. Januar. Anno 1680. Pont. 6.* & Innocentius XII. in Bulla eodem modo incipiente *pridie Calend. Martii Anno 1692. Pont. 2.* Innocentius VIII. idem indulſit Ciſtercienſibus in Bulla: *Expoſcit 5. Idus April. Anno 1489. Pontific. 6.* in qua eisdem tribuit poteſtatem Altaria conſecrandi, Chriſmate ſacro priùs ab aliquo Catholico Antiſtite recepto, prout recenſet Margarin. *in Bullar. Caſſin. to. 1. Conſtit. 343.* Henriquez. *de privil. Ciſterc.* de Murga *Conſtit. 4. §. 2. n. 20. & to. 1. Diſq. mor. tr. 2. diſq. 9. n. 4.* Pius IV. etiam in Bulla: *Sedis Apoſtolicæ. 6. Julii Anno 1565. Pontif. 6.* eandem poteſtatem ac plenam licentiam conceſſit & indulſit Caſſinenſibus benedicendi, & conſecrandi quoscunque lapides marmoreos, vel porphyrios aut alios ad uſum Altarium portatilium accomodandos, pro uſu quorumcunque utriusque ſexûs Monaſteriorum, Prioratuum, ac Eccleſiarum & piorum locorum, ſuper quibus Miſſæ celebrari poſſint, ordinariorum locorum licentia deſuper minimè requiſita, ùt refert Cherubin. in Bullar. Rom. *to. 2. Conſtit. 97.*

97. Margarinus *in Bullar. Caſſin. to.* 1. *Conſtit.* 185. & Tambur. *to.* 1. *D.* 23. *q.* 4. *n.* 3. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd per relata hactenus privilegia Canonicorum Regularium, Caſſinenſium, ac Ciſtercienſium Prælatis & Abbatibus competat poteſtas benedicendi, & conſecrandi Altaria ſaltem portatilia. Nec obſtat, quòd in privilegio Urbani II. ſupra relato excipiatur Altarium conſecratio; nam licèt in iſto non concedatur hæc poteſtas, conceditur tamen & quidem expreſsè à Paulo III. Canonicis Regularibus, ab Innocentio VIII. Ciſtercienſibus, & à Pio IV. Caſſinenſibus: & ab hoc quidem Pontifice non ob aliam rationem, quàm quia fuerat ab Urbano excepta, prout ex ipſa illius Bulla colligitur. Major difficultas eſt, an Prælati poſſint etiam Altaria fixa benedicere & conſecrare? Verùm quoad iſta etiam

34 Dico 4to. *Poſſunt Canonicorum Regularium Prælati & Abbates pro ſuarum Eccleſiarum uſu Altaria quoque fixa ac ſtabilia conſecrare.*

Deſumitur hæc concluſio ex ſupra relato Pauli III privilegio Canonicorum Regularium Prælatis conceſſo, utpote in quo abſolutè & indiſtinctè eiſdem liberam tribuit facultatem Altaria conſecrandi nulla uspiam facta diſtinctione inter fixa & mobilia, quemadmodum nec alii SS. Pontifices, ùt Innocentius XI. in Bulla: *In Apoſtolica* 13. *Cal. Januar. Anno* 1680. & Innocentius XII. in Bulla pariter inchoante: *In Apoſtolica. prid. Cal. Martii.* 1692. concedentes Canonicorum Regularium Prælatis hanc poteſtatem conſecrandi Altaria, ullam faciunt diſtinctionem inter fixa & portatilia, haud dubiè facturi, ſi fixa voluiſſent excepta: ergò ſicut virtute horum privilegiorum Prælati poſſunt conſecrare portatilia, ita vigore eorundem privilegiorum poterunt conſecrare etiam fixa; ubi enim lex non diſtinguit aut princeps, neque nos diſtinguere debemus. *L. non diſtinguemus. ff. de receptis arbitris.* Idipſum deſumitur 2dò. in terminis ex privilegio Innocentii VIII. ſupra quoque relati, ubi concedit dictis Prælatis & Abbatibus, ut Altaria de novo conſtructa, ſeu translata, reſtaurata, aut mutata conſecrare valeant, Chriſmate ſacro priùs ab aliquo Catholico Antiſtite recepto: quæ verba, ſi in ſenſu obvio, ac ritè accipiantur, non tantùm deſignant Altaria mobilia, ſed etiam fixa, hiſque longè magis conveniunt, quàm illis: ergò etiam de Altaribus fixis intelligi debent. Quibus accedit quoque ratio; nam ad hoc, ut Prælati poſſint conſecrare Altaria etiam fixa, non aliud requiritur, quàm unctio Chriſmatis & benedictio ſacerdotalis, prout habetur *cap. Altaria.* 32. *de Conſecr. diſt.*

diſt. 1. ſed utraque competit dictis Prælatis tam unctio Chriſmatis, quàm benedictio ſacerdotalis; habent enim poteſtatem & benedicendi res quascunque divino cultui dicatas, & ungendi ſacro Chriſmate, ùt ſupponitur: ergò poſſunt etiam conſecrare Altaria non tantùm portatilia, ſed etiam fixa, præſertim cùm ad iſta nihil aliud requiratur, quàm ad illa, neque major ſit ratio pro uno quàm pro altero. Neque dicas: Altaria mobilia ac portatilia hodie communiter conſecrantur ſine Reliquiis Sanctorum: econtra verò fixa communiter conſecrantur cum incluſione hujusmodi Reliquiarum: ergò multo plus requiritur ad conſecrationem Altaris fixi, quàm portatilis, præſertim cùm ad illam longè plures requirantur cæremoniæ, benedictiones, & inunctiones, ùt conſtat ex Pontificali Romano. ℟. enim quòd non minùs Altaria portatilia conſecrentur, aut ſaltem conſecrari poſſint cum impoſitione SS. Reliquiarum, quàm fixa, quo caſu ſimiles etiam requiruntur cæremoniæ, benedictiones & inunctiones ad conſecrationem portatilium, quæ requiruntur ad conſecrationem fixorum; ſi igitur eo caſu conſecrari poſſunt portatilia, cur non etiam fixa? Deinde hæ cæremoniæ, benedictiones, & inunctiones in impoſitione SS. Reliquiarum præſcriptæ ſe habent merè per accidens ac materialiter non tantùm ideò, quia non ſunt de ſubſtantia, ùt dictum eſt ſupra, ſed etiam & vel maximè ideò; quia conſecratio Altarium non Epiſcopis prohibita eſt præcipuè ob S. Chriſmatis unctionem, quæ ad conſecrationem cujuscunque Altaris ſive fixi, ſive portatilis neceſſariò requiritur *per Can. 2. & 32. de conſecr. diſt. 1.* & *cap. un. de Sacr. Unct. §. ult.* hac igitur ſemel conceſſa, etiam ipſa poteſtas conſecrandi Altaria ſivè fixa, ſive portatilia conceſſa cenſetur: atqui hæc S. Chriſmatis unctio dictis Prælatis & Abbatibus conceſſa ponitur, nec alia requiritur ad conſecrationem Altaris fixi, quàm portatilis: ergò illis etiam conceſſa eſt conſecratio Altaris tam fixi, quàm portatilis. Quodipſum Tamburinus *to. 1. D. 23. q. 4.* confirmat ipſo facto etiam Romæ probato; cùm enim de Anno 1624. Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Viſitatores ſacræ Viſitationis Apoſtolicæ accederent ad Eccleſiam S. Praxedis ad Monachos Ordinis Vallisumbroſæ pertinentem, & viſitantes Altaria fixa inibi collocata interrogâſſent dicti Ordinis Patres, à quo fuiſſent conſecrata, reſpondiſséntque, quòd per Abbates ſuos pro tempore in prædicto Monaſterio exiſtentes fuerint conſecrati, acquieverunt, nec quidquam oppoſuerunt, haud utique paſſuri, niſi cenſuiſſent Altaria etiam fixa ab Abbatibus & Prælatis ſedis Apoſtolicæ privilegio munitis conſecrari poſſe; quod etiam confirmatur ex Rubricis Miſſalis Monaſtici, auctoritate Pauli V. recogniti, ubi in Rubrica de præparat. Altar. & Orna-

ſament. 20. habetur, quòd Altare debeat eſſe conſecratum ab Epiſcopo ſive ab Abbate privilegium ſedis Apoſtolicæ ad hoc habente, & loquitur ibi Rubrica univerſaliter de omnibus Altaribus. Hæc Tamburinus l. c.

35 Quæ hactenus dicta ſunt de Conſecratione calicum, campanarum, & Altarium intelligenda ſunt tantùm pro uſu propriarum Eccleſiarum. An verò Prælati & Abbates ejusmodi privilegio gaudentes eadem conſecrare poſſint pro alienis etiam Eccleſiis nullo modo ſibi ſubditis, ſi ad eos quandoque deferantur, major eſt controverſia inter Authores, in qua plures ac præcipuè illi, qui abſolutè negant, poſſe Prælatos paramenta benedicere Eccleſiaſtica pro alienis Eccleſiis, à fortiori etiam negant, poſſe illos pro alienis Eccleſiis conſecrare calices & campanas vel Altaria, iique fundantur maximè in declaratione S. Congregationis Rituum *13. Martii Anno 1632. edita*, qua prohibetur Abbatibus, ne privilegio benedicendi res ſacras utantur, niſi in his rebus, in quibus ſacra unctio non adhibetur, & pro ſervitio duntaxat Monaſteriorum, & propriarum Eccleſiarum: ex qua inferunt, quòd multo minùs illi poſſint conſecrare calices, campanas, & Altaria pro alienis Eccleſiis, cùm nequidem pro iſtis poſſint benedicere paramenta. Idque multo clariùs eadem S. Congregatio Rituum expreſſit in Decreto *27. Septembr. Anno 1659.* ab Alexandro VII. approbato ejúsque juſſu & mandato edito, in quo poſtquam pariter ſtatuiſſet, quòd Eccleſiaſticam ſuppellectilem pro ſervitio duntaxat ſuarum Eccleſiarum & Monaſteriorum benedicere poſſint, §. 19. abſolutè decernit: Reliqua Pontificalia extra loca ipſis Abbatibus ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, calicum & ſimilium, in quibus ſacra adhibetur unctio. Quibus omnibus etiam accedit, quòd omnia fermè privilegia, Prælatis poteſtatem iſtam conſecrandi concedentia, ſint per SS. Pontifices reſtricta ad propria Monaſteria & Eccleſias ſibi ſubditas, manifeſto ſatis indicio, quòd noluerint eam concedere pro alienis Eccleſiis. Verùm etſi hæc ita ſe habeant, ac omninò vera ſint reſpectu illorum privilegiorum, quæ taliter reſtricta fuerunt, quia tamen extat privilegium, quo tribuitur poteſtas eadem conſecrandi non tantùm pro ſuis, ſed etiam pro alienis Eccleſiis, ſi ad illos quandoque deferantur, hinc

Dico 5tò. *Poſſunt Canonicorum, aliorúmve Regularium Prælati & Abbates conſecrare calices, cam-* 36

panas, & Altaria non tantùm pro ſuis, ſed etiam pro alienis Eccleſiis, ſi ad eos deferantur.

Ita Aſcanius Tamburinus *to. 1. Diſp. 23. quaſ. 5. n. 2.* & *quaſ. 13. per tot.* Hieronym. Rodriquez. *Reſol. 13. n. 3.* Diana *part. 1. tr. 2. Reſol. 15.* Paſqualigo *de Sacrific. Quaſt. 777. n. 4.* & *quaſt. 803. à n. 9.* & alii ab his citati. Dubal *in Expoſit. Regul. S. Auguſt. p. 1. cap. 18. n. 47.* Petrus de Murga *ad Conſtit. 4. n. 23. & ad Conſtit. 16. §. 18. & 19.* Ludovicus Engl *in Colleg. Jur. Can. L. 3. tit. 40. n. 8. & 9.* Robertus König *ibidem n. 6.* & omnes illi, qui defendunt, poſſe dictos Prælatos benedicere paramenta Eccleſiaſtica pro alienis etiam Eccleſiis. Deducitur autem concluſio noſtra ex Bulla Innocentii VIII. quæ incipit: *Exoſcit. 5. Idus April. Anno 1489.* data Abbatibus Ciſtercienſibus, quæ ad propoſitum noſtrum ſic habet: cùm ab aliquibus hæſitetur, an tu & dicti Abbates Pallas & alia ornamenta hujuſmodi extra ipſius Ordinis Monaſteria, & etiam illa, quæ ad Monaſteria & loca dicti Ordinis non ſpectarent, licèt Abbates Prædeceſſores à tanto tempore citra, cujus contrarii hominum memoria non extitit, præmiſſa omnia ſeu majorem partem facere conſueverint. Nos, qui Ordinem ipſum præ cæteris in viſceribus gerimus charitatis, & illum intendimus non minoribus gratiis & privilegiis, quàm Prædeceſſores noſtri fecerint, decorare; tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus tuis ac dictis Abbatibus nunc & pro tempore exiſtentibus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus prædicta & quæcunque alia veſtimenta ac ornamenta Eccleſiaſtica benedicere, & calices conſecrare tam de dicto Ordine, quàm ſi ad vos aliunde nonnunquam deferantur: ac etiam Altaria de novo conſtructa ſeu translata, reſtaurata ac mutata Chriſmate ſacro priùs ab aliquo Catholico Antiſtite recepto, conſecrare poſſitis, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia indulgemus. Quibus ex verbis hujus Pontificiæ Bullæ non immeritò inferunt prædicti Authores, quòd in vim illius Prælati & Abbates non tantùm Ciſtercienſes, quibus privilegium iſtud directè conceſſum eſt, ſed etiam alii, qui cum illis in privilegiis communicant, quemadmodum Canonici Regulares ex conceſſione ejuſdem Innocentii VIII. in Bulla prima Canonicis Regg. Windeſemenſibus data, benedicere poſſint & conſecrare calices, campanas & Altaria ex quocunque loco ad eos etiam nullo modo ſubjecto & pertinenti deferantur; & ratio eſt, quia Bullæ hujus verba ſunt clara: clauſula enim, *quàm ſi ad vos aliunde nonnunquam deferantur* univerſalitatem importat, quæ ad certa loca ſubjectionis qualitate affecta coarctari non poteſt, ſed omnem lo-

locum comprehendit, quicunque ille ſit, Dictio namque *aliunde* idem importat, ùt Paſſeratius in dictionario, & Paſqualigo docent, ac *ex alio loco*, & proinde quamdam loci generalitatem importat, ſe extendentem ad omnem locum. Neque dicas: privilegium iſtud Innocentii VIII. conceſſum fuiſſe tantùm Abbatibus Monaſteriorum Ciſtercii, Firmitatis, Pontiniaci, Clarævallis & Morimundi: ergo extendendum non eſt ad omnes illius Ordinis Abbates, multò minùs ad aliorum Ordinum Prælatos. Tametſi enim primariò dictis tantùm quinque Abbatibus fuerit conceſſum hoc privilegium, id tamen per alios SS. Pontifices extenſum fuit ad omnes cæteros ejuſdem Ordinis Ciſtercienſis Abbates, horúmque privilegia per eosdem SS. Pontifices communicata fuerunt aliorum Ordinum præſertim Canonicorum Regularium Prælatis, ita quidem, ut omnibus & ſingulis Ciſtercienſium quorumcunque privilegiis pariformiter uti, frui, ac gaudere poſſint abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi ipſis ſpecialiter & nominatim fuiſſent conceſſa, vi cujus tum extenſionis, tum communicationis privilegiorum ſolent paſſim tum Abbates Ciſtercienſes, tum aliorum Ordinum etiam Canonicorum Regularium Prælati conſecrare calices, campanas & Altaria portatilia pro alienis Eccleſiis, ſi ad eos deferantur, ùt exploratum habeo, ac ſæpiùs practicatum ſcio me quoque præſente aut aſſiſtente,

Ex quo ipſo patet, privilegi- 37
um hoc Innocentii VIII. uſu receptum eſſe non tantùm apud Ciſtercienſes, ſed apud alios etiam Abbates: certè Marcus Vitalis *in arca vitali Tit. de juriſdict. Inquiſit. 4. n. 25.* & Paſqualigo *L. ſupra cit. n. 8. ac ſeqq.* conſtanter tenent dictum Innocentii privilegium quoad hoc punctum hodie permanere in ſuo vigore, non obſtantibus declarationibus S. Congregationis per Gavantum, Novarium & Lezanam adductis; de eodem quoque uſu, praxi, & conſuetudine teſtatur Tamburinus *to. 1. D. 23. q. 13.* ubi poſtquam concluſione 1mâ. ſtatuiſſet, quòd Abbates poſſint conſecrare calices in vim dictæ Conſtitutionis Innocentianæ, etiamſi ad eos aliunde deferantur, exinde pariter concludit, quòd nec Abbatibus ſit interdictum conſecrare campanas ad uſum alterius loci, idque probaturus addit: ùt docet communis praxis & conſuetudo, & deciſum fuiſſe refert Macerat. *in Deciſ. Papæ 112. caſ. 3.* quem refert & ſequitur Riccius *in Collect. 995.* videmus enim actu Abbates habentes uſum Pontificalium conſecrare campanas undecunque ad eos ad hunc effectum delatas: idemque dicendum putat de Altaribus portatilibus; quia certum eſt, inquit, etiam ex communi praxi & conſuetudine & ex pacifica poſſeſſione, in qua prædicti Abbates communiter reperiuntur, Altaria undecunque ad ſe delata conſecrandi. Quibus etiam relatis, ait Pe-

Petrus de Murga *ad conſtit.* 4. *n.* 27. de qua certè praxi, conſuetudine & pacifica poſſeſſione Abbatum meæ Congregationis Benedictinæ Hiſpanæ teſtari benè poſſum, cùm ſæpè ſæpiùs illos viderim conſecrare calices & Aras diverſis ex locis ad eorum Cœnobia nullo modo pertinentibus allatas. De eadem quoque conſuetudine in Germania Abbatibus uſitata atque recepta teſtatur Ludovicus Engl & ipſe Germanus *L.* 3 *tit.* 40. *n.* 9. inquiens: ex eadem quoque conſuetudine paſſim videmus Abbates exercere calicum nempe, campanarum, & Altarium etiam pro aliis Eccleſiis quàm ſuis, & certè cùm, ùt ait Tamburinus *l. c. quæſ.* 5. *n.* 2. Abbates poſſint Jura Epiſcopalia præſcribere, & etiam Pontificalia inſignia, ùt *Diſ.* 19. *quæſ.* 2. dictum eſt, ac per conſequens uſum prædictorum Pontificalium, quorum Abbates capaces ſunt, ideò dicendum eſt Abbates præſcripſiſſe Jus conſecrandi Altaria portatilia, aliáque pro alienis etiam Eccleſiis, cùm hæc poteſtas conſecrandi calices, campanas, & Aras pro alienis Eccleſiis, ſuppoſita ſemel in Abbatibus poteſtate prædicta conſecrandi pro ſuis Eccleſiis, non ſit Ordinis, ſed Juriſdictionis Epiſcopalis: ea verò quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis præſcribi poſſunt ab inferioribus Prælatis, præſertim quando conſuetudo, prout hic, fundatur in privilegio Pontificio. Idque dicere ac fateri debent omnes Authores illi, qui defendunt, quòd Prælati poſſint benedicere ſacras veſtes pro alienis etiam Eccleſiis, ſaltem ſi velint conſequenter loqui; ideò enim dicunt, poſſe Prælatos etiam Mendicantium benedicere ſacras veſtes pro alienis Eccleſiis, quia Innocentius VIII. conceſſit Abbati S. Juſtinæ de Padua, ſeu ùt alii volunt, Prioribus S. Hieronymi, quòd poſſint benedicere corporalia, veſtimenta, cæteraque ornamenta Eccleſiaſtica tam ſui Monaſterii quam etiam undecunque ſint: & quia cum dictis cæteri Ordines Religioſi in privilegiis communicant: ſed idem Innocentius VIII. conceſſit etiam Abbatibus Ciſtercienſibus privilegium conſecrandi calices &c. tam de dicto Ordine, quàm ſi ad eos aliunde quandoque deferantur: & cùm dictis Ciſtercienſibus communicant in privilegiis tum Canonicorum Regularium, tum aliorum Ordinum Prælati & Abbates; ergò etiam dicere debent, quòd Prælati & Abbates Canonicorum Regularium, aliorúmque Ordinum poſſint conſecrare calices, campanas, & Altaria portatilia pro alienis etiam Eccleſiis; non minùs enim communicatio privilegiorum locum habet in poteſtate conſecrandi, quàm in poteſtate benedicendi, proutpoſtea pluribꝰ demonſtrabitur.

Neque obſtat concluſioni noſtræ declaratio S. Congregationis Anno 1632. edita; nam ùt ſupra jam diximus, ea intelligenda eſt tantùm 38

de

de Prælatis & Superioribus Ordinum Mendicantium, aut de Prælatis Ordinum Abbatialium quidem, ſed illis tantùm, qui vel non habent uſum Pontificalium, vel deſtituti ſunt privilegio conſecrandi res ſacras, quique ex eo, quòd potuerint benedicere ſacras veſtes, inferebant, quòd etiam poſſint conſecrare calices; neque enim privilegium benedicendi res ſacras extendi poteſt ac debet ad conſecrandos calices & campanas, in quibus requiritur unctio. Quòd autem eadem declaratio aliæque ſimiles velint, quòd Prælati Regulares nonniſi ſuarum Eccleſiarum paramenta benedicere, aut calices conſecrare valeant, id intelligendum eſt de illis ſolùm privilegiis, quæ vel expreſsè ſunt reſtricta ad proprias Eccleſias, vel ſaltem non extenſa ad alienas, per quod non derogatur privilegio, per quod expreſsè conceditur poteſtas conſecrandi calices pro alienis etiam Eccleſiis; cùm enim declarationes Cardinalium non faciant novam legem aut Jus novum, ſed tantùm ambiguum aut obſcurum magis declarent, hinc præfatum clarum, & apertum privilegium conſecrandi calices pro alienis Eccleſiis expreſſè datum nec afficiunt nec immutant: prout patet à ſimili; nam cùm aliàs etiam univerſaliter ac in genere ſacra Congregatio declaráſſet, quòd Abbates etiam Pontificalium uſum habentes non poſſint benedicere ea, in quibus unctio intervenit, interrogata à Procuratore Generali Congregationis Caſſinenſis, an per hanc declarationem derogatum ſit ſpecialibus privilegiis benedicendi calices &c. expreſſè conceſſis, reſpondit negativè, prout ſupra diximus: ergò etiam ex eo, quòd declaratio dicat, privilegia Regularium Prælatis & Abbatibus conceſſa conſecrandi calices intelligi tantùm pro uſu propriarum Eccleſiarum, non derogatur privilegio conſecrandi etiam calices aliarum Eccleſiarum expreſſè conceſſo. Idem quoque proportionaliter reſponderi poteſt ac debet ad decretum ejuſdem S. Congregationis *Anno 1659. die 27. Septembr.* de mandato Alexandri VII. editum; nam etiam iſtud intelligendum eſt de illis tantùm privilegiis, quæ ſunt limitata ad proprias Eccleſias, non autem de illis, quæ hanc poteſtatem expreſſè concedunt etiam pro alienis, ùt etiam multis aliis relatis advertit Petrus de Murga ad idem decretum, ubi *§. 18. & 19.* pluribus probat dicti decreti diſpoſitionem non procedere in illis Prælatis & Abbatibus, qui dicto Innocentii VIII. privilegio gaudent, quales ſunt Canonicorum Regularium Prælati, tandémque concludit: Ex quibus convincitur, ſacram Rituum Congregationem in præſenti *cap. 19.* decreto comprehendere noluiſſe Abbates Congregationum Caſſinenſium, Ciſtercienſium, & Valliſoletanorum, nec item Lateranenſium, ac Bononienſium aut aliorum, earumdem Congrega-

ga-

gationum privilegiis gaudentium, cùm ſpeciale habeant privilegium ad benedicendum & conſecrandum in ſuis Eccleſiis & locis pro ipſis & pro alienis, quoad hanc ſcilicet facultatem: idque ex eo etiam confirmatur, quòd eadem ſacra Congregatio nullibi intendat derogare ſpecialibus privilegiis, ſed ea relinquat in ſuo valore. Id quòd rurſus etiam dicere ac fateri debent Authores illi, qui defendunt, quòd Prælati benedicere poſſint paramenta Eccleſiaſtica pro alienis Eccleſiis; non minùs enim S. Congregatio in præfato illo decreto §. 18. præcipit, ut Eccleſiaſticam ſuppellectilem pro ſervitio duntaxat ſuarum Eccleſiarum vel Monaſteriorum benedicant, quàm prohibet, ne benedictiones campanarum, calicum, & ſimilium, in quibus ſacra unctio adhibetur, exerceant pro ſervitio alienæ Eccleſiæ: Si igitur non obſtante dicto S. Congr. decreto Authores illi docent, poſſe nihilominus Prælatos pro alienis Eccleſiis benedicere paramenta Eccleſiaſtica, etiam admittere & docere debent, quòd etiam Prælati & Abbates, quibus aliunde competit facultas conſecrandi cum unctione S. Chriſmatis, poſſint non obſtante decreto illo conſecrare calices, campanas, Aras pro alienis etiam Eccleſiis, idque vel directè per privilegium ſpecialiter ipſis conceſſum, ut habent Ciſtercienſes, vel indirectè per viam communicationis, quatenus cum dictis Ciſtercienſibus in omnibus & ſingulis privilegiis communicant, quales ſunt Lateranenſes & Bononienſes, Caſſinenſes & Valliſoletani, aliique plures diverſorum Ordinum.

Verùm inquies: Quamvis 39
Prælati illi & Abbates, qui ſpeciale privilegium habent conſecrandi ea, in quibus S. Unctio intervenit, poſſint conſecrare calices, campanas & Altaria pro ſuis Eccleſiis, atque etiam pro alienis, ſi ad hoc quoque ſpeciale habeant privilegium, prout obtinent Ciſtercienſes, hæc ipſa tamen poteſtas ad alios non tranſit ex eo præcisè titulo, quòd cum Prælatis & Ordinibus ſpecialia ad id privilegia habentibus communicent in privilegiis; tum quia in generali communicatione non veniunt ea, quæ in alterius cedunt præjudicium, ut docet Gloſſa *in cap. Abbates. de privil. in 6.* & *ex L. 2. Cod. de precib. Imperat. offer.* probant Abbas *in cap. cùm noſtris de conceſſ. Præbend.* Felinus *in cap. fin. de Confirm. util. & inutil.* & alii paſſim; ut enim privilegiũ intelligatur etiam cum alterius præjudicio conceſſum, neceſſe eſt, ut ejuſdem fiat ſpecialis mentio: aliàs nunquam tacitè venit: atqui poteſtas conſecrandi calices, campanas, & Altaria cedit in alterius præjudicium, nempe Epiſcopi Diœceſani, utpote ad quem eorum Conſecratio de Jure ſpectat: tum etiam quia in generali communicatione privilegiorum non veniunt ea, quæ de Jure communi ſpecia-

cia-

cialiter ſunt prohibita, & quæ niſi ſpecialiter exprimantur non cenſentur eſſe conceſſa: ſed de Jure communi ſpecialiter eſt prohibitum conſecrare calices, campanas, & Altaria, neque poteſtas hæc iſta conſecrandi cenſetur eſſe conceſſa, niſi ſpecialiter exprimatur: ùt patet in poteſtate conſecrandi Eccleſias, conferendi Sacramentum Confirmationis, ac conficiendi Chriſma, quæ licèt quibúsdam Prælatis ac ſimplicibus Sacerdotibus fuerit quandoque conceſſa, non cenſetur tamen aliis conceſſa, niſi ſpecialiter exprimatur, quamvis aliàs ampliſſimam habeant privilegiorum communicationem: ergò ſimiliter non venit in generali privilegiorum communicatione pòteſtas conſecrandi calices, campanas & Altaria ſive pro ſuis ſive pro alienis Eccleſiis: Sed his non obſtantibus

40 Dico denique 6tò· *Poſſunt etiam illi Canonicorum, aliorúmq; Regularium Prælati & Abbates, qui nullum quidem habent ſpeciale privilegiũ conſecrandi, cùm aliis tamen tale habentibus in privilegiis communicant, vi hujus generalis privilegiorum communicationis conſecrare calices, campanas, & Altaria.*

Ita Tamburinus *to. 1. D. 17. quaſ. 3. & Diſp. 23. quaſ. 2. n. 2.* Petrus de Murga *ad Conſtit. 4. §. 2. & ad Conſtit. 16. § 19.* ac alibi ſæpiùs. Card. Petra *to. 3. ad Conſtit. 2. Benedicti XI. n. 15. & ſeqq.* aliique communiter qui licèt quaſtionem hanc non tractent ex inſtituto, concluſionem tamen noſtram ſupponunt paſſim tanquam indubitatam. Et ratio eſt; quia in generali communicatione privilegiorum veniunt omnia, quæ non ſunt exorbitantia, aut raró vel rariſſimè, nec ſine magna difficultate conceduntur, ùt tractatu 1mò. pluribus oſtendimus: atqui privilegium conſecrandi calices, campanas, & Altaria nec eſt exorbitans, nec difficilis conceſſionis; cùm illud hodie abſque magna difficultate concedatur, atque plerique Abbates & Prælati tum Canonicorum, tum aliorum Regularium illud habeant: ergò venit in generali communicatione privilegiorum, præſertim cùm hæc idem operetur, ac ſi in ſpecie fuiſſent conceſſa, utpote cum ampliſſimis clauſulis facta ac prægnantibus verbis concepta. Id quod noviſſimè ſacra Congregatio Rituum comprobâſſe ac canonizâſſe videtur in Nullius Fulden. Conceſſionis Indulti 22. *Septembris. Anno 1703.* Ibi enim propoſitis dubiis 1mò. An ad facultatem conſecrandi &

benedicendi Abbati Fulden. ſuffragetur communicatio privilegiorum Congregationis Caſſinenſis, vel ſi adeſſet obſervantia immemorabilis, cum poſſit juvare, & quatenus affirmativè. 2dò. An Vicario Generali delegari potuerit & poſſit tam benedictio paramentorum, & utenſilium Altaris, quàm conſecratio campanarum, aliarùmque rerum, quibus unctio ſacri Chriſmatis intervenit: & quatenus negativè quoad alterutrum vel utrumque. 3tiò. An conſecrationes vel benedictiones hactenus à Vicario Generali ex delegatione factæ, ſuſtineri vel tolerari valeant, quemadmodum Pontifex reconciliationes Eccleſiarum factas à ſimplicibus Sacerdotibus ex delegatione Epiſcoporum tolerat ad tradita per Pignatell. *tom. 1. Conſult. 156. n 4.* & quatenus negativè. 4tò. Quomodo ſit providendum circa benedictiones ſive conſecrationes jam factas. 5tò. An in caſibus ſupra recenſitis opus ſit & poſſit provideri dignitati Abbatiali & Vicario Generali ſpecialibus indultis, Sacra Congregatio ad 1mum reſpondit affirmativè vigore communicationis privilegiorum, nec non conſuetudinis, & in locis propriæ jurisdictionis. Ad 2dum. negative. Ad 3tium. Reiterandas, quatenus fieri poſſit ſine ſcandalo: præterquam quoad vaſa ſacra jam adhibita. Ad 4tum. Jam proviſum. Ad 5tum. Adeat ſanctiſſimum. Quam ſacr. Congregationis declarationem refert Card. Petra *l. c. n. 18.* ex cujus reſolutione ac reſponſione prima clarè patet, quòd ad ea conſecranda, in quibus S. Unctio requiritur, ſuffragetur communicatio privilegiorum, cui non obſtat, quòd aliquatenus cedat in præjudicium Epiſcopi Diœceſani; nam id modicum eſt, & plerisque privilegiis commune, hoc ipſo quod ea ſint contra vel præter Jus, quo tamen non obſtante veniunt in generali communicatione; deinde hujusmodi conſecrationes non ita ſunt Epiſcopis propriæ, ut non poſſint etiam convenire Prælatis inferioribus, cùm illis non competant ex Jure divino, ſed ex laudabili tantùm conſuetudine ab Eccleſia approbata, vi cujus ſibi hos actus vindicârunt, quod tamen non obſtat, quin alii ac præſertim Abbates illos exercere poſſint ex conceſſione & privilegio SS. Pontificum ſive expreſsè conceſſo, ſive etiam communicato. Quamvis autem ad eorum directam conceſſionem requiratur ſpecialis mentio, non tamen ad indirectam, quæ fit per communicationem, ad quam ſufficit generalis mentio; paritas à conſecratione Eccleſiæ, Confirmatione, & confectione Chriſmatis deſumpta, omninò nulla eſt, cùm hæ functiones tam ex traditionibus Apoſtolicis, quàm ex SS. Canonibus Ordini Epiſcopali ſint ſpecialiter reſervatæ, ùt habetur *Can quamvis. diſt. 68. & can. Nemo. de conſecrat. diſt. 1.* & tradunt DD. communiter *ad cap. aqua. de conſecr. Eccleſ.* ob quam ip-

ipſam rationem aut omninò nunquam, aut difficillimè ac rariſſimè à SS. Pontificibus conceduntur Prælatis inferioribus, atque ideò venire non poſſunt in generali communicatione privilegiorum. Verùm de hoc ſtatim plura. (*Adde*; in caſu, quo dubium eſt, an privilegium ſit ex eorum privilegiorum genere, quæ non niſi raro ac difficulter ſoleant concedi, attendendum eſt, an ſummi Pontifices in conceſſione talis privilegii, ubicunque id conceſſerunt, ſe retulerint ad ſpecialia merita, vel utrum pro bono & decore Eccleſiæ expediat, ut paſſim communicetur omnibus per generalem communicationem ſine particulari examine meritorum.)

Sectio III.

De poteſtate Prælatorum conſecrandi Eccleſias, conferendi Sacramentum Confirmationis, & conficiendi ſacrum Chriſm...

41 NOmine Eccleſiæ hic intelligitur Ædes ſacra, in qua fideles ad rem divinam audiendam & Sacramenta percipienda conveniunt; quamvis autem ad hoc, ut in ea peragi poſſint divina Myſteria, ſufficiat, quòd ſit benedicta ac Deo dicata, decet tamen, ut ſit conſecrata; eſt enim hic ritus conſecrandi Eccleſias antiquiſſimus, utpote jam in veteri teſtamento uſitatus, ubi Moyſes Tabernaculum & Salomon Templum Deo dicantes, precibus & unctione aliiſque cæremoniis conſecráſſe legitur: qui ritus poſtea ab Apoſtolis introductus, & ab Eccleſia receptus, ad hæc uſq; tempora ſanctiſſimè fuit obſervatus: multas tamen ſucceſſivè cæremonias addidêre SS. Pontifices præſertim S. Sylveſter Papa, poſtquam Conſtantinus Imperator Chriſtianis conceſſit facultatem Eccleſias per totum orbem liberè ædificandi, prout ipſemet plures etiam Romæ ædificavit Eccleſias, quas præfatus S. Pontifex Sylveſter ſolemniter conſecráſſe legitur, à quo tempore idem ſanctus Pontifex peculiariter ſanxit, ut templa legitimè erecta vel per ſignationem & unctionem parietum cum oleo ſacro conſecrentur, vel ſaltem per ablutionem parietum exteriùs & interiùs cum aqua benedicta & aſpergillo ex hyſſopo benedicantur juxta cæremonias, quæ referuntur in Pontificali Romano tit. de Eccleſ. Dedicat. & illuſtrantur per Clericatum de Sacrificio Miſſæ *deciſ. 41, & ſeq. per*

Digitized by Google

tot. Eſt autem Eccleſiæ conſecratio nil aliud, quàm ejusdem dicatio ſeu dedicatio ad cultum divinum ſpeciali ritu facta à legitimo Miniſtro ad hoc, ut populus Chriſtianus opera Religionis in ea ritè exercere valeat; hujus porrò conſecrationis legitimus & ordinarius miniſter de Jure communi eſt ſolus Epiſcopus ille, in cujus Diœceſi erecta eſt Eccleſia *can. pia mentis 26. cauſ. 16. q. 7. cap. nunc autem 1. de Religioſ. Domib. & cap. Tua. 2. de conſecrat. Eccleſ.* Idipſum deſumitur ex Concilio *Tridentino ſeſſ. 6. de Reformat. cap. ult.* ubi prohibetur Epiſcopis, ne cujusvis privilegii prætextu Pontificalia exerceant in alterius Diœceſi, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia: idque procedit etiam quoad Eccleſias Ordinum exemptorum; nam & hæ ab Ordinario loci conſecrandæ ſunt, niſi fortè nullius ſint Diœceſis, ac proprium habeant territorium, tunc enim quivis eam poteſt conſecrare Epiſcopus, ùt declaravit S. Congregatio 27. Septembr. Anno 1602. Quod ſi alienus Epiſcopus ſine expreſſa Diœceſani licentia Eccleſiam conſecrare præſumat, conſecratio quidem valida eſt, ſed ita temere conſecrans, à Pontificalium exercitio ipſo Jure ſuſpenſus eſt tanquam exercens Pontificalia in aliena Diœceſi juxta Tridentinum *cit. ſeſſ. 6. cap. 5. & ſeſſ. 14. cap. 2. de Reform.* & à celebratione Miſſarum per annum abſtinere debet *per can. Epiſcopus 28. cauſ. 7. q. 1.* Epiſcopus porrò Diœceſanus poteſt cuivis alteri Epiſcopo licentiam concedere atque etiam poteſtatem delegare proprias conſecrandi Eccleſias, cùm hæc in illius favorem ſint ſtatuta, ne ſcilicet ipſius jurisdictio perturbetur; quamvis autem hanc Eccleſiæ conſecrationem poſſit committere alieno Epiſcopo, eam tamen committere haud poteſt ſimplici Sacerdoti, ùt tenent DD. unanimiter, cùm conſecratio Eccleſiæ ſit actus Ordinis Epiſcopalis *Can. quamvis 4. diſtinct. 68.* Actus autem Ordinis Epiſcopalis committi non poteſt ab Epiſcopo ſimplici Sacerdoti *arg. cap. aqua. 9. de Conſecr. Eccleſ.* Hoc tamen non obſtante poteſt S. Pontifex Sacerdoti non Epiſcopo concedere facultatem conſecrandi Eccleſias, ſicut de facto Prælatis & Abbatibus conceſſit poteſtatem conſecrandi Altaria, quæ etiam *citato Can. quamvis* inter ea, quæ ſunt Ordinis Pontificalis, enumeratur. An verò hanc Eccleſias conſecrandi poteſtatem cuippiam Sacerdoti non Epiſcopo aut Prælatis ac Abbatibus aliquando conceſſerit, nunc ſtatuendum. Unde

Dico 1mo. *Non poſſunt Prælati & Abbates, quorumcunque Ordinum Regularium, Eccleſias aut Capellas conſecrare, ſed earum conſecratio ad ſolum pertinet Epiſcopum.* 42

Ita

Digitized by Google

Ita communiſſima ac indubitata DD. ſententia. Quamvis enim harum conſecratio ex ſpeciali privilegio concedi poſſit à SS. Pontificibus, ùt nullus dubitat, haud tamen conſtat, quòd ulli hactenus Prælato aut Abbati fuerit unquam conceſſa poteſtas conſecrandi Eccleſias, nullùmque ad hunc uſque diem productum eſt privilegium, quo id fuit permiſſum: & licèt fors aliquod poſſet produci, id tamen nulli alteri ſuffragaretur, quàm cui fuiſſet indultum, cùm eſſet exorbitans, & iis annumerari deberet, quæ rariſſimè ac difficillimè conceduntur, qualia in generali communicatione privilegiorum non veniunt. Neque poteſtas hæc obtineri poteſt præſcriptione aut conſuetudine, utpote quæ tanquam corruptela in Jure reprobatur. Ex quo ipſo neceſſariò ſequitur, quòd Eccleſias conſecrare ad ſolum ſpectet Epiſcopum & quidem privativè quoad alios quoscunque Prælatos inferiores: voluit enim Eccleſia, ut Eccleſiarum conſecratio per ſupremam fiat poteſtatem Ordinis Epiſcopalis, quod à poſteriori colligitur, eo quòd illam nulli hactenus commiſerit non Epiſcopo, utut non ex Jure divino ſed Eccleſiaſtico tantùm deſcendat. Atque hinc etiam Regulares quicumque pro Eccleſiis ac Capellis ſuis conſecrandis recurrere debent ad Epiſcopum & quidem proprium ac Diœceſanum; quamvis enim ex iis plerique & in ſpecie Canonici Regulares à diverſis Pontificibus obtinuerint privilegium, ut poſſint quemcunque Epiſcopum etiam abſque licentia Diœceſani ad ſuas Eccleſias conſecrandas advocare, ea tamen privilegia videntur nunc eſſe revocata per Tridentinum ſaltem indirectè, quatenus loc. ſupra cit. prohibuit Epiſcopis exercere Pontificalia in alterius Diœceſi abſque licentia Diœceſani. Ab hac tamen diſpoſitione Concilii excipiendus videtur eſſe caſus, quo Epiſcopus proprius, bis vel ter cum debita reverentia requiſitus, intra quatuor menſes id facere renuerit, tunc enim quemcunque advocare poſſe, docent Authores ſatis communiter, qui licitè Eccleſias eorum conſecret etiam abſque Diœceſani licentia, prout plures conceſſerunt SS. Pontifices, ac in ſpecie Honorius IV. Minoribus in Bulla: *Ex parte veſtra. Anno 1286.* indulſit, ut ſi Diœceſani ab ipſis humiliter requiſiti, eorum Eccleſias ac Altaria conſecrare denegaverint vel id facere ultra quatuor menſes diſtulerint, per quoscunque voluerint, Epiſcopos, conſecrationem recipere valeant. Idem conceſſit Carmelitis Joannes XXII. in Bulla: *Merita veſtra. Anno 1331.* & Bonifacius IX Prædicatoribus in Bulla: *Sacra Religionis. 27. April. Anno 1402.* permiſit, ut ſi fortè Diœceſani locorum ſuper hoc requiſiti, infra quatuor menſium ſpatium id facere recuſaverint, & tunc eorum Eccleſias & Altaria à quocunque maluerint Catholico Anti-

ſiste conſecrare facere poſſint, ulteriori licentia Diœceſanorum hujusmodi minimè ſuper his requiſita. Julius quoque II. conceſſit minimis in Bulla: *Dum ad Sacrum. 5tò. Cal. Auguſt. Anno 1506.* ut Eccleſias nondum conſecratas, factâ priùs requiſitione ab Epiſcopis locorum, eisdemque recuſantibus vel negligentibus, per quemlibet alium Catholicum Antiſtitem conſecrari facere valeant. Idipſum iisdem omninò verbis conceſſit Leo X. Minoribus de obſervantia in Bulla: *Religionis. 3. Febr. Anno 1514.* Idemque Leo X. in Bulla: *Dum intra mentis. 19. Decembr. Anno 1516.* ſacro approbante Concilio Lateranenſi generali 18vò. univerſim ſtatuit, quòd Regulares ab alieno quidem Epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ vel Altaris petere non poſſint, niſi tamen ubi Ordinarius bis aut ter cum debitis reverentia & inſtantia requiſitus, ſine legitima cauſa id recuſaverint. Neque dici poteſt, privilegia hæc quoad iſtud punctum eſſe revocata per Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5. de reform.* prohibens Epiſcopis exercere Pontificalia extra Diœceſin ſine licentia Diœceſani, ùt putat Laurent. de Peyrinis *ad Conſtitut.* 1. *Julii. II. §. 21. n. 47.* & Matthæucci *in Offic. Eccl. cap. 7. V. quatuor.* cum quibusdam aliis, ex ratione, quòd Eccleſiæ conſecratio fiat cum Pontificalium exercitio, quæ nullius prætextu privilegii exerceri poſſunt in aliena Diœceſi. Nam cùm ſupradicta privilegia non tam cenſeantur eſſe privilegia, quàm explicatio Juris communis deſumpta *ex cap. 1. de ſupplend. neglig.* ubi in ſimili ſtatuitur, ut ſi Epiſcopus tertio cum humilitate ac devotione requiſitus ſubſtitutos Abbates benedicere fortè renuerit: eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium hujusmodi pertinent, exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recuſent; quibus conformiter & Leo X. in Concilio Lateranenſi ſtatuit, ut ſi Ordinarius bis vel ter cum debita reverentia ac inſtantia requiſitus ſine legitima cauſa recuſaverit conſecrare Regularium Eccleſias, eam ab alieno Epiſcopo petere poſſint: per quam conſtitutionem & quidem in Concilio generali latam res hæc tranſiiſſe videtur in Jus commune; Concilium autem Tridentinum non intendit derogare privilegiis illis, quæ in Jus commune tranſierunt, præſertim cùm hæc diſpoſitio Concilii generalis maximè conformis ſit Juri naturali ac divino, & ipſa æquitas poſtulet, ut cùm Regulares non poſſint ſuas conſecrare Eccleſias, medium habeant, quo poſſint ſuarũ Eccleſiarum conſecrationi providere, quod aliud non eſt, quàm ut ab alieno Epiſcopo eam petere poſſint, ſi proprius bis vel ter cum debita reverentia requiſitus conſecrare recuſet: cùm igitur hæc diſpoſitio potiùs ſit lex determinans modum legitimum providendi Regula-

tribus de conſecratione ſuarum Eccleſiarum & non tantùm privilegium, non intelligitur revocata in dicta revocatione privilegiorum per Tridentinum facta; atque ita reipſa ſentiunt Rodriquez *to. 1. quaſt. 19. art. 4.* Portel. *V. benedicere. n. 4.* Miranda *to. 2. Man. quaſt. 29. art. 1. concl. 3.* Barboſa *de Jur. Eccl. L. 2. c. 2. n. 33.* & *de poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 27. n. 11.* Tamburinus *to. 1. Diſp. 23. quaſ. 8. n. 3.* Paſſerinus *quaſt. 189. art. 10. n. 921.*

43 Quod verò attinet poteſtatem Prælatorum conferendi Sacramentum Confirmationis: certum eſt inprimis atque indubitatum, quòd ſolus Epiſcopus ſit Miniſter ordinarius hujus Sacramenti, prout definitum eſt in Tridentino *ſeſſ. 7. Can. 3. de Confirmat.* ubi Anathema dicit contra eos, qui aſſerunt, ſanctæ Confirmationis Miniſtrum ordinarium non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem. Idem habetur in Concilio Florentino in decreto de unione Armenorum relato in Conſtitutione Eugenii IV. 19na. ibi: Confirmationis Miniſter eſt Epiſcopus, & cum cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet conferre, quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quòd per manûs impoſitionem Spiritum ſanctum dabant. Idem ſtatutum fuit in Concilio Conſtantienſi contra Wicleffum: idq; etiam ſemper obſervatum fuit ab ipſis Apoſtolorum temporibus, ùt teſtantur plures SS. Pontifices; ſic enim Euſebius Papa *Epiſt. 3. ad Epiſc. Tuſcia & campan.* ſcribens inquit: *Can. 4. de Conſecr.* Manûs quoque impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis Sacerdotibus, nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab Apoſtolis legitur aut ſcitur eſſe peractum: nec aliis, quàm ab illis, qui eorum tenent locum unquam perfici poteſt, aut fieri debet, & Damaſus Papa *in Epiſt. ad Leonem Ricardum:* Solis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus proprii eſſe officii tradere Spiritum ſanctum, liber actuum Apoſtolorum docet, ubi nullus ſeptuaginta diſcipulorum, quorum iſti ſpeciem gerunt, legitur Spiritum ſanctum per impoſitionem manuum dediſſe. Et Innocentius III. *cap. quanto. 4. de conſuetud* ait: Sacramentum Confirmationis ab Apoſtolorum tempore fuiſſe ſolis Pontificibus reſervatum: & clariùs idem Innocentius *cap. un §. per frontis. de ſacr. Unct.* inquit: cùm cæteras unctiones ſimplex Sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, frontis Chriſmationem, quæ alio nomine Confirmatio dicitur, nonniſi ſummus Sacerdos, id eſt, Epiſcopus debet conferre, quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum Vicarii ſunt Epiſcopi, quòd per manûs impoſitionem Spiritum ſanctum dabant: quemadmodum actuum Apoſtolorum lectio manifeſtat. Idem habetur *Can. Presbyteris 119. diſt. 4.* & *Can. de his, 3. diſtinct. 5. de conſecrat.*

Atque

Atque hanc conſuetudinem ex inſtitutione divina profectam, & per Apoſtolos ad nos uſque transmiſſam religiosè ſervavit Eccleſia latina, ùt notat Thomaſſinus *ex Epiſt. 1. Innocentii I. ad Epiſcop. Eugubin. to. 1. de benefic. L. 2. cap. 23. n. 7.* Chriſtianus Lupus *ad 1. Synodum calumnia 4.* & Pignatell. *to. 8. conſul. 89. n. 7. & ſequent.* & licèt apud Græcos etiam ſimplices Sacerdotes reputentur eſſe ordinarii hujus Sacramenti Miniſtri, Eccleſia tamen latina id ſemper improbavit, ùt conſtat *ex cap. quanto. 4. de conſuet.* ubi damnatur conſuetudo, qua freti ſolebant ſimplices Presbyteri hoc Sacramentum adminiſtrare. Ex quo ipſo patet, quòd nulla conſuetudine introduci poſſit, ut ſimplex Sacerdos poſſit hoc Sacramentum conferre, præſertim cùm poteſtas Ordinis nulla conſuetudine acquiri poſſit. Neque poteſtas hæc confirmandi delegari poteſt ab Epiſcopo ſimplici Sacerdoti, cùm ea quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis nequeant delegari ſimplici Sacerdoti *cap. aqua. 9. de conſecr. Eccl.* An verò nec S. Pontifex eam poſſit delegare ſimplici Sacerdoti aut Prælatis & Abbatibus, dubium faciunt Authores quidam præſertim antiquiores, qui negativam defendunt, quos inter D. Bonaventura *in 4. diſt. 7. q. 1.* Sotus *ibidem q. 11.* Durandus *q. 3 & 4.* Adrianus *quæſt. un. de confirm. art. 3.* Caſtro *de hæreſ. V. Confirmatio.* Major, & Gabriel aliique in 4. Verùm communior longè Theologorum & Canoniſtarum ſententia tenet, poſſe S. Pontificem hanc poteſtatem confirmandi delegare non tantùm Prælatis & Abbatibus, ſed cuilibet etiam ſimplici Sacerdoti, prout poſt S. Thomam *3. part. quæſt. 72. art. 11.* reipſa docent Navarrus *in Manual. cap. 22. n. 8.* & *Conſil. 14. n. 2. de privil.* Vivaldus *in candelabr. aur. tit. de Confirm. n. 26.* Covarruvias *var. Reſol. L. 1. cap. 10.* Suarez. *to. 3. Diſp. 36. Sect. 2.* Vericelli *de Apoſt. Miſſion. quæſt. 129. n. 2. & 3.* Hurtado *de confirm. difficult. 3.* Bellarmin. *de Sacram. Confirm. L. 2. cap. 12.* Granad. *tr. 2. diſp. 1.* Bonacina *D. 3. de Sacram. quæſt. unic. punct. 2. n. 3.* Diana *part. 8. tr. 1. Reſol. 3.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. Alleg. 30. n. 4.* & *ad Concil. Trident. ſeſſ. 7. de confirm. n. 4.* Tamburin. *to. 2. Diſp. 3. quæſ. 1. n. 10.* Pignateli. *to. 6. conſul. 11. n. 3. & ſeq.* & Canoniſtæ paſſim *ad tit. de ſacr. Unct.* ubi & Fagnanus *n. 3. & 4.* ac Gonzalez *in cap. 4. de conſuet. n. 14.* ad quorum omnium mentem

Dico 2do. *Poſſunt Prælati & Abbates ac alii quicunque Sacerdotes, qui ſpeciale quoad hoc habent à S. Pontifice privilegium, conferre Sacramentum Confirmationis.* 44

Ita certa hodie ſententia, ita ut multi ex relatis Authoribus oppoſitam

tam dicant ſi non hæreticam, ſaltem temerariam. Probatur autem concluſio: potuit Chriſtus hoc Sacramentum ita inſtituere, ut illius Miniſter ordinarius eſſet Epiſcopus: & in caſu extraordinario etiam Sacerdos non Epiſcopus ex commiſſione ac delegatione S. Pontificis tanquam illius in terris Vicarii, cùm in hac re, utpote à ſola Chriſti voluntate dependente, nulla oſtendi poſſit repugnantia: ergò dicendum eſt ſic inſtituiſſe; tum quòd hic modus inſtitutionis convenientior ſit, ne ob defectum Epiſcoporum plures privarentur hoc Sacramento, tum quòd ita nos doceant exempla SS. Pontificum, qui ſæpiùs poteſtatem confirmandi comiſerunt ſimplicibus Sacerdotibus & Abbatibus, ùt indicat Concilium Florentinum in cit. decreto de unione Armenorum relato in Conſtit. 19. Eugenii IV. dicens: Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili & urgenti admodùm cauſa ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc Sacramentum Confirmationis adminiſtrâſſe. Sic enim Gregorius M. *L. 3. Epiſt. 16.* relata *Can. pervenit. diſt. 95.* hujusmodi facultatem conceſſit Presbyteris Sardiniæ ubi deſunt Epiſcopi. Sic etiam Clemens V. in Bulla: *Cùm hora undecima Anno 1306.* & Joannes XX. in Bulla iisdem verbis incipiente Anno 1321. Minoritis in terras infidelium proficiſcentibus conceſſerunt, quòd Fratres Presbyteri poſſint Sacramentum Confirmationis conferre, ubi Epiſcoporum Catholicorum copia non extiterit. Idem conceſſit iisdem Minoritis Miſſionariis Eugenius IV. in Bulla: *Sacra Religionis. Anno 1444.* ac iterum in Bulla: *Dum ſalubria Anno 1446.* & confirmavit Nicolaus V. in Bulla: *ineffabilis. Anno 1447.* ùt refert Wadingus in annalibus Minorum. Eandem poteſtatem variis Jndiæ Miſſionariis conceſſiſſe Alexandrum VI., Leonem X. atque etiam Adrianum VI. licèt hic ſententiam contrariam docuiſſet necdum Pontifex, tradit Platellius *part. 5. de Confirm. c. 3. n. 268.* & Lugo *Reſponſ. mor. L. 1. dub. 6.* cum aliis, & eandem indulſiſſe Gregorium XIII. aliquibus Patribus Societatis teſtatur Suarez. Hæc ipſa quoque facultas confirmandi concedi nunc etiam ſolet Regùlaribus Miſſionariis in partibus infidelium præſertim in novo orbe, ubi nulli haberi poſſunt Epiſcopi. Nec tantùm conceſſa fuerunt Miſſionariis ejusmodi privilegia, ſed etiam pluribus Prælatis & Abbatibus. Sic enim Sixtus V. in Bulla: *benignitas Apoſtolica ſedis 10. Calend. Martii. Anno 1589.* confirmavit ac de novo conceſſit Abbatibus Montis Caſſini poteſtatem conferendi Sacramentum Chriſmatis, dummodo illud ſit priús per aliquem Catholicum Antiſtitem conſecratum, de quo privilegio etiam teſtatur Rota in montis Caſſinenſ. juriſdictionis coràm Bichio *deciſ. 459. n. 25.* Eandem facultatem conferen-

di Sacramentum Chriſmatis priùs tamen ab aliquo Catholico Antiſtite conſecrati idem indulſit Sixtus V. Abbatibus Monaſterii SS. Trinitatis Cavæ, quia tamen is morte præventus litteras expedire haud potuit, easdem conficere curavit, & factam conceſſionem convalidavit Gregorius XIV. per Bullam: *Æquum reputamus. 8. Decembr. Anno 1590.* eam ipſam poteſtatem adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis etiam quoad populum laicum ſibi ſubjectum obtinuit Abbas S. Mariæ de Florentia in Bulla, quæ refertur à Margarino in Bullario Caſſinenſi *to. 1. Conſtit. 159.* hiſce verbis: Quòd licet tu, ac reliqui Abbates Congregationis veſtræ Caſſinenſis aliique S. Juſtinæ vigore privilegiorum à ſuis Prædeceſſoribus eidem Congregationi conceſſorum & innovatorum in fronte chriſmare & Confirmationis Sacramentum adminiſtrare poſſitis: tibi tamen pro tui majori ſatisfactione, ut in Eccleſiis correctioni tuæ ſubjectis omnes & ſingulas perſonas tantùm curæ dictorum locorum ſubjectas & ad curam dictarum Eccleſiarum ſpectantes, in fronte chriſmare & confirmare, prout & quemadmodum alii Ordinarii in Eccleſiis, quibus præes, liberè poſſis & valeas. Taceo plura alia ejusmodi privilegia & indulta diverſis Abbatibus & Prælatis tum ante tum poſt Tridentinum conceſſa, quibus certum omninò ſit, quòd Prælatus aut alius ſimplex Sacerdos habens à S. Pontifice ſpeciale privilegium conferendi Sacramentum Confirmationis, licitè & validè illud conferat absque ullo periculo nullitatis; quia in Sacramentis, etiam quando agitur de valore, ſufficit ſequi ſententiam moraliter certam, etſi non tutiorem, ut proinde res hæc vix poſſit ſine temeritate in dubium vocari. Quamvis autem S. Pontifex poteſtatem confirmandi committere poſſit Sacerdoti, eam tamen concedere non poteſt non Sacerdoti; quia confirmatio eſt actus Ordinis aut Epiſcopalis, ſi fiat poteſtate ordinaria: aut ſacerdotalis, ſi fiat ex commiſſione S. Pontificis, & ratio congruentiæ eſt; quia non decet, ut ille, qui non habet poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum, habeat poteſtatem ſupra corpus Chriſti myſticum: & idcircò qui non eſt Sacerdos, nullum Sacramentum poteſt conficere præter Baptiſmum, qui eſt maximæ neceſſitatis Ratio verò ultimata deſumitur ex voluntate Chriſti, quæ nobis innoteſcit à poſteriori.

45 Hæc porrò facultas confirmandi dari non ſolet, niſi ex urgentiſſimis cauſis, ùt etiam indicavit Concilium Florentinum loc. cit. ibi: *ex rationabili & urgente admodùm cauſa*, quas cauſas latè examinat Pignatell. *to. 6. conſult.* 11. Inter has verò præcipua eſt defectus Epiſcoporum, non quidem qualiscunque & per aliquod tempus, ſed talis, quo nullus adeſt, nec aliunde accerſiri facilè poteſt; cùm enim Sacramentum Confirmationis non ſit de neceſſitate ſalutis, nulla quoque apparet neceſſitas po-

te-

teſtatem hanc concedendi ſimplicibus Sacerdotibus, niſi cùm abſolutè nulli poſſunt Epiſcopi haberi. Hinc Epiſcopo Tarraconenſi fuit per ſacram Congregationem Concilii denegata facultas delegandi Vicarium in quadam inſula ſuæ Diœceſis pro miniſtrando Chriſmate, cùm ibi difficilis eſſet acceſſus: in Tarraconen. *25. Januarii* 1659. *L. 21. Decret. pag. 512.* Similiter aliàs ſe conquerentibus Archiepiſcopo, & Epiſcopis Eccleſiarum in inſulis Philippinis, ſe ob Diœceſium ſuarum amplitudinem ac populorum frequentiam, quorum non exigua pars extra civitates & oppida campeſtria vitam absque civili commercio in vaſtiſſimis agris vivit, Confirmationis Sacramentum opportunè ſubditis ſuis miniſtrare non poſſe, adeò ut quamplures non confirmati decederent; ſupplicârunt Sanctiſſimo pro facultate id munus Sacerdotibus ſæcularibus vel Regularibus delegandi. Et ſub die 28. Januarii 1668. exquiſito voto ſacræ Congregationis Concilii fuit reſcriptum, non conſtare de cauſis indulgendi. Regulariter autem dicta ſacra Congregatio hujusmodi cauſas remittere ſolet ad ſacram Congregationem, ùt ſervatum fuit in Canarienſi 30. Maji 1676. prout teſtatur & hæc refert Card. Petra to. 3. ad Conſtit. 14. Innocentii IV. num. 70. Quoad Abbates autem ingens motivum concedendi hujusmodi privilegium eſt, quòd Abbas & loca eidem ſubjecta ſint verè nullius Diœceſis habeátque proprium territorium ſeparatum, faciens propriam & diſtinctam Diœceſin, cùm non ſit in præjudicium Ordinarii: hoc tamen ſolum non ſufficit, niſi concurrat ſimul aliquis defectus Epiſcoporum, aut difficultas eos obtinendi; nam aliàs ſequeretur, quòd omnes ejusmodi Abbates *nullius* habere debeant privilegium hoc conferendi Confirmationem, quod tamen repugnat communi praxi & conſuetudini, ſed pro illis conſtitutum eſt, ut poſſint aliunde advocare quemlibet Epiſcopum pro adminiſtratione dicti Sacramenti, prout deciſum refert Fagnanus *in cap. cùm veniſſet. §. per frontis. n. 7.* Rota *deciſ. 723. n. 6.* coram Cerro. & reſolvit ſacra Congregatio Concilii in Dirachien. *21. Auguſt.* 1627. *Libr. 13. Decr. pag. 316.* ibi: Si Abbatia nullius Diœceſis exiſtat, eſſe in facultate commendatarii convocare quem maluerit Catholicum Antiſtitem ad Sacramentum Chriſmatis miniſtrandum. Similiter in Iſernienſi. 1. *Mart.* 1687. fuit reſcriptum, manutenendum eſſe Abbatem S Vincentii in Vulturno in poſſeſſione vocandi Epiſcopum ſibi benè viſum ad effectum adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis in ejus Abbatia, ſalvo tamen Jure Epiſcopi vicinioris. Secùs autem dicendum eſt in Abbatiis, quæ verè *Nullius* non ſunt; nam in iis Chriſma miniſtrare pertinet ad Epiſcopum viciniorem, ſeu in cujus Diœceſi Abbatia eſt. Card. Petra *loc. cit. n. 52.* Unde hoc ſolum

motivum *Nullius* non videtur omninò ſufficiens eſſe ad concedendum Abbatibus confirmandi privilegium, quamvis S. Pontifex id abſolutè poſſit concedere ex hoc ſolo motivo; nam ùt ait Card. Petra *ad conſtit. 2. Benedicti XI. n.* 11. quando poteſt populo conſuli vocando Epiſcopum, debet ita provideri, nec ſola major commoditas, vel minus diſpendium debet eſſe cauſa conceſſionis, & ne id, quod pro pura neceſſitate extraordinariè ſolùm debet concedi, paſſim absque difficultate obtineatur. Cæterùm hac in re conſiderari debet amplitudo Diœceſis Abbatis, quid fuerit uſque adhuc obſervatum; nam ſi Abbas adminiſtrâſſet hoc Sacramentum ſuffultus aliquo privilegio, conſuli poteſt, ut privilegio tutiori id continuet; ita econtra, ſi diu accerſitus Epiſcopus aliquis fuerit, vel alio modo conſultum, poſſet ita continuari, & ſic non videtur paſſim concedi talis facultas, quæ ſicuti in aliquo caſu debet dari, etiam ut improbetur error, quòd non poſſit id indulgeri à Papa non Epiſcopo, ita non eſt paſſim concedendum, ne hæterodoxi credant, etiam Sacerdotes non minùs quàm Epiſcopos eſſe hujus Sacramenti Miniſtros ordinarios. Ita laudatus Petra loco proximè citato.

46 An autem ejuſmodi privilegia confirmandi ante Tridentinum conceſſa adhuc poſt Tridentinum locum habeant, ac iiſdem uti poſſint Prælati; ita ut vi illorum etiamnum conferre valeant Sacramentum Confirmationis? haud ſatis conſtat. Revocata fuiſſe volunt Fagnanus *in cap. cùm veniſſet. de ſacr. Unct. n. 9. & ſeq.* ac Card. Petra *ad conſtit. 14. Innocentii IV. n. 64.* & *ad conſtit. 2. Benedicti XI. n. 7.* & quidem *in ſeſs. 23. cap. 4. can. 7.* ubi anathema ferit in illos, qui dixerint, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, vel eam quam habent illis eſſe cum Presbyteris communem; refertque Hieronymus Nicolius *in lucubrationib. tom. 2. canon. L. 14. tit. 15. n.* 1. Sacram Congregationem Concilii *Anno 1635. die 23. Julii* declaráſſe, quòd ſi Abbas conferre tentet Sacramentum Confirmationis, nihil agat; non obſtantibus privilegiis obtentis ante Concilium Tridentinum. Accedit, quòd ſi non eſſent revocata hujuſmodi privilegia, fruſtra fuiſſent poſt Tridentinum renovata & de novo conceſſa à SS Pontificibus: atqui conſtat hæc privilegia ante Tridentinum conceſſa, fuiſſe ſæpius poſt Tridentinum renovata à SS. Pontificibus, ùt infra referemus. Unde conſulit dictus Card. Petra n. 64. ut ſi Abbas quispiam tale privilegium ante Tridentinum obtinuerit, illud poſtea confirmari faciat à S. Pontifice, præſertim perdurantibus iiſdem cauſis, ob quas primò fuerat conceſſum, & concurrente cauſa difficilis acceſſus Epiſcoporum. Verùm eodem teſte ſacr. Congregatio Concilii

Digitized by Google

cilii *3. Martii. 1575.* hujuſmodi petitioni factæ per Abbatem S. Facundi in Hiſpania Ordinis S. Benedicti nullius Diœceſis, habentis plura oppida, ad quæ difficile eſſet accerſire Epiſcopos, cenſuit Papam poſſe concedere ſi velit, ſed non expedire, cùm nulla ſubſit neceſſitas, præſertim in regionibus, ubi adſunt hæretici, qui credunt ſimplicem Sacerdotẽ poſſe adminiſtrare Chriſma ſicut Epiſcopi, & ſic ſe confirmabunt in iſta hæreſi, quam Concilium Tridentinum damnavit. Anno tamen *1674. die 18. Martii.* Sanctiſſimus conceſſit tale privilegium Abbati illud ante Concilium habenti, ut poſſet conferre Sacramentum Confirmationis, de licentia tamen Ordinarii, ut ſcilicet non miniſtretur in aliena Diœceſi ſine hujuſmodi licentia. An autem per talis privilegii conceſſionem Concilio Tridentino derogetur, dubitârunt Cardinales illius interpretes, ùt refert Fagnanus *in cit. cap. Cùm veniſſet. §. per frontis. n. 9. de ſacr. Unct.* ubi *§. An autem* ait, tres Cardinales putâſſe, aliquo modo diſpenſationem eſſe contra Concilium, quatuor autem non eſſe: hæcque opinio videtur eſſe conformior ipſi Concilio, utpote quod *in ſeſſ. 7. de Confirm. Can. 3.* tantùm ſtatuit, ordinarium Confirmationis Miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum. & *in ſeſſ 23. cap. 4. Can. 7.* ſolùm decernit, quòd Epiſcopi poſſint ordinare & confirmare, nec eorum auctoritatem eſſe communem cum Presbyteris: per quod non excluditur, quòd ſimplex Sacerdos non poſſit eſſe Miniſter extraordinarius ex delegatione S Pontificis, ùt notat Barboſa ad idem Concilium *ſeſſ. 7. de Confirm. n. 3. & 4.* & *de poteſt. Epiſcop. part. 2 alleg. 30. n. 4 & 5.* ac Card. Petra *ad Conſtit. 2. Benedicti XI. n. 6.* ſed quidquid de hoc ſit, quod non multùm facit ad rem: majoris momenti quæſtio eſt, an privilegium hoc conferendi Sacramentum Confirmationis quibusdam Abbatibus & Prælatis ſpecialiter conceſſum competat etiam aliis ex generali communicatione omnium privilegiorum dictis Abbatibus indultorum: & utrum ex hoc quòd quis habeat privilegium faciendi omnia, quæ poſſunt Epiſcopi paucis exceptis, poſſit vigore talis conceſſionis Sacramentum Confirmationis conferre, ſi non fuerit exceptum, juxta principium illud paſſim receptum: *exceptio firmat Regulam in contrarium.* Pro quorum dubiorum reſolutione

Dico 3tiò. *Non poſſunt Prælati & Abbates illi, qui nullum habent ſpeciale privilegium, Sacramentum Confirmationis conferre, etiamſi cum iſtis, tale privilegium habentibus, in privilegiis ampliſſimè communicent.* 41

Digitized by Google

Probatur: privilegia exorbitantia, & quæ difficillimè ac rariſſimè & nonniſi ob ſpeciales ac graviſſimas cauſas conceduntur, non veniunt in generali communicatione privilegiorum: Sed tale eſt privilegium conferendi Sacramentum Confirmationis quoad ſimplices Sacerdotes, Prælatos, & Abbates; eſt enim exorbitans, cùm Confirmatio propriè & per ſe ſit actus Ordinis Epiſcopalis, & diſpenſativè tantùm Ordinis Sacerdotalis ex commiſſione ſcilicet S. Pontificis: difficillimè pariter ac rariſſimè conceditur, ùt patet, cùm id paucis reſpectivè fuerit conceſſum, & quidem ob ſpeciales tantùm ac graviſſimas cauſas, vel quia aderat abſolutus defectus Epiſcoporum nec ullus facilè accerſiri poterat, ùt in partibus infidelium contingere ſolet: vel quia Abbatia erat nullius Diœceſis, proprium & ſeparatum habens territorium ac diſtinctam Diœceſin concurrente præſertim cauſa difficilis acceſſûs Epiſcoporum, quæ in aliis non pugnant, nec reperiuntur: ergò privilegium hoc conferendi Sacramentum Confirmationis non venit in generali communicatione privilegiorum. Atque hinc cùm Abbates quidam S. Benedicti ac Bernardi prætenderent, ſe poſſe virtute hujuſmodi generalis communicationis privilegiorum Sacramentum Confirmationis conferre, reſolvit ſacra Congregatio Concilii in Colimbrien. 26. Junii 1655. quòd invalidè hujuſmodi Abbates adminiſtrent, adeò ut confirmati ab ipſis indigeant nova Confirmatione, & cùm Abbas Fuldenſis hoc ipſum privilegium peteret confirmandi ob communicationem privilegiorum Congregationis Caſſinenſis ab Urbano VIII. obtentam, ac inter alia dubia ſub die 22. Septembr. Anno 1703. propoſuiſſet in ſacrâ Congregatione Rituum ponente Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Gabrielio: *An poſſit ſuis ſubditis vigore ejusdem Brevis Sacramentum Confirmationis conferre*: reſpondit *cum Sanctiſſimo pro Indulto.* Sed recurrente Epiſcopo Herbipolenſi ac prætendente eſſe Ordinarium locorum Abbati ſubjectorum: iſto autem ſupponente habere exemptionem cum territorio verè nullius, prout canonizatum aſſerebat per Rotam in pluribus deciſionibus *Nullius* ſeu Fuldenſis juriſdictionis die 28. Junii. Anno 1700. coram Eminentiſſimo della Tremoille. 16. Februarii 1703. & aliis coram D. Molinès Decano, tamen quia ipſa Rota in dictis deciſionibus præſervavit cognitionem eorum, quæ requirunt Ordinem & conſecrationem, & fortiùs, quia cauſa ſuper qualitate nullius pendebat in eadem Rota in gradu appellationis, ideò ſub die 27. Novembr. 1706. Sacra Congregatio reſolvit: *dilata, & expectetur exitùs cauſa in ſacra Rota.* & meritò, quia priùs deberet firmari ſtatus qualitatis *Nullius*, ut excludatur Epiſcopus in dicto Jure confirmandi. Ita Card. Petra *ad Conſt. 2. Benedicti XI. n. 10.* & alibi. Quemadmodum autem pri-

privilegium conferendi Sacramentum Confirmationis non venit in generali communicatione privilegiorum, ita neque comprehenditur in illo privilegio, quo conceditur facultas faciendi omnia, quæ poſſunt Epiſcopi, exceptis SS. Ordinum collatione, Eccleſiarum & Altarium conſecratione, ac Chriſmatis confectione, quale privilegium conceſſit Urbanus II. Abbatibus Monaſterii Cavenſis, prout declaravit Gregorius XIII. apud Card. de Lugo *Reſponſ. mor. L. 1. dub. 7.* Ratio eſt; tum quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſpeciali ac ſingulari notâ ſunt digna: tum quia licét exceptio firmet Regulam in contrarium, non tamen ampliat illam contra ejus naturam, ùt tradit Tiraquellus *de retract. Lingu. Gloſſ. 14. n. 93.* & hinc prætendente Abbate montis Caſſini poteſtatem confirmandi ex dicto privilegio Urbani II. & exinde arguente, quòd cùm exceptio firmet Regulam in contrarium, cenſeantur indulta fuiſſe omnia alia præter reſervata, & ſic etiam poteſtatem confirmandi: verùm repulſam tulit ob eam rationem quia ea, quæ ſunt Ordinis, requirunt ſpecialem mentionem, nec limitatio prædicta & exceptio excludit limitationem aliorum caſuum notâ dignorum, & de quibus facienda eſſet mentio ſpecialis, prout de facultate confirmandi, quæ nunquam venit, niſi exprimatur. Unde fuit opus novo privilegio pro tali poteſtate, prout etiam obtinuit dictam poteſtatem confirmandi, ùt advertit Fagnanus *loc. cit. n. 13.* & Card. Petra *ad Conſt. 2. Benedicti XI. n. 8.* His ita de poteſtate Prælatorum quoad collationem Sacramenti Confirmationis expeditis, reſtat modò, ut & aliqua de illorum poteſtate conficiendi Chriſma ad adminiſtrandum Sacramentū Confirmationis prærequiſitum diſſeramus. Pro quo

48 Sciendum inprimis, nomine Chriſmatis ex uſu Eccleſiæ tam orientalis quàm occidentalis intelligi hic unguentum ſeu mixtum aliquod ex oleo olivarum, & balſamo, ubi non tantùm oleum eſt de eſſentia ac neceſſitate Sacramenti Confirmationis, ùt unanimiter tradunt DD. ſed etiam balſamum, ùt cum S. Thoma docent Theologi tam antiqui quàm recentiores communiter contra Cajetanum, Navarrum, Sotum, Vivaldum, Gonzalez, & alios volentes mixtionem balſami ſolùm eſſe de neceſſitate præcepti; oppoſitum enim elicitur ex Florentino in decreto unionis, ubi dicitur: Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ: & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ. quibus verbis Concilium planè docere videtur, oleum & balſamum æque pertinere ad materiam Sacramenti Confirmationis: unde cùm conſtet, oleum eſſe materiam eſſentialem etiam conſtare videtur, quòd & balſamum ſit materia eſſentialis, cùm de utroque eodem modo loquatur. Idipſum comprobatur

ex

ex perpetuo uſu ac continua praxi Eccleſiæ, ab ipſis Apoſtolorum temporibus obſervatâ, quæ nunquam legitur diſpenſâſſe, ut hoc Sacramentum conficeretur in ſimplici oleo, prout etiam conſtat ex Epiſt. 2 S. Fabiani Pont. ad Epiſcopos orientales, ubi aſſerit: *ex divina inſtitutione provenire, ut oleum cum balſamo conficiatur, ſicut à SS. Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobísque reliquerunt Chriſma conficere.* quæ ſanè indicant Chriſti mandatum & inſtitutionem, & conſequenter materiæ neceſſitatem. Ad verificandam certè formam in illis verbis conſiſtentem: Confirmo te Chriſmate ſalutis, omninò neceſſarium eſt tale unguentum ſeu mixtum, quod nomine Chriſmatis ſignificatur: ſed tale ex accomodatione illorum, qui res divinas tradunt, aliud non eſt, quàm quod conficitur ex oleo & balſamo: ergo ad verificandam formam neceſſarium eſt mixtum & unguentum ex oleo & balſamo; aliàs falſa eſſet forma. Hoc ipſum quoque Chriſma ex oleo & balſamo confectum, debet eſſe ab Epiſcopo benedictum ad hoc, ut ſit materia apta Confirmationis, quemadmodum docent AA. Catholici unanimiter, cujus ratio deſumitur ex inſtitutione Chriſti, uſu & conſuetudine Eccleſiæ declaratâ, & pluribus Conciliis ubique terrarum celebratis comprobata: in Græcia Nicæno 1. can. 69. Laodicæno can. 48. In Italia Concilio Romano 2. ſub Sylveſtro I. can. 5. Florentino in decreto Eugenii IV. In Hiſpania Toletano 1. can. 20. In Hiſpalenſi 2. can. 7. & Braccarenſi 1. can. 37. In Gallia Concilio Meldenſi c. 46. In Germania in Concil. Aquisgranenſ. 3. c. 8. & Wormatienſi 1. cap. 2. In Africa Carthaginenſ. 2. can. 3. ut hæc & plura alia refert Card. de Laurea *in Epitom. Canon. V. Chriſma à quo faciendum.* quibus accinunt PP. tam Græci quàm Latini. Unde ſequitur hanc benedictionem eſſe de neceſſitate Sacramenti Confirmationis, ita ut Eccleſia non poſſit diſpenſare, ut Chriſma ad hoc Sacramentum requiſitum non ſit benedictum, cùm ea, quæ ad eſſentialem Sacramentorum conſtitutionem pertinent, non poſſint mutari ab Eccleſia, nec ejus relicta ſint arbitrio. (*Adde*; ea quæ in hac re certò tenenda ſunt, à me aſſignari in opere cui tit. *Critica demonſtratio Religionis Catholicæ* part. 1.

49 An verò Chriſma ita neceſſariò debeat eſſe ab Epiſcopo benedictum ut illud benedicere non poſſint Prælati & Abbates, nec illius benedictio à S. Pontifice committi poſſit ſimplici Sacerdoti? magna eſt controverſia inter Canoniſtas & Theologos: in qua Cajetanus *part. 3. q. 72. art. 2.* Victoria *in Summa de Confirmat. q. 43.* Valentia *to. 4. Diſp. 5. quæſt. 1. punct. 2.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 31.* Joan. de la Cruz *de ſtatu Relig. L. 2. cap. 5. dub. 9. concl. 2.* abſolutè aſſerens poſſe Prælatos Regularium in ſuis terris confice-

ficere ex privilegio Urbani II. Gobath *in Theol. experim. tr. 2. n. 745. in fin.* cum quibusdam aliis defendunt, poſſe ſimplicem Sacerdotem ex commiſſione S. Pontificis Chriſma benedicere. Fundantur 1. auctoritate Concilii Toletani 1. Can. 20. ubi dicitur: quamvis ferè ubique cuſtodiatur, ut absque Epiſcopo Chriſma nemo conferat, tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum conficere, & per ſuam Diœceſin deſtinare. Quibus ex verbis dictum Concilium clarè ſatis indicat, non ſolùm ſimplices Sacerdotes quibusdam in locis ſolitos fuiſſe, conficere Chriſma: ſed etiam id validè feciſſe, cùm non irritet factum, ſed tantùm prohibeat faciendum. Fundantur 2. quia poteſt S. Pontifex ſimplici Sacerdoti committere, & defacto pluribus Prælatis & Abbatibus commiſit poteſtatem conferendi Sacramentum Chriſmatis, ùt ſupra demonſtratum eſt: ergò etiam poterit eisdem committere Chriſmatis conſecrationem, utpote requiſitam ad collationem Sacramenti Chriſmatis; majori enim conceſſo, conceſſum etiam cenſetur eſſe minus: ſed majus eſt conferre Sacramentum Chriſmatis, minúsque eſt conficere Chriſma: ergò conceſſa ſemel poteſtate conferendi Sacramentum Chriſmatis, cenſetur etiam conceſſa poteſtas conſecrandi Chriſma. Similiter conceſſo uno, conceduntur etiam omnia, quæ ad ipſum prærequiruntur. *L. ad rem mobilem. ff. de Procuratorib. L. ſi quando. Cod. de inofficioſ. teſtamento. cap. praterea de Offic. Judic. delegat.* ſed S. Pontifex multis conceſſit poteſtatem conferendi Sacramentum Confirmationis, & ad hoc prærequiritur Chriſma: ergò etiam hujus conſecrationem concedere poteſt ſimplicibus Sacerdotibus ac præſertim Prælatis & Abbatibus, cùm hoc ſit acceſſorium ad prius illud. Verùm quantacunque probabilitate ſpeculativa hæc dicantur, non tamen probant intentum. Unde

Dico 4to. *Non tantùm non poſſunt Prælati Regulares conficere Chriſma, ſed probabilius nequidem S. Pontifex poteſt illis, aut cuicunque ſimplici Sacerdoti committere poteſtatem illud conficiendi.* 50

Ita poſt S. Thomam *3. part. quaſt. 72. art. 3.* Sylveſter *V. Confirmatio. q. 2.* Vivaldus *in Candelabr. aur. Tit. de Confirmat. n. 16.* alios citans. Valentia *to. 4. D. 5. quaſt. 2. punct. 2.* Henriquez *L. 3. cap. 2. §. 2. & cap. 7. §. 4.* Coninck *Diſp. 2. art. 3. dub. 1. concl. 4.* Bonacina *Diſp. 3. quaſt. unic. punct. 3.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. Allegat. 30. n. 6.* Tamburinus *to. 2. D. 3. quaſ. 2.* & teſte Suarez *Diſp. 33. ſect. 2.* Doctores omnes pau-

paucis exceptis. Probatur autem ex Concilio Florentino, ubi in decreto unionis dicitur: Materiam Confirmationis eſſe Chriſma ex oleo & balſamo, ab Epiſcopo confectum; quibus verbis innuit, benedictionem Epiſcopalem partialiter conſtituere materiam remotam hujus Sacramenti: atqui circa materiam Sacramentorum à Chriſto aſſignatam nihil mutare poteſt S. Pontifex, ùt etiam fatetur Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 2. de commun.* ergò neque poteſt aliquid mutare circa materiam hujus Sacramenti, & conſequenter nec committere, ut Prælatus aut ſimplex Sacerdos conficiat aut benedicat Chriſma ad Sacramentum Confirmationis requiſitum. Similiter idipſum Concilium agens de Miniſtro hujus Sacramenti docet, hunc eſſe Epiſcopum: aliquando tamen ex conceſſione ſedis Apoſtolicæ ſimplicem Sacerdotem illud miniſtrâſſe cum Chriſmate NB. per Epiſcopum benedicto; quæ verba indicant diſcrimen inter conceſſionem illud miniſtrandi, & inter poteſtatem benedicendi Chriſma: & illam quidem ab Eccleſia fuiſſe datam, hanc verò nunquam. Unde prohibetur in Concilio Romano ſub Sylveſtro I. Papa Can. 5. Presbyteris, ne Chriſma faciant; quia nimirum id ad munus Epiſcopi pertinet; conſonat Concilium Wormatienſe cap. 2. his verbis: Chriſma conficere nullus præter Epiſcopum præſumat. Licèt enim legatur hujus Sacramenti collationem aliquando à Papa fuiſſe ſimplici Sacerdoti commiſſam, ùt cap. pervenit. diſt. 95. nunquam tamen legitur, quòd benedictio Chriſmatis aliquando fuerit ſimplici Sacerdoti demandata: & licèt etiam SS. Pontifices frequenter conceſſerint tum Prælatis Regularibus tum Miſſionariis poteſtatem adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis, non aliter tamen illis eam indulſerunt, quàm cum Chriſmate ab Epiſcopo benedicto: claro ſatis indicio, quòd poteſtatem benedicendi Chriſma non poſſint committere ſimplici Sacerdoti; aliàs eam aliquando conceſſiſſent ad demonſtrandam ſaltem hanc ſuam poteſtatem. Ratio deniquè ultimata peti debet ex voluntate Chriſti, qui hoc Sacramentum ita inſtituit, ut ejusdem materia remota ſcilicet Chriſma conſecraretur à SS. Sacerdotibus ſcilicet Epiſcopis ad denotandam hujus Sacramenti excellentiam, ut à poſteriori perpetuo ſcilicet Eccleſiæ colligitur uſu, quo factum eſt, quòd illud nunquam fuerit commiſſum ſimplici Sacerdoti. Ex quibus omnibus ſequitur, quòd licèt oppoſita ſententia ſit ſpeculativè probabilis, eam tamen haud liceat ſequi in praxi; ratio eſt: quia in Sacramentis, quando agitur de valore actûs, ſequenda eſt ſententia tutior juxta Decretum Innocentii XI. in quo prima propoſitio damnata ſic ſonat: Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: atqui ſenten-

tentia negans, S. Pontificem poſſe ſimplici Sacerdoti committere poteſtatem benedicendi Chriſma pro Sacramento Confirmationis requiſitum, verſatur circa valorem Sacramenti, eſtque tutior, ùt per ſe patet: ergò in praxi ſequenda eſt.

51 Atque hinc rationes in contrarium allatæ, etſi probabilitate ſaltem ſpeculativa non careant, in re tamen, quæ Sacramenti valorem concernit, non evincunt intentum. Unde ad 1mam. ex Concilio Toletano deſumptam reſpondent communiter DD. cum Tamburino *to. 2. Diſp. 3. quæſ. 2. n. 2.* quòd dictum Concilium ibidem loquatur non de Chriſmate ùt eſt materia Confirmationis, ſed de Chriſmate, quo utuntur Sacerdotes in Baptiſmo, quod licèt defacto ſit idem cum eo, quo utuntur Epiſcopi in Confirmatione, poteſt tamen ex diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ eſſe diverſum; nam in Baptiſmo Chriſma non eſt de eſſentia materiæ Sacramenti, ſed tantùm cæremoniale, quod benè poteſt ab Eccleſia alio & alio modo ordinari, Chriſma autem ab Epiſcopo benedictum eſt de eſſentia Sacramenti Confirmationis ex Concilio Florentino, ac proinde nulla diſpenſatione fieri poteſt, ut ab alio quàm Epiſcopo benedicatur. Deinde licèt in dicto Toletano Concilio confectio Chriſmatis à ſimplice Sacerdote facta non dicatur expreſsè irrita, id tamen ſatis colligitur ex praxi Eccleſiæ, quæ nunquam hujusmodi poteſtatem conceſſit ulli ſimplici Sacerdoti, haud dubiè aliquando conceſſura, ſi poſſet; idem denique Concilium ibidem reprobat factum, nec illud ullibi ſuſtinet tanquam validum. Ad 2dam. rationem oppoſitæ ſententiæ negatur conſequentia & paritas; nam ut poteſtas confirmandi poſſet à S. Pontifice committi ſimplici Sacerdoti, exigebat ipſa natura rei; cùm enim non ubique haberi poſſent Epiſcopi, neceſſarium erat omninò, ut hæc poteſtas committi poſſet à S. Pontifice ſimplici Sacerdoti, ne fideles remanerent privati tam ſalutari Sacramento: at verò ubique poteſt haberi Chriſma ab Epiſcopo benedictum, & unius Chriſmatis benedictio pluribus locis ac Diœceſibus poſſit ſufficere, ac in caſu neceſſitatis etiam adhiberi antiquum, cùm uſus novi Chriſmatis non ſit de eſſentia aut ex inſtitutione Chriſti, ſed tantùm de præcepto Eccleſiæ adhibendum: præterquam, quòd plura extent privilegia, in quibus SS. Pontifices Regularibus præſertim Miſſionariis conceſſerunt facultatem utendi Chriſmate antiquò, ubi novum tam facilè haberi non poteſt. Neque abſurdum videri debet, ſimplici Sacerdoti committi poſſe quod eſt majus, nempe chriſmationem ſeu collationem Sacramenti Confirmationis; non autem illi poſſe committi, quod eſt minus, nempe Chriſmatis confectionem ac benedictionem; quia hæc Regula: Qui poteſt majus, poteſt & minus:

aut, majori conceſſo, conceſſum etiam cenſetur eſſe minus, ſolùm vera eſt, quando minus includitur in majore tanquam pars in toto; alioquin enim ſequeretur, poſſe quemlibet Sacerdotem etiam abſque commiſſione confirmare, ordinare Presbyteros, quia poteſt conficere corpus Chriſti, quod eſt majus. Illa autem communis Regula: Conceſſo uno, conceduntur etiam ea, quæ ad ipſum prærequiruntur, ſolùm habet locum in ſubordinatis eidem poteſtati, ſed benedictio Chriſmatis ita ſubordinatur poteſtati Pontificis, ut eam delegare non poſſit ſimplici Sacerdoti, eo quòd ex Chriſti inſtitutione Epiſcopali Ordini ſit annexa. Congruentia verò hujus inſtitutionis fuit major dignitas materiæ hujus Sacramenti, in qua conſecranda decens erat, ut omnes à primis Eccleſiæ Paſtoribus dependerent.

52 Jam verò cùm ex dictis hactenus certum ſit, quòd ſoli Epiſcopi poſſint conficere ac conſecrare Chriſma, ſequitur Prælatos ac Abbates Regulares cujuſcunque demùm Ordinis teneri S. Chriſma ab aliquo Epiſcopo petere & accipere; à quonam autem? nova controverſia eſt: in qua non minùs certum eſſe videtur, quòd iidem de Jure communi illud petere debeant ab Epiſcopo proprio ac Diœceſano, in cujus Diœceſi eorum Monaſteria ſita ſunt, etiamſi cæteroquin ſimpliciter ſint exempta, ſive dein ſint Parochi, de quibus nulla poteſt eſſe difficultas, ùt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regular.* & latè tradit Rota *in Firmana Juriſdictionis. 10. Maji 1700. §. 2.* & *13. Aprilis. 1701. §. 2.* coram D. Molines. ſive non ſint Parochi, & ſolùm indigeant S. Chriſmate pro ſuorum uſu Monaſteriorum; quia Regulares quòad ea, quæ concernunt poteſtatem Ordinis, & curam animarum, aut ab illa dependent, ùt ſunt conſecrationes & benedictiones de Jure communi ſubjecti manent proprio Epiſcopo Diœceſano, ut plurimis SS. Pontificum Conſtitutionibus oſtendi poſſet, & apertè conſtat *ex cap. veniens 19. de Præſcript. Can. Presbyteri. 123. diſt. 4. de Conſecr.* & *Can. Presbyteri. 4. diſtinct. 95.* ubi Gloſſa *V. Epiſcopis.* ait: quòd peccent Abbates, qui volunt potiùs hoc accipere ab aliis, quàm à ſuis; & tradunt DD. communiter & latè Abbas *in cit. cap. veniens. n. 5.* id probans quoad Chriſma & oleum *ex Can. illud. 3. & Can. ſequenti diſtinct. 95.* & *ex cap. Te referente 12. de celebr. Miſſ.* item Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. Alleg. 31. n. 20.* & *ad Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. de extrem. Unct. n. 9.* Lezana *V. oleum ſacrum quoad Regulares.* Rebuffus *in prax. benefic. part. 1. de Cler. n. 22.* Novar. *in Lucern. Regul. V. Oleum ſanctum.* de Murga *ad Conſtit. 2. Alexandri IV. §. 8. n. 394.* Paſſerinus *de ſtat. hom. quæſt. 189. art. 10. n. 910. & 911.* Card. Petra. *ad Conſtit. 5. Innocentii IV. ſect. un. n. 26. & ſeq.*

ſeq. apud quem etiam Rota *deciſ. 220. n. 2. part. 9. recent.* & in terminis Eccleſiarum Hieroſolymitanæ Religioni ſubjectarum *deciſ. 334. n. 10. part. 13. recent.* & *deciſ. 218. n. 20. coram Rojas*, ubi quòd exemptio non inducat privilegium recipiendi à quocunque *deciſ. 10. n. 25.* coram Zarata. *deciſ. 434. n. 13.* coram Ludoviſio. & *deciſ. 524. n. 11. part. 19. tom. 2. recent.*

53 Verùm hæc omnia ſolùm intelligenda ſunt regulariter & ùt dixi de Jure communi, ac ſecluſo ſpeciali privilegio, ùt etiam notavit Gloſſa *in cit.* Canon. *Presbyteri 4. diſt. 95.* ubi ait: *peccant Abbates, qui volunt Chriſma potiùs accipere ab aliis, quàm à ſuis Epiſcopis, niſi fortè privilegiati ſint, ut poſſint petere à quibuscunque velint.* hujusmodi autem privilegia non pauca obtinuerunt Regulares, quibus ab hac lege petendi Chriſma ab Epiſcopo proprio ac Diœceſano facti ſunt imunes, eisque data eſt poteſtas illud à quo mallent Epiſcopo recipiendi. Hæc tamen privilegia ſunt duplicis generis, nempe conditionata, & abſoluta; primi generis privilegia ſeu conditionata ſunt illa, quibus conceditur quidem Regularibus, ut poſſint à quocunque maluerint Epiſcopo S. Chriſma petere, cum hac tamen conditione, ſiquidem Epiſcopus proprius ac Diœceſanus non fuerit Catholicus, aut gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ non habuerit, aut illud noluerit ſine pravitate aliqua exhibere; vel etiam ſi ſedes Epiſcopalis vacaverit, aut proprius Epiſcopus ſit impeditus, aut illud renuat Regularibus dare, quibus ſecluſis caſibus manent adhuc obligati, ut illud à proprio Epiſcopo petant. Ejusmodi porrò privilegium conceſſerunt SS. Pontifices diverſorum Ordinum Regularibus, & quidem illud conceſſit Canonicis Regularibus Paſchalis II. in Bulla: *Deſiderium. 9. Calend. Julii. Anno 1106.* Honorius II. in Bulla: *Ad hoc Nonis Maji. 1128.* Innocentius II. in Bulla: *Quoniam. 16. Cal. Maji. 1133.* Cœleſtinus II. in Bulla: *Quoniam. 5. Idus. Decembr. Anno 1143.* Lucius II. in Bulla: *Apoſtolici. 6. Cal. Januarii. 1144.* Anaſtaſius IV. in Bulla: *Religioſam vitam. 12. Cal. Junii. 1153.* ùt habetur in Bullario Lateranenſi novo. Illudipſum privilegium indulſit Benedictinis Innocentius II. in Bulla: *Deſiderium 8. Martii. 1142.* Cœleſtinus III. in Bulla: *Religioſam vitam. 4. Novembr. 1197.* Alexander IV. in Bulla: *Religioſam. 30. April. 1259.* Idem conceſſit Ordini SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Innocentius III. in Bulla: *Operante 18. Junii. Anno 1209.* Honorius III. Ordini S. Dominici in Bulla: *Religioſam vitam. 22. Decembr. Anno 1116.* Innocentius IV. Ordini Sylveſtrinorum in Bulla: *Religioſam. 27. Junii. Anno 1247.* Gregorius IX. Monialibus S. Claræ in Bulla: *Religioſam. Anno 1235.* Sixtus IV. Carmelitis in Mari magno Carmelitarum *Anno 1476.* & Innocentius VIII.

 Ser-

Digitized by Google

Servitis in eorum pariter Mari magno Anno 1487. prætereo plura alia hujusmodi privilegia idipſum concedentia, de quibus nullum eſt dubium, quin cæteris Religioſis Ordinibus privilegiorum communicationem habentibus communicentur, præſertim cùm fundentur in æquitate naturali, quæ exigit, ut Regulares medium habeant, quo ſede vacante, aut proprio Epiſcopo impedito, vel renuente Chriſma & ſacra Olea dare, aut nolente ſine pravitate exhibere, vel etiam hæretico ac communionem ſedis Apoſtolicæ non habente, poſſint illi ſibi de eiſdem providere ab alio quocunque Epiſcopo illa petendo: ſicut etiam SS. Pontifices ex ſumma æquitate ſtatuerunt, ut Regulares quidem ſuſcipiant SS. Ordines à Diœceſano Epiſcopo, ita tamen, ut illos poſſint à quocunque ſuſcipere, ſi ſedes vacaverit, aut proprius fuerit impeditus & Ordinationes non habuerit, aut ſi non fuerit Catholicus, nec habuerit communionem ſedis Apoſtolicæ aut eos noluerit ſine pravitate conferre. Quin imò privilegium illud in tali caſu Chriſma & Olea ſacra à quocunque petendi Epiſcopo canonizatum eſſe videtur ab ipſo Jure Canonico, dum illi fuit inſertum *cap. veniens. 19. de Praſcription.* ubi Innocentius III. ſe fundans in prædeceſſorum ſuorum Paſchalis & Alexandri privilegio antea conceſſo, illud abſolutè approbat, ut adeò per hoc videatur à Jure quibuslibet Regularibus conceſſum.

54 Per Epiſcopum porrò Catholicum juxta de Murga *ad Conſtit. 2. Alexandri IV.* intelligitur ille, qui in his, quæ fidei ſunt, id omne & non aliud credit, quàm quod ſancta Eccleſia Apoſtolica Romana credit, & credendum omnibus proponit, quæ ideò dicitur *Catholica*, quia univerſalis eſt: & *Catholicus* appellatur, qui his aſſentitur, quæ univerſa Eccleſia Romana credit. Per Epiſcopum autem communionem ſedis Apoſtolicæ habentem intelligitur ille, qui non eſt hæreticus, non excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus, nec etiam Schiſmaticus; prout hos terminos explicant Gloſſa *in cit. Cap. veniens. V. gratiam.* Abbas *ibidem. n. 6.* de Peyrinis *ad Conſtit. Julii II. § 7. n. 24.* Lezana *tom. 2. V. clauſula. n. 32.* & *tom. 3. ad Mare magnum minim. §. 6. n. 23.* de Murga *l. c. n. 395.* & Card. Petra *ad Conſtit. unic. Urbani II. Sect. 2. n. 58.* & *ad Conſtit. 6. Innocentii IV. n. 37.* & meritò quidem dicitur etiam Schiſmaticus non habere communionem ſedis Apoſtolicæ; quia ſi ſuſpenſi, excommunicati, & interdicti ſedis Apoſtolicæ gratiâ carent & communione, quo pacto, ait de Murga, gaudebit utrâque Schismaticus, qui voluntariè & pertinaciter ſe abſtraxit ab obedientia Papæ, ſe ab illo ſeparat Eccleſiæ viſibilis capite, vel ſe ab unione, quàm fideles habent inter ſe & cum Chriſto capite, & ejus Vicario ſeparat? nullo certè. Per illa denique verba: ut ſine pravitate aliqua prædicta ab Epi-

Epiſcopo exhibeantur, intelligitur, quòd ea absque Simoniæ labe exhibere debeat, quod in ſimili Innocentius III. *in dicto cap. veniens* expreſſit dicens: & ea gratis ſine pravitate aliqua volueris exhibere, ùt ibidem etiam explicat Abbas Panormitanus n. *6.* & alii ſupra citati; quod ipſum Juri omninò conſonum eſt; nam in diſtribuendo Chriſmate & aliis ſacris oleis ne quidem à ſponte dantibus aliquid recipere licet, contrariæque conſuetudines abolentur *cap. Ex qua. 16. de Simonia,* ubi Alexander III. ſtatuit, dicens: audivimus, quòd nummos pro Chriſmate ab Eccleſiis extorquetis, quos interdum Epiſcopalem conſuetudinem appellatis; quia verò hoc ſimoniacum eſſe cognoſcitur: mandamus, quatenus prætextu alicujus conſuetudinis præſcriptos denarios nullatenus exigatis, pro certo ſcituri, quod ſi hoc præſumpſeritis, periculum Ordinis & dignitatis poteritis non immeritò formidare, cui conſonat *Can. Placuit. 22. cauſ. 1. quaſt. 1.* ubi anathema dicitur illis, & qui dat, & qui accipit, ut Ordines ſacri præſtentur, & tradunt Authores communiter cum Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 31. n. 21.* Paſſerino *l. c. n. 911.* & Card. Petra *ad Conſtit. 6. Innocentii IV. n. 38.* quo etiam teſte ſacr. Congregatio Concilii in Amalphitana 18. Julii 1699. confirmata 6. Februarii 1700. ad dubium 12. An Archiepiſcopus demandare teneatur, quòd Oleum ſanctum ab Eccleſia Cathedrali gratis Eccleſiæ Parochiali tradatur? reſpondit affirmativè. & ſacr. Congregatio Epiſcoporum in Acheruntina ſeu Matheranen. 18. Mart. 1706. Ponente Eminentiſſimo Colloredo idem pariter reſpondit: & verè cùm ejusmodi res ſint Sacramentalia, gratis debent diſtribui, ut ad rem firmat D. Urſaja *Inſtit. crimin. L. 1. tit. 9. de crim. Simonia. n. 18.* & quoad Regulares ſeverè præcepit Clemens VIII. in Bulla: *Exponi 24. Martii. Anno 1599.* omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ut Olea ſacra iisdem Regularibus in ſuis Diœceſibus promptè & liberaliter exhiberi faciant: idque juſtum & æquum eſt, ut cùm Regulares per ſe teneantur Chriſma & Olea ſacra à Diœceſano petere, hæc etiam illis promptè & alacriter exhibeant ſine ulla pravitate ac renitentia; ſunt enim hujusmodi actus petendi & exhibendi correſpectivi, & una obligatio trahit poſt ſe alteram. Unde ſi Regularium Eccleſiæ ſint Parochiales aut aliàs curam habeant perſonarum ſæcularium, tunc debent eis Chriſma, cæteráque Olea ſacra dari, quæ dantur Parochis ſæcularibus, quia hæc omnia ſunt illis neceſſaria, Chriſma nempe & oleum cathecumenorum pro baptismate, & oleum infirmorum pro extrema Unctione: Regularibus verò nòn Parochis debet dari tantùm oleum infirmorum, ùt advertit Paſſerinus. *l. c. n. 911.* Lezana *V. Oleum ſanctum.* Novar. *in Lucerna Regular. V. eodem.* Card. Petra *l. c. n. 47.* cùm enim

nim eorum Superiores ſint veluti Parochi reſpectu ſuorum Religioſorum, hinc ut poſſint illis adminiſtrare extremam Unctionem, ſolum oleum infirmorum eſt iis neceſſarium, verùm de hoc plura, cùm de extrema Unctione agemus.

55. Secundi generis privilegia ſunt illa, quæ abſolutè, & indefinitè ac ſine ulla reſtrictione concedunt Regularibus poteſtatem petendi S. Chriſma ac cætera Olea ſacra à quocunque Epiſcopo, cujusmodi ſunt iterum plura. Sic enim Zacharias Papa conceſſit in Bulla: *Omnipotenti Deo. 18. Febr. Anno 741.* Abbatibus montis Caſſini, ut pro Chriſmæ acceptione quemcunque poſſint adire Epiſcopum. Idemque indulſit Caliſtus II. in Bulla pariter incipiente: *Omnipotenti Deo. 16. Septemb. Anno 1123* ut liceat Monachis per Cellas Monaſterii Caſſinenſis in civitatibus conſtitutas Chriſma & Oleum S. à quocunque maluerint Epiſcopo Catholico ſuſcipere. Gregorius IV. etiam in Bulla: *quoniam. Anno 835.* dat Abbatibus Monaſterii S. Petri de Peruſio licentiam accipiendi Chriſma & Oleum S. à qualicunque voluerint Epiſcopo: eandemque repetit in favorem dicti Monaſterii de Peruſio Leo IX. in Bulla: *Cùm univerſalis. 9. Martii. Anno 1053.* Joannes XIII. quoque facultatem dedit *24. April. Anno 972.* Monaſterio S. Salvatoris Papienſis Chriſma à quocunque recipiendi Epiſcopo: eandemque dicto Monaſterio S. Salvatoris renovavit Paſchalis II. in Bulla: *Pia. Anno 1100.* ac confirmârunt Caliſtus II. *16. April. Anno 1121.* & Innocentius II. *3. Junii Anno 1133.* Leo IX. conceſſit pariter Monaſterio Farfenſi in Bulla: *Initium ſapientiæ. 11. Decembr. Anno 1055.* ut Chriſma à quolibet Epiſcopo recipere poſſit. Urbanus II. quoque indulſit Ordini ac Congregationi Vallis Umbroſæ in Bulla: *Cùm univerſis. 6. April. Anno 1092.* ut Chriſma & Oleum ſanctum recipere liceat à quocunque Catholico Epiſcopo, qui noſtra fultus auctoritate, quæ poſtulantur, indulgeat. Similiter Innocentius II. in Bulla: *Quemadmodum. 3. Non. Octob. Anno 1133.* Canonicis Regularibus S. Frigdiani poteſtatem fecit, ut Chriſma & Oleum S. à quocunque maluerint Epiſcopo noſtra freti auctoritate ſuſcipiant. Idipſum conceſſit idem Innocentius II. Canonicis Regularibus S. Crucis de Mortario in Bulla: *Officii noſtri. Anno 1134.* & Alexander III. Monaſterio Cavenſi in Bulla: *commiſſa. 30. Januarii. Anno 1168.* Idem Alexander III. Monaſterio de monte Regali in Bulla: *Ex debito. 30. Decemb. 1174.* Lucius III. Monaſterio S. Laurentii de Averſa in Bulla: *Effectum. 18. Martii 1182.* Urbanus III. Ordini Cruciferorum in Bulla: *cùm Anteceſſor. 26. Martii Anno 1187.* Alexander IV. Ordini Camaldulenſium in Bulla: *Officii noſtri 23. Julii. Anno 1258.* Id quod eisdem etiam conceſſit Clemens VII. in Bulla: *Inter multiplices curas. Anno 1529.* &

Cœ-

Cœleſtinus V. Ordini Cœleſtinorum in Bulla: *Etſi cunctos 27. Septemb. Anno 1294.* Ex quibus ſat multis hactenus relatis privilegiis patet, quòd Regulares diverſorum Ordinum, Congregationum, ac Monaſteriorum habeant privilegium abſolutum & indefinitum petendi Chriſma & alia ſacra Olea à quocunque Catholico Epiſcopo. Nec dubium eſt, quin iſtud etiamnum ſubſiſtat, cùm nullibi reperiatur revocatum ne quidem à Tridentino. An verò in eo ſubintret ac locum habeat generalis privilegiorum communicatio, ita ut vi illius Regulares privilegiorum communicationem habentes poſſint Chriſma ac ſacra Olea petere & recipere à quocunque Epiſcopo? dubium facit Card. Petra *l. c. n. 44.* qui negat privilegium hoc communicari aliis. Verùm Lezana *V. Oleum ſanctum quoad Regulares*, Paſſerinus *loc. cit. n. 913.* & alii ab his citati abſolutè tenent, in hoc etiã privilegio locum habere communicationem privilegiorum, quamvis unicum tantùm, ſcilicet illud Cruciferis conceſſum, adducant, tum quia non eſt exorbitans, nec alicujus præjudicii, nec etiam difficilis conceſſionis; ùt patet ex recenſitis ſupra pluribus hujusmodi privilegiis. Neque refert, quòd iſtud privilegium poſt Tridentinum nullibi legatur directè conceſſum Regularibus; nam hoc pluribus eſt commune privilegiis ante Tridentinum conceſſis, quæ per hoc vel alias Conſtitutiones Pontificias nunquam fuerunt expreſsè revocata: cùm enim ponantur etiamnum ſubſiſtere, novâ haud opus habent conceſſione. Quòd ſi dicas: privilegium hoc non amplius eſſe apud Regulares in uſu, cùm plerique ſacra Olea à proprio petant Diœceſano: reſpondeo, id liberè ac ſponte fieri: per actus autem ſpontaneos ac liberos non poteſt induci non uſus; cùm nemo teneatur uti privilegio in ſui favorem principaliter conceſſo; quamvis non deſint multi alii ex Regularibus, qui non à proprio Diœceſano, ſed ab aliis Epiſcopis Chriſma & Olea S. petunt ac recipiunt, ùt ſæpiùs ipſe vidi, & ex propria compertum habeo experentia.

TRACTATUS III.

De

Poteſtate ac jurisdictione quaſi Epiſcopali Prælatorum in Religioſos ſibi ſubditos.

PErpenſis Prælatorum privilegiis, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ad ea progredimur examinanda, quæ ad poteſtatem pertinent ac jurisdictionẽ Epiſcopalẽ vel quaſi Epiſcopalem, ſic dictam, quòd Prælati Regulares ſimilem habeant in ſubditos ſibi Religioſos jurisdictionem, quam habent Epiſcopi in ſuos Diœceſanos. arg. cap. Abbates 3. de privil. in 6. Eſt autem jurisdictio *poteſtas alicujus authoritatem & eminentiam habentis ſuper alios ex munere publico ad eorum regimen & gubernationem*: additur: *ex munere publico*, ut diſtinguatur à poteſtate œconomica, quam habet maritus in uxorem, pater in filiumfamilias, dominus in ſervum, magiſter in diſcipulum; nam hæc privata ſolùm eſt, & non jurisdictio propriè dicta. Alia eſt civilis, alia ſpiritualis ſeu Eccleſiaſtica. Illa eſt poteſtas, quæ data eſt Regibus & Principibus, gubernandi & judicandi in foro civili & temporali, nec non ferendi leges politicas ad bonum communitatis ordinatas. Hæc verò eſt poteſtas Eccleſiæ Miniſtris collata abſolvendi & ligandi in foro ſpirituali, nec non condendi leges Eccleſiaſticas, bonum ſpirituale communitatis Chriſtianæ, id eſt, animarum ſalutem reſpicientes. Hinc jurisdictio Eccleſiaſtica alia dicitur fori interioris, alia fori exterioris. Jurisdictio fori interioris eſt, quæ in tribunali pœnitentiæ vel in foro conſcientiæ non coram Eccleſia, ſed coram Deo exercetur ab habente jurisdictionem ſpiritualem ſeu Jus dicendi ac judicandi homines in cauſis internis & occultis, quæ verſantur inter Deum offenſum & hominem offendentem, confertúrque vel paſtoralis officii ſeu beneficii Canonica collatione, & inſtitutione vel ap-

approbatione Epiſcopi ſeu Prælati ordinarii ad ſedendum & judicandum in foro interno conſcientiæ & Sacramenti pœnitentiæ. Juriſdictio fori exterioris eſt poteſtas ligandi & ſolvendi, quæ conceditur à Vicario Chriſti, concreditúrque in foro Eccleſiaſtico exteriori & contentioſo, & exercetur à Judice conſtituto etiam Eccleſiaſtico (nam laici ſunt incapaces juriſdictionis Eccleſiaſticæ) per abſolutionem & condemnationem rei coram Eccleſia vel pluribus Eccleſiam repræſentantibus factam; eſtque poteſtas hæc mixta, id eſt, partim directiva, partim coactiva, quia coercet quidem delinquentes, ſed non ut lædantur, ſed ut curentur: nec ut perdantur ſed ut corrigantur & crimina, errores, ſchismata, ſcandala, &c. tollantur & extirpentur; qualis eſt poteſtas excommunicationis, aliarúmque cenſurarum ferendarum in peccatores publicos & contumaces, eòsque abſolvendi & reconciliandi, ſi reſipiſcant, & à contumacia recedant. De hac juriſdictione fori exterioris non eſt equidem nobis animus hic quidquam differendi, cùm ea ad Juriſconſultos potius ſpectet conſideranda, quàm noſtræ ſubſerviant intentioni, utpote qui hic ſolùm de privilegiis Prælatorum tractare intendimus; hinc miſſis, quæ ad forum externum pertinent, de ſola hic agemus juriſdictione Prælatorum in foro interno, quæ potiſſimùm conſiſtit in poteſtate reſervandi caſus, abſolvendi ab illis & cenſuris S. P. reſervatis, diſpenſandi in irregularitatibus, irritandi, commutandi, ac diſpenſandi in votis, horis Canonicis, aliisq; legibus Eccleſiaſticis; unde totum hunc tractatum in tres iterùm diſputationes dividemus, quarum 1ma. erit de poteſtate Prælatorum ſibi reſervandi caſus & tum ab his tum à caſibus S. P. tam intra quàm extra Cœnæ Bullam, atque etiam ab hæreſi abſolvendi. 2da. De poteſtate diſpenſandi in irregularitatibus aliisque pœnis Eccleſiaſticis. 3tia. De poteſtate eorumdem irritandi, commutandi, & diſpenſandi in votis, horis Canonicis, aliisque legibus Eccleſiaſticis.

traditione, qua ſe ſuamque voluntatem tranſtulerunt in Religionem & illius Prælatos cum promiſſione & obligatione iisdem obediendi ſecundùm regulam, quam ſunt profeſſi; dicitur autem hæc poteſtas domeſtica, quia ſimilis eſt illi, quam habet paterfamilias in filios, maritus in uxorem &c. œconomica verò, quia vi illius tenentur Prælati adminiſtrare, diſpenſare, ac vindicare bona Monaſterii. Poteſtas jurisdictionis ſive politica eſt poteſtas ſpiritualis & Eccleſiaſtica pertinens ad claves Eccleſiæ à Chriſto Domino immediatè Vicario ſuo S. Pontifici tradita, ac medio illius in cæteros Prælatos derivata; hæc poteſtas proprie conſtituit Prælatum, qua cùm careant Abbatiſſæ, nec verè Prælatæ ſunt nec habent jurisdictionem ad inſtar Prælatorum, quamvis habeant poteſtatem aliquam domeſticam & civilem, qualem habet mater in filias; differt autem poteſtas jurisdictionis à dominativa, quòd hæc ſit purè civilis ac privata ſeque extendat tantùm ad moderatam coercitionem: poteſtas verò jurisdictionis publica eſt & ſpiritualis ad claves Eccleſiæ pertinens, qua præditus gravioribus etiam pœnis animadvertere poteſt in delinquentes ſibi ſubditos; poteſt tamen quandoq; utraque poteſtas etiam quoad eundem actum concurrere; dominativa ſcilicet, ſi Prælatus aliquid præcipiat in virtute obedientiæ, & jurisdictionis, ſi idem ſimul præcipiat ſub pœna ſuſpenſionis aut alterius cenſuræ.

Hæc porrò poteſtas jurisdictionis licèt ſecundùm adæquatam rationem una ſit, in ordine tamen ad varios actus tanquam multiplex concipitur, & ſic multas patitur diviſiones, ex quibus ad intentum noſtrum præcipua eſt in ordinariam & delegatam; ordinaria eſt, quæ alicui competit ex munere proprio ſcilicet ratione officii vel dignitatis, cui à Jure vel à Superiore annexa eſt, *L. more. 5. ff. de jurisdict.* delegata eſt, quæ exercetur non ex munere proprio, ſed præcisè ex alterius ſive Juris ſive hominis commiſſione, quando ſcil. Prælatus habens jurisdictionem ordinariam concedit alicui ſuam auctoritatem ad aliquid faciendum in particulari, vel in communi ad certum genus cauſarum; qui habet ordinariam, poteſt illam tanquam rem propriam & ſuam committere cui & quando voluerit *arg. cap. inter cætera 15. de offic. judic. ordinar.* qui verò habet jurisdictionem tantùm delegatam, cùm illam poſſideat tanquam rem alienam, cujus uſum duntaxat habet, nequit eam amplius delegare, niſi hoc illi expreſsè concedatur vel à delegante vel ab ipſo Jure, quod tribuit ſubdelegandi poteſtatem in duplici caſu: 1mò. cùm delegatus eſt à ſupremo Principe v. g. à S. Pontifice, ut apertè deciditur *cap. Si pro debilitate. 3. cap. Paſtoralis. 28. & cap. fin. de poteſtat. Judic. delegat.* concordat Jus civile *L. à Judice 5. Cod. de Judic. & L. un. ℣. hoc. teneant. Cod. qui pro ſua jurisdict.* idque ob eminentiam po-

poteſtatis Principis, quem ab hoc delegatus repræſentat. Excipitur, niſi à Principe electa ſit induſtria perſonæ delegati, aut nudum tantùm miniſterium ſeu mera executio ſit ipſi à Principe commiſſa, quod ipſum ex verbis reſcripti, & cauſæ commiſſione deſumi debet; quæ ſi ardua ſit & ita gravis, ut à delegato meliùs, quàm ab aliis expediri poſſit, cenſeatur illius induſtria ſpecialiter electa. *cap. Si pro debilitate cit. in fin.* manente verò dubio, præſumptio ſtat pro delegato, atque adeò ſubdelegare poterit. 2dò. Poteſt delegatus ſubdelegare, ſi ſit delegatus ad univerſitatem cauſarum *arg. cap. Cùm Epiſcopus 7. de offic. ac poteſt. Judic. ordinar.* & *L. more 5. ff. de jurisdiction.* ut Vicarius ab Epiſcopo miſſus ad viſitandam ſuo nomine Diœceſin & incidentes cauſas decidendas, poteſt non quidem totam ſuam poteſtatem, ſed tamen unam vel alteram cauſam alicui alteri committere ac ſubdelegare, cùm æquiparetur Judici ordinario. harum defectu conditionum non poſſunt Regulares, licèt à S. Pontifice delegatam acceperint poteſtatem audiendi confeſſiones quorumcunque fidelium, eosque abſolvendi à quibuscunque peccatis etiam S. Pontifici reſervatis & annexis illis cenſuris; eam ulterius ſubdelegare, cùm non ad univerſitatem cauſarum deputati ſint, ſed ſimplex tantùm ac nudum miniſterium pro foro conſcientiæ ac pœnitentiali acceperint, quod proinde per ſeipſos debent exequi, alteri autem neque licitè neque valide committere poſſunt, ut notat Bonagratia V. Prælatus Regularis n. 389. in fin. nec obeſt, quòd à S. Pontifice ſint delegati; nam ab hoc electa eſt induſtria perſonæ. His ita præmiſſis examinandum hic eſt 1mò. An Prælati habeant in Religioſos ſibi ſubditos poteſtatem dominativam? 2dò. An etiam poteſtatem jurisdictionis? 3tiò. An ea ſit ordinaria? 4tò. An etiam quaſi Epiſcopalis. 5tò. An poſſint uti poteſtate abſolvendi & diſpenſandi Epiſcopis per Concilium Tridentinum conceſſa?

Dico 1mò. *Prælati Regulares habent in Religioſos ſibi ſubditos poteſtatem dominativam.* 3

Ita certa Theologorum ac Canoniſtarum ſententia: & patet; quia hoc ipſo, quòd quis in aliqua Religione profiteatur, & obedientiam promittat, abnegat ſeipſum, illique ſe tradit & conſtitutis vel electis Superioribus, ſicque transfert voluntatem ſuam ac dominium proprium, quod ante profeſſionem habuerat, in Prælatos Religionis: ſed abnegando ſeipſum & transferendo voluntatem ſuam ac dominium proprium in Prælatos Religionis, hi acquirunt poteſtatem dominativam in Religioſum profeſſum; per poteſtatem enim dominativam nihil aliud intelligitur, quam Jus acquiſi-

tum

Digitized by Google

tum Religioni atque Prælatis ejus imperandi Religioſis ſuis, eorúmque operibus utendi, prout conveniens judicaverint, ùt jam ſupra explicavimus: ergò Prælati acquirunt, & conſequenter habent in Religioſos ſibi ſubditos poteſtatem dominativam. Hæc ipſa tamen poteſtas non eſt *deſpotica* nec *illimitata.* (*Adde*; Hoc ita intelligendum eſſe, ut ea poteſtas ſit reſtricta ad propriam *Regulam*, id eſt, *ad normam vitæ conſtitutionibus, conſuetudine rationabili, aut tacita voventium intentione* conſtitutam. Obſervat Leſſius *l. 2. de Juſt. c. 41. dub. 9. n. 75.* quòd in nonnullis conſtitutionibus expreſsè præcipiatur obedientia generalis in omnibus, quæ licent. Sic in regulis Minorum cap. 10. præcipitur, *ut obediant in omnibus, quæ non ſunt contra regulam vel animam.* Et in Conſtitutionibus Societatis JEſu, *ut obediant in omnibus, in quibus non cernitur manifeſtum peccatum.* In aliorum Ordinum Conſtitutionibus ea generalitas quidem non exprimitur, manifeſtum tamen eſt, quòd Novitiis in omni rectè gubernato Ordine definiatur ſtatus religioſus tanquam perfectum holocauſtum, quo homo ſacrificat Deo omnia ſua bona, externa videlicet fortunæ per votum paupertatis, & bona corporis per votum caſtitatis, & bona interna renuntiando propriæ voluntati. Si Religioſi tantùm ad aliquos actus determinatos obligarentur, non eſſet eorum obedientia holocauſtum perfectum; neque ex ſuo genere diverſa ab ea obedientia, qua ſe ſubjicit miles duci, ſubditus Principi, ſervus aut mancipium domino, uxor marito, Clericus Epiſcopo, &c. qui omnes ſe ſubjiciunt tantùm ad determinatas ſpecies actionum. Itaq; ut obedientia religioſa ſit perfectum holocauſtum, dignum, quod æquiparetur martirio, aut baptiſmo quoad remiſſionem omnis pœnæ peccatis anterioribus debitæ, ſub qua idea à Novitiis diſcitur, & ſub qua intentione tacitè vovetur, neceſſarium eſt, ut ſe extendat ad omnes actus externos totius vitæ ad acquirendam perfectionem ſuo ſtatui congruam à Superiore præcipiendos. Non video, quomodo perfectio eſſentialis obedientiæ ſtare poſſit ſine hac ſubjectione generali. Ita D. Thomas obſervat *Quodlib. 10. art. 10. ad 3. dicendum, quod per votum obedientiæ Religioſus Prælato ſuo ſupponitur, quantum ad generalem diſpoſitionem vitæ ſuæ, licet non quantum ad omnes actus particulares. Sæcularis autem Prælato ſuo obedire tenetur, quantum ad aliquos actus ſpeciales, non quantùm ad generalem diſpoſitionem vitæ ſuæ.* Et ibid. ad 1. *Votum obedientiæ reſpicit generaliter omnes actus, unde niſi determinaretur ejus generalitas, eſſet religionum confuſio, & omnes ad idem tenerentur.* Quorum verborum alius ſenſus non eſt, quàm quòd in poteſtate Superiorum ſit, omnes actus ſuorum Religioſorum diſponere ad perfectionem eorum ſtatui congruam. Hinc ab obedientia ſubditi, & à poteſtate Superioris

ea

ea ſolùm excipiuntur, quæ perfectionem ſtatui congruam aut manifeſtè tranſcendunt, aut ad eam nullo modo referuntur. Cùm enim alia ſit vocatio ad externam auſteritatem, qualis erat S. Joannis Baptiſtæ, alia ad moderationem externam, qualis erat in Chriſto; alia ad vitam contemplativam ac ſolitariam, alia ad vitam activam, alia ad vitam mixtam; quæ omnes vocationes, licet tendant ad unam communem perfectionem internam, ordinantur tamen à Deo ad diverſos fines extrinſecos, neceſſe eſt, etiam diverſam ad illos fines ordinari normam vivendi externam. Hinc ſi Ordine Canonicorum Prælatus inducere vellet auſteritatem notabilem in victu, veſtitu, jejuniis &c. ſupra eam, quæ in Monaſteriis bene ordinatis ejusdem regionis viget, & cum viribus, ac functionibus ſubditorum judicio prudentum convenit, haud dubiè excederet limites ſuæ poteſtatis. Si verò ſolùm abolet abuſus compotationes v. g. & epulas ſuperfluas &c. ſi introducit octiduana per annum exercitia, ſi urget ſilentium; ſi arcet diſcurſiones &c. nemo profectò ſine transgreſſione voti obedientiæ reſiſtet Superiori. Illud tamen non fruſtra S. Legiſlator inculcavit Superioribus monitum: *Non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem* Non omne, quod ſuggerit poteſtas, probat & charitas; & quod ſæpiſſimè ſuadere videtur charitas, eſt mera laxitas, ſeminans malos, opprimens bonos, religionis decutiens florem, extinquens ſpiritum, provocans iram Dei. Veriſſimum eſt, potentes potenter tormenta paſſuros, ſi in hujusmodi vincibiliter errent, &, ubi devenitur ad ejusmodi delinquendi in bonum commune aut privatum pericula, ſine præmeditatione matura, ſine invocatione Numinis, ſine conſultatione librorum aut proborum præcipitatur ſententia.)

Dico 2dò. *Præter poteſtatem dominativam habent Prælati Regulares in ſubditos ſibi Religioſos etiam poteſtatem jurisdictionis.* 4

Ita communiſſima Authorum. Et probatur. Quia per poteſtatem jurisdictionis nihil aliud intelligitur, quàm poteſtas alicujus authoritatem & eminentiam habentis ſuper alios ex munere publico ad eorum regimen & gubernationem, prout eam cum Molina tr. 5. de Juſtit. Diſp. 2. n. 1. deſcribunt communiter Doctores. Sed Prælati habent hanc poteſtatem. Ergò.

Dico 3tiò. *Jurisdictio, quam habent Prælati Regulares in ſubditos ſibi Religioſos, eſt ordinaria.* 5

Ita

Ita rurſus communis , & fluit ex dictis; nam poteſtas , quæ alicui competit ex commiſſione perpetua & vi muneris proprii ac ratione ſuæ dignitatis & officii , eſt ordinaria , *L. mere 5. ff. de Juriſdict. L. 1. ff. de Offic. ejus , cui mand. eſt Juriſd.* & Panormitan. *in cap. 1. 2. & 3. de Offic. Judic. Ordinar.* & *in cap. Quoniam. ult. de Offic. Delegat.* Navarrus *in Comment. 2. de Regul. n. 63.* & *Comment. 3. n. 40.* Tamburin. *to. 2. Diſp. 1. Quaſ. 4.* aliique communiter : ſed Prælatis Regularibus competit ea poteſtas ex commiſſione perpetua , & vi muneris proprii , ac ratione dignitatis & officii , ùt per ſe patet; ergò eſt ordinaria : tum quia juriſdictio , quæ alicui competit vi conſuetudinis immemorabilis , aut virtute privilegiorum , eſt ordinaria , ùt docent Juriſtæ communiter : ſed Prælatis Regularibus competit juriſdictio vi conſuetudinis immemorabilis , ùt patet , & ſimul etiam virtute privilegiorum vel à Jure vel à SS. Pontificibus conceſſorum ; innumera enim extant privilegia , quæ illis hanc juriſdictionem concedunt in ſubditos ſibi Religioſos , ergò &c. tum quia denique juriſdictio , quæ alicui convenit per electionem Collegii vel Univerſitatis ad officium , eſt ordinaria , Gloſſa *in cap. Cùm Eccleſiarum 3. de Offic. Judic. Ordin. V. Eccleſiaſtica.* Panormitanus *in cap. ſuſpicionis 39. de Offic. Delegat. n. 9.* Sylveſter *V. Prælatus.* Tamburin. *Diſp. 1. quaſ. 4. n. 2.* ſed juriſdictio, quam Prælati Regulares habent , convenit illis per electionem Collegii vel Univerſitatis ad officium Prælaturæ : ergò eſt ordinaria. Ex quo ipſo rurſum ſequitur, juriſdictionem hanc Prælatis Regularibus competentem ab illis poſſe delegari, ùt teſte Tamburino *l. c. n. 3.* communiter fatentur DD. qui in eo ferè conveniunt , quòd poteſtas ac juriſdictio ordinaria delegari poſſit ; quia regulariter quis concedere poteſt , & per alium exercere, quod ſibi proprium eſt juxta *Reg. Jur. 68. in 6.* ubi dicitur : *poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.* Idque procedit non tantùm de Prælatis ſupremis, ſed etiam de immediatis ac localibus , quin etiam de Decanis, Prioribus, ac Vicariis clauſtralibus Monaſteriorum pro eo tempore, quo mortuus eſt Prælatus, aut ab officio amotus vel ſuſpenſus eſt , aut aliàs non adeſt Prælatus; tunc enim & ipſis competit juriſdictio ordinaria , ſaltem ſi iidem non à Prælato tantùm , ſed ab eo ſimul cum Conventu , vel à Capitulo generali creentur ; ſi verò à ſolo Prælato fuerint conſtituti, tunc mortuo aut amoto Prælato, deſinit etiã eorum officium, niſi vel à ſuperioribus , vel à Capitulo & Conventu in eo confirmentur , ùt infra pluribus ex inſtituto explicabitur.

Dico 4tò. *Prælati Regulares non tantùm habent in* 6

ſubditos ſibi Religioſos jurisdictionem ordinariam, ſed etiam quaſi Epiſcopalem.

Sumitur hæc concluſio ex *cap. Abbates 3. de privileg. in 6.* eámque tenent, teſte Donato, unanimiter DD. cum S. Thoma *2. 2. quæſt. 33. art. 7. ad 5.* Navarrus *Comment. 2. de Regular. n. 63. ℣. addo 2dò.* Sayr. *de Cenſur. L. 4. cap. 2. n. 12.* Rodriquez *to. 2. quæſt. 63. art. 4.* & *in ſumm. p. 1. cap. 29. n. 3.* Sanchez *L. 8. de matrim. Diſp. 2.* & *Diſp. 3. concl. 4.* Petrus de Murga *to. 1. Disquiſit. Canonic. tr. 1. Disquiſit. 3.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. Allegat. 105. n. 4.* Aſcanius Tamburin. *to. 1. Diſp. 15. quæſ. 2. n. 4.* & *to. 2. Diſp. 1. quæſ. 5.* Donat. *to. 2. tr. 10. Quæſt. 3.* Andreas à Matre Dei *tr. 18. de privileg. cap. 4. punct. 1.* aliique ab his citati; & ratio eſt: quia qui jurisdictionem habent in ſuos ſubditos ſimilem Epiſcopali, jurisdictionem habent quaſi Epiſcopalem; dicitur enim hæc jurisdictio Prælatorum quaſi Epiſcopalis ſecundùm quamdam proportionem analogam, quia ſimilis eſt Epiſcopali: ſed Prælati Regulares habent in ſubditos ſuos jurisdictionem ſimilem Epiſcopali; cùm in utroque foro ferè omnia poſſint in ſubditos ſibi Religioſos, quæ poſſunt Epiſcopi in ſuos Diœceſanos & Clericos ſibi ſubditos; ſunt enim Prælati Regulares Religioſorum ſuorum veri Paſtores ac Ordinarii, cúmque tales ſint, poſſunt in ſubditos ſibi Religioſos inquirere, cauſas eorum cognoſcere, delicta corrigere & punire, carceris etiam aliisque gravioribus pœnis in eos animadvertere, in contumaces ferre cenſuras &c. *arg. cap. Cùm in Eccleſiis 10. de Major. & Obedient. cap. Ea quæ. 8. de ſtatu Monach. cap. Sicut 33. & ibi Gloſſa V. ſub interminatione. de Simon.* Poſſunt 2dò. ſibi reſervare caſus Religioſorum ſuorum tum de Jure communi, tum ex Decreto Clementis VIII. 3tiò. eosdem à peccatis gravioribus & cenſuris, etiam S. Pontifici reſervatis abſolvere. 4tò. cum eis diſpenſare in votis, in irregularitatibus, in obſervatione Regulæ, abſtinentiis, ac aliis obſervantiis Regularibus. 5tò. litteras dare dimiſſorias ad ſuſcipiendos SS. Ordines, & quæ ſunt alia hujusmodi, quæ ad jurisdictionem Epiſcopalem pertinent, & nonniſi veris Paſtoribus ac Ordinariis competunt. Hæc tamen omnia ſolùm procedunt quoad ſubditos ſuos Regulares, non autem ſæculares, niſi ſeparatum omninò habeant territorium, quod dicitur eſſe nullius Diœceſis, ita ut nec de Diœceſi, nec in Diœceſi alterius ſint, ſed propriam Diœceſin conſtituant, ac per ſe teneant, reſpectu cujus etiam ipſi Diœceſanorum nomine veniunt, quibus ea omnia competunt, quæ poſſunt competere Epiſcopo in ſua Diœceſi, præter ea, quæ ſunt Ordinis.

An

7 An verò Prælati Regulares vi hujus jurisdictionis quaſi Epiſcopalis poſſint uti poteſtate Epiſcopis conceſſa per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 6.* ubi ſic inquit: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare. Et in quibuscunque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoscunque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua, per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, & non eorum Vicariis ſit permiſſum*: quæſtio eſt majoris indaginis digna, utpote à cujus deciſione plures aliæ dependent in ſequentibus pertractandæ; pro qua tamen ſuppono tanquam communiter receptum, nempe Prælatos Regulares de Jure communi eandem habere poteſtatem in ſubditos ſibi Religioſos, quam habent Epiſcopi in ſuos Diœceſanos, proindéque poſſe ſecundùm Jus antiquum illos abſolvere ab omnibus caſibus & cenſuris, à quibus Epiſcopi poſſunt Jure ordinario abſolvere ſuos Diœceſanos, prout docent Rodriquez *QQ. Regular. quæſt. 61. art. 9. in fin.* Joannes à Cruce *de ſtat. Relig. L. 1. cap. 6. dub. 16.* Henriquez *L. 6. cap. 16. n. 8.* & *L. 7. cap. 25. n. 2.* Sanchez *L. 8. de matrim. diſp. 2. n. 13.* Palao *to. 1. tr. 4. Diſp. 4. punct. 3. §. 2. n. 5.* Lezana *to. 1. cap. 18. n. 2. & 31.* Candidus *to. 2. diſq. 13. art. 25. dub. 2. & to. 1. disquiſ. 22. art. 49. dub.* 1. Anton. à Spirit. S. *in Direct. Regul. to. 1. tr. 2. diſp. 1. ſect. 1. n. 23. & 26.* Donatus *to. 2. tr. 10. quæſt. 7.* & alii plures quos refert & ſequitur Andreas à Matre Dei *to. 2. tr. 10. cap. 2. punct. 6. n. 71.* item Diana *part. 7. tr. 2. Reſ. 4.* Quo ſuppoſito

Dico 5tò. *Prælati Regulares poſſunt quoad ſubditos ſibi Religioſos uti poteſtate diſpenſandi ac abſolvendi Epiſcopis per Concilium Tridentinum dicto capite 6to. conceſſa.* 8

Concluſio hæc miſſis aliis argumentis probatur potiſſimùm ex privilegio Pii V. S. P. quod incipit: *Romani Pontificis.* 21. *Julii Anno* 1571. conceſſum, ubi ſanctus hic Pontifex nolens eſſe deterioris conditionis ſubditos Prælatorum Regularium, quàm Epiſcoporum, idipſum Prælatis eorum conceſſit reſpectu ſuorum ſubditorum, quod Concilium Tridentinum conceſſerat *ſeſſ. 24. cap. 6.* Epiſcopis reſpectu ſuorum ſubditorum his verbis: *Et inſuper quia ſacrum Oecumenicum generale Concilium Tridentinum conceſſit Epiſcopis, ut abſolvere poſſint in foro animæ ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ.*

Digitized by Google

24. cap. 6. habetur: Ne Prior Conventualis, & ſuperiores Prælati (ſcilicet S. Dominici, & per communicationem, aliorum Ordinum Prælati) *tam in dicta Provincia, quàm extra eam ubilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici & ſæculares exiſtant, eisdem Priori Conventuali, & ſuperioribus Prælatis, ut ipſi per ſeipſos idem omninò poſſint in fratres & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos quoad abſolvendi & diſpenſandi hujusmodi, quàm alias quascunque facultates eadem auctoritate & tenore, perpetuò concedimus, indulgemus & etiam declaramus.* Ex quo privilegio & aliis, quæ Authores ſupracitati fusè congerunt, ſatis patet, quòd Prælati Regulares habentes communicationem privilegiorum cum Dominicanis, qualem Canonicos Regulares habere ex privilegiis Julii II. & III. alibi fusè demonſtravimus, ſubditos ſuos Religioſos abſolvere ab omnibus caſibus & cenſuris, & cum eis diſpenſare poſſint, ſicut poſſunt Epiſcopi reſpectu ſuorum Diœceſanorum de Jure ordinario; quod ipſum confirmari poteſt ex alio privilegio Canonicis Regularibus ab Eugenio IV. *Florentiæ 23. Julii Anno 1439.* per ſimplicem ſignaturam conceſſo, in quo eisdem dat facultatem *audiendi omnes utriusque ſexus fideles ubique conſiſtentes aut ad ſe venientes, & eos pœnitentia & ſatisfactione injunctis quoties oportuerit abſolvendi ab omnibus & ſingulis peccatis, & à quibuscunque ſuſpenſionum & excommunicationum ſententiis, aliisque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis, quas à Jure vel ab homine latas incurriſſe quomodolibet cenſebuntur, prout locorum Epiſcopi & Ordinarii ex ordinaria jurisdictione poſſunt, ac in omnibus & ſingulis caſibus & votis diſpenſare.* Jam verò ſi taliter poſſunt diſpenſare ac abſolvere omnes Chriſti fideles, ſicut ex ordinaria jurisdictione poſſunt Epiſcopi, non eſt ratio cur non etiam Religioſos, cùm iſti in omnibus Chriſti fidelibus includantur, & in eos longè majorem habeant jurisdictionem, quàm in cæteros utriusque ſexûs fideles. Verùm hæc omnia magis eluceſcent ex dicendis in particulari.

Sectio II.

De poteſtate Prælatorum reſervandi caſus, & ab illis abſolvendi.

9 INter præcipuos actus jurisdictionis ordinariæ & quaſi Epiſcopalis, quam Prælatos Regulares habere diximus, eſt vel maximè poteſtas reſervandi caſus, & ab iis abſolvendi: Caſus autem reſervati dicuntur graviora quædam peccata, à quibus inferior Confeſſarius, etſi cæteroquin poteſtatem habeat audiendi confeſſiones fidelium, ne-

quit

Digitized by Google

quit abſolvere ob defectum jurisdictionis ſibi à ſuperiore reſtrictæ in ordine ad certa peccata. Unde reſervatio caſuum eſt actus jurisdictionis, quo ſuperior inferiori vel non concedit jurisdictionem in certa quædam peccata, vel jam antea conceſſam iterum auffert. Introducta eſt ab Eccleſia jam ab antiquis temporibus, tum ut fideles à gravioribus peccatis abſterreantur, dum prævident difficultatem obtinendæ abſolutionis, & ex hac ipſa difficultate & neceſſitate adeundi ſuperiorem quaſi frœno coerceantur: tum ut melius in interno animæ foro dirigi, & eorum vulneribus efficacius adhiberi poſſit remedium: ex quo tamen haudquaquam ſequitur, quòd hanc ex confeſſione hauſtam notitiam transferre liceat ad externum regimen, ùt plures perperam autumabant. Peccata porrò, quæ reſervari poſſunt, debent eſſe ex genere ſuo mortalia; venialia enim, cùm non ſint materia neceſſaria confeſſionis, inutiliter reſervarentur, eo quòd aliis poſſint expiari mediis. Requiritur prætérea, ut ſint conſummata in genere ſuo, nec ſufficit fuiſſe attentata, aut intenta; tum quia ubi à Jure imponitur pœna pro delicto, nunquam tamen ea infligitur, niſi delictum ſit conſummatum ex *Can. Hac autem. 17. de pœnit. diſtinct. 1.* & *Leg. Hoc editum 1, §. hoc autem. ff. Quod quisque Juris*: tum quia verba legis accipienda ſunt cum effectu *cap. Relatum. 4. de Cleric. non reſident.* & hinc licèt quis intendat aut attentet fornicari, niſi tamen actu fornicetur, non incurrit caſum reſervatum, quando fornicatio eſt reſervata, niſi aliud exprimatur. Debent etiam eſſe externa; quamvis enim reſervari quoque poſſint peccata interna, quia eo ipſo, quòd ad hæc etiam peccata remittenda neceſſaria ſit jurisdictio, poteſt Eccleſia eam non conferre, ſed ſubtrahere circa talia peccata, defacto tamen non ſolet niſi externa tantùm reſervare, ùt cum multis docet Palao *tr. 23. diſp. un. punct. 15. §. 1.* tum quia imponendo hujusmodi reſervationem, intendit punire gravem culpam, cujus gravitas ſit perceptibilis ac proinde externa: tum quia peccata interna non valdè officiunt ſpirituali Eccleſiæ regimini, nec ei gravia inferunt damna: tum quia ſunt valdè frequentia, & conſenſus in ea ſæpè dubius; atque hinc requirunt etiam Authores communiter, quos citat & ſequitur Averſa, *quæſt. 17. ſect. 2.* quòd peccatum debeat eſſe certum, & conſequenter ſi dubium ſit, an ſit reſervatum, an mortale, non cenſeatur reſervatum: tum quia ob dubiorum identidem occurrentium multitudinem Sacramentum pœnitentiæ & Confeſſariis redderetur nimis oneroſum, & pœnitentibus fieret odioſum ac graviſſimum: tum quia reſervatio cùm ſit odioſa, ſtrictè interpretanda eſt, ac reſtringenda potiùs, quàm amplianda.

10 Cæterùm dari in Eccleſia poteſtatem reſervandi caſus, quæ reſtringere poſſit jurisdictionem inferioris Confeſſarii, ita ut nec licitè nec validè queat abſolvere pœnitentem à caſu reſervato, certum eſt ac definitum à Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7. Can. 11.* ubi anathemate ferit, ſi quis dixerit, Epiſcopos non habere Jus reſervandi caſus, niſi quoad externam politiam; idque confirmatur uſu antiquorum Patrum & praxi totius Eccleſiæ, ac probari quoque poteſt ratione: quia per reſervationem caſuum hoc loco nil aliud intelligitur, quàm limitatio jurisdictionis inferioribus commiſſæ Sacerdotibus, ita ut ab aliquibus peccatis nequeant abſolvere in Sacramento pœnitentiæ: ſed Prælati ſuperiores poſſunt ita limitare jurisdictionem inferiorum Sacerdotum, nec tantùm illorum, quibus eam ipſi delegant, ſed etiam eorum, qui ordinariam quidem habent, dependentem tamen ac ſubordinatam ad ipſos ſuperiores, ergò &c. Hæc autem poteſtas principaliter reſidet in S. Pontifice tanquam univerſali totius Eccleſiæ Epiſcopo, qui proinde reſervare poteſt quæcunque peccata gravia & quidem pro univerſa Eccleſia, prout ipſi viſum fuerit utile ad rectam illius gubernationem, qualia ſunt plurima tum in Bulla Cœnæ, tum in aliis Conſtitutionibus Pontificum relata. Eandem caſus reſervandi poteſtatem obtinent Epiſcopi quoque pro ſua quisque Diœceſi, quos tamen monet Concilium Tridentinum *cit. cap. 7.* ut ea utantur non in deſtructionem, ſed in ædificationem, itáque moderentur, ut peccatores quidem deterreant à gravioribus delictis bono communi magis pernicioſis, ſed tamen non abſterreant pœnitentes à tam neceſſario Sacramento, eisque præbeant anſam ſacrilegè confitendi; unde docent Authores communiter, Epiſcopos graviter peccare, ſi indiſcretè nimis & irrationabiliter peccata quædam reſervarent, cùm id non in ædificationem & utilitatem ſubditorum cederet, ſed in deſtructionem ac damnum, contra debitum officii proprii: valituram tamen ejusmodi reſervationem ſaltem illorum reſpectu Confeſſariorum, quibus ipſi voluntariè jurisdictionem delegant defendunt Suarez *Diſp. 29. ſect. 4.* Coninck. *diſp. 8. dub. 11.* Averſa *quæſt. 17. ſect. 1.* Bonacina *diſp. 5. quæſt. 7. punct. 5. §. 2.* & plurimi alii, quos congerit Leander *Diſp. 12. quæſt. 19.* Major difficultas eſt quoad Parochos, & eos qui ordinariam habent jurisdictionem, in qua validam quoque fore hujusmodi reſervationem affirmant Sylveſter *V. Confeſſ. 1. qu. 3.* Suarez. *cit. Diſp. 29. ſect. 4.* & alii; quia jurisdictio Parochorum omnimodè ſubordinatur Epiſcopo, & ex verbis Concilii Tridentini ſuprarelatis plus evinci non poteſt, quàm quòd talis indiſcreta ac irrationabilis reſervatio illicita ſit, non verò, quòd etiam invalida ſit. Verùm Sotus, Richardus

Digitized by Google

dus & alii, quos citat & ſequitur Leander *cit. Diſp. 12. quæſt. 19.* cenſent, talem reſervationem eſſe nullam ac irritam ex ratione: quia non poteſt Epiſcopus pro libitu ſuo Parochum privare officio ſuo, ſed tantùm ex cauſa canonica: ergò neque poteſt pro libitu illi auferre jurisdictionem ad exercendum officium ſuum neceſſariam. (*Adde*; hanc ſecundam ſententiam eſſe prorsùs improbabilem, quia eſt contra perpetuam traditionem Eccleſiæ, prout poſſet oſtendi) An verò Prælati Regulares hanc quoque habeant caſus reſervandi poteſtatem reſpectu ſuorum Religioſorum, hìc præcipuè venit examinandum ac decidendum. Unde

11 Dico 1mo. *Prælati Regulares habent poteſtatem reſervandi Religioſorum ſibi ſubditorum caſus.*

Ita deſumitur ex continuo uſu & praxi Eccleſiæ, tum ex Decreto Clementis VIII. de caſuum reſervatione *26. Maji Anno 1593.* edito, in quo cùm Prælatis hanc poteſtatem reſtringat, & certos præſcribat, quos ſibi reſervare poſſint caſus, eo ipſo ſupponit, eam illis competere: unde communiter docent Authores cum Navarro *in ſumm. cap. 27. n. 5.* Graff. *in practica caſuum reſervat. cap. 2.* Donato *to. 2. tr. 10. quæſt. 23.* poteſtatem reſervandi caſus convenire Prælatis Regularibus de Jure communi; & ratio eſt: quia omnibus illis competit poteſtas reſervandi caſus, qui in ſubditos habent in foro interno jurisdictionem ordinariam, eámque aliis poſſunt delegare: atqui Prælati Regulares habent in ſubditos ſibi Religioſos jurisdictionem ordinariam in foro interno, eámque poſſunt aliis delegare: ergò competit etiam illis poteſtas reſervandi caſus. Nec obeſt Tridentinum, quòd inter eos, qui caſus reſervare poſſunt, ſolùm nominaverit Epiſcopos, nulla facta mentione Prælatorum Regularium; nam Epiſcoporum nomine hìc veniunt omnes illi, qui jurisdictionem habent quaſi Epiſcopalem; actus enim reſervandi eſt actus jurisdictionis, non autem Ordinis Epiſcopalis, nec dependet à charactere Epiſcopali, unde omnibus competit, qui jurisdictionem habent quaſi Epiſcopalem. Quibus omnibus accedit univerſalis omnium Religionum conſuetudo confirmata & approbata à SS. Pontificibus, præſertim Alexandro VI. in Bulla: *Intelleximus. 24. Julii data Anno 1501.* & Clemente VIII. in citato ſuprà Decreto. Id quod ſæpiùs etiam expoſcit rectum Monaſteriorum regimen, ſalus animarum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervatio, ut nempe à gravioribus criminibus ſaltem retrahantur difficultate obtinendæ abſolutionis, pro qua ad ipſum Prælatum ſibi recurrendum prævident, qui non moventur nec amore ſupernorum, neque metu in-

inferorum: ita enim nonnunquam ſolent in Monaſteriis ex humana perverſitate adoleſcere crimina, eáque atrocia ac nefanda, ut rectum omninò perturbent Ordinem, tum ob graviſſima, quæ cauſant ſcandala, tum ob maximam, quam aliis afferunt perniciem, niſi ejuſmodi malis occurratur mediis extraordinariis.

22 Hanc ipſam tamen caſus reſervandi poteſtatem plurimùm reſtrinxit, & ad undecim duntaxat caſus reduxit dictus Clemens VIII. in præfato ſuo Decreto, quod ita habet: " Sanctiſſimus Dominus noſter, qui jam pridem accuratè perpendit, & reipſa comperit, quòd reſervatio facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes à peccatis gravioribus quibuſdam, niſi ſuperiores admodùm prudenter & moderatè illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum ſuperiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedii deſperationem. Quocirca ut huic malo Sanctitas ſua opportunè provideret, decrevit, ut nemo ex Regularibus ſuperioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ ſequuntur, aut omnibus aut eorum aliquot, prout ſubditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint: 1. Veneficia, incantationes, ſortilegia, 2. Apoſtaſia à Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii ſive Conventûs fiat egreſſio. 3. Nocturna & furtiva è Monaſterio ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Juramentum falſum in judicio Regulari ſeu legitimo. 6. Procuratio, auxilium ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. 7. Falſificatio manûs aut ſigilli Officialium Monaſterii aut Conventûs. 8. Furtum de rebus Monaſterii ſeu Conventûs in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. 9. Lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus. 10. Occiſio aut vulneratio ſeu gravis percuſſio cujuſcunque perſonæ. 11. Malitioſum impedimentum aut retardatio aut apertio litterarum à ſuperioribus ad inferiores aut ab inferioribus ad ſuperiores. Si quod aliud peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura diſcuſſione & conſenſu -- &c. &c. " Atque ita per quoſcunque Regularium ſuperiores, quicunque illi ſint, obſervari mandavit: non obſtantibus

Con-

Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac cujusvis Concilii etiam Generalis decretis: nec non conſuetudinibus ab immemorabili etiam tempore obſervatis: aut regulis in Generalibus ſeu Provincialibus Capitulis editis, ſtatutis & Conſtitutionibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis: privilegiis, indultis, & conceſſionibus quibuscunque; quorum tenores hic pro expreſſis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, die 26. Maji. Anno 1593. Andreas Sorbolongus Secret viſitationum. Circa hanc autem caſuum reſervationem advertit Tamburinus *to. 2. D. 13. quaſ. 2. n. 7.* quòd ea clarè & diſtinctè facienda ſit à Prælato; nam illi tantùm caſus reſervati dicuntur, qui juxta diſpoſitionem Juris communis, ſervata vocabuli proprietate, comprehenduntur in littera, non autem per Doctorum extenſionem, quia cùm reſervatio odioſa ſit, & pœnæ ſint reſtringendæ, & favores ampliandi, hujusmodi reſervatio non juxta extenſionem aut verba à Prælato inventa, ſed ſecundùm litteram eſt facienda: quia niſi caſus ad mentem præcipientis exprimatur, pro nihilo reputatur, ac omiſſus relinquitur diſpoſitioni Juris communis *L. Si dote. ff. ſolut. matr. in princ.* Unde opus eſt, ut iisdem ac propriis referatur verbis, quibus à præcipiente S. Pontifice fuit reſervatus atque expreſſus: in qua expreſſione ne contingat aliquis error, demandanda erit in ſcriptis, eo fermè exemplo, quo præcipitur.

Pro meliori porrò horum caſuum intelligentia notandum, & quidem pro primo caſu, quòd illud dicatur veneficium, quo quis ope dœmonis damnum infert aliis vel in perſona vel in rebus, quod ipſum etiam extenditur ad utentes operâ dœmonis pro repellendis morbis; requiritur autem, ut veneficium fuerit opere completum: unde non incurrit hunc caſum, qui tantùm habet deſiderium aut etiam firmā intentionem faciendi veneficium, ſed externè non fecit: imò etiamſi internè peccet mortaliter, & externè ſolùm venialiter: nec eundem incurrit, qui tantùm attentat facere, aut etiam media ad facienda veneficia jam paravit, ſed reipſa nullum eſt ſecutum; quia hìc non reſervatur attentatio, ſed ipſum maleficium, quod debet eſſe peccatum conſumatum. Incantatio eſt impius uſus certorum verborū aut ſignorum, ad implorandā ac obtinendā dœmonis operam pro effectu mirabili & extraordinario faciendo: ſumitur etiam incantatio pro maleficio reddente aliquem ſtolidum & inſenſatum. Sortilegium eſt divinatio per ſortes ope dœmonis facta, qua quis illius opem tacitè vel expreſsè invocat, ut noſcat res contingentes, & liberè futuras, aliterve occultas & naturaliter incognoſcibiles; hunc caſum incurrunt omnes, qui utun- 13

tur medio impertinente ac improportionato ad divinandum ac prædicendum futura. Pro ſecundo caſu notandum, quòd apoſtaſia propriè ſit retroceſſio Religioſi à ſua Religione ſine licentia cum animo ad eam amplius non redeundi, ex quo ſequitur animum & voluntatem non redeundi requiri eſſentialiter ad apoſtatam propriè talem conſtituendum, per quod differt à fugitivo, qui à ſuo Monaſterio vel Religione recedit, vel ut promeritam evadat pœnam ac regularem declinet diſciplinam, vel ut liberiùs vagari poſſit, ſine animo tamen relinquendi ſtatum religioſum, qui proinde huic non ſubjacet caſui: parùm autem aut nihil omninò hìc facit, ſive apoſtata retineat habitum ſive non, cùm id in præſenti caſu conſideretur ùt quid accidentale, ùt patet ex verbis S. Pontificis, quamvis cæteroquin diſputent AA. an ad conſtituendum verum apoſtatam requiratur dimiſſio habitûs religioſi. Major eſt controverſia, quid hìc intelligatur per ſepta Monaſterii? in qua miſſis aliorum opinionibus mihi præplacet ſententia Tamburini *to. 2. D. 13. quaſ. 2. n. 16.* docentis, per ſepta Monaſterii intelligi totum Monaſterii circuitum, in quo comprehenditur hortus, nemus, villa Monaſterio annexa, quando tamen in illis fit ordinaria deambulatio absque Superioris licentia; imò etiamſi in aliquem ex dictis locis absque licentia Superioris deambulari non poſſit propter aliquam cauſá ac motivum, non tamen incideret in hunc caſum reſervatum, quamvis ita deambulando contra præceptum Superioris peccaret, modò dictus locus intra Monaſterii circuitum contineatur, quod etiam docet Fagundez *in 2. præcept. L. 8. c. 4. n. 1.* Qualis autem ac quantus debeat eſſe receſſus à Monaſterio? rurſùs non conveniunt AA. dum aliqui nimis arctè eundem ad unum alterumve paſſum reſtringunt: alii id definiendum putant à viro prudente & diſcreto Confeſſario: verùm probabiliùs docet Bordonus *hìc n. 7.* cùm Pellizario *to. 2. tr. 6. cap. 1. n. 22.* egreſſum è Monaſterio per aliquot paſſus non ſufficere ad contrahendam reſervationem, aut cenſuram, ſi illi ſit annexa; quia peccatum externum in ratione apoſtaſiæ non eſt conſummatum, cùm brevì reverſus aut reverſurus non dicatur receſſiſſe *arg. Can. Divortium 21. diſt. 1. de pœnitent.* plura pro hac benigniori ſententia videri poſſunt apud Bordon. l. c. Pro tertio caſu notandum, quòd ad incurrendum hunc caſum requiratur talis egreſſio, quæ pertingat ad peccatum mortale ſive ob malum finem ſive ob aliam cauſam graviter peccaminoſam, unde quæ in hac materia excuſant à peccato mortali, excuſant etiam à reſervatione. *Per egreſſionem* porrò *è Monaſterio* intelligitur egreſſus extra Monaſterium ſive extra portas claudentes Monaſterium de nocte & dormitoria Religioſorum, etiamſi non egrediatur extra ſepta ſeu extra

totum recinctum ſeu ambitum Monaſterii; quia Conſtitutio Pontificia diſtinguit inter egreſſum factum animo apoſtatandi, & inter nocturnam egreſſionem absque tali animo apoſtatandi: in hac autem egreſſione nocturna non dicitur *extra ſepta Monaſterii*, ſed *è Monaſterio*; ex quo ſequitur, quòd egrediens extra portas claudentes Monaſterium de nocte, dicatur egredi de Monaſterio, quia magis videtur reſtrictiva talis egreſſio nocturna, in hoc tertio caſu prohibenda & reſervanda, quàm ſuperior egreſſio reſervanda in ſecundo caſu, prout cum Laur. de Peyrin. *to. 2. de Præl. Reg. q. 3. c. 2. n. 40.* tradit Tamburinus *n. 21.* Præterea requiritur, ut hæc egreſſio ſit nocturna ſimul & furtiva: quæ duæ conditiones requiruntur copulativè, non autē diviſivè tantùm aut disjunctivè, ita quidem, ut alterutra deficiente, caſus non ſit reſervatus: atque adeò furtiva egreſſio reſervata non eſt, niſi etiam ſit nocturna, nec nocturna reſervata eſt, niſi ſit furtiva. Ad hoc autē ut ſit nocturna, non ſufficit, quòd fiat in crepuſculo diei aut noctis; quia juxta communem loquendi modum non dicitur nox, niſi ſint tenebræ, & lux totaliter receſſerit: atqui in crepuſculo neque ſunt tenebræ, neque lux totaliter receſſit; per crepuſculum enim intelligitur totum illud temporis ſpatium, quo hæmiſphærium noſtrum ita eſt illuminatum, ut res absque alio lumine inter ſe poſſint diſcerni, ſive ſit ante ſolis ortum, ſive poſt ſolis occaſum, quod communiter per integram horam cœlo ſaltem ſereno fieri contingit, quale tempus propriè neque ad noctem neque ad diem pertinet. Si quis igitur egrediatur in crepuſculo diei vel noctis non incurrit hunc caſum reſervatum; nam verſamur in materia odioſa, in qua verba ſtrictè ſunt accipienda, & interpretatio ſecundùm rigorem Juris facienda eſt: durantibus autem crepuſculis in ſtricto ac rigoroſo ſenſu necdum eſt nox, unde ne in dubio quidem, an ſit nox an verò crepuſculum, cenſendus eſt incidiſſe in hunc caſum. Per egreſſionem furtivam intelligitur egreſſus è Monaſterio absque licentia Prælati nec tacita nec expreſſa factus: an etiam ſufficiat vi & metu extorta? diſſident AA. negat Suarez *to. 4. L. 2. c. 16. n. 5.* quem alii ſequuntur; quia talis licentia eſt injuſta, ac nulla, & conſequenter nihil operatur; affirmat econtra cum aliis Tamburinus *l. c. n. 19.* quia licèt extorta hujusmodi licentia ſit iniqua, non tamen eſt furtiva; cùm in rei veritate ſit licentia, & propter annexam iniquitatem non amittat rationem licentiæ. Ad hæc requirunt multi ad hanc furtivam egreſſionem, ut ſit clandeſtinè & occultè facta: unde non incurrere hunc caſum dicunt, qui egrederetur nocte è Monaſterio ſcientibus tamen ac videntibus aliis, qui non ſunt complices delicti; quia per tò *furtivum* ſæpiùs in communi modo loquendi intelligi-

tur id, quod fit occultè ac clandeſtinè, quemadmodum hic etiam ſumi videtur: licèt igitur talis egreſſio fiat ſine licentia, non tamen fit furtivè ſeu clandeſtinè.

14 Pro quarto caſu notandum, quòd Religioſus tunc committat peccatum proprietatis, quando aliquid celat Prælato ſuo, vel tenet contra illius voluntatem: unde licèt in rigore peccatum quodlibet contra paupertatem dici poſſit proprietas, hic tamen per proprietatem intelligitur, quòd Religioſus aliquid teneat contra voluntatem Superioris occultè; quantum enim ad pœnas Juris ſic intelligi ſolet ab Authoribus: cùm igitur hic verſemur in pœnalibus, etiam ſic intelligi debet in præſenti; quæ autem in hoc caſu excuſant à mortali vel ratione licentiæ, vel ratione parvitatis materiæ, vel ratione iminentis neceſſitatis indiſpenſabilis, excuſant etiã à reſervatione. Pro quinto caſu notandũ, quòd ad hunc incurrendum rurſùs duo requirantur copulativè, quòd nempe falſum fiat juramentum à Religioſo, & quòd illud fiat in judicio regulari ac ſimul legitimo. Atque adeò qui jurat falſum extra judicium, non incurrit hunc caſum: nec qui jurat falſum in judicio quidem ſed quod non eſt regulare. Illud autem judicium hic dicitur regulare, quod fit coram Judice competente reſpectu Regularium: qualis eſt quivis Prælatus, qui in eos habet juriſdictionem ordinariam vel ſaltem delegatam. His accenſet Bordonus hic n. 6. quemvis alium Judicem habentem Jus interrogandi Regulares, quales ſunt Ordinis Protector, Legatus S. Pontificis, Epiſcopus quoad non exemptos, aut quilibet alius, qui citare legitimè poſſit ad ſuum tribunal Religioſos. Unde patet, quòd juramentum falſum coram Judice ſæculari factum non poſſit reſervari; cùm non ſit competens reſpectu Regularium. Requiritur præterea, ad hoc, ut falſum juramentum in judicio regulari factum ſit caſus reſervatus, quòd Judex competens legitimè interroget, ſervata nempe Juris forma & ordine; quare interrogatus etiam in judicio regulari, contra ordinem tamen ac formam Juris, licet graviter peccet ſi pejeret, non tamen incidit in caſum reſervatum; quia S. Pontifex requirit expreſsè judicium legitimum, quale non eſt, in quo præſcripta Juris forma non ſervatur. Pro ſexto caſu notandum, quòd ad eum incurrendum requiratur, quòd quis voluntariè adhibeat medium aliquod ad ejiciendum præmaturè fœtum jam animatum, etſi non contingat effectus, nec ſequatur abortus. Idem autem eſt ſive quis procuret, ſive auxilium ferat, ſive conſilium det ad faciendum abortum: hi omnes enim indiſcriminatim nominantur ac comprehenduntur in Conſtitutione Pontificia. Nomine autem procurantis vix dubium eſt, quin veniat etiam mandans, etiamſi de eo in decreto nulla fiat expreſſa mentio; qui enim facit per alium, perin-

perinde eſt ac ſi faciat per ſeipſum *Reg. Jur. 72. in 6.* Auxilians verò ad abortum incurrit hunc caſum omnibus illis modis, quibus procurans, ut ſi doceat modum procurandi abortum, paret herbas ac medicamenta, coquat ac porrigat potionem, aut alio conſimili modo ad illum ſcienter cooperetur, conſulens denique tunc incurrit hunc caſum, quando illius conſilium efficaciter influit ac movet ad procurandum abortum, etiamſi mulier per ſe jam inclinet ad illum, modò non ſit determinata, quia tunc ſaltem eſt cauſa partialis abortûs: non tamen illum incurrit, ſi mulier jam ſit reſoluta, tali enim caſu non amplius influit ſaltem efficaciter. Requiritur etiam ad hunc caſum incurrendum, ut abortus cauſetur voluntariè, ex intentione ſcilicet illum procurandi; nam ſi is ſequatur caſualiter, non incurritur: quia procuratio abortûs eſt reſervata juxta terminos Conſtitutionis Sixti V. quæ incipit: *Effrœnatam. 28. Nov. Anno 1588.* hæc autem expreſsè loquitur de abortu voluntario, non verò de caſuali. Requiritur præterea ut fœtus ſit animatus anima rationali, quemadmodum ex ipſis Conſtitutionis clementinæ verbis ſatis patet: quòd ſi necdum ſit animatus anima rationali, licèt procurans abortum fœtus inanimati graviſſimè peccet, non tamen incurrit hunc caſum, ſicut nec illum incurrit, qui ſterilitatem procurat; quia in caſibus reſervatis utpote odioſis ac pœnalibus non eſt facienda extenſio ab uno ad aliud crimen non expreſſum, etiamſi gravius foret, præſertim cùm verba Conſtitutionis Pontificiæ expreſsè requirant, fœtum eſſe animatum & quidem anima rationali, de hac enim intelligendus eſt loqui S. Pontifex, quemadmodum etiam illum taliter intelligunt Authores. Quando autem fœtus ſit animatus anima rationali, nil certi poteſt ſtatui, ipſis etiam Phyſicis ac Medicis inter ſe pugnantibus: communiter tamen reputatur fœtus animari quadrageſimo poſt conceptionem die, eamque ſententiam ex ſtylo S. Pœnitentiariæ confirmat Lezana *V. abortus.* & in foro conſcientiæ tenendam conſulit Tamburinus *to. 2. D. 13. quæſ. 2. n. 34.* Videri poteſt Diana *p. 7. tr. 5. reſol. 24.* Delbene *de immunit. Eccl. c. 2. D. 4. S. 20. à n. 16.* & alii: ubi etiam advertendum, quòd nullo unquam caſu liceat procurare abortum fœtûs animati, etiamſi puellæ immineat mors, aut graviſſima, toti etiam communitati, infamia, cùm non liceat occidere innocentem: ſed neque licet procurare abortum fœtûs inanimati, ùt patet ex propoſitione 34. & 35. ab Innocentio XI. damnata; qua de re plura videri poſſunt apud Cardenas ad eaſdem propoſitiones *Differt. 22.* & apud AA. ab ipſo citatos.

Pro ſeptimo caſu notandum, quòd nomine Officialium Monaſterii veniant omnes & illi ſolùm, qui 15

in Monaſterio habent jurisdictionem aut aliquam adminiſtrationem perſonarum ac bonorum Monaſterii, quales in duplici ſunt differentia; alii enim ſunt Officiales cum jurisdictione & adminiſtratione, ùt ſunt omnes Prælati ac Superiores: alii ſunt Officiales cum adminiſtratione tantùm, ùt ſunt Vicarii, Procuratores, Cellerarii, & quicunque aalii, qui habent Jus ſubſcribendi ſcripturam publicam, eamque proprio ſignandi ſigillo, ut eidem adhiberi poſſit fides. Per Officiales autem hujusmodi ſolùm intelliguntur Officiales Religioſi, non item ſæculares, quibus juxta ſtatuta Religionum conceditur ſigillum particulare non quidem ratione perſonæ privatæ, ſed publicæ & muneris, quod tales Religioſi obeunt. Porrò nomine manûs Officialium intelligitur ſcriptura pertinens ad eorum officium, uti ſunt libri Ratiociniorum, Miſſarum, Computorum, aut alterius generis ſcripturæ ad officium pertinentes. Nomine verò ſigilli venit ſignaculum illud, quo utuntur Superiores, aliique Officiales ad obſignandas litteras, & ſignandas patentes, ut illis adhibeatur fides. Supponit autem hìc Pontifex, Officiales habere propria ſigilla, diverſa ab illis, quibus communiter utuntur Religioſi privati; quòd ſi hoc alicubi non verificetur, ſed eodem omnes Religioſi ſigillo aut ſaltè ſimili utantur, falſificans tale ſigillum non incurrit hunc caſum, quia cùm id ponatur omnibus commune eſſe, non habet authoritatem publicam, nec ex hoc infertur injuria Religioni nec violatur fides publica: nec illum incurrit, qui ſuratur aut fabricat ſigillum Officialis animo falſificandi illius litteras, niſi etiam ſequatur malus uſus; tunc enim primùm propriè verificatur falſificatio. Tandem falſificationem manûs aut ſigilli Officialium de rebus non pertinentibus ad Monaſterium, ſed ad perſonas eorum privatas ac materialiter ſumptas non cadere ſub hoc caſu reſervato, certum omninò putat Petrus Brencola *Reſolut. Miſcell. cap. 3. n. 28.* cum aliis; quia odia debent reſtringi, & verba ſumi formaliter, non materialiter: addit Tamburinus *hìc. n. 44.* neque hoc caſu comprehendi, qui reſpectivè ad prædicta conſulunt ad hujusmodi falſificationem & falſam conſignationem, licèt ex his damnum graviſſimum ſequeretur, idemque dicendum putat de auxiliante, ſuadente, aut etiam præmia ſic falſificantibus largiente ſeu promittente; cùm hi tales in caſu non exprimantur in caſu poſito, acproinde cùm reſervatio ſit odioſa, ad illos extendenda non ſit. Pro octavo caſu notandum, quod in furto de rebus Monaſterii non ſufficiat illud eſſe mortale ex conſcientia erronea, aut ex mortali fine, vel alia de cauſa, ſed requiritur, ut ſit mortale ratione materiæ; quia in decreto dicitur: in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale: ſed quænam quantitas requiratur in furto à Religio-

ligioſo de rebus Monaſterii commiſſo, ut ſit peccatum mortale, multi multa ſcribunt, qui videri poſſunt, nobis enim non vacat his immorari; interim tamen conveniunt ferè Authores, quòd is incurrat hunc caſum, qui furatur aliquid privato cuipiam Religioſo ad ipſius uſum conceſſum, modò furtum ſit mortale; quia quòd res alicui particulari Religioſo ſit à Superiore ad uſum conceſſa, non tollit, quin abſolutè loquendo res illa ſit Monaſterii: ergo ſi qui furatur bona Monaſterii incidit in hunc caſum, incidet etiam, qui furatur Religioſo particulari; ita pluribus citatis Tamburinus *l. c. n.* 45. Incurrit pariter hunc caſum, qui res ſacras, v.g. Reliquias, aliasq; hujusmodi res furatur, quia licèt non veniant in commercio humano, habentur tamen pro theſauro Eccleſiæ, & nulla ſunt pecunia æſtimabiles; econtra non incurrit hunc caſum, qui pecuniam, quam de licentia Superioris expendere poterat ad uſum licitum, vertit ad illicitum contra votum paupertatis: neque etiam, qui à depoſito ſibi ad uſum conceſſo acceptam ſine licentia expendit Superioris; quia propriè non eſt furtum, nec habetur pro furto: nec denique incurrit hunc caſum, qui damnificat Monaſterium vel impediendo aliquorum bonorum acquiſitionem, vel acquiſita ſine debitis ſolemnitatibus alienando, vel aliter deſtruendo, quia talis damnificatio, licèt graviſſimum ſit peccatum, haud tamen furtum dici poteſt, id eſt ablatio rei alienæ prout tamen requirit S. Pontifex. Prò nono caſu notandum, quòd ſub lapſu carnis opere conſummato comprehendantur omnes ſpecies luxuriæ completæ, de quibus conſuli poſſunt Theologi morales; ſub hoc caſu tamen non comprehenduntur oſcula, tactus impudici, & ſimilia, ſaltem ſi in iſtis ſiſtatur; quia licèt hujusmodi actus in ſe poſſint eſſe conſummati ad conſtituendam malitiam mortalem, in ſpecie tamen luxuriæ non ſunt conſummati, quia de ſe ordinantur ad ulteriorem actum complendum, ad quem diſponunt. Neque incurrit hunc caſum, qui patitur pollutiones involuntarias, aut in ſomno, vel in ebrietate, cùm in decreto expreſsè requiratur lapſus carnis voluntarius: (*Adde*; Etiam tactus impudicos ad delectationem veneream, vel pollutionem vel fornicationem aut ſodomiam directè diſponentes pertinere ad ſpecies luxuriæ; cum enim anno præterito P. Bernardinus Benzi Soc. JEſu Venetiis ederet diſſertationem in caſus reſervatos Diœceſis Venetæ, inter quos erat etiam iſte: *qualibet impudicitia cum monialibus peracta, vel quocunque modo attentata*; inſeruit hanc propoſitionem: vellere genas & tangere mamillas Monialium eſſe actus ſubimpudicos de ſe veniales, & ſolum ex pravo affectu vel ex prava intentione mortales. Sed ille libellus ſpeciali decreto Benedicti XIV. in Cong. S. Officii confixus eſt, & ipſe author eandem propoſitionem re-

Digitized by Google

revocavit, publicè eam retractando tanquam falſam & ſcandaloſam. Nihilominus ea impudicitia Venetiis reſervata ab Epiſcopo non videtur comprehendi ſub termino: *Lapſus carnis.*)

16 Pro decimo caſu notandum, quòd nomine homicidii hìc intelligatur homicidium injuſtum & voluntarium ſeu directè volitum: non autem homicidium juſtum, indirectè volitum, & in cauſa tantùm voluntarium: neque homicidium caſuale aut defenſivum ſui cum moderamine inculpatæ tutelæ, quæ ſub hac reſervatione non comprehenduntur, cùm non ſint injuſta, nec in rigore voluntaria ſimpliciter, quale ſolum eſt homicidium injuſtum ac directè intentum, quod in pœnalibus tantùm venit nomine homicidii, nec in his, cùm ſint ſtricti Juris, fieri poteſt extenſio. Per vulnerationem intelligitur non qualiscunque ac levis, ſed gravis vulneratio, quæ pariter debet eſſe injuſta, ac directè voluntaria, nec ſufficit eam fuiſſe indirectè ac in ſua cauſa volitam, neque caſualiter vel in ſui defenſionem factam. Nomine percuſſionis ſimiliter intelligitur percuſſio gravis ſeu enormis, non autem levis vel mediocris, niſi tamen ex circumſtantiis fiat gravis, puta quòd ſit facta Superioribus, aliiſque perſonis qualificatis & in dignitate conſtitutis, in quibus percuſſio in ſe levis, gravis reputatur: gravis percuſſio ſecundùm ſe cenſetur eſſe, quando quis ad mortem uſque aut cum gravi dolore percutitur, quando debilitatur membrū aliquod, aut inutile redditur ad ſuum munus &c. in dubio tamen an ſit gravis vel levis, inclinandum eſt in benigniorem partem, ac cenſendum non eſſe gravem, nec incidiſſe percutientem in hunc caſum. In pœnis enim benignior eſt interpretatio facienda *Reg. Jur. 49.* & in obſcuris minimum eſt ſequendum *Reg. 30. in 6.* debet præterea talis percuſſio eſſe graviter peccaminoſa, unde facta ab ebrio aut rationis impote non ſubjacet huic reſervationi. Dum autem S. Pontifex dicit: cujuſcunque perſonæ, meritò intelligitur quicunque homo ſive Religioſus ſive Eccleſiaſticus, ſive laicus ſive ſæcularis, ſive Chriſtianus ſive infidelis, ſive maſculus ſive fœmina: quia particula *quicunque* ampliſſimam in Jure habet ſignificationem, & refertur ad omne genus perſonarum cujuſcunque ſtatus ac conditionis, ùt habet Gloſſ. *in Clement. 1. de Judic.* Sub hoc caſu non comprehenduntur mandantes & conſulentes, quia cùm non exprimantur in terminis reſervationis, non debet in hoc genere pœnali & odioſo fieri extenſio ad non expreſſa: comprehenduntur tamen adjuvantes, quia iſti verè ſimul cum aliis occidunt; vulnerant, ac percutiunt. Pro undecimo tandem caſu notandum, quòd vocabulum illud *malitioſum* ſignificet, impedimentum fieri debere non tantùm cum gravi peccato, ſed etiam cum ma-

malitia, & ex intentione impediendi effectum litterarum, illùdque cadit ſupra omnia tria membra, ac ſi diceretur, malitioſum impedimentum, malitioſa retardatio, malitioſa apertio; differt autem impedimentum à retardatione per hoc, quòd impediens faciat, ut litteræ non perveniant ad manus illius, cui ſcriptæ ſunt: retardans verò ſolùm curat, ne debito tempore obtineantur. Apertio litterarum ſumi debet non tantùm materialiter, ſed etiam formaliter, quatenus nempe comprehendit & fractionem ſigilli, & lectionem litterarum; nam verba in hoc caſu accipienda ſunt propriè & formaliter: ſed ita accepta important apertionem litterarum conjunctam cum lectione, ad quam tanquam ad finem ordinatur apertio; prohibitio enim apertionis litterarum eſt facta, ne Superiorum ſecreta in illis contenta cognoſcantur ab iis, ad quos non pertinet: ſed non cognoſcuntur, ſi tantùm aperiantur litteræ & non legantur: ergò &c. Secùs eſſet, ſi quis ad evitandam reſervationem ex conventione cum alio facta aperiret litteras, ut ab altero legantur, tunc enim uterque incideret in caſum reſervatum, quia facerent contra finem prohibitionis, & in fraudem legis, quæ nemini prodeſſe debet: non incurreret tamen hunc caſum, qui litteras Superiorum, quas invenit apertas, legeret; quia legere præcisè non eſt aperire, nec retardare, nec impedire: unde etiam ille excuſatur à reſervatione hujus caſus, qui ad lumen ſolis aut candelæ, quando characteres transparent, legeret litteras, quin tamen eas aperiat; excuſatur etiam, qui aperit litteras inferioris ad Superiorem contra ſe vel alium ſcriptas, juſtè timens, ne apud illum de rebus gravibus falsò inſimulatis deferatur, easque propterea retardat, quouſque Superior informetur, aut omninò comburat vel dilaceret; quia ſic prævalet præceptum naturale de vitando injuſto damno: & univerſim excuſantur ab hac reſervatione, qui bona fide, aut ex incuriâ, vel negligentia etiam culpabili impediunt, retardant aut aperiunt litteras à Superioribus ad inferiores, aut ab inferioribus ad Superiores datas; cùm enim hæc plerũq; excuſent à peccato mortali, multò magis excuſabunt à malitia, ad hunc caſum incurrendum neceſſariò requiſita; particulæ porrò illæ: à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores denotant qualitatem perſonarum, quarum litteras impediendo, retardando, & aperiendo incurritur caſus reſervatus; nomine autem Superiorum intelliguntur Prælati proprii, nomine verò inferiorum, ſubditi Regulares talis Prælati; unde non incurrit hunc caſum qui aperit litteras Superioris ad ſubditum ſuum ſæcularem directas, etiamſi de negotiis Monaſterii tractarent, quia debet eſſe ſubditus Regularis: neque incurrit, qui litteras alicujus ſæcularis etiam ſubditi

ad Superiorem datas aperiret vel retardaret aut impediret, quia non ſunt litteræ ab inferioribus ad Superiores, ſed potiùs ab extraneo ad Religionis Prælatum. Nec denique incurrit hunc caſum, qui aperit litteras Prælati ſui directas ad alterius Monaſterii Religioſum, quia hic non eſt ſubditus proprius; incurrit tamen hunc caſum, ſi Superior localis aut alius Religioſus aperiat litteras Religioſi hujus Monaſterii ad Generalem vel Provincialem datas, licèt Generalis vel Provincialis ſint alibi de familia, & ideò dicitur: ad Superiores, vel ſi aperiant litteras Generalis vel Provincialis ad hos Religioſos directas, & ideò dicitur: à Superioribus ad inferiores; plura de his caſib9 videri poſſuntapud Homobon. *tr. de Caſ. reſervat.* Suarez *to. 4. de Relig. L. 2. cap. 18.* Fagundez. *in 2. præcept. Eccl. L. 8.* Peyrin. *tr. 2. q. 3. cap. 2.* Lezana & Portel. *V. caſus reſervat.* Coriolanus *de caſ. reſervat.* de Graffiis itidem *de caſib. reſerv.* Eligius Baſſæus *to. 1. V. caſus reſerv.* Tamburin. *to. 2. D. 13. quæſ. 2.* Rotarius *to. 3. L. 1. cap. 1. punct. 4.* Antonius à Spirit. S. *tr. 5. D. 14. S. 3.*

17 Atqui hi ſunt celebres illi undecim caſus, quos modò Prælati tantùm reſervare poſſunt: ſi autem quod aliud peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum putaverint, id aliter fieri non poteſt, quàm generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in provincia, matura diſcuſſione & conſenſu, ita quidem, ut hoc ſit de ſubſtantia reſervationis, qua non obſervata, nulla omninò eſt ac invalida reſervatio ob non ſervatam præſcriptam à S. Pontifice formam, quam non tantùm pro caſibus non expreſſis, ſed etiam pro expreſſis neceſſariam eſſe contendit Coriolanus *Sect. 1. art. 4. n. 2. & 3.* Confettius *tit. 17. cap. 3.* Bordonus *to. 1. Conſil. Regul. Reſol. 37. q. 30. n. 43.* & alii ab his citati. Verùm Sanch. *L. 6. cap. 1. n. 15.* Portel. *V. caſus reſerv. n. 12.* Miranda *to. 2. q. 34. art. 6.* Roſſignol. *p. 1. de pænitent. quæſt. 7. art. 18. n. 6.* Rotarius *l. c. n. 7.* probabilius docent, poſſe Prælatos auctoritate propria ſine alio Capituli conſenſu ac diſcuſſione prævia relatos undecim caſus reſervare: quia S. Pontifex integram relinquit Prælatis poteſtatem reſervandi hos undecim caſus vel omnes vel eorum aliquot nulla facta mentione diſcuſſionis, ac conſenſûs alicujus Capituli, ſed eorum potius committit prudentiæ conſiderandum, an expediat utilitati Subditorum, hoſce magis quàm illos reſervare caſus, ut legenti patebit: unde ſufficit, quòd Prælatus abſque alio Capituli conſenſu ac diſcuſſione declaret, notúmque faciat, ſe præſcriptos à S. Pontifice undecim caſus vel omnes vel aliquos ex iis reſervare, factáque hac declaratione, ac reſpectivè promulgatione mox obligabit ſtatuta reſervatio non tantùm quoad peccata committenda, ſed etiam quoad peccata antecedenter commiſſa & nondum per abſolutionem remiſſa; quia cùm per reſervationem

limi-

limitetur poteſtas Confeſſarii abſolvendi à tali peccato, quocunque tempore fuerint commiſſa, ſubjici debent habenti poteſtatem abſolvendi, advertit autem hìc Tamburinus *n. 65.* non debere Prælatos Regulares dictos caſus reſervare pro libitu ſuo, absque juſta cauſa & matura conſideratione, nullaque ſervata prudentiæ forma, ac regula, ne talis reſervatio reddatur invalida, tum quia talis poteſtas datur illis in ædificationem non in deſtructionem, ùt dicit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 7.* tum quia in dicto decreto Clementis VIII. expreſsè habetur, quòd reſervare ſibi poſſint omnes vel aliquos ex illis caſibus: prout ſubditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint, quæ clauſula ibi ponitur pro forma, qua nõ ſervata poſſet dubitari de validitate reſervationis; ſi enim certò ac evidenter conſtaret absque juſta ac legitima cauſa caſus ſibi reſervâſſe Prælatum, invalida foret talis reſervatio juxta Laur. de Peyrinis *to. 2. de Prælat. q. 3. cap. 2. n. 7.* quamvis etiam alii contrarium teneant: in dubio certè, an Prælatus ſibi caſus prudenter reſervaverit, credendum eſt validè ſibi reſervâſſe; quia in dubiis ſtandum eſt pro parte Prælati. Hæc ipſa quoque reſervatio debet eſſe moderata, & diſcreta, in quantum nempe ſubditorum utilitati expedit; unde conſultum haud eſt; ut omnes undecim caſus ſimul in aliquo Monaſterio reſerventur; vix enim fieri poteſt, ut omnes aut major pars alicujus Monaſterii ſit adeò diſſoluta, ut omnium aut plerorumque egeat reſervatione caſuum. Hæc denique caſuum reſervatio debet eſſe claris expreſſa verbis, ne dubiis relinquat locum, aut ſcrupulis aperiat viam. Quemadmodum verò ad ſolum ſpectat Prælatum præfatos undecim reſervare caſus, ita ad eum quoq; pertinet, eosdẽ interpretari ac declarare præſertim in dubio, nam ſicut ad eũ pertinet legẽ interpretari ad quem ſpectat legẽ condere, ita quoque ad eum pertinet interpretari ac declarare caſus, ad quem ſpectat eos reſervare: ſed ad ſolum Prælatum ſpectat reſervare dictos undecim caſus: ergò ad eum ſolum etiã pertinet illos interpretari ac declarare, ſervata tamen verborum proprietate à S. Pontifice intenta. Unde non licet eos ampliare aut extendere ad caſũ in decreto non contentum, etſi eadem videatur eſſe rationis paritas; nam cùm reſervatio ſit pœnalis & odioſa, ac odia ſint reſtringenda, & ſolùm favores ampliandi, interpretatio ſecundùm litteram eſt facienda, non autem juxta extenſionem à Prælato adinventam aut detortum illius ſenſum; aliàs fruſtraretur mens S. Pontificis, & non obtineretur finis ab eo intentus: accedit, quòd ſi Prælatus poſſet eos extendere ad caſum in decreto non contentum; jam non eſſet amplius declaratio, ſed nova Conſtitutio, ac novi reſervatio caſus: nam declaratio nihil de novo addit, ſed quod ex natura rei ineſt, demonſtrat, ùt dicitur *Leg. Hæredes palam. ff. de teſtament.*

Quo tamen non obſtante licebit caſus illos reſtringere ac limitare non tantùm quoad numerum, ſed etiam quoad ſpeciem, reſervando nempe graviorem ac magis pernicioſam, minùs gravem ac minùs pernicioſam non reſervando in eadem etiam linea; ſic enim poteſt reſervare mollitiem, aut fornicationem, quin reſervet adulterium aut cæteras luxuriæ ſpecies: cùm enim poſſit omninò non reſervare caſum, ita multò magis poterit eundem reſtringere ac limitare; nam cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus *ex Reg. Jur. 53. in 6.*

18 Quamvis autem hæc ita ſe habeant, ac certum ſit, Prælatos per ſe non poſſe alios præter undecim relatos caſus directè ſibi reſervare, magna tamen inter Authores eſt controverſia, an non poſſint ſaltem indirectè ſibi reſervare caſus alios ac peccata præter expreſſa in decreto, ea prohibendo ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ejúſque abſolutionem ſibi reſervare? Affirmat equidem Suarez *to. 4. Diſp. 29 S. 3. n. 15.* Coriolan. *de caſ. reſerv. p. 1. S. 1. art. 6.* Fagundez *præcept. 2. L. 8. c. 4. n. 5.* Miranda *to. 2. quæſt. 34. art. 3. concl. 2. in fin.* Aſcan. Tamburin. *to. 2. Diſp. 13. quæſ. 3.* & alii nonnulli. Ratio illorum eſt, quia in Decreto Clementis VIII. ſermo tantummodo eſt de reſervatione peccatorum nulla facta mentione cenſurarum: in hoc autem caſu non reſervatur abſolutio peccati ſed cenſuræ, quæ eſt per ſe diſtincta & ad diverſum forum jurisdictionum ſpectat: & licèt per ſe loquendo non poſſit dari abſolutio à peccato, non ablata cenſura, hoc tamen per accidens eſt; nam ſufficit, quòd non ſint idem ad hoc, ut prohibitio non ſit extendenda ab una ad aliam. Sed meritò idipſum negat communior ac verior Theologorum ſententia; quam tenent ac defendunt Laurentius de Peyrinis *to. 2. privileg. in Conſtit. 10. Urbani VIII. §. 61. n. 10.* & *to. 3. in addit. ad d. Conſtit. cap. 12. n. 5.* & *de Prælat. to. 2. quæſt. 3. cap. 22. n. 34.* Thom. Sanch. *in ſum. L. 6. cap. 1. n. 15.* Marchant. *tr. 2. tit. 4. quæſt. 6.* Bordonus *Reſolut. 37. qu. 31. n. 45.* Roſſignol. *part. 1. de pænitent. quæſt. 7. art. 18.* Sporer *de pænit. cap. 6. quæſt. 6. ſect. 2. n. 737.* Alviſet *ſect. 3. cap. 23. n. 8.* Averſa *quæſt. 17. S. 2.* La Croix *L. 6. p. 2. n. 1662.* Rotarius *to. 3. cap. 1. punct. 4. n. 4.* Petrus Brencola *Reſol. miſcellan. cap. 3. n. 21.* cum pluribus aliis, quos citat & ſequitur Diana *part. 3. tr. 2. Reſol. 49.* & Hiacynth. Donatus *to. 2. tr. 10. Q. 24.* cum quibus

19 Dico 2dò. *Non poſſunt Prælati Regulares, præter relatos undecim caſus, alia prohibere peccata ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, eámque ſibi reſervare.*

Pro-

Probatur: quia ex procœmio & ratione legis ſumitur deciſio ipſius legis; ratio autem legis, ob quam S. Pontifex reſtrinxit Prælatis poteſtatem reſervandi caſus, ex procœmio eſt, ne infirmiores inducerentur in æternæ damnationis periculum, & deſperationem remedii ſpiritualis ob metum vel horrorem comparendi coram ſuperiore: atqui fruſtra reſtrinxiſſet Prælatis poteſtatem reſervandi caſus in decreto ſuo non contentos, ſi poſſent quoscunque alios notare cenſura, eàmque ſibi reſervare; nam idem maneret periculum infirmis conſcientiis, ſive propter ipſum caſum reſervatum, ſive propter cenſuram in peccatum quodpiam aut caſum latam debeant ſeſe Prælato ſiſtere pro abſolutione, ùt ex multis allegatis oſtendit Sanchez l. c. n. 16. ergò non poſſunt caſus alios præter undecim relatos cenſurâ notare, eámque ſibi reſervare. Atque hinc patet reſponſio ad rationem oppoſitæ ſententiæ: dum enim Clemens S. P. prohibet ſimpliciter reſervari alios caſus ac peccata ultra undecim relatos, prohibet ſimul omnem modum, quo reſervatio fieri poteſt, atque ſimul omnia prohibet media, quibus ob nimiam & indiſcretam ultra dictos caſus reſervationem Religioſi in deſperationem agi, & in æternæ damnationis periculum induci poſſint; hinc non tantùm prohibet reſervationem directam aliorum caſuum, ſed etiam eam, quæ indirectè ex reſervata provenit cenſura; & certè ſi id liceret, quàm facilè eludi ac fruſtrari poſſet mens S. Pontificis cum maximo animarum detrimento, cùm Prælati ſemper in quævis peccata poſſent cenſuram ſtatuere, eámque ſibi reſervare. Quæ omnia fortiſſimè confirmantur ex declaratione Cardd. S. Congregationis Regularium ſub his terminis emanata: Cum à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in Decreto fel. record. Clementis VIII. Anno 1593. 16. Maji ſuper qualitate caſuum, ab eorundem Regularium ſuperioribus reſervandorum edito, cenſuræ etiam comprehenderentur, ita ut iis ſuperioribus abſque Capituli generalis aut Provincialis conſenſu aliquibus peccatis, in Decreto hujusmodi non contentis, excommunicationem annectere, ejusdémque abſolutionem ſibi reſervare liceat? *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium Præpoſitorum, illuſtriſſimo Bandino referente, cenſuras in ſupradicto decreto comprehendi cenſuit. Romæ 7. Julii 1617. A. Mar. Epiſcopus Hoſtienſis Cardinalis Gallus. V. Theatin. Secret.* quam declarationem refert Peyrinis *in d. cap. 12. in additament.* & Lezana *to. 1. cap. 18. n. 21.* ubi etiam ait: *unde jam prior ſententia non poteſt in praxi teneri*: adeoque etiam poſteriori noſtræ ſententiæ meritò ſe conformare poſſunt tum Confeſſarii, tum alii Religioſi. Per hoc tamen non intendimus negare, quòd Prælati Regulares valeant caſibus ad præſcriptum Clementis VIII. reſer-

vatis ſuperaddere excommunicationem latæ ſententiæ, eámque ſibi reſervare, prout cum aliis docet Sanchez l. c. n. 16. qui enim poteſt principale, poteſt etiam acceſſorium: ſed Prælati Regulares juxta dictum decretum poſſunt ſibi reſervare caſus in eo expreſſos, quod eſt principale: ergò etiam abſolutionem excommunicationis, quæ eſt acceſſoria. Accedit, quòd Prælati Regulares de Jure communi habeant poteſtatem abſolutionem excommunicationis à ſe latæ ſibi reſervandi: ſed hæc poteſtas in dicto decreto nullibi videtur ſublata: ergò etiamnum habent poteſtatem ſibi reſervandi abſolutionem excommunicationis à ſe latæ, & dictis caſibus ſuperadditæ. (*Adde*; excommunicationem, quâ antiquitùs primis decem ſæculis utebantur ſuperiores Regularium in ſuos Religioſos, tantùm fuiſſe ſequeſtrationem externam à S. Communione, aut ſocietate confratrum, eorúmque precibus; ſed non à precibus communibus totius Eccleſiæ: hæc enim poteſtas pertinet ad ſolum Romanum Pontificem, & ab eo ſpecialiter habentibus poteſtatem. Hinc illa excommunicatio veterum Abbatum erat ſimilior *Interdicto*, quàm excommunicationi; imò erat præcisè pœna, nec arcebat à Sacramento pœnitentiæ etiam durante excommunicatione.)

20 Dico 3tiò. *Solus, qui caſus reſervavit Prælatus, ordinariam habet poteſtatem ab illis abſolvendi.*

Ita communiſſima Authorum ſententia, & deſumitur ex Decreto Clementis VIII. ſæpiùs citato, ubi dum prohibet, ne Prælati audiant ſuorum confeſſiones Religioſorum, addit expreſsè, *niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint*: ergò ſupponit, quòd ſoli Prælati, qui caſus reſervârunt, ordinariam habeant ab illis abſolvendi poteſtatem; quodipſum adhuc magis confirmatur ex relatione Hieronymi à Sorbo *in Annotat. ad compend. privil. tit. Caſus reſervati*, ubi refert ſe ab ipſo Clemente, facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis ad illos ſpectare, ad quos ſpectabat ante decretum: ſed ante decretum abſolutio caſuum reſervatorum ſpectabat ad Prælatos, qui eosdem reſervârunt: ergò ad eos etiamnum ſpectat; & ratio eſt, quia ad illum ſpectat abſolvere à dictis caſibus, qui eosdem ſibi reſervavit: ſed eorum abſolutionem ſibi reſervavit Prælatus, ùt ſuppono: ergò ad eum etiam ſpectat dictorum caſuum abſolutio; major patet, tum quia reſervatio & abſolutio mutuam inter ſe habent relationem, ita ut una ſine altera dari non poſſit: tum quia Prælatus habet poteſtatem ligandi atque ſolvendi illos, in quos juriſdictionem habet ordinariam: ſed in Religioſos ſuos habet poteſtatem ordinariam, ùt conſtat ex dictis: ergò in eosdem habet poteſtatem ligandi at-

atque ſolvendi? & conſequenter ſicut ille ſolus habet poteſtatem ligandi ſuos Religioſos per reſervationem, ita ille ſolus habet poteſtatem ordinariam eosdem ſolvendi per abſolutionem. Ex quo patet, quòd Religioſus caſibus à ſuo Prælato reſervatis ligatus peccet mortaliter, ſi ab alio, quàm ab illo, aut ab habente poteſtatem delegatam petat abſolvi, eſtque tali caſu abſolutio nulla, & invalida ob defectum jurisdictionis. Porrò concluſio intelligenda eſt reſpectu inferiorum, non autem reſpectu ſuperiorum; certum eſt enim ac indubitatum, quòd ille, qui in eodem genere & foro ſuperior eſt reſervante, ſimiliter abſolvere poſſit à peccato, quod à ſuo inferiori reſervatum eſt; quia quidquid poteſt inferior Prælatus, poteſt etiam, qui in eodem genere & foro eſt illo ſuperior, cùm non ſolùm æqualem, ſed majorem etiam jurisdictionem habeat comparatione ſubditorum; ſic S. Pontifex abſolvere poteſt à reſervatis Epiſcopo, Generalis à reſervatis Provincialis, & ſic de aliis. Dixi autem *in eodem genere & foro*, ad quod pertinet reſervatio, aut ſimilis jurisdictio: nam ſi ſuperioritas eſſet in alio genere & foro, non ſufficeret ad abſolvendum à reſervatis inferiori Prælato; ſic enim Archiepiſcopus non poteſt abſolvere à reſervatis Epiſcopo; quia non habet immediatam jurisdictionem in Diœceſibus ſuffraganeorum in hoc foro, & ob eandem rationem nec Epiſcopus poteſt abſolvere à reſervatis Prælato Regulari, ùt benè tradit Franciſcus à JEſu Maria *tr. 6. de pœnit. cap. 13. punct. 3. n. 21.*

Quamquam autem ſolus Prælatus, & qui eſt illo ſuperior in eodem genere ac foro, ordinariam habeat à caſibus ſibi reſervatis abſolvendi poteſtatem, non poteſt tamen ſolis auditis reſervatis abſolutionem ſacramentalem impendere, & pœnitentem pro reliquis non reſervatis abſolvendum remittere ad alium Confeſſarium; id enim foret mortaliter illicitum, ùt cum pluri- 21 mis aliis docent Dicaſtillo *Diſp. 11. dub. 18. n. 317.* Bonacina *Diſp. 5. Quaſt. 7. de pœnit. punct. 5. §. 3* Card. Lugo *de pœnit. Diſp. 20. S. 6.* Palao. *tr. 23. Diſp. un. punct. 15. § 5.* Miranda *to. 2. quaſt. 34. art. 12.* Bordonus *to. 1. de Regul. Reſol. 39.* Roſſignol. *de pœnitent. part. 1. qu. 7. art. 19. ſect. 4.* Rotarius *to. 3. L. 1. cap. 1. punct. 6. n. 2.* Franciſcus à JEſu Maria *l. c. cap. 8. punct. 5. n. 134.* tum quia per ſe non licet dimidiare confeſſionem: tum quia integritas confeſſionis eſt de Jure divino, contra quod nulla valet conſuetudo in contrarium; tum quia unum peccatum mortale nequit abſolvi ſine alio peccato mortali: nec ullus fingi poteſt caſus (quem enim aliqui ponunt, rariſſimus ac penè metaphyſicus eſt) nec ulla excogitari poteſt cauſa, ratione cujus Prælatus poſſit ita dimidiare confeſſionem, & ab auditis tantùm reſervatis

tis abſolvere pœnitentem, eúmque remittere pro non reſervatis ad ordinarium Confeſſarium; non enim ſufficit multitudo negotiorum, quæ cedere debet ſpirituali ſubditarum animarum bono, aut ſiquidem hæc ita urgeant, ut nullum relinquant tempus integram audiendi confeſſionem, poterit tollere reſervationem, & pro reſervatis pœnitentiam præſcribere, atque ſic remittere ad alium Confeſſarium, de cujus prudentia & ſcientia benè confidit, qui ſublata reſervatione abſolvat pœnitentem tam à reſervatis, quàm à non reſervatis: tandem poteſt etiam ſubdito præcipere, ut dilatâ, aut omiſsâ communione aut celebratione Miſſæ confeſſionem in tempus opportunius differat: cùm igitur hoc modo Prælatus & pœnitenti poſſit providere, & Sacramenti integritati, non eſt cur dimidiatam audire poſſit confeſſionem & ab ea ſacramentaliter abſolvere; atque talis etiam, Bordono l. c. n. 41. teſte, viget conſuetudo Romæ, quia ſcilicet aufertur reſervatio, præſcriptâ pœnitentiâ, & inde remittitur pœnitens ad quemlibet Confeſſarium. Unde magnopere decipiuntur illi, qui putant, eam eſſe Romæ conſuetudinem, ut data abſolutione ſacramentali à reſervatis, pro non reſervatis remittatur pœnitens ad ordinarios Confeſſarios; id enim apertè falſum eſt, ut teſtatur Sylveſter, qui tamen & ipſe fuit Pœnitentiarius in Baſilica S. Petri, & hodie nullum eſt veſtigium talis conſuetudinis Romæ, ut ſcribit Card. de Lugo l. c. & P. Macedo *L. 4. de Clavib. Petri cap. 8.* Verum quidem eſt, reſervata Romæ ſæpè non audiri, ut ſacramentaliter abſolvantur, ſed audiri ut ſublata cenſura Confeſſario ordinario remittantur ſacramentaliter abſolvenda: cùm enim defacto peccata S. Pontifici reſervata, ſint reſervata unà cum annexa cenſura, hinc eâ ſublatâ, quæ etiam extra confeſſionem tolli poteſt, hoc ipſo ceſſat reſervatio peccatorum, quæ non aliter, quàm ſimul cum cenſura reſervantur, & conſequenter ab illis tunc abſolvere poteſt quivis Confeſſarius: & hoc tantùm fit Romæ, non verò prius illud. Nunquam igitur licitum erit Prælatis dimidiatam audire confeſſionem ſuorum ſubditorum, niſi iis tantùm in caſibus, in quibus licita eſt dimidiata confeſſio peccatorum non reſervatorum; in caſu tamen, quo dimidiata confeſſio fuiſſet facta, & Prælatus ſive ex ignorantia, ſive juxta contrariæ ſententiæ qualemcunque probabilitatem auditis tantùm reſervatis abſolutionem impertierit, pœnitente pro abſolutione reliquorum ad ordinarium Confeſſarium dimiſſo, is validè eſſet abſolutus, à reſervatis quidem directè, & à non reſervatis indirectè, nec teneretur amplius repetere peccata reſervata jam confeſſa, utpote à quibus validè jam fuit abſolutus à Prælato; poſita autem legitima abſolutione nemo tenetur eadem pec-

cata bis confiteri; nam ùt docet S. Thomas & alii cum Dicaſtillo *Diſp. 11. n. 194.* nequidem Eccleſia poteſt independenter à conſenſu pœnitentis imperare iteratam ejusdem peccati confeſſionem; cùm nulla ſit ratio, cur eam de novo debeat exponere: neque enim id eſt neceſſarium ad obtinendam horum peccatorum abſolutionem, cùm jam fuerint legitimè abſoluta: neque ut ſubjiciantur clavibus, cùm iisdem jam fuerint debitè ſubjecta; & hinc ſicut is, qui invincibiliter oblitus eſt confiteri peccatum mortale, ſi illius poſtea recordetur, non tenetur poſtea rurſus repetere peccata, quæ jam eſt confeſſus, & à quibus fuit abſolutus, ita neque in caſu noſtro, ille tenetur iterum confiteri peccata reſervata, quæ Prælato jam eſt confeſſus & à quibus jam fuit ab eo abſolutus, ſed ſolùm ea, quæ necdum confeſſus eſt explicitè, & à quibus non fuit directè abſolutus: atque ita docent AA. ſupra citati. (*Adde*; hanc doctrinam tantùm poſſe admitti, ſi certum ſit, ignorantiam de nullitate confeſſionis dimidiatæ fuiſſe invincibilem, & inſuper ſupponatur, Sacramentum poſſe eſſe validum & informe. Nec enim certum eſt, in tali caſu etiam poſita ignorantia invincibili conferri gratiàm; hinc in dubio repetenda eſt prior confeſſio.)

22 Cæterùm quæri adhuc poteſt: An ignorantia reſervationis ab ea etiam excuſet? ℞. ſi caſui cuippiam ac peccato ſimul annexa ſit cenſura & quidem reſervata, tunc qui ignoraret cenſuram ejúsque reſervationem invincibiliter ac inculpabiliter, vel etiam, ùt multi AA. putant, culpabiliter, modò ignorantia non ſit craſſa & ſupina, nec incurreret cenſuram, neque reſervationem; quia cenſura non fertur, niſi ob contumaciam, ideóque petit eſſentialiter, ut procedat monitio ſub comminatione cenſuræ: ergò quando ignoratur, ſicut deficit contumacia & contemptus cenſuræ, ita hæc non incurritur, adeoque neque reſervatio, ſive peccatum ſit tantùm reſervatum ratione cenſuræ annexæ, ſive illud etiam unà ſimul cum cenſura ſit immediatè reſervatum. ℞. 2. Si peccatum aliquod ſciatur quidem eſſe graviter prohibitum, ignoretur autem, quòd ſit etiam reſervatum, ignorantia hujus reſervationis ſaltem invincibilis ac inculpabilis excuſat ab ea incurrenda. Ita reipſa plures Doctores quos citat & ſequitur Andreas à Matre *de privil. Regul. cap. 4. n 13.* qui tamen id probat diverſa ab aliis ratione: quia ſcilicet reſervatio non tantùm eſt pœna, ſed etiam medicina, atque adeò pœna medicinalis, quemadmodum etiam Authores contrariæ ſententiæ admittunt: ſed pœnæ medicinales non incurruntur ab ignorantibus illas; nam pœnæ medicinales, quatenus ſunt pœnæ, imponuntur ad puniendum delictum præ-

præteritum, atque ſic juxta communem Doctorum non incurruntur: quatenus verò ſunt medicinales, ſtatuuntur ad præcavendum peccatum in futurum, ut qui virtutis amore non ducuntur, ſaltem formidine retrahantur à committendis talibus peccatis, qui in omnium ſententia eſt unicus finis reſervationis, propterea enim nonniſi graviora ac pernicioſiora peccata reſervantur, ut timore adeundi Superiorem pro eorum abſolutione, difficilius committantur: ad hoc verò omninò requiritur notitia reſervationis, aliàs enim reſervatio nullo modò poſſet ab illorum perpetratione retrahere, neque obtineretur finis à Superiore intentus: ergò ſicuti reſpectu ignorantis ceſſat finis reſervationis nec eſt medicina retrahens à peccato, ita reſpectu illius ceſſat quoque reſervatio; quod ipſum Andreas à Matre Dei l. c. n. 14. explicat exemplo quod in excommunicatione accidit, quæ ſimul eſt pœna & medicina: & ratio medicinæ non tollit rationem pœnæ, nec ratio pœnæ tollit rationem medicinæ, licèt una cum alia connectatur; qua parte pœna eſt, ordinatur ad puniendum delictum, qua parte verò medicina eſt, ad impediendum peccatum, ne in poſterùm ampliùs committatur: & cùm nihil horum vim habeat reſpectu illam ignorantis, ab eo non incurritur excommunicatio nec in ratione pœnæ, nec in ratione medicinæ, ut tenent communiter Doctores.

83 Neque dicas: reſervatio eſt limitatio juriſdictionis in Confeſſario ad abſolvendum; atque adeò directè ſolum afficit Confeſſarium: ergò notitia reſervationis illi tantùm eſt neceſſaria, non verò pœnitentibus, quibus ſufficit, quòd illam tunc obtineant, quando remittuntur ad Superiorem, prout idipſum nos docet communis praxis Confeſſariorum, qui pœnitentes ſuos caſum reſervatum habentes mittunt ad alios, qui ab eo poſſunt abſolvere. Deinde ignorantia pœnitentis non poteſt tribuere Confeſſario juriſdictionem aut facultatem abſolvendi à Superiore limitatam: ergò neque poterit illa uti aut abſolvere. ℞. 1. Negando antecedens vel diſtinguendo reſervatio debitis conditionibus affecta, eſt limitatio juriſdictionis c. reſervatio debitis conditionibus carens n. 2. non enim intendit Superior reſervare caſum, & reſpectu illius limitare juriſdictionem Confeſſarii, qui non habet conditiones ad legitimam reſervationem requiſitas: inter has verò eſt reſervationis notitia, utpote quæ ad obtinendum finem à reſervante intentum vel maximè requiritur, ſicut ad hoc ut valeat & vim habeat reſervatio requiritur, ut peccatum ſit certum & non dubium, ut ſit mortale & externum operéque conſummatum. ℞. 2. transm. antec. negando conſeq. nam reſervationis notitia tam eſt neceſſaria pœnitenti ad eam incurrendam, quàm eſt neceſſaria Confeſſario ad abſolvendum; cùm aliàs non obtineretur finis à Superiore.

re intentus, qui eſt ut abſterreantur homines à ſimilibus caſibus ac peccatis perpetrandis: ſicut igitur ad incurrendam excommunicationem requiritur illius notitia, ita non minùs requiretur notitia reſervationis ad eam incurrendam, cùm utraque ſit pœna medicinalis, quam ſupra probavimus non incurri ab ignorante, & certè adverſarii ſibi ipſis contradicunt, dum ajunt, notitiam reſervationis non eſſe neceſſariam pœnitenti, ſed tantùm Confeſſario, cùm tamen fateantur ipſi, reſervationẽ ſtatutam eſſe non tantùm in pœnam peccatorum, ſed etiam vel maximè ad abſterrendos homines à ſimilibus peccatis committendis, quod utique ſine notitia reſervationis neç fieri nec concipi poteſt. Unde in benè conſtitutis Religionibus ac Monaſteriis caſus reſervati vel inter Conſtitutiones referri ſolent aut affigi, ut omnibus pateant, vel publicè promulgantur, ne quis excuſationem poſſit aut ignorantiam obtendere. Quod attinet praxin Confeſſariorum, ea diverſa eſt pro diverſitate ſententiarũ: Confeſſarii autem, qui pœnitentes reſervationis ignaros mittunt ad Superiorem, vel fundantur in præſumptione, quòd habuerit ſufficientem illius notitiam, vel nituntur probabilitate ſententiæ oppoſitæ, quam ſequuntur, meliùs fortè facturi, ſi pœnitentem reſervationis ignarum ſecundùm noſtræ probabilitatem ſententiæ abſolverent ac ſimul edocerent, caſum illum eſſe Superiori reſervatum, nec poſſe inpoſterum amplius ab alio quàm ab ipſo vel ejus ad hoc delegato abſolvi, quàm ut eundem poſt expoſitam ritè confeſſionem ſine abſulutione dimittant, ac cogant iterum cum rubore confiteri alteri peccata ſua, ſuámque revelare conſcientiam. Ex quibus etiam patet reſponſio ad alteram inſtantiam; nam ignorantia reſervationis non quidem tribuit juriſdictionem, aut poteſtatem abſolvendi à Superiore limitatam, ſed tamen facit, quòd talis reſervatio non habeat locum in eo, qui eam ignorat, cùm ad incurrendam reſervationem requiratur illius notitia tanquam conditio ſine qua non poteſt obtineri finis à reſervante intentus, non aliter ac ad eam incurrendam requiritur, ut peccatum ſit mortale, ac certum, externum & conſummatum, ſine quibus conditionibus reſervatio nulla eſt: atque adeò ignorantia reſervationis tantùm excludit limitationem juriſdictionis, & impedit illius ablationem; quia hoc ipſo, quòd cum ignorantia reſervationis peccatum ſit commiſſum, non aufertur Confeſſario juriſdictio, quam habebat, ſicut non aufertur, quando peccatum ſecundùm ſe reſervatum non eſt certum aut mortale. (*Adde*; quæ hoc loco dicuntur de poteſtate abſolvendi ignorantes reſervationem, ſunt contra perpetuam praxin & traditionem Eccleſiæ. Nunquam enim Doctores Eccleſiæ, aut Concilia docuerunt faciendum eſſe diſcrimen inter ignorantes & ſcientes reſervationem, a

Yyy 2 Ve-

Verum quidem eſt, finem reſervationis eſſe, ut homines abſterreantur à peccatis; ſed hic finis habet locum etiam in ignorantibus, ut prima vice experientiâ docti, quàm difficile ſit obtinere remiſſionem, non tam facile redeant ad peccatum ſecunda vice.)

Sectio III.

De poteſtate Prælatorum abſolvendi à caſibus & cenſuris S. Pontifici reſervatis extra Bullam Cœnæ.

24 Sciendum præprimis, S. Pontificem defacto nulla reſervare peccata, aut caſus, niſi tantùm illos, quibus annexa eſt aliqua cenſura illi pariter reſervata, quamvis poſſit etiam alia & quæcunque peccata aut caſus reſervare, ut docet communis Authorem ſententia, qui in eo quoque conveniunt, nullum eſſe hodie peccatum S. Pontifici reſervatum, quod non habeat cenſuram ſibi annexam ipſi quoque reſervatã. An verò hæc ipſa peccata S. Pontifici reſervata reſerventur illi non tantùm quoad cenſuras, ſed etiam quoad culpam, major eſt inter Authores controverſia, in qua tamen communior eſt eorum ſententia, qui aſſerunt, peccata reſervari S. Pontifici tam quoad culpam, quàm quoad cenſuras, prout in ſpecie docent Sotus, Henriquez, Suarez, Coninck, quos citat & ſequitur Dicaſtillo *Diſp. 11. dub. 3. n. 21.* Vaſquez *quaſt. 91. art. 3. dub. 1.* de Lugo *Diſp. 20. Sect. 2. n. 26.* Hurtado, Fagundez, Filliuccius, Molfeſius & alii, quos congerit & ſequitur Leander *de pœnit. Diſp. 11. quaſt. 14.* & Franciſcus à Jeſu Maria *de pœnit. cap. 13. punct. 1. n. 4.* quia verba S. Pontificis aliquod peccatum reſervantia nullam continent limitationem ſed univerſaliter loquuntur: nec ulla apparet ratio, cur à nobis reſtringantur aut limitentur ſolùm ad cenſuras, præſertim cùm S. Pontifex etiam quoad culpam ea poſſit reſervare, quibus omnibus ſuffragatur communis Eccleſiæ ſenſus & uſus, qui nobis ex hoc ipſo Doctorum conſenſu ſatis innoteſcit. Ex quo ſequitur, à nemine poſſe tale peccatum S. Pontifici reſervatum abſolvi, niſi ab ipſo aut ab habente poteſtatem ab eo delegatam, cùm illud per ſe ac immediatè ſit ipſi reſervatum, & conſequenter talis abſolutio ab alio data eſt nulla & irrita, utpote facta abſque poteſtate legitima, licèt tam abſolvens quàm pœnitens bonam fidem habeant. Quòd ſi tamen cenſura à S. Pontifice auferatur, vel ob ignorantiam aliamve cauſam non incurratur, hoc ipſo deſinit etiam pecca-

catum eſſe reſervatum quoad culpā; quia iſtud reſervatur tantùm unà cum cenſura: hujus reſervatione ſublata, aufertur etiam reſervatio peccati quoad culpam; ſicut enim in principio ac velut in fieri connexa fuerunt cenſura & peccatum, ſic ut peccatum ſine cenſura non reſervaretur, ita poſtea in conſervari quaſi mutuò dependent & connectuntur, ut ſublata cenſura ſeu illius reſervatione, cenſeatur etiam ablata reſervatio culpæ, ùt poſt multos alios à ſe citatos bene diſcurrunt Palao *tr. 23. Diſp. un. punct. 15. §. 2.* Dicaſtillo *Diſp. 11. dub. 3.* Franciſcus à Jeſu Maria *l. c. n. 7.* atque hinc etiam ſequitur, quòd qui habet poteſtatem abſolvendi à caſibus reſervatis, quibus annexæ ſunt cenſuræ, etiam habeat facultatem abſolvendi ab illis: & ratio eſt; quia ut pœnitens abſolvi poſſit à peccatis reſervatis, debet priùs abſolvi à cenſuris, quibus eſt irretitus, cùm abſolutio ſacramentalis cadere non poſſit ſupra cenſuratum: ergò qui concedit facultatem abſolvendi à peccatis reſervatis, etiam concedit facultatem abſolvendi à cenſuris, ſine quá abſolvi non poſſunt peccata, ùt cum Candido *Diſq. 22. art. 51. dub. 4.* Avila *p. 2. cap. 7. diſp. 1. dub. 12.* Gibalin. *Diſq. 6. quaſt. 3. n. 21.* obſervat Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 2. punct. 4. n. 38.*

25 Nomine porrò cenſuræ caſibus S. Pontifici reſervatis annexæ intelligitur pœna Eccleſiæ ſpiritualis ac medicinalis, qua Chriſti fideles delinquentes ac contumaces bonorum ſpiritualium uſu privantur ad eorum correctionem. Ejus juxta communem DD. tres tantummodo ſunt ſpecies, nempe excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, ùt habetur *cap. Quærenti 20. de V. S. cap. Cùm medicinalis 1. cap. ſtatutum 13.* & *cap. Is cui 20. de ſent. excommunic. in 6.* Excommunicatio eſt cenſura Eccleſiaſtica, quâ excommunicatus ſeparatur à communione fidelium. Alia eſt major, quæ excommunicatum privat ſimpliciter omnium bonorum inter fideles communium participatione; alia minor, quæ tantùm privat paſſiva participatione ſeu receptione Sacramentorum *cap. à nobis. 2. de exception. cap. ſi celebrat. 10. de Cleric. excommun. miniſtrante cap. penult. de ſentent. excommunic.* Ex quo etiam cap. habetur, quòd vox excommunicatio abſolutè prolata de majori ſemper ſit intelligenda. Suſpenſio eſt cenſura, qua miniſter Eccleſiæ prohibetur functiones Eccleſiaſticas exercere, aut aliqua poteſtate uti: eſtque triplex, 1mò ab officio, qua Miniſter Eccleſiæ removetur ab exercitio juriſdictionis & Ordinis: 2dò. à ſolo beneficio, qua is intacta Ordinis & juriſdictionis poteſtate jure percipiendi fructus privatur: 3tiò. ab Officio & beneficio ſimul, qua eidem adimitur exercitium poteſtatis Ordinis ac juriſdictionis, ſimúlque perceptio fructuum beneficialium. Interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica prohi-

 bens

bens uſum divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quatenus à fidelibus haberi poſſunt. Aliud eſt locale, quod immediatè locum reſpicit, prohibendo, ne in illo vel celebretur vel Miſſa audiatur aut alia divina Officia & Sacramenta adminiſtrentur; aliud eſt perſonale, quod immediatè perſonas afficit & eas comitatur, quocunque exiſtant; unde tam in illo loco, quàm in quocunque loco exiſtant à divinis arcentur. Aliud denique mixtum eſt, quod ex locali & perſonali coaleſcit, & tam locum quàm etiam incolas afficit, ita ut in illo divina interdicantur celebrare, & hiſce adminiſtrare Sacramenta, quæ omnia conſtant *ex cap. præſenti. 10. cap. ſi ſententia 16. & cap. ſi civitas 17. de ſent. excommunic. in 6.*

26 Dari in Eccleſia poteſtatem ferendi relatas hactenus cenſuras, nemo Catholicorum dubitavit unquã, idemque docet quotidiana experientia: eam autem habent omnes & illi ſoli, qui in foro externo juriſdictionem Eccleſiaſticam obtinent, qualis imprimis eſt S. Pontifex reſpectu omnium fidelium, qui non ſolùm poteſt cenſuras ferre, ſed etiam earum numerum, finem, formam & effectum determinare ac immutare, quod alii Prælati præter ipſum non poſſunt: eandem poteſtatem ferendi cenſuras habent etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi pro ſuo quiſque territorio: ac denique Prælati Regulares reſpectu Religioſorum ſibi ſubditorum, ut autem feratur cenſura non ſufficit qualecunque peccatum etiam mortale. v. g. contra præceptum naturale vel divinum, ſed requiritur, ut ſit contra præceptum Eccleſiaſticum, & committatur cum aliqua contumacia, qua quis cenſeatur Eccleſiæ monentis, aut præcipientis auctoritatem contemnere; quia cenſura eſt pœna Eccleſiaſtica in eos ſtatuta, qui contumaces ſunt in Superiorem cenſuræ latorem, ut coerceantur & corrigantur; requiritur etiam ut peccatum ſit ex genere ſuo mortale: ita ut invalida ſit cenſura præciſè ob peccatum veniale lata; quia eſt contra æquitatem ac Juſtitiam, quòd ob culpam levem graviſſima pœna imponatur: unde quæ excuſant à culpa gravi, excuſant etiam à cenſura; requiritur præterea, ut peccatum illud grave ſit externum, quia poteſtas ferendi cenſuras inſtituta eſt tantùm quoad externum forum: ergò etiam requirit peccatum externum, de internis enim non judicat Prætor, nec Eccleſia de occultis: *arg. can. conſuluiſti 20. cauſ. 2. Q. 5.* requiritur denique ut peccatum in ſua ſpecie ſit completum ac conſummatum, niſi aliud in Jure exprimatur: hinc qui animo occidendi alterum graviter vulneravit, non incurrit cenſuras contra occiſorem latas. Dixi: niſi aliud in Jure exprimatur; quia mandans aliquem occidi per aſſaſſinos excommunicatur, quamvis mors non ſequatur. *cap. 1. de homicid. in 6.* Ab incurrendis verò cenſuris

ſuris excuſat 1mo gravis neceſſitas agendi contra præceptum: quia cùm præcepta Eccleſiæ non obligent cum magno incommodo, illa neceſſitas, quæ excuſat à peccato, excuſat etiam à cenſura illi annexa, quia hæc nonniſi ob transgreſſionem præcepti incurritur; excuſat 2dò. ignorantia cenſuræ etiam vincibilis, modò non fuerit craſſa & ſupina, ut habetur *cap. fin. de Conſtitut. in 6.* 3tiò. excuſat metus gravis; quia timor & periculum gravis damni regulariter excuſat à transgreſſione præcepti Eccleſiaſtici. 4tò denique excuſat innocentia verè talis; qui enim excuſatur à culpa, excuſatur etiam à cenſura, quæ tantùm ferri poteſt propter culpam.

27 Cæterùm caſus, qui annexam habent cenſuram aliquam aut excommunicationem, ſunt quamplurimi, ex quibus tamen aliqui nemini ſunt reſervati, qui referuntur in SS. Canonibus, & præſertim in Decreto, Decretalibus, Sexto, Clementinis, Extravagantibus, nec non in Concilio Tridentino, ac variis Conſtitutionibus Pontificiis, quorum ultra ſeptuaginta ſecundùm ordinem enumerat Tamburinus *to. 2. Diſp. 13. quæſ. 14.* de quibus conveniunt Authores, quòd Prælati Regulares poſſint abſolvere non tantùm ab annexis excommunicationibus, ſed etiam à quibuscunque cenſuris, dummodo in illis non fiat ſpecialis exceptio ac reſervatio; nam ut ait Innocentius III. S. Pont. *cap. Nuper. 29. de ſent. excommunic.* quando conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſervavit, eoipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi. Sunt tamen plures alii caſus extra eos, qui in Bulla Cœnæ continentur, S. Pontifici reſervati, qui annexam habent excommunicationem aliámve cenſuram eidem pariter reſervatam, quorum ultra centum recenſet citatus Tamburinus dicta *Diſp. 13. quæſ. 13.* quique fiunt quotidie plures per ſpeciales SS. Pontificum conſtitutiones, quæ noſtris etiam temporibus emanant, ex quibus præcipuos ac magis obvios hìc enumerare non erit abs re, ſunt autem ſequentes: 1. Participantes in ſacris cum excommunicato à S. Pontifice. 2. Procurantes alienationem rerum Eccleſiaſticarum. 3. Concionatores aliique S. Scripturam perversè interpretantes. 4. Impugnantes B. V. M. immaculatam Conceptionem, aut damnantes peccati mortalis vel hæreſis alterutram opinionem de Conceptione illius. 5. Mendicantes ſine licentia Papæ tranſeuntes ad alium Ordinem, præterquam Carthuſianum. 6. Regulares adminiſtrantes extremam Unctionem vel Euchariſtiam, aut matrimoniis aſſiſtentes ſeu ſolemnizantes ſine privilegio aut ſpeciali licentia Parochi. 7. Prælati Regulares aut Officiales ſibi appropiantes bona Monaſteriorum. 8. Perfringentes & ſpoliantes Eccleſias, aut earum auferentes ornamenta, vel auxi-

xilium ad id præſtantes. 9. Incendiarii maximè Eccleſiarum. 10. Habentes litteras falſas Apoſtolicas, & non deſtruentes. 11. Vexantes eos, qui cenſuram tulerunt in alios. 12. Violantes immunitatem Eccleſiaſticam & libertatem quoad fugientes ad Eccleſiam. 13. Impedientes executionem litterarum S. Pœnitentiariæ. 14. Dantes aliquid vel recipientes pro abſolutione, diſpenſatione, beneficio, juſtitia, indulgentia, vel alio favore apud ſedem Apoſtolicam. 15. Exigentes juramenta illicita & contraria libertati Eccleſiaſticæ. 16. Violantes interdictum papale. 17. Abſoluti ab excommunicatione ſub conditione, & non implentes. 18. Rapientes bona Eccleſiaſtica & exigentes tributa ab Eccleſiaſticis. 19. Committentes duellum atque ad id cooperantes, ſuadendo &c. 20. Docentes poſſe fieri confeſſionem ſacramentalem in abſentia. 21. Qui pro beneficiis obtinendis ſeſe pro aliis in examine ſupponunt. 22. Moniales exeuntes è clauſtro ſine licentia. 23. Parochi non implentes juramentum de reſidentia factum. 24. Dantes vel recipientes aliquid ex pacto pro ingreſſu in Religionem. 25. Committentes ſimoniam confidentialem. 26. Simoniaci reales circa beneficia obtinenda vel Ordines. 27. Malè promoti ad Ordines. 28. Percuſſores Religioſorum ac Clericorum, aut violentas in eos manus injicientes. 29. Mulieres ingredientes Monaſteria Religioſorum, aut hi ingredientes Monaſteria Monialium. 30. Procurantes abortum, aut ſterilitatem. Atque hi ſunt ſelecti ex plurimis caſus S. Pontifici reſervati, de quibus omnibus tum in genere tum etiam in ſpecie inſtituitur quæſtio, an Canonicorum Regularium Prælati poſſint vigore ſuorum privilegiorum abſolvere Religioſos ſibi ſubditos à caſibus S. Pontifici reſervatis, præſcindendo tamen ab illis, qui in Bulla Cœnæ continentur, de quibus ſeq. ſect. ſumus acturi. Unde

Dico 1mo. *Poſſunt Canonicorum aliorumve Regularium Prælati Religioſos ſibi ſubditos abſolvere à quibuslibet peccatis, criminibus & delictis quantumcunque gravibus ac enormibus ante vel poſt emiſſam Profeſſionem commiſſis, & ab omnibus cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti eiſdem annexis, etiam S. Pontifici qualitercunque generaliter vel ſpecialiter reſervatis, extra Bullam Cœnæ tamen contentis.* 28

Ita Eugenius IV. indulſit Prælatis Cann.

Cann. Regg. Congregationis Lateranenſis Florentiæ *10. Calend. Auguſti Anno 1439. Pont. 9.* ubi dictis Prælatis concedit, quòd omnibus & ſingulis Canonicis, Novitiis, Converſis & Commiſſis ejuſdem Congregationis, qui nunc ſunt & pro tempore fuerint, confiteri volentibus pro omnibus & ſingulis peccatis, delictis, & exceſſibus, quoties opus fuerit, auctoritate Apoſtolica abſolutionis beneficium impendere poſſint, ac omnes & ſingulos prædictos à quibuscunque excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdictorum ſententiis, aliiſque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis à Jure vel ab homine auctoritate Apoſtolica vel quavis alia generaliter vel ſpecialiter promulgatis, & quarum abſolutio eſſet etiam ſedi Apoſtolicæ generaliter vel ſpecialiter reſervata, ſi quas incurrerint, injuncta debita ſatisfactione, abſolvere valeant. Nec obeſt: quòd hæc conceſſio facta ſit per ſimplicem ſignaturam; nam hæc, prout jam ſupra *tract. 1. Diſp. 5. S. 5. concl. 5.* tradidimus, eandem vim habent, quam Bullæ Pontificiæ, quemadmodum etiam ibidem expreſsè aſſerit S. Pontifex hisce verbis: *Et quòd dicta omnia per ſolam ſignaturam Sanctitatis veſtræ vim & effectum habeant, ac ſi ſuper illis litteræ Apoſtolicæ confectæ & per Bullam plumbeam obtentæ fuiſſent; non obſtantibus Apoſtolicis, & aliis Cancellariæ Conſtitutionibus & Ordinationibus contrariis quibuscunque*: de quibus omnibus inſuper atteſtatur Officialis Papæ C. Ariminen. ibidem ſubſcriptus. Accedit, quòd hæc omnia fuerint confirmata ab ipſo Eugenio S. P. in Bulla: *Dum ad ſacram. 4. Idus Januar. Anno 1445. Pont. 15.* iterùmque in Bulla: *Dum ad ſacratiſſimam. Romæ Calend. Januar. Anno 1446. Pont. 16.* & à pluribus aliis SS. Pontificibus; quod ſemel monuiſſe ſufficiat, pro dicendis in decurſu.

Idem conceſſit Eugenius IV. Prælatis Congregationis Vallisoletanæ Anno 1438. ut quoscunque Religioſos ſibi ſubditos Donatósque, & Oblatos perpetuò, ac Novitios ſub pœna reincidentiæ, ſi profeſſionem non emittant, ab omnibus & ſingulis ſuis peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis etiam quantumcunque enormibus, ante & poſt ingreſſum Religionis in quibuscunque caſibus, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, commiſſis; nec non à quibuscunque excommunicationum, ſuſpenſionum & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis à Jure vel ab homine ſedis Apoſtolicæ, vel alia quavis authoritate aut per Provincialium aut generalium Conciliorum Conſtitutiones ſive per Regularia Ordinis inſtituta in genere vel in ſpecie promulgatis, ſi quas ante vel poſt ingreſſum Religionis incurrerint, etiamſi propterea ad ſedem Apoſtolicam ſpecialis habendus foret recurſus, abſolvere poſſint.

Idipſum indulſit Sixtus IV. memoratis Canonicorum Regularium Prælatis Congregationis Lateranenſis in Bulla: *Dum ad univerſos. Romæ 10. Cal. Septembr. Anno 1477. Pont. 6.* datâ hiſce verbis: ut cum Canonicis, Novitiis, Converſis & Commiſſis ejuſdem Congregationis ſive priusquam intraverint Congregationem & Ordinem hujusmodi ſive poſt, in caſibus quibus excesſerint, vel pro quibus excomunicationis vel interdicti aut ſuſpenſionis ſententias à Jure vel ab homine generaliter vel ſpecialiter promulgatas incurrerint: & in omnibus aliis caſibus qualitercunque generaliter vel ſpecialiter ſedi Apoſtolicæ reſervatis abſolutionis beneficium juxta caſuum exigentiam impartiri valeant. Idem iisdem omninò verbis conceſſit Julius II. Prælatis Canonicorum Regularium Congregationis Bononienſis in Bulla: *Inter cæteros. 4. Nonas April. Anno 1512. Pont. 9.* & Innocentius VIII. Prælatis Canonicorum Regularium Congregationis Windeſemenſis relatus à Leone X in Bulla: *Exponi 28. Januar. Anno 1520. Pont. 7.*

Pius denique V. in Bulla: *Dum ad Congregationem Idibus Julii Anno 1571. Pont. 6to.* edita (ut alios quamplures SS. Pontifices præterea, qui idipſum conceſſerunt diverſis Ordinibus) facultatem dedit omnibus & ſingulis Abbatibus & Prælatis Congregationis Caſſinenſis quoscunque Monachos, Converſos, Commiſſos, & Oblatos tam profeſſos quàm Novitios, in ea tamen Congregatione perſeverantes ab omnibus & quibuscunque criminibus, reatibus, culpis, cenſuris & pœnis per eos & eorum quemlibet, tam ante, quàm poſt illorum in Congregationem hujusmodi ingreſſum ſeu profeſſionem regularem ibidem per eos emiſſam ex quavis cauſa & ob quemvis exceſſum & delictum publicum vel occultum, caſu ſeu data opera quomodolibet ab eis, & ſingulis, etiamſi homicidium voluntarium ſeu membri mutilatio, non tamen poſt ingreſſum hujusmodi, pro tempore ſubſecutum ſeu ſubſecuta fuerint, incurſis & in futurum incurrendis, etiamſi de caſibus reſervatis ſedi Apoſtolicæ fuerint, plenariè toties quoties opus fuerit, injuncta ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, quoad reatum homicidii tantùm, in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi & liberandi.

Ex quibus denique omnibus luce clarius patere videtur, Prælatos Canonicorum aliorúmque Regularium, qui ejusmodi privilegia à SS. Pontificibus hactenus obtinuerunt ſive directè ſive per viam communicationis, prout reipſa plerique, ſi non omnes, obtinent Religioſi Ordines, quemadmodum videre licet apud Auguſtinum à Virgine Maria *de privil. OO. Religioſ. V. abſolutio Fratrum*, & *V. excommunicatio*, poſſe Religioſos ſibi ſubdi-

tos quoscunque abſolvere à caſibus & cenſuris S. Pontifici quomodocunque reſervatis ſaltem iis, qui non continentur in Bulla Cœnæ, de quibus cùm longè major ſit difficultas, ſpecialiter nobis agendum eſt. Interim tamen contra ſtatutam concluſionem noſtram

29 Objiciet fortè unus aliquis: quòd etſi præfati SS. Pontifices conceſſerint facultatem abſolvendi à prædictis caſibus S. Pontifici reſervatis, id tamen intelligendum eſſe tantùm de illis, qui ante conceſſionem horum privilegiorum, non verò de illis, qui poſt illam primùm fuerunt reſervati; id quod ex eo quoque confirmari poteſt: quia facultas Epiſcopis per Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6.* conceſſa ad abſolvendum à caſibus occultis S. Pontifici reſervatis, non extenditur ad reſervatos poſt Concilium, ſed tantùm ad reſervatos ante celebratum Concilium, ùt docent Graffis *cap. 5. n. 17.* & Chapeaville *de caſ. reſerv. caſu 4. q 3 diffic. 2.* atque ita etiam declaráſſe ſacram Concilii Congregationem contendunt: ergò etiam facultas Prælatis Regularibus conceſſa ad abſolvendum à reſervatis non debet extendi ad reſervatos poſt facultatis iſtius conceſſionem. Accedit, quòd plures nunc dentur caſus & cenſuræ, quas SS. Pontifices relatis poſteriores ſibi ſpecialiter reſervârunt, ita ut ab iis, niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolvi, præterquam in articulo mortis conſtituti; ſic enim Paulus II. relatus *extravag. Cùm deteſtabile. 2. de Simon.* quam S. Pius V. in Bulla: *Cùm primùm. Calend. April. Anno 1566.* inviolabiliter obſervari mandavit, S. Pontifici ſpecialiter reſervavit ſimoniam circa beneficia etiam regularia commiſſam. Sic etiam Sixtus V. in Bulla: *Sanctum & ſalutare. Non. Januar. Anno 1588.* reſervavit ſibi abſolutionem excommunicationis & ſuſpenſionis in ſimoniacè ordinatos, aut malè promotos latam, & quidem cum derogatione privilegiorum, etiam Maris magni. Similiter plures SS. Pontifices ſibi ſpecialiter reſervârunt gravem & enormem percuſſionem Religioſi aut Clerici: & Gregorius XIII. in Bulla: *Ubi gratia. 13. Junii Anno 1575.* ſibi pariter reſervâvit excommunicationem in facientes aut permittentes ingredi mulieres in Monaſteria Religioſorum, aut viros in Monaſteria Monialium: atque ſic etiam Sixtus V. in Bulla: *Effrœnatam. 28. Novembr. Anno 1588.* reſervavit ſibi excommunicationem in procurantes abortum ac ſterilitatem latam, & quidem cum derogatione omnium privilegiorum; & ſic de aliis loquendo caſibus. ℟ relatorum privilegiorum ſenſum haudquaquam eſſe, quòd per ea tantùm detur facultas abſolvendi ab illis peccatis tunc reſervatis, quando conceſſum eſt privilegium; id enim repugnat verbis privilegiorum, ùt conſideranti patebit, ſed ab omnibus illis eo tem-

pore reſervatis, quo fit confeſſio & datur abſolutio: tum quia SS. Pontifices conceſſerunt hæc privilegia ut perpetua & generalia ad omnes caſus reſervatos, ùt apertè colligitur ex verbis ipſorum privilegiorum: ſed talia non eſſent, ſi non comprehenderent omnes caſûs reſervatos etiam pro tempore, quo fit confeſſio & datur abſolutio: ergò & hos comprehendunt: tum quia conceſſa facultas abſolvendi à reſervatis eſt ampliſſima, nec limitatur ad commiſſa hoc vel illo tempore: tùm quia privilegia accipienda ſunt prout ſonant: ergò ſi ſonant univerſaliter & ſine reſtrictione, ùt talia etiam accipienda ſunt, præſertim ſi ſunt abſoluta & meram gratiam ac favorem continent, nec cedunt in præjudicium ullius, adeóque potiùs amplianda ſunt, quàm reſtringenda juxta illud: Odia reſtringi, & favores convenit ampliari *R. J. 15. in 6.* Ad confirmationem ℞. antecedens majori jure negari, quàm aſſeritur, tum quia de natura legis eſt comprehendere futura *Cap. fin. de Conſtitut.* tum etiam quia Concilium concedit Epiſcopis dictam facultatem generaliter, non diſtinguendo inter reſervationes præteritas & futuras: ergò etiam generaliter intelligendum eſt; nec quidquam probat allata S. Congregationis declaratio, utpote non ſatis authentica, & conditionibus ab Urbano VIII. ad hoc requiſitis deſtituta: & licèt talis foret, adhuc tamen magna eſſet utrinque diſparitas, ob quam meritò negaretur conſ. Nam facultas Prælatis Regularibus conceſſa abſolvendi ſuos Religioſos à dictis caſibus data eſt ad conſulendum eorum quieti, & ad tollendas vagandi occaſiones, quæ ratio æquè pugnat pro antiquis, quàm pro novis caſibus reſervatis; neutiquam yerò pro Epiſcopis ad hoc ut abſolvere poſſint ſæculares ſive laicos ſive Clericos, neque ea etiam movit Patres Concilii, ut hanc illis concederent facultatem. Id verò quod additur de caſibus, quos poſteriores SS. Pontifices ſpecialiter ſibi reſervârunt cum clauſula, quòd ab iis nemo præter Romanum Pontificem poſſit abſolvere, niſi in articulo mortis, noſtræ parùm aut nihil officit concluſioni; nam clauſula illa omnibus ineſt caſibus S. Pontifici reſervatis, eáque procedit tantùm de Jure communi, ac ſecluſis privilegiis, proinde curanda non eſt illis, qui privilegia habent abſolvendi à caſibus S. Pontifici reſervatis: neque derogatio privilegiorum à Sixto V. quibusdam ſuis Conſtitutionibus inſerta quidquam probat, cùm ſubſequentes SS. Pontifices vel eas ad terminos Juris communis reduxerint, vel confirmando Regularium privilegia aut de novo concedendo iterum ea reſtituiſſe videantur; quæ omnia ut manifeſtius pateant, caſus ſuperiùs adductos totidem concluſionibus ſpecialiter examinabimus. Hinc

Digitized by Google

30 Dico 2do. *Poſſunt Canonicorum aliorúmque Regularium Prælati abſolvere Religioſos ſibi ſubditos à cenſuris & excommunicatione ob commiſſam ſimoniam contractâ.*

Ita rurſus Sixtus IV. Prælatis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis in Bulla: *Dum ad Univerſos. 10. Cal. Septembr. Anno 1477.* ubi iiſdem dat facultatem abſolvendi Canonicos ſuos ab omnibus caſibus, etiam ex cauſa cujuscunque ſimoniæ qualitercunque generaliter vel ſpecialiter ſedi Apoſtolicæ reſervatis. Et in alia Bulla, quæ incipit: *Regimini. 31. Auguſti Anno 1474.* idem Sixtus declarans caſus, propter quos fratres ad ſedem Apoſtolicam pro abſolutione ſint deſtinandi, addit expreſsè: *Reliquis verò omnibus, etiam ſimonia pravitate qualitercunque irretitis, poſſe per Prælatos abſolutionis beneficium juxta caſuum exigentiam impertiri.* Idem conceſſit Julius II. Prælatis Canonicorum Regularium Congregationis Bononienſis in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* iiſdem omninò verbis, quibus Sixtus IV. idémque etiam Innocentius VIII. Prælatis Canonicorum Regularium Congregationis Windeſemenſis in Bulla: *Sacra Religionis 3tio. Idus April. Anno 1486.* & Leo X. in Bulla: *Exponi, 28. Jan. 1520.* ex quibus iterum privilegiis manifeſtum fit, poſſe Canonicorum aliorúmve Regularium Prælatos abſolvere ab excommunicatione ob ſimoniam contracta; tripliciter autem committitur ſimonia, cui præter alias pœnas annexa eſt excommunicatio S. Pontifici reſervata. 1mò. circa ingreſſum in Religionem, quando pro eo datur vel recipitur aliquid temporale ex pacto, ùt ſtatuitur *Extravagante ſanè 1. de ſimonia.* 2dò. circa beneficia, cùm datur vel recipitur aliquid ex pacto pro beneficio obtinendo, commutando, vel reſignando, ùt habetur *Extravagante Cùm deteſtabile 2. de ſimonia.* 3tiò. circa Ordines tum conferendos, tum ſuſcipiendos, quando nempe aliquid ex pacto datur vel recipitur pro illorum ſuſceptione vel collatione, ùt iterum ſtatuitur citata *Extravag. Cùm deteſtabile.* & quidem, quòd Prælati Canonicorum Regularium abſolvere poſſint à ſimonia circa ingreſſum in Religionem comiſſa, & ab excommunicatione S. Pontifici per citata Jura reſervatâ, ex eo patet, quia privilegia ſupra relata concedunt Prælatis facultatem abſolvendi à quibuscunque caſibus ac ſententiis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti S. Pontifici quomodocunque reſervatis etiam ex cauſa ſimoniæ qualitercunque generaliter vel ſpecialiter contractæ: nec ullum adeſt indicium, quòd iſta privilegia unquam fuerint revocata aut reſtricta: ergò cùm ſimonia circa ingreſſum in Religionem

Digitized by Google

nem commiſſa nullibi reperiatur excepta, incluſa cenſetur in poteſtate abſolvendi à ſimonia qualitercunque contracta. Ob quam ipſam rationem poſſunt iidem quoque Prælati abſolvere à ſimonia circa beneficia commiſsâ & excommunicatione eidem annexa ac S. Pontifici reſervata, ſive talis ſimonia ſit realis ſive confidentialis, quia utraque continetur in ſimonia qualitercunque contracta, à qua abſolvendi poteſtatem Prælatis concesſerunt relati SS Pontifices, neque ullum eſt fundamentum ab ea excipiendi ſimoniam ſive realem ſive confidentialem circa beneficia commiſſam. Nomine autem beneficii hic veniunt quæcunque dignitates perſonatûs, officia Eccleſiarum vel Monaſteriorum, quæ per electionem, poſtulationem, nominationem, proviſionem, vel quamvis aliam canonicam diſpoſitionem conſequuntur, ùt patet ex dicta *Extravag. Cùm deteſtabile*, ideóque etiam procedit quoad Prælaturas regulares, Præpoſituras, Abbatias, Prioratus, Vicarias, beneficia, & ſimilia munera, in Religionibus præſertim Abbatialibus, quæ non conſiſtunt in nuda commiſſione ad nutum revocabili, ſed in munere ordinario, ùt docet Cajetanus *in ſum. V. excommunicatio 72.* quem ſequitur Armilla *V. excommunicatio 59 in extravag. Pauli II.* Suarez *L. 4. de Simonia cap. 57. n. 45.* & alibi ſæpiùs. Sanchez. *to. 2. Opuſc. L. 2. cap. 3. dub. 104. n. 11. & dub. 107. n. 3.* Portel. *in dub. ſingular. V. Simonia n. 5.* Tamburin. *to. 2. Diſp. 14. quaſ. 14. n. 2.* Donatus. *to. 2. tract. 1. quaſt. 27. n. 1.* & alii plures, quos refert & ſequitur Diana *part. 4. tr. 4. Miſcell. Reſol. 156.*

Major difficultas eſt de ſimonia circa Ordines tum conferendos tum ſuſcipiendos commiſsâ, & excommunicatione exinde contractâ ac S. Pontifici reſervatâ, an ab ea quoque Prælati Regulares abſolvere poſſint ſubditos ſibi Religioſos? Præterquam enim quòd Paulus II. S. P. *cit. Extrav. Cùm deteſtabile de ſimon.* illius abſolutionem ſoli Romano Pontifici reſervaverit, & quoad hoc etiam inviolabiliter obſervari præceperit S. Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Cùm primùm. Calend. April. Anno 1566.* edita, eam inſuper innovavit Sixtus V. in Bulla: *Sanctum & ſalutare. Non. Januar. Anno 1588.* hiſce verbis: Cæterùm ſi quis Antiſtes vel Abbas recepta ab iis, quibus Tonſuram & Ordines conferet, pecunia, pretio vel præmio ſimoniacè in futurum inſigniverit, vel promoverit, volumus, ut præter alias cenſuras & pœnas contra ſimoniacè ordinantes & ordinatos à SS Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis alias inflictas & irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus, etiam omnia & ſingula ſupradicta in ſic promoventibus & promotis locum habeant; inter quæ erat etiam abſolutionis reſervatio S. Pontifici cum derogatione omnium privilegiorum, etiam 31

Ma-

Mare magnum, dictorum, & Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6.* concedentis Epiſcopis poteſtatem abſolvendi à caſibus occultis S. Pontifici reſervatis; & quamvis relata hactenus Sixti V. Bulla à Clemente VIII. per aliam Conſtitutionem, quæ incipit: *Romanum Pontificem. prid. Calend. Martii. Anno 1595.* ad terminos Juris communis redacta ſit, id tamen intelligendum eſt tantùm quoad cætera in Conſtitutione illa Sixti V. contenta, non autem de cenſuris & excommunicatione ac ſuſpenſione in hujuſmodi ſimoniacè ordinantes & ordinatos ſtatutis, utpote quas præfatus Clemens VIII. expreſsè excepit, ac de novo ſtabilivit: ùt patet ex citata illius Bulla, in qua poſtquam pœnas in Bulla Sixtina ad terminos Juris communis reduxiſſet, addit: *præterquam contra ſimoniacè ordinantes & ordinatos inflictas, quas volumus in ſuo robore permanere, aliis etiam pœnis & cenſuris per eosdem Canones ac Conſtitutionem Pii II. Conciliùmque Tridentinum injunctis ſalvis & firmis remanentibus*: ex quibus omnibus deducunt Authores communiter, quòd Prælati Regulares non poſſint ampliùs abſolvere Religioſos ſibi ſubditos à ſimonia circa Ordines commiſsâ, & ab excommunicatione ac ſuſpenſione exinde contracta ac S. Pontifici reſervata, cùm Sixtus V. quoad hoc Regularium privilegia abrogârit, idque confirmârit Clemens VIII. Verùm his non obſtantibus alii cum Sigismundo à Bononia *de Elect. & poteſt. Prælat. Regul. dub. 99. n. 2.* Portel. *in dub. Regular. V. Prælatus. n. 29.* Laur. de Peyrin. *to. 3. in additam ad Conſtit. Julii II. cap. 3. n. 31.* Tamburin. *to. 2. D. 14. quæſ. 13. n. 5. & ſeqq.* dicendum putant, Prælatos Regulares poſſe etiamnum à ſupradictis cenſuris ſuos ſubditos abſolvere, idque probant ex nonnullis privilegiis, quibus conceditur Prælatis Regularibus facultas abſolvendi ſubditos à quibuscunque caſibus, etiamſi tales forent, propter quos Apoſtolica ſedes conſulenda foret, ùt patet ex conceſſionibus relatis tum ſupra, tum *in Compend. privileg. Mendic. V. abſolutio ordinaria quoad fratres*, & à Roderico *Quæſt. Regul. to. 1. quæſt. 20. art. 13.* ubi in terminis hujus quæſiti loquitur: & hac poteſtate etiam hodie Regulares Prælatos potiri & gaudere cenſent; quia licèt circa hoc omnia eorum privilegia etiam in Mari magno contenta à Sixto V. in prædicta ſua Conſtitutione revocata fuerint, tamen à Clemente VIII. *Anno 1597. die 20. Decembr.* per Bullam: *Ratio Paſtoralis*, revalidata, ac innovata & ex certa ſcientia confirmata fuerunt omnia Fratrum Minorum privilegia, quam innovationem & confirmationem iidem FF. Minores obtinuerunt etiam à Paulo V. tam pro foro conſcientiæ quàm pro externo eodem modo quo eam conceſſerat Clemens VIII. in prædicta ſua Bulla: *Paſtoralis officii.* Idipſum idem Paulus V. in Bulla: *Quantum Religio-*

gio. prid. Non. Septembr. Anno 1606. conceſſit Jeſuitis & omnia ac ſingula eorum privilegia motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis innovavit ac confirmavit. Item Gregorius XV. *Anno 1621.* Theatinis confirmat motu proprio & ex certa ſcientia gratias, privilegia, indulta &c. etiam per communicationem, vel aliàs quomodolibet conceſſa, nec adhibet ullam reſtrictionem. Simile privilegium dedit quoque Urbanus VIII. Congregationi S. Mauri per Bullam: *In ſupereminenti. 21. Januar. Ann. 1628.* in qua illi pariter motu proprio & ex certa ſcientia concedit & innovat omnia & quæcunque privilegia Ordinibus Mendicantibus & non Mendicantibus conceſſa abſque ulla exceptione aut reſtrictione, cum clauſulis, ut nunquam revocentur nec cenſeantur comprehendi ſub ullis futurorum Pontificum revocationibus, aut derogatoriarum derogatoriis: quin imò cenſeantur ſemper in illis excipi, & toties in priſtinum ſtatum reſtitui, redintegrari, ac de novo concedi, quoties contigerit, aliquam revocationem fieri: ex quibus omnibus inferunt, poſſe Prælatos Regulares vigore prædictarum Confirmationum ac innovationum ſuprarelatis uti privilegiis, quibus ante narratam Conſtitutionem Sixti V. fruebantur, acſi ea non emanâſſet, & exinde abſolvere ſubditos ſibi Religioſos à cenſuris, ratione ſimoniæ in Ordine contractis. Quòd autem hujuſmodi confirmationes & innovationes id operentur docet Suarez *de Relig. to. 4. tr. 8. L. 2. cap. 21. n. 9.* dum ait: Prælatos Regulares ex vi prædicti motûs proprii Sixti V. non habere hanc facultatem circa ſuos ſubditos, niſi à ſede Apoſtolica habeant novam ſuorum privilegiorum confirmationem, quam ait ſufficere, ſi ſaltem vivæ vocis oraculo concedatur; docent id etiam Crouſers *Lect. 12. in cap. 7. §. arbitror. & Lect. 26. §. dixi. in idem cap. 7.* & ſatis dilucidè ac perbellè Barthol. de Vecch. *in prax. habend. pro Novis. recip. diſp. 9. dub. 3. à n. 4.* Probatur: quia licèt confirmatio & innovatio privilegiorum facta in forma communi jus nullum de novo tribuat, ſed ſolùm vetus conſervet, ac ideò parùm aut nihil operetur, *cap. examinata 7. cum ſuis Gloſs. de confirm. util. & inutil.* Rota *deciſ. 192. n. 2. part. recent.* Quando tamen eſt facta ex certa ſcientia non dicitur ſimplex confirmatio vel innovatio, ſed ampliatio & nova conceſſio. *cap. Si Apoſtolica. 22. ubi Gloſs. V. confirmamus de Præbend. in 6.* Panormit. *in d. cap. examinata. n. 6. V. quandoque.* ubi etiam *deciſ. 1. n. 46. de Confirm. util. vel inutil.* Rota *dict. deciſ. 192. n. 2. part. 1. & deciſ. 339. n. 3. part. 2. recent.* & latè pluribus relatis id in terminis probat Barthol. de Vecch. *l. c. dub. 13. per tot.* Ita Tamburinus *l. c. n. 5. & 6.* Cæterùm autumant Navarrus & Leſſius, teſte P. Pichler *in Candid. Jurisprud. ad fin. n. 56.* de

de Simon. Conſtitutionem relatam Sixti V. plerisque in locis ignotam & non receptam eſſe: quod ſi verum eſſet, ſublata foret tota difficultas. (*Adde*; Confirmationem generalem privilegiorum non præjudicare exceptioni peculiari ab anterioribus Pontificibus factæ. Itaque manet in ſuo robore Exceptio Sixti V. dum verò dicitur, ejus Bullam eſſe ignotam, aut non receptam, admitti non poteſt; alia enim eſt ignorantia generalis, alia particularis ſeu perſonalis: dari illam ignorantiam generalem circa Bullam Pontificiam ſufficienter promulgatam, ac toties à Doctoribus citatam, turpe eſt dicere. Quodſi generaliter ignorata non eſt, præſumi non poteſt, eam non eſſe receptam, niſi in aliqua regione oſtendatur eſſe moraliter inobſervabilis.)

32 Dico 3tiò. *Poſſunt Canonicorum, aliorúmve Regularium Prælati ſubditos ſibi Religioſos abſolvere à cenſuris & ſuſpenſione ob Ordines malè ſuſceptos incurſa, atque etiam ab irregularitate, ſi in iisdem miniſtraverint, exinde contracta diſpenſare.*

Ita SS. Pontifices Eugenius IV. Sixtus IV. Innocentius VIII. Julius II. in Bullis ſupra relatis, qui omnes Prælatis Canonicorum Regularium conceſſerunt, ut poſſint Religioſos ſibi ſubditos abſolvere ab omnibus caſibus & ſententiis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, S. Pontifici qualitercunque reſervatis: & ſi hujusmodi ſententiis innodati divina Officia celebrando, aut Ordinem ſuſcipiendo ſic ligati, notam irregularitatis incurriſſent, cum illis etiam diſpenſare. Neque dicas: Sixtum V. hæc ipſa privilegia revocâſſe in Bulla: *Sanctum & ſalutare. Non. Januar. Anno 1588.* ubi poſtquam cenſuras ac pœnas in malè promotos ſtatutas recenſuiſſet, ait: Inhibentes, ne à quoquam ſæculari, vel cujusvis Ordinis regulari Presbytero vel Prælato quavis auctoritate fungente vigore aut prætextu facultatum aut privilegiorum, Mare magnum aut aliàs quomodolibet nuncupatorum, quibusvis Ordinibus, Congregationibus, aut perſonis regularibus, aut Epiſcopis per decreta Concilii Tridentini vel aliàs quomodolibet conceſſorum, perſonæ ſicut præfertur delinquentes tam ſcilicet Antiſtites ſeu Abbates promoventes, quàm Clerici malè inſigniti ſeu ordinati, à reatibus & exceſſibus præfatis abſolvi, præterquam in mortis articulo, poſſint aut debeant: nec cum iis ſuper irregularitate propter præmiſſa contractâ, etiamſi crimen penitùs occultum fuerit, quovis mo-

modo valeant diſpenſari: ſed eorum omnium abſolutionem & diſpenſationem Nobis & Succeſſoribus noſtris perpetuò reſervamus; quibus ex verbis clarè patet, facultatem abſolvendi & diſpenſandi Prælatis per relatos SS. Pontifices conceſſam, quoad hoc fuiſſe à Sixto V. revocatam. Sed contra eſt, quòd Clemens VIII. in Bulla: *Romanum Pontificem. prid. Cal. Martii Anno 1595.* edita hanc ipſam Sixti V. Conſtitutionem quoad hoc poſtea revocaverit, & ad terminos SS. Canonum, ac Conſtitutionis Pii II. quæ incipit: *Cùm ex ſacrorum. ſub dat. 15. Cal. Decembr. Anno 1461.* & ad diſpoſitionem Decretorum Concilii Tridentini reſtrinxerit & reduxerit: nec non cenſuras & pœnas in eiſdem Sixti litteris contentas moderatus fuerit & abolverit, & conſequenter in antiquum ſtatum, quo res hæc fuerat ante dictam Sixti Conſtitutionem reſtituerit: ſed ante hanc poterant Prælati Regulares abſolvere & diſpenſare, ut nemo dubitavit: ergò etiam poſt factam illius moderationem, ſicut poſt eam Epiſcopi quoque receperunt facultatem abſolvendi & diſpenſandi ſuos Clericos, quam illis quoad malè promotos abſtulerat Sixtus V. Ex quo ipſo novum pro concluſione noſtra formari poteſt argumentum: Prælati Regulares eandem habent poteſtatem abſolvendi ac diſpenſandi ſuos Religioſos, quam habent Epiſcopi vi Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6.* ad abſolvendum & diſpenſandum ſubditos ſibi Clericos, ùt conſtat ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Romani. 21. Julii Anno 1571.* data, & ex dictis hac Diſp. *Sect. 1. ad fin.* ſed Epiſcopi poſt factam à Clemente VIII. moderationem Conſtitutionis Sixtinæ poſſunt iterum ſubditos ſibi Clericos malè promotos abſolvere & cum eis diſpenſare, ſicut vi Tridentini antea potuerant: ergò etiam Prælati Regulares poſſunt poſt moderationem Conſtitutionis Sixtinæ Religioſos ſibi ſubditos malè promotos rurſus abſolvere & cum eis diſpenſare, ſicut antea poterant: idque non tantùm in caſibus occultis ſicut Epiſcopi, ſed etiam in publicis, ùt cum Henriquez *L. 3. cap. 35. n. 4.* docet Tamburinus *to. 2. Diſp. 2. quæſ. 13. n. 14.* quia lex & maximè in favorabilibus ſimpliciter loquens, ſimpliciter eſt intelligenda, & ubi ipſa non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. *L. de pretio ff. de publ. in rem act. L. non diſtinguemus. ff. de recept. arbitr.* & *L. in fraudem. ff. de teſtam. mil.* ſed ſimpliciter habetur, poſſe Prælatos Regulares ſubditos ſuos Religioſos abſolvere à quibuscunque cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti qualitercunque S. Pontifici reſervatis, & cum eis diſpenſare, ut ſuſpenſi poſſint Ordines ſuſcipere, & in ſuſceptis celebrare, nec ullam facit mentionem, an ſuſpenſio ſit publica vel occulta: ergò ſimpliciter etiam in publica ſuſpenſione abſolvere ac diſpenſare poſſunt, maximè cùm ſimus in favorabilibus;

qui-

quibus etiam plurimùm favent relata ſuperiùs SS. Pontificum privilegia. Cæterùm per malè promotos ad Ordines intelliguntur hîc, qui ordinantur per ſaltum, ante legitimam ætatem, furtivè ſine Epiſcopi examine & approbatione, vel extra tempora à Jure ſtatuta, aut ab alieno Epiſcopo absque veris dimiſſoriis litteris ſui Ordinarii, vel non ſervatis interſtitiis, aut eodem die plures SS. Ordines recipiunt, & univerſim qui cùm ex aliquo crimine, vitio, aut defectu ſeu aliàs inhabiles exiſtant, ſeſe SS. Ordinibus ingerunt; hi enim omnes à ſuſcipiendis Ordinibus arcentur tum à SS. Canonibus, tum à Concilio Tridentino, tum à Conſtitutionibus Pontificiis præſertim Pii II. ac Sixti V. Ex hactenus porrò dictis ſequitur 1mò. poſſe Prælatos Regulares abſolvere Religioſos ſuos, qui Ordines per ſaltum ſive ignoranter ſive ſcienter ſuſceperunt, ac cum eis diſpenſare, ut prætermiſſos Ordines recipere, in malè ſuſceptis miniſtrare, & ad Superiores, ſi qui deſint recipiendi, aſcendere poſſint. Sequitur 2dò quòd iidem Regulares Prælati abſolvere poſſint Religioſos ſuos ante legitimam ætatem ordinatos à ſuſpenſione propterea incurſa: pro quo tamen notandum, quòd ordinati ante legitimam ætatem duplicem incurrant ſuſpenſionem, unam propter defectum ætatis, & aliam propter delictum, & ab hac dico, poſſe Prælatos abſolvere, non item ab altera, utpote quæ manet usque dum adveniat ætas requiſita. Unde licèt poſt adeptam ætatem quis liberetur à ſuſpenſione propter defectum ætatis absque alia abſolutione, ùt docent Auctores communiter, indiget tamen abſolutione ad hoc, ut liberetur à ſuſpenſione propter delictum incurſa. Sequitur 3tiò. quòd Prælati Regulares poſſint abſolvere à ſuſpenſione Religioſos, qui furtivè, aut non ſervatis interſtitiis, aut extra tempora à Jure ſtatuta, vel ſine veris dimiſſoriis ab alieno Epiſcopo fuerunt ordinati, aut plures SS. Ordines eodem die receperunt. Ratio omnium eſt: tum quia Prælati Regulares poſſunt univerſaliter ſubditos ſibi Religioſos abſolvere ab omnibus cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ùt conſtat ex recenſitis hactenus privilegiis, quæ licèt à Sixto V. fuerint quoad malè promotos ſublata, à Clemente tamen VIII. rurſus ſunt reſtituta: tum quia id etiam poſſunt Epiſcopi reſpectu ſuorum Clericorum: Prælati autem Regulares eandem habent abſolvendi poteſtatem in ſuos ſubditos, quam habent Epiſcopi in ſuos Clericos: ergò &c.

Dico 4tò. *Poſſunt Canonicorum aliorúmve Regularium Prælati abſolvere Religioſos ſibi ſubditos ab ex-* 33

excommunicatione Canonis, ſi quis ſuadente, S. Pontifici reſervata, etiamſi percuſſio foret gravis & enormis.

Ita præter alios SS. Pontifices Bonifacius IX. in Bulla: *Sacra Religionis.* 27. *April. Anno* 1402. in qua Prælatis concedit, eos, qui manus violentas in Confratres, vel alios quoscunque Clericos etiam usque ad ſanguinis effuſionem & enormem læſionem injecerint, à prædictis excommunicationum ſententiis & pœnis, quas propterea incurrerint (dummodo læſio hujusmodi adeò enormis non exiſtat, quòd propterea ſedes Apoſtolica foret conſulenda) quoties expedierit abſolvendi, & cum eis ſuper irregularitate, ſi quam hujusmodi ſententiis ligati celebrando divina vel immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptum clavium, aut aliàs præmiſſorum occaſione qualitercunque contraxerint diſpenſandi: eósque quoad hoc in priſtinum ſtatum reſtituendi. Per læſionem porrò adeò enormem propter quam ſedes Apoſtolica ſit conſulenda intelligit Bordonus *in Conſ. Regul. Reſol.* 27. homicidium, mutilationem, aut oculi effoſſionem: & hoc etiamſi percuſſio facta fuerit contra Clericum ſæcularem, aut Religioſum alterius Ordinis; in hoc enim privilegio expreſsè dicitur: in Confratres vel alios quoscunque, quæ particula, ût de ſe patet, univerſalis eſt, & omnes complectitur; atque ita docet Rodriquez *to.* 1. *QQ. Regul. quæſt.* 20. *art.* 12. Sorbo *in compend. priv. V. abſolutio ordinar. quoad Fratres.* Peyrinis *to.* 1. *ad Conſtit.* 2. *Julii II.* §. 29. *n.* 119. & *to.* 3. *in additam ad eandem Conſtit. n.* 33. Bordonus *in Conſil. Regul. to.* 1. *Reſol.* 28. Diana *part.* 4. *tract.* 9. *Reſol.* 49. & 50. *in fin.* Miranda *to.* 2. *Man. Prælat. quæſt.* 35. *art.* 14. Suar. *to.* 4. *de Relig. tr.* 8. *L.* 1. *cap.* 21. Palao *de Cenſur. Diſp.* 3. *punct.* 21. §. 4. Fagundez *to.* 2. *L.* 1. *D.* 2. §. 9. *n.* 55 Boſſius *Dec.* 1. *dub.* 19. *n.* 198. Giribaldus *to.* 2. *tr.* 7. *cap.* 16. *n.* 36. Anton. à Spiritu S. *in Direct. Regul. to.* 1. *tr.* 2. *Diſp.* 1. *S.* 1. *n.* 24. Tamburin. *to.* 2. *D.* 14. *quæſ.* 10. *n.* 7. Andreas à Matre *tr.* 10. *de Cenſ. cap.* 2. *punct.* 6. *n.* 69. & alii plures, ex quibus plerique concluſionem noſtram extendunt ad omnem & qualemcunque percuſſionem quantumcunque enormem, & hoc ſive in clauſtro ſive extra, ſive Religioſos proprii Monaſterii ſive alieni ſive etiam Clericos ſæculares percutiant: ex ratione, quia per privilegia ſuperius concl. 1. à nobis relata & Bonifacio IX. poſteriora abſolutè conceditur Prælatis abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti qualitercunque S. Pontifici reſervatis, nulla uſpiam facta reſtrictione aut exceptione excommunicationis ob percuſſionem Religioſi aut Clerici ſæcularis, ututenormem, contra-

ctæ:

ctæ: & licèt per ea non concedatur facultas ſpecialis abſolvendi à tali excommunicatione, neque explicita illius fiat mentio; quia ſufficit, quòd implicitè contineatur in generali conceſſione abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris S. Pontifici qualitercunque reſervatis, cùm caſus dicti Canonis, *ſi quis ſuadente*, non ſit ita ſpecialis, ut ſub generali conceſſione non debeat comprehendi. Hanc ipſam facultatem Prælatorum abſolvendi à percuſſione quantumcunque enormi extendit Bordonus etiam ad homicidium voluntarium, idque probat ex Decreto Clementis VIII. ſupra relato de caſibus à ſuperioribus Regularibus reſervandis, in quo conceditur illis poteſtas reſervandi occiſionem, vulnerationem, ac percuſſionem cujuscunque perſonæ, atque adeò etiam Religioſi ac Clerici ſæcularis: cùm ergò certum ſit habentem facultatem reſervandi aliquem caſum, poſſe etiam ab eo abſolvere: & cùm S. Pontifex concedat Prælatis Regularibus poteſtatem reſervandi homicidium cujuscunque perſonæ ſupponere videtur, eſſe in illis quoque poteſtatem abſolvendi ab homicidio cujuscunque perſonæ, ſive Religioſi, ſive Clerici ſæcularis. Neque dicas: Innocentium III. *cap. Cùm illorum. 32. de ſentent. excommun.* concedere quidem in Religionis favorem, ut Prælati poſſint in caſu percuſſionis etiam gravis ſuis ſubditis abſolutionis beneficium impertiri, niſi tamen exceſſus ipſorum extiterit difficilis & enormis, utpote ſi ad mutilationem membri & effuſionem ſanguinis eſt proceſſum; tunc enim ad Apoſtolicam ſedem deſtinandos eſſe ſtatuit. Jam verò ſi pro abſolutione ob percuſſionem Religioſi vel Clerici ſæcularis, ex qua ſequitur mutilatio & effuſio ſanguinis, recurrendum eſt ad S. Pontificem, multò magis recurrendum erit ad illum pro abſolutione ob percuſſionem, ex qua ſequitur homicidium, adeóque in hujusmodi caſibus non poſſunt abſolvere Prælati Regulares ſuos Religioſos. ℞deo. Hæc & plura alia, quæ circa hoc ſtatuunt tum Innocentius III. & alii S. Pontifices tit. de ſent. excommunic. ita intelligenda eſſe, ut procedant de Jure communi, quo multa quoad hoc ſunt conſtituta, quæ non procedunt de Jure privilegiorum à poſterioribus SS. Pontificibus conceſſorum, quibus univerſaliter indultum eſt Prælatis Regularibus, ut abſolvere poſſint Religioſos ſuos à cenſuris omnibus à Jure vel ab homine latis, ac S. Pontifici qualitercunque reſervatis: quæ generalis conceſſio cùm nihil excipiat, haud dubiè præſentem etiam caſum includit, & à diſpoſitione Juris communis eximit.

Dico 5tò. *Poſſunt Canonicorum aliorúmve Regularium Prælati abſolvere Religioſos ſibi ſubditos à cen-* 34

cenſuris excommunicationis & ſuſpenſionis etiam S. Pontifici reſervatis in facientes aut permittentes ingredi mulieres in Monaſteria Religioſorum ac Monialium ſtatutis.

Ita cum Laurentio de Peyrinis *to. 1. ad Conſtit. 6. Julii II. §. 3. n. 22.* Authores cæteri communiter: & ſequitur ex dictis in prima concluſione, vi cujus licet Prælatis abſolvere ſubditos ſibi Religioſos ab omnibus caſibus ac cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti quomodocunque ac qualitercunque S. Pontifici reſervatis: ergò cùm præſentis concluſionis caſus in illis contineatur tanquam ſpecies in genere, licebit quoque Prælatis ſupradictis ab eo abſolvere, quamvis enim ille S. Pontifici ſpecialiter ſit reſervatus, non tamen eſt reſervatus cum derogatione privilegiorum, quæ à relatis in prima concluſione SS. Pontificibus acceperunt tum Canonicorum tum aliorum Regularium Prælati: ut adeò ea maneant illibata ac integra, præſertim cùm nulla ſit ratio nec ullum appareat fundamentum, cur in conceſſione generali abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris S. Pontifici qualitercunque reſervatis non etiam comprehendi debeat præſens caſus. Accedit, quòd Prælati Regulares vigore privilegii à S. Pio V. conceſſi *21. Julii Anno 1571.* quod incipit: *Romani Pontificis.* eandem habent poteſtatem abſolvendi, quam habent Epiſcopi: ſed hi poteſtatem habent abſolvendi in hoc caſu, ùt docent Authores unanimiter: ergò etiam Prælati Regulares hanc habent poteſtatem abſolvendi in hujusmodi caſu Religioſos ſibi ſubditos. Pro meliori porrò hujus caſus intelligentia ſciendum, S. Pium V. *Anno 1566. 23. Octobr.* conſtitutionem edidiſſe, quæ incipit: *Regularium perſonarum*, in qua omnes & ſingulas facultates ac licentias ingrediendi Monaſteria quorumcunque Ordinum Regularium etiam Mendicantium mulieribus cujuscunque conditionis etiam Comitiſſis aut Duciſſis ab Apoſtolica ſede quomodocunque conceſſas revocat, & dictis mulieribus prohibet ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, reſervata Papæ abſolutione, ne hujusmodi licentiarum prætextu dicta Monaſteria ingredi audeant: ipſis verò Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus &c. & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus tam Mendicantibus quàm non Mendicantibus ſub privationis Officiorum & inhabilitatis ad illa & alia omnia impoſterùm obtinenda, & ſuſpenſionis à divinis ipſo facto ſine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admitteréve præſumant. Quia verò relata Conſtitutio mentionem tantùm faciebat mulierum, quæ ſub prætextu pri-

privilegiorum aut licentiarum audebant ingredi Monaſteria Religioſorum: hinc dubitabatur, an comprehendat etiam mulieres præſumentes ingredi ſub alio titulo & absque prætextu privilegii; cui dubio occurrere volens dictus S. Pius V. declaravit vivæ vocis oraculo Cardinali Cribello ipſius Papæ Officiali facto *28. Januar. Anno 1568.* fuiſſe & eſſe mentem & intentionem ſuam, quòd litteræ ſuæ in forma Brevis *die 23. Octobr. Anno 1566.* editæ, in quibus mulieribus quibuscunque Monaſteriorum Regularium ingreſſus cum derogatoriis clauſulis, & irritantibus decretis prohibebatur, non ſolùm comprehenderent & comprehendant mulieres habentes & habere prætendentes facultatem ingrediendi hujusmodi Monaſteria, ſed etiam omnes & quascunque mulieres alias tam in genere, quàm in ſpecie. Verùm cùm ne ſic quidem huic declarationi deferretur, coactus eſt S. Pontifex, novam edere Conſtitutionem *16. Julii Anno 1570.* quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem* certiſſimum mentis ſuæ interpretem, ſi quando in litteris ab eo emanatis aliquid occurrerit, ſuæ declarationis oracula explanare: refert deinde ex integro priorem Conſtitutionem, ac confirmat declarationem Card. Cribello factam cum validiſſimis derogatoriis. Has Pii V. Conſtitutiones poſtea renovavit Gregorius XIII. in Bulla: *Ubi gratiæ. 13. Junii Anno 1575.* in qua non tantùm mulieribus prohibet ingreſſum in Monaſteria Regularium ſub pœna excommunicationis ſoli Papæ reſervata, ſed etiam iisdem ac præcipuè viris interdicit ingreſſum in Monaſteria Monialium ſub quocunque titulo, revocatis omnibus ac quibuscunque licentiis quoad hoc obtentis. Abbatiſſis verò, nec non Abbatibus, Conventibus, ac aliis Monaſteriorum utriusque ſexûs ſuperioribus, quocunque nomine vocentur, diſtrictè præcipit ſub eadem excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœna, nec non privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſuorum ac inhabilitatis ad ea, & alia impoſterùm obtinenda, ne in Monaſteria, domos, & loca ſua prætextu hujusmodi licentiarum & facultatum ingredi faciant vel permittant. Ex quibus omnibus hucusque dictis patet, Prælatos, eorúmque Religioſos quorumcunque Ordinum ſive Mendicantium ſive non Mendicantium præter alias pœnas incurrere ſuſpenſionem à divinis & excommunicationem S. Pontifici reſervatam & quidem ipſo facto absque alia declaratione, qui mulieres quascunque in Monaſteria Religioſorum, aut eas ac viros in Monaſteria Monialium ingredi faciunt & permittunt: à quibus tamen cenſuris Prælatos abſolvere poſſe ſuos Religioſos dicimus, prout etiam expreſſè docent à Sorbo *in compend. privil. V. ingredi.* Sanchez *Libr. 6. in Decal. n. 17.* Diana *part. 3. tract. 2. Reſol. 66.*

Do-

Donatus *to. 1. part. 2. tr. 4. quæſt. 30.* Tamburinus *to. 2. Diſp. 13. quæſt. 13.* Petrus Brencola *reſol. Miſcellan. cap. ult. de Privileg. Regul. §. 5. n. 15.* Rotarius *to. 2. L. 2. cap. 3. punct. 2. n. 14. & alii* plures.

35 Dico 6tò. *Poſſunt Canonicorum aliorumve Regularium Prælati abſolvere Religioſos ſibi ſubditos ab excommunicatione in procurantes abortum ſtatutâ.* Ita hodie certa Authorum ſententia, & ſequitur iterum ex dictis: tum quia dicti Prælati vi privilegiorum concluſione prima relatorum poſſunt abſolvere ab omnibus caſibus ac cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti S. Pontifici qualitercúmque reſervatis: ſed caſus procurantis abortum continetur in illis tanquam ſpecies in genere: ergò poſſunt etiam abſolvere à caſu procurantis abortum: tum quia Prælati Regulares habent jurisdictionem quaſi Epiſcopalem & vi Privilegii S. Pii V. eandem etiam poteſtatem abſolvendi ſuos Religioſos, quam habent Epiſcopi quoad ſuos ſubditos: ſed Epiſcopi poſſunt ſuos ſubditos abſolvere à caſu procurantis abortum, ùt conſtat ex Bulla Gregorii XIV. *Sedes Apoſtolica 31. Maij Anno 1591* inferiùs referenda: ergo etiam Prælati Regulares ſuos Religioſos: tum quia Clemens VIII. in Decreto de reſervatione caſuum *26. Maij Anno 1593.* poteſtatem facit Prælatis inter alios caſus reſervandi ſibi procurationem, auxilium, ſive concilium ad abortum faciendum poſt fœtum animatum etiam effectu non ſecuto: ergò ſupponit S. Pontifex, Prælatos ac conſtitutos ab iis Confeſſarios poſſe ab hoc caſu abſolvere, poteſtas enim reſervandi caſum præſupponit tam in reſervante, quàm in eo, reſpectu cujus reſervatur caſus, poteſtatem abſolvendi, cùm reſervare caſum aliud non ſit, quàm limitare jurisdictionem inferioris, ne abſolvat ab hujusmodi caſu reſervato: unde etiam Clemens VIII. *die 26. Novemb. Anno 1602.* emanato prohibuit, ne ordinarii ſibi reſervent caſus ſpecialiter ſedi Apoſtolicæ jam reſervatos. Neque dicas: Sixtum V. *Anno 1588. 28. Novemb.* per ſuam conſtitutionem, quæ incipit: *Effrænatam.* contra omnes & quoscumque Clæricos Sæculares vel cujusvis Ordinis Regulares, qui per ſe vel per alios abortum fœtûs tam animati, quàm inanimati procuraverint: ita ut reipſa abortus ſecutus fuerit, aut qui ad eum conſilio, favore, potione, maleficio, aut alio modo cooperati fuerint, tuliſſe excommunicationis S. Pontifici reſervatæ ſententiam non obſtante quocumque Privilegio etiam Maris magni, ultra pœnas irregularitatis, privationis officiorum, dignitatum, ac beneficiorum eccleſiaſticorum & inhabilitatis

tis ad ea rurſùs obtinenda; ſub iisdem quoque pœnis, ac ſub eadem excommunicatione S. Pontifici reſervata prohibuiſſe poculum ſterilitatis in fœminis procuratæ, aut quodcumque in ipſis generationis impedimentum: ex quibus omnibus ſequitur, quòd Prælati Regulares ſtante hac Conſtitutione Sixtina non poſſint defacto amplius abſolvere Religioſos ſuos procurantes abortum aut ſterilitatem, cùm quoad hoc Sixtus V. revocaverit eorum privilegia. Verùm contra eſt, quòd Gregorius XIV. in Bulla: *Sedes Apoſtolica 31. Maji. Anno 1591.* edita relatam Sixti V. Bullam correxerit, atque ita moderatus fuerit, ut licet omnes quocumque modo vel medio directè procurantes abortum fœtûs animati, & ad id ſcienter juſſu, conſilio, auxilio quomodolibet cooperantes, ita ut reipſa abortus inde ſecutus ſit, incurrant quidem ipſo facto excommunicationem, non item reſervationem, utpote quam penitus ſuſtulit, relicta Epiſcopis vel aliis etiam Confeſſariis tam Sæcularibus quam Regularibus cujuscumque Ordinis ab illis deſignatis & ad hoc ſpecialiter deputatis omnimoda facultate ab iſta excommunicatione abſolvendi & conſequenter hunc caſum, qui priùs erat Papalis, fecerit Epiſcopalem, à quo Prælati Regulares abſolvere poſſunt ſuos Religioſos; tum quia abſolvere poſſunt à caſibus in Jure reſervatis Epiſcopis, qualis hodie cenſetur eſſe præſens caſus abortûs: tum quia reſpectu ſuorum Religioſorum eandem habent abſolvendi poteſtatem, quam habent Epiſcopi reſpectu ſuorum ſubditorum; tum denique quia poſſunt Religioſos ſuos abſolvere ab omnibus caſibus qualitercumque reſervatis. Quoad eos verò qui procurant abortum fœtûs nondum animati aut exhibent mulieribus poculum ſterilitatis vel quocumque modo impediunt generationem aut ad hoc illis auxilium, vel conſilium dant, idem Gregorius XIV. omnem omninò excommunicationem in præfata Sixti V. Conſtitutione contentam ſuſtulit, eandemque in ea parte, ubi de his agit ad terminos Juris communis, ac SS. Canonum & Concilii Tridentini diſpoſitionem reduxit, perinde ac ſi eadem Conſtitutio in hujusmodi parte nunquam emanâſſet. Nullibi autem legitur ſive in Jure communi, ſive in SS. Canonibus, aut in Concilio Tridentino excommunicationem fuiſſe ſtatutam in procurantes abortum præſertim fœtûs nondum animati. Porrò fœtus ex communi Phyſicorum ac Medicorum ſententia præſumitur animatus, ſi maſculus ſit, quadrageſimo, ſi fœmina, octuageſimo die; in dubio verò, an ſit animatus vel non, judicandus eſt animatus poſt quadraginta dies, quia maſculus præſumitur.

Sectio IV.

De poteſtate Prælatorum Regularium abſolvendi à caſibus S. Pontifici in Bulla Cœnæ reſervatis, hæreſi exceptâ.

36 BUlla Cœnæ, antiquitus vocata *Proceſſus*, ſic dicta eſt, eò quòd illam SS. Pontifices quotannis in die Cœnæ Domini ſive Jovis ſancti magna cum ſolemnitate, multisque cum cæremoniis promulgent, ac excommunicationem ferant in certa delicta, eorum abſolutione ſibi ſpecialiter reſervatâ. Ter olim in anno ſolemniter à Romanis Pontificibus publicare ſolebat, ùt habetur in cæremoniali vetuſto manuſcripto in Bibliotheca Vaticana & refert Gloſſa *in Clement. I. de judiciis V. ſolemnes.* ſcilicet in die Cœnæ Domini, in die Aſcenſionis & in die Dedicationis Baſilicæ Petri & Pauli; modò tamen à multis jam annis ſemel tantùm in anno publicatur, idque ùt dixi in Cœna Domini. Quamquam autem hæc Bulla ſub nomine Proceſſus multùm antiqua ſit, & eam SS. Pontifices à pluribus retrò ſæculis ſoliti ſint promulgare, ignoratur tamen primus illius Author: antiquiorem illam eſſe Martino V., qui anno 1417. die 11. Novembr. creatus eſt Pontifex, conijcitur ex eo, quòd in Vaticana Bibliotheca reperiantur *Proceſſus* Gregorii XI. qui anno 1370. die 30. Decembr. ſedere cæpit. Unde aliqui eandem Cœnæ Bullam adſcribunt Clementi V. anno 1307. die 7. Julii in Pontificem electo, utpote qui in cit. Clementin. I. expreſſè meminit horum Proceſſuum generaliũ: alii verò eandem ultra Urbanum IV. & Clementem IV. extendunt, quorum prior 28. Auguſt. Año 1261. alter verò 5. Febr. anno 1265. electus fuit, cùm Hoſtienſis, qui ſub his Pontificibus vixit & floruit, illius faciat mentionem ſub nomine Proceſſùs *in Tit. de Crim. falſi. L. 5. §. qualiter.* Verùm etſi ignoretur, à quo & quando cæperit, id tamen certum eſt, non eundem ſemper fuiſſe numerum caſuum, ſed SS. Pontifices eundem pro libitu ac diverſitate temporum mutâſſe nunc minuendo, nunc augendo. In Bulla enim ſeu Proceſſibus Gregorii XI. novem ſolummodò ſunt expreſſi; econtra Bulla Cœnæ à Julio II. promulgata continentur 12. excommunicationum capita, 15. §. comprehenſa: Bulla Cœnæ à Paulo III. edita continet 17. excommunicationum capita, ùt videre eſt apud Card. de Lauræa *in Epitom. Canon. V. Bulla Cœnæ,* modernorum

autem Pontificum Bullæ Cœnæ comprehendunt communiter 20. excommunicationum capita, quibus feriuntur diverſa perſonarum genera: ac inprimis.

37 Hæretici, apoſtatæ à fide, receptores, fautores, ac eorum defenſores, eisque credentes, & legentes eorum libros de Religione tractantes, imprimentes, & defendentes: Schismatici quoque ſeu illi, qui ſe à Romani Pontificis obedientia pertinaciter ſubſtrahunt. 2do. Qui à mandatis ac ſententiis Papæ ad futurum generale Concilium appellant, cujuscunque ſint conditionis, gradûs & ſtatûs, quique appellationi hujusmodi auxilium vel favorem præſtiterint. Si verò ſint Collegia, Capitula, vel Univerſitates, interdicuntur. 3tio Piratæ, curſarii, & latrones maritimi, qui per mare ſtatûs Eccleſiaſtici à monte argentario, usque ad Terracinam animo deprædandi fideles diſcurrunt: atque ſic etiam eorum receptatores, fautores, ac defenſores. 4to. Naufragantium Chriſtianorum bona vel in littore inventa ſibi capientes aut deprædantes. 5to. Imponentes in terris ſuis nova pedagia ſeu gabellas in caſibus à Jure non permiſſis & antiquas augentes. 6to. Falſificantes litteras Apoſtolicas etiam in forma Brevis ſive gratiæ ſive juſtitiæ, vel falsò publicantes litteras Apoſtolicas, aut falsò ſignantes. 7mo. Deferentes ad Saracenos ſeu Turcas arma, equos, ferrum, filum ferri, ſtannum calibem vel alia metalla, aut bellica inſtrumenta, ligamina, ligna, canapes, funes, ſic etiam, qui ſignificant Turcis vel hæreticis, quæ ſunt in damnum Chriſtianæ Religionis: vel dant ad hoc favorem, auxilium, aut conſilium. 8vo. Impedientes eos, qui ad Romanam Curiam deferunt victualia, ſeu alia neceſſaria, eosque invadentes. 9no. Occidentes, mutilantes, detinentes, capientes eos, qui veniunt ad Romanam Curiam vel ab ea recedunt, vel in ea morantur ad negotia: item ii, qui jurisdictionem ordinariam vel delegatam à Pontifice, ejusve judicibus non habentes, eam ſibi temerè vendicant. 10mo. Qui interficiunt, mutilant, vulnerant, detinent, aut deprædantur Romipetas, ſeu peregrinos ad urbem devotionis cauſa accedentes, vel in ea commorantes, aut ab ipſa recedentes. 11mo. Qui occidunt, mutilant, vulnerant, capiunt, incarcerant, hoſtiliter perſequuntur Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Episcopos, Legatos, Nuncios Papæ: item qui ejiciunt eos de Dominiis & terris ſuis, vel ratum habent. 12mo. Qui offendunt recurrentes ad Romanam Curiam ſuper cauſis & negotiis ſuis, aut ad id auxilium vel conſilium præbent. Item qui tale aliquid contra Procuratores & Agentes faciunt. 13tio. Appellantes à gravamine & executione litterarum Apoſtolicarum ad poteſtatem laicam, & tribunal Sæculare, & Magi-

Magiſtratus prohibentes dictas litteras executioni mandari, vel impedientes, ne litteræ Apoſtolicæ obtineantur, aut impetratis utantur. 14to Laici, qui cauſas ſpirituales, beneficiales, vel decimales à judicibus Eccleſiaſticis ad ſe avocant, vel partes adſtringunt ad revocandum citationes, inhibitiones aut alia acta in cauſis præfatis, etiamſi id facientes ſint Superiores, Cancellarii, Conſiliarii &c. cujuscunque Principis. 15to. Judices ſæculares, qui perſonas Eccleſiaſticas ad ſua tribunalia trahunt ſive directè ſive indirectè, vel quomodocumque Juri Eccleſiaſtico præjudicant. 16to. Qui impediunt Prælatos Eccleſiaſticos, ne ſuo Jure utantur in Eccleſiaſticis; & qui decreta Eccleſiaſticorum eludentes recurrunt ad Cancellarias ſæculares, & mandata ſeu revocationes contra ea procurant, aut ad hoc auxilium, favorem, conſilium vel patrocinium præſtant. 17mo. Qui ſibi uſurpant Jura, fructus &c. ſedis Apoſtolicæ vel aliarum Eccleſiarum, vel qui ea ſequeſtrant absque licentia Superioris competentis. 18vo. Imponentes decimas, gabellas, collectas, aut alia onera directè vel indirectè perſonis Eccleſiaſticis, eorumque bonis, atque etiam ſimilia exigentes. 19no. Judices ſæculares, qui ſe cauſis criminalibus aut capitalibus Eccleſiaſticorum interponunt, contra eos proceſſando, capiendo, aut proferendo ſententias. 20mo. Occupantes vel invadentes directè vel indirectè terras & civitates Eccleſiæ, regnum Sardiniæ, Corſicæ & Siciliæ citra Farum, & loca mediatè vel immediatè ſubjecta Eccleſiæ. Sic etiam retinentes, adhærentes, favorem, conſilium vel auxilium dantes.

Atque hi ſunt celebres illi caſus Bullæ Cœnæ dicti, qui ſemper habent annexam excommunicationem majorem, cùm initio cujusque ponatur: *Anathematizamus*, & *excommunicamus*, additurque in fine Bullæ, quòd abſolutio ab his excommunicationibus ſoli ſit S. Pontifici reſervata extra mortis articulum, à quibus nullus Prælatus inferior abſolvere poteſt per ſe loquendo, niſi obtenta deſuper ſpeciali licentia à ſede Apoſtolica, quemadmodum idipſum in ipſa Cœnæ Bulla §. 22. exprimitur ſequentibus verbis: „Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum quibuscumque Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac militiarum Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis: ipſisque Ordinibus & eorum Monaſteriis, Conventibus, Domibus, & Capitulis, Collegiis, 38

„ Con-

„ Confraternitatibus, Congrega-
„ tionibus, Hoſpitalibus, & locis
„ piis, nec non laicis, etiam Im-
„ periali, Regali, aut alia munda-
„ na excellentia fulgentibus, per
„ nos & dictam ſedem ac cujusvis
„ Concilii Decreta, verbo, litte-
„ ris, aut alia quacumque ſcriptu-
„ ra in genere & in ſpecie conceſ-
„ ſorum & innovatorum ac con-
„ cedendorum, & innovandorum.
„ Quod ſi fortè aliqui contra te-
„ norem præſentium talibus ex-
„ communicatione & anathemate
„ laqueatis vel eorum alicui abſo-
„ lutionis beneficium impendere
„ de facto præſumpſerint, eos ex-
„ communicationis ſententia inno-
„ damus, graviùs contra eos, ſpi-
„ ritualiter & temporaliter prout
„ expedire noverimus, proceſſu-
„ ri: non obſtantibus privile-
„ giis, indulgentiis, indultis &
„ litteris Apoſtolicis generalibus
„ vel ſpecialibus ſupradictis, & eo-
„ rum alicui ſeu aliquibus aliis cu-
„ juscunque Ordinis, ſtatûs, vel
„ conditionis, dignitatis & præ-
„ eminentiæ fuerint, etiamſi ut pre-
„ fertur, Pontificali, Imperiali, Re-
„ gali, ſeu quavis Eccleſiaſtica &
„ mundanâ præfulgeant dignitate,
„ vel eorum Regnis, Provinciis,
„ Civitatibus, ſeu locis à prædi-
„ cta ſede quavis cauſa, etiam per
„ viam contractûs aut remunera-
„ tionis, & ſub quavis alia forma
„ & tenore, ac cum quibusvis clau-
„ ſulis, etiam derogatoriarum de-
„ rogatoriis conceſſis, etiam con-
„ tinentibus, quòd excommunicari,
„ anathematizari vel interdici non
„ poſſint per litteras Apoſtolicas
„ non facientes plenam & expreſ-
„ ſam ac de verbo ad verbum de
„ privilegiis, indulgentiis, & in-
„ dultis hujusmodi, ac de Ordini-
„ bus, locis, nominibus propriis,
„ cognominibus, & dignitatibus
„ eorum mentionem, nec non con-
„ ſuetudinibus etiam immemora-
„ bilibus, & præſcriptionibus quan-
„ tumcumque longiſſimis, & aliis
„ quibuslibet obſervantiis, ſcri-
„ ptis vel non ſcriptis, per quæ
„ contra hos noſtros Proceſſus ac
„ ſententias, quo minùs inclu-
„ dantur in eis, ſe juvare valeant
„ vel tueri. Quæ omnia quoad
„ hoc, eorum omnium tenores ac
„ ſi ad verbum, nihil penitus o-
„ miſſo, inſererentur, præſentibus
„ pro expreſſis habentes, penitùs
„ tollimus, & omninò revocamus,
„ cæterisque contrariis quibus-
„ cumque.

Ex hisce tam prægnantibus claufulis privilegiorum revocatoriis nata eſt celeberrima illa ac intricata quæſtio: an facultas à diverſis Pontificibus Regularibus conceſſa abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnæ contentis ac S. Pontifici ſtrictiſſimè reſervatis per annuam illius Bullæ promulgationem & clauſulas in ea expreſſas ſit ſublata: an verò illis non obſtantibus poſſint etiamnum Prælati Regulares vigore ſuorum Privilegiorum Religioſos 39

 ſibi

ſibi ſubditos abſolvere à dictis caſibus Bullæ Cœnæ, excepta ſaltem hæreſi, utpotè à qua hìc abſtrahimus, reſervantes illam ſequenti Sectioni, ubi de illa ſumus ex inſtituto acturi. Qua in re ſententiam negativam tenent Doctores haud ſanè pauci, Paſſarell. *in not. ad privil. Minim. notab. 13.* Confett. *in ſumm. privil. Tit. 17.* Jacob de Graſſiis *1. p. Deciſ. L. 1. cap. 13. n. 34.* Coriolanus *in tract. de caſ. reſerv.* Sigiſmund. à Bononia *de poteſt. Prælat. Regular. dub. 69. n. 13.* Joannes à Cruce *de ſtatu Relig. L. 1. cap. 6. dub. 15. concluſ. 1.* Alterius de Cenſur. *to. 1. L. 3. Diſp. 22. cap. 3.* Duard. *in Bull. Cœn. L. 3. §. 2. q. 1. n. 8.* Lezana *to. 1. cap. 18. n. 38.* & cap. *19. num. 17* & alii plures, quos refert & ſequitur Aſcan. Tamburinus *to. 2. Diſp. 14. quaſ. 15. n. 3.* Diana *part. 1. tr. 5. Reſol. 6.* & *part. 6. tr. 6. Reſolut. 54.* & *part. 8. tr. 7. reſol. 5.* & tandem *part. 2. tr. 2. reſol. 72.* ubi tamen quæſtionem hanc relinquit indeciſam, remittens illam aliorum judicio decidendam: qui volunt, Prælatos Regulares de facto amplius non poſſe ſuos Religioſos abſolvere à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, ſed eorum Privilegia quoad hoc per annuam iſtius Bullæ publicationem manere revocata: idemque ſentiunt Mendo *Diſſert. 1. Q. 4.* Via *ad propoſ. 4. ab Alexandro VII. damnatam*, & la Croix *L. 6. part. 2. n. 1622.* Verùm alii longè communiùs exiſtimant, ac contendunt, privilegia hæc abſolvendi quoad Regulares nullatenus eſſe revocata, nec revocari per annuam Bullæ Cœnæ promulgationem: adeóque poſſe Prælatos etiamnum abſolvere ſuos Religioſos à caſibus in ea contentis. Atque ita ſentiunt Rodriquez *to. 1. Quaſt. regul. quaſt. 20. art. 9.* d'Alvinus *de poteſtat. Prælat. cap. 27. in fin.* Joann. Canart. *in compend. Privil. Minimor.* Molfeſius *1. part. ſum. tr. 7. cap. 21. n. 19. & 20.* Vega *1. p. ſum. cap. 49. caſ. 1.* Lamas *4. p. Method. cap. 3. §. 8.* quos citat & ſequitur Laurent. de Peyrin. *ad conſtit. 4. Sixti IV. §. 5. a. n. 10.* & *in additament. ad eandem. cap. 2. à n. 35.* Suarez *to. 5. Diſp. 21. ſect. 3. n. 4.* ac præcipuè *to. 4. de Relig. tr. 8. L. 2. cap. 21. per tot* Portel *in addition. ad dub. Regul. V. Abbas.* Hieron. Rodriq. *in compend. QQ. regular. reſol. 3. n. 3.* Bannez *2. 2. quaſt. 4. dub. 2. poſt concl.* Aragonius ibi *art. 3.* Candidus *to. 1. diſq. 22. art. 49. dub. 1.* Hinojoſa *in Direct. V. Confirmatio gratia.* Leander *tr. 2. de excommun. Diſp. 17. quaſt. 66.* Antoni Souſa Conſultor. S. Officii *in relect. Bull. Cœn. cap. 13. Diſp. 100.* Bauny *to. 1. tr. 4. quaſt. 32.* Vivaldus *p. 1. Candel. aur. de abſol. Sacram. n. 13.* & *in explanat. Bull. Cœn. dub. 5. n. 141.* Bruno Chaſſaing. *de Privil. Regul. tr. 3. cap. 3. propoſ. 9.* Villalob. *in Summ. to. 1. tr. 9. difficult. 61. n. 5.* Martin. ad S. Joſeph. *tract. de poteſt. General. n. 7.* Eligius Baſſæus *in Florib. V. Abbas.* Alviſetus *de Privil. Regul. Sect. 3. cap. 4. à n. 15.* Donatus *to. 1. tr. 13. quaſt. 17.* & *to.*

2. tr. 11. *quæſt.* 17. *per tot.* Andreas à Matre Dei *to. 2. tr. 10. cap. 2. punct. 6. n. 77.* & *to. 4. tr. 18. cap. 4. punct. 2. §. 8. n. 110.* Antonius à Spiritu S. *in Director.* Regul. *tr. 2. diſp. 1. Sect. 1. n. 29.* & *de pœnitent. tr. 1. Diſp. 15. Sect. 4.* Idque repetit pluribus in locis, Angelus Boſſius *de tripl. Jubilæo Sect. 1. caſ. 10. §. 1.* Giribaldus *to. 2. tr. 7. cap. 16.* Renzi *to. 2. L. 1. de Sacram. tr. 5. cap. 4. q. 10.* Sanctorus *in Moral. cap. 2. Statut. 14.* Felix Poteſtas *in exam. Confeſſar. to. 1. part. 4. cap. 5.* Bonagratia *in Summul. ſelect. quæſt.* Regul. *V. abſolutio quoad Fratres*, præſertim in additione *n. 30. pag. 162* Sannig *diſt. 11. de Sacram. pœnit. q. 9. n. 8.* Ægidius Kibler *in Collectar. privil. part. 1. art. 1. §. 2. per tot.* Sbogar *tract. 140. n. 42.* Rotarius *to. 3. L. 1. cap. 1. punct. 5.* Petrus Brencola *Reſolut. Miſcellan. pro Confeſſar. cap. ult. de Privil. Regul.* §. 4. Amend. *to. 2. p. 5. de Sacram. Pœnit Sect. 1. dub. 2. difficult. 5.* Reiffenſtuel *L. 5. Decretal. tit. 39. n. 255. & in Theol. Moral. tr. 13. diſt. 3. n. 75.* Faberius *de caſ. reſerv. p. 1. Sect. 6. quæſt. 3.* Urbanus ab Aſcenſ. *tr. 2. p. 2. diſt. 2. cap. 3. Reg. 4.* Kondig *p. 158.* & alii ab his cit. ac univerſim illi omnes, qui cum Murga *to. 2. diſq. 1. dub. 14. §. 13.* defendunt, poſſe Prælatos abſolvere ſubditos ſibi Religioſos ab hæreſi; cum quibus

40 Dico: *Poſſunt Canonicorum aliorumque Regularium Prælati abſolvere Religioſos ſibi ſubditos à caſibus S. Pontifici reſervatis in Bulla Cœnæ, hæreſi ſaltem exceptâ.*

Probatur 1. auctoritate SS. Pontificum, præſertim Sixti IV. in Bulla: *Dum ad univerſos 10. Calend. Septemb. Anno 1477.* Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis: Julii II. in Bulla *Inter Cæteros 4. Non. April. 1512.* Prælatis Cann Regg. Congr. Bononienſis: Innocentii VIII. in Bulla: *Sacra Religionis honeſtas. 3. Idus April. Anno 1486.* Cann. Regg. Congr. Windeſemenſis Prælatis data, in quibus eisdem concedunt, quòd poſſint abſolvere Canonicos ſibi ſubditos ab omnibus caſibus ac cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti quomodocumque generaliter vel ſpecialiter ſedi Apoſtolicæ reſervatis: quatuor tantùmmodò exceptis, ſcilicet relapſis in hæreſin, ſchiſmaticis, deferentibus prohibita ad infideles, & falſificantibus litteras Apoſtolicas: qui quatuor caſus, cùm inter alios in Bulla Cœnæ contineantur, indeque excipiantur, ſequitur neceſſariò, quòd poſſint Prælati à cæteris in Bullâ Cœnæ abſolvere; exceptio enim firmat Regulam univerſalem in caſibus non exceptis: cùm ergò ex omnibus caſibus in Bulla Cœnæ contentis ex-

cepti

Digitized by Google

cepti ſint tantummodò quatuor ſupradicti caſus, à cæteris, qui non ſunt excepti, abſolvere poterunt. Plura hujusmodi privilegia conceſſerunt tum relati, tum alii SS. Pontifices diverſis Ordinibus Religioſis; ac inprimis Eugenius IV. Ciſtercienſibus in Bulla: *Injunctum nobis. 7. Cal. Decembr. Anno 1434.* Camaldulenſibus Gregorius XIV. in Bulla: *Ex injuncto. 24. Septembr. Anno 1591.* Dominicanis Gregorius XI. in Bulla: *Virtute conſpicuos. 6. Martii. Anno 1374.* quam Sixtus IV. eorum Mari magno inſeruit, quod incipit: *Regimini. 7. Cal. Aug. An. 1474.* Minoribus Clemens IV. in Bulla: *Virtute conſpicuos. 21. Julii Anno 1265.* quæ per extenſum refertur in Bulla Sixti IV. quæ incipit: *Regimini. 31. Auguſti Anno 1474.* quæ Mare magnum Minorum dicitur; Eremimitis S. Auguſtini Benedictus XI. in Bulla: *Licèt ad hoc. Anno 1304.* ab eodem Sixto IV. eorum Mari magno inſerta, & ab Innocentio VIII. in Bulla: *Tuis ſupplicationibus. Anno 1486.* confirmata. Carmelitis Eugenius IV. in Bulla: *Sacra Religionis. Anno 1435.* à Sixto IV. in eorum Mari magno *Anno 1476.* multis in partibus aucta, & declarata. Servitis Innocentius VIII. in Bulla: *Apoſtolica ſedis. 6. Cal. Junii Anno 1487.* conceſſa. Minimis Julius II. in Bulla: *Virtute conſpicuos. 5. Cal. Auguſti Anno 1506.* Jeſuitis Paulus III. in Bulla: *Licet debitum. 15. Cal. Novembr. Anno 1549.* & ſic aliis Ordinibus alii SS. Pontifices, quos inter maximè memorandus eſt Benedictus XIII. qui per Bullam: *Pretioſus. 7. Cal. Junii Anno 1727.* confirmans & innovans privilegia Prædicatorum inter alia eisdem in ſpecie conceſſit, ut poſſint abſolvere ab omnibus caſibus & cenſuris ſedi Apoſtolicæ etiam per Bullam Cœnæ reſervatis, exceptis illis, quos Sixtus IV. & Julius II. exceptos eſſe voluerunt. Ubi benè notandum, quòd relati hactenus SS. Pontifices in ſuis privilegiis ſupradictos quatuor caſus ſemper excipere ſoleant vel explicitè vel ſaltem implicitè ſub his aliisque hujusmodi clauſulis: *niſi caſus & peccata talia forent, ut propter ea meritò conſulenda ſit ſedes Apoſtolica*, vel: *propter qua Religioſi ſubditi meritò deſtinandi ſint ad ſedem Apoſtolicam*, quibus non alii ſubintelliguntur caſus, quàm recenſiti quatuor, prout explicat Sixtus IV. in Mari magno Minorum & Prædicatorum. Julius II. in Mari magno Minimorum. & Paulus III. in citata Bulla: *Licet debitum.* Jeſuitis conceſſa. Etſi verò Julius II in Bulla: *Exponi. 27. Febr. Anno 1510* his quatuor caſibus ſuperaddiderit quintum, ſcilicet conſpirationem in Romanum Pontificem; quia tamen cæteri Pontifices nullam illius faciunt mentionem, ſed ab eo abſtrahunt, nec is defactò inter caſus Bullæ Cœnæ continetur, haud ampliùs cenſendus eſt obligare. Videri poteſt Lezana tom. 3. ubi prædicta Maris magni privilegia explanat & interpretatur.

Quam-

41 Quamvis autem SS. Pontifices in relatis hactenus privilegiis excipere ſoleant quatuor illos caſus in Bulla Cœnæ contentos, S. Pius V. tamen nullum omninò excipit, ſed in Bulla: *Dum ad Congregationem. 13. Julii Anno 1571.* Prælatis & Abbatibus Congregationis Caſſinenſis conceſſa, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis plenam ac liberam eisdem concedit facultatem, quoscunque, Monachos, Converſos, Commiſſos, & Oblatos tam profeſſos, quàm Novitios, in ea tamen perſeverantes, à quibusvis criminibus, reatibus, culpis, cenſuris & pœnis per eos & eorum quemlibet tam ante, quàm poſt illorum in Congregationem hujusmodi ingreſſum ſeu Profeſſionem Regularem ibidem per eos emiſſam, ex quavis cauſa, & ob quemvis exceſſum & delictum publicum vel occultum, caſu ſeu data opera, quomodolibet ab eis & eorum ſingulis, etiamſi homicidium voluntarium ſeu membri mutilatio, non tamen poſt ingreſſum hujusmodi pro tempore ſubſecutum ſeu ſubſecuta fuerit, incurſis & in futurum incurrendis, etiamſi de caſibus reſervatis ſedi Apoſtolicæ, vel NB. de comprehenſis in Bulla, quæ die Cœnæ Domini ſingulis annis legi conſuevit, fuerint, plenariè toties quoties opus fuerit, injuncta ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, quoad reatum homicidii in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi. Ita S. Pontifex, ex cujus verbis ſatis conſtare videtur, quòd vigore hujus privilegii poſſint Abbates & Prælati non tantùm Congregationis Caſſinenſis, quibus illud principaliter conceſſum eſt, ſed etiam Congregationis Cann Regg. Lateranenſis & Bononienſis &c. utpote qui pleniſſima gaudent cum prædicta Caſſinenſi Congregatione privilegiorum communicatione, ùt patet ex Bullis Sixti IV. Julii II. Julii III. & Gregorii XV. abſolvere ſubditos ſibi Religioſos à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, etiam illis, quos aliàs excipere conſueverunt cæteri Pontifices, cùm S. Pius V. eorum omnium abſolutionem absque ullius exceptione caſus concedat, idque ex certa ſcientia, motu proprio, & de mera liberalitate, Apoſtolicæque plenitudine poteſtatis; id quod etiam Authores pro noſtra ſententia citati communiter docent, atque extendunt ad aliorum Ordinum Prælatos, qui cum Congregatione Caſſinenſi in privilegiis communicant. Verùm ad hæc

Reſpondent Adverſarii: Privilegia hactenus relata fuiſſe revocata, & adhuc quotannis revocari per annuam Bullæ Cœnæ promulgationem, utpote per quam expreſsè prohibetur, ne à caſibus vel cenſuris in ea contentis alius quàm Romanus Pontifex abſolvere valeat, etiam quarumcunque facultatum & privilegiorum prætextu, 42

Sed contra eſt, quòd SS. Pontifices his ſimilibúsque clauſulis ſolùm intendant revocare privilegia, quæ tribuebant, vel ſaltem tribuere videbantur facultatem abſolvendi ſæculares ab his caſibus, nentiquam verò Regulares, prout ipſimet ſæpiùs expreſſis verbis declarârunt: ſic enim S. Pius V. poſtquam in ſupradicta Bulla: *Dum ad Congregationem*, conceſſiſſet Prælatis poteſtatem abſolvendi Regulares ſuos à caſibus Bullæ Cœnæ ſine ulla exceptione, inſuper addit ſequentia: *Decernentes quoque præſentes litteras perpetuæ roboris firmitate ſubſiſtere, & nullo unquam tempore ſub quibusvis ſimilium vel diſſimilium facultatum & licentiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus &c. aliisque contrariis diſpoſitionibus, etiam* in dicta NB. Bulla Cœnæ Domini pro tempore contentis *minimè comprehenſas eſſe, aut comprehendi debere, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe & cenſeri, & quoties contraria hujusmodi emanabunt, toties præſentes, & in eis contenta in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtituta & perpetuò reintegrata eſſe.* Quo quid clariùs dici poſſit aut ſtatui, non video; etenim ſi hic S. Pontifex, etſi ſub iiſdem clauſulis revocatoriis, iiſdemque verbis Bullam Cœnæ promulgaverit, quibus hodiedum ſolet publicari, tamen noluit ſub iis comprehendi Prælatos Regulares reſpectu ſuorum Religioſorum, nec moderni Pontifices cenſendi ſunt eos ſub illis clauſulis velle comprehendere. Id quod plures etiam alii SS. Pontifices declarârunt; cùm enim dubitaretur, an facultas abſolvendi & diſpenſandi in caſibus Bullæ Cœnæ, Prælatis reſpectu ſuorum Regularium conceſſa à Sixto IV. in Mari magno Prædicatorum per clauſulas illius derogatorias eſſet adempta, reſpondit Julius II. in Bulla: *Exponi nobis, datâ 27. Febr. Anno 1510.* in hæc verba: Nos igitur, qui Religioſorum quieti, quantum cum Deo poſſumus, libenter conſulimus; volentes occaſiones tollere vagandi, ejusdem ſanctæ ſedis auctoritate decernimus, quòd illi, quibus conceſſa eſt poteſtas abſolvendi & diſpenſandi, licitè poſſint perpetuis temporibus abſolvere & diſpenſare ab omnibus & ſingulis, ac ſi prædicta Bulla in Cœna Domini non eſſet facta, nec fieret. Similiter Leo X. Julii II. Succeſſor conceſſit ac declaravit vivæ vocis oraculo Laurentio S. R. E. tit. SS. quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali, ac Minimorum Protectori, quòd ab eorum Prælatis abſolvi poſſint ab omnibus excommunicationibus, cenſuris & pœnis etiam de contentis in Bulla Cœnæ Domini: prout illius fidem facit dictus Cardinalis ſcriptis hac de re litteris die ultima Martii Año 1515. quæ habentur apud Peyrin. *de privil. Regul. to. 3. c. 2. n. 36.* Exorto poſtmodùm dubio, an eadem facultas eſſet ſublata per Concilium Lateranenſe ſub eodem Leone X. habitum & abſolutum, idem Pontifex ſequenti Bulla, quæ incipit: *Exponi*

ni nobis. Romæ 8vo. Maji. Anno 1517. eisdem ſatisfecit, ac non eſſe ſublatam declaravit, cupiens Religioſos in ſuis potiùs clauſtris Deo contriti cordis ſacrificium pro ſuis peccatis offerre, quàm cum ſuarum animarum periculo & ſcandalo populorum per longingua itinera diſcurrere, prout refert Felicianus Epiſcop. Scalenſ. *de privilegiatis cap. 15. pag. 612.* Idipſum declaravit Clemens VII. per vivæ vocis oraculum factum Cardinali Campegio pro Ordine Minorum, ùt habet Rodriquez in ſuo Bullar. in Clemente VII. Paulus IV. pro Congregatione Clericorum Regularium, ùt refert Peregrinus *in ejus Compend. p. 2. V. Bulla. §. 1.* Gregorius XIII. pro Societate JEſu, ùt refert Suarez *to. 4. de Relig. tr. 8. L. 2. cap. 21. n. 5.* Sixtus V. in publicatione Bullæ Cœnæ expreſsè addidit hanc clauſulam: *Niſi in eis* privilegiis *etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur*, ut nempè palam faceret, in Bulla Cœnæ non comprehendi Prælatos Regulares quoad abſolutionem ſuorum Religioſorum: eâdem clauſulâ uſus eſt Clemens VIII. ſatis gnarus, quòd Anteceſſores Pontifices ea voluerint eſſe excepta; atque hinc etiam haud dubiè factum eſt, quòd Succeſſores ac moderni Pontifices eam omninò omittant, cùm ſciant, ab Anteceſſoribus Pontificibus jam ſatis fuiſſe firmatum, quòd in Bulla Cœnæ non comprehendantur Regulares quoad abſolutionem ſuorum, quemadmodum patet ex Bulla Benedicti XIII. quæ incipit: *Pretioſus. 7. Calend. Junii Anno 1725.* edita in favorem Prædicatorum, in qua licèt conceſſerit horum caſuum abſolutionem eo modo, quo conceſſerat Sixtus IV. nullam tamen in publicatione Bullæ Cœnæ exceptionem fecit, eàmque ſub iisdem clauſulis derogatoriis promulgavit, quibus eam alii Pontifices promulgare ſolent, ſuperfluum ratus hujusmodi privilegiorum exceptionem addere, quæ tot Pontifices declarârunt eſſe excepta, manifeſto ſanè indicio, quòd & alii SS. Pontifices idipſum ſenſerint; certè niſi idem ſenſiſſent, debuiſſent jam pridem id publicè declarare talibus verbis ac clauſulis, quæ contrariam eorum mentem apertè manifeſtarent. Sed ad hæc

Reſpondent 2dò. Quamvis aliqui Pontifices in publicatione Bullæ Cœnæ à ſuis clauſulis derogatoriis excepta voluerint privilegia Regularium quoad eorum abſolutionem, ídque expreſsè declaraverint, ac conceſſerint poteſtatem eos ab his caſibus abſolvendi, hujusmodi tamen facultates durare tantùm pro tempore talium Pontificum eas concedentium, cum illis verò rurſum emori ac revocari per clauſulam illam omnium privilegiorum derogatoriam, quæ ea omnia *pro expreſſis habent*: nec videtur, quomodo in ſententia noſtra verificari poſſit illa clauſula, quâ præter S. Pontificem nemini licet ab illis 43

abſolvere, etiam prætextu privilegiorum ac facultatum *quarumcunque*, quæ particula cùm ſit univerſalis, omnia omninò excludit privilegia, qualiacunque illa ſint. Sed contra rurſum eſt, quòd illi Pontifices, qui declarârunt ac conceſſerunt Regularibus, quòd non obſtante Bulla Cœnæ poſſint abſolvi à caſibus in ea contentis, eaſdem omninò clauſulas derogatorias in ejus publicatione adhibuerint, quas adhibent cæteri Pontifices; & tamen non obſtantibus hujusmodi clauſulis noluerunt comprehendere Regulares: ergò nec cæteri Pontifices volunt eos comprehendere, cùm iſti non aliis utantur terminis aut clauſulis, quàm illi, atque adeò nec aliam fuiſſe mentem cenſendum ſit. Accedit, quòd inane hoc Adverſariorum effugium apertè repugnet intentioni præfatorum Pontificum, quorum mens ex adductis eorum verbis omninò clara eſt, quibus volunt, ut prædicta privilegia abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ *perpetuis temporibus* durent, nullique prorſus ſubjaceant revocationi, ſed potiùs, quemadmodum ſtatuit S. Pius V. *ut quoties taliter fuerint revocata, toties cenſeantur reſtituta atque reintegrata*: non aliter, ùt loquitur Julius II. *ac ſi prædicta Bulla nunquam fuiſſet facta, nec fieret*; quæ utique verba non referuntur præcisè ad tempus talis Pontificis, ſed omnium etiam Succeſſorum Pontificum, ut adeò niſi hi ſe clarius explicent, cenſeri debeant, eandem ſibi quoque mentem eſſe ac Anteceſſorum. Ex quo patet, multò minùs dici poſſe eas revocari à ſubſequentibus Pontificibus per clauſulam illam: *præſentibus pro expreſſis habentes*; tum quia hâc ipsâ clauſulâ uſi ſunt Julius II. Pius V. Benedictus XIII. aliique Pontifices, qui Regularibus expreſsè dederunt hanc poteſtatem abſolvendi à dictis caſibus, nec tamen voluerunt, ut quidquam eorum privilegiis quoad hoc decederet, ſed ita ſe haberet, ac ſi nec addita fuiſſet nec adderetur: & conſequenter etiam cæteri Pontifices non aliter hanc clauſulam cenſentur addere, neque velle quoad hoc punctum revocare privilegia Regularium, aut iiſdem præjudicare: tum quia hæc clauſula ad ea ſolùm privilegia referri debent, quæ concedunt aut concedere videntur poteſtatem à caſibus Bullæ Cœnæ abſolvendi ſæculares, non autem Regulares, utpote quorum privilegia ſemper ſunt ac manent excepta per tot SS. Pontificum iteratas conceſſiones ac declarationes: id quod cæteri quoque Pontifices ſatis indicare videntur, dum prohibent abſolvere ſub prætextu privilegiorum, non autem abſolutè & ratione privilegiorum, quæ de facto verè & realiter dant facultatem abſolvendi etiam à caſibus Bullæ Cœnæ: prætextus enim eſt velamen, quo ſe moveri quis ſimulat ad aliquid agendum, prout habetur *in Leg. Prætextu 1. & 2. Cod. de tranſaction.* & ſic prætextus illud non excludit,

dit, quod ſit vera & legitima facultate, prout eſt in noſtro caſu, ſed illud, quod ſit ſub aliquo colore, velamine, ne dicam ſimulatione, ùt poſt Souſam *in Relect. Bull. Cœn. Diſp.* 100. *n.* 2. Gonzalez *in Regul.* 8. *Cancellar. Gloſs.* 57. *n.* 2. Villalob. *in ſumm. to.* 1. *tr.* 9. *Difficult.* 61. *n.* 5. & Suarez *to.* 4. *de Relig. L.* 2. *cap.* 21. benè notat Donatus *to.* 1. *tr.* 13. *quaſt.* 17. *n.* 14. ex hoc verò ſatis apparet, quàm benè verificetur clauſula illa prohibens, ne quiſquam præter S. Pontificem abſolvat à caſibus Bullæ Cœnæ, etiam quarumcunque facultatum ac privilegiorum prætextu: eſt enim intelligenda de illis ſolùm privilegiis, quæ licèt reverà non exiſtant, prætenduntur tamen exiſtere, idque ſub velamine ac ſpecie quadam probabilitatis: neutiquam verò denotat ea privilegia, quæ reipſa verè ac realiter dantur, ùt patet tum in privilegiis Bullæ Cruciatæ, tum in privilegiis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis conceſſis, quæ per Bullam Cœnæ nullatenus revocantur. Ex quo ipſo novum ſententiæ noſtræ accedit argumentum, unde concluſio noſtra

44 Probatur 2dò. Bulla Cœnæ, non obſtante ſua rigoroſa revocatione, non tollit privilegia Bullæ Cruciatæ, quibus conceditur poteſtas abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, etſi hæc nullam illorum privilegiorum faciat exceptionem, ùt tanquam certiſſimum docet Ægidius Trullench. *in Expoſit. dictæ Bullæ Cruciatæ L.* 1. *§.* 1. *dub.* 23 *n.* 2. cum Navarro *de indulgent. Notab.* 33. *n.* 2. & *to.* 2. *Conſil. L.* 5. *de Privil. Conſil.* 11. Rodriquez *in eandem Bullam §.* 9. *n.* 69. Henriquez *L.* 7. *cap.* 21. Villalobos *in ſum. tr.* 27. *Clauſul.* 4. *n.* 11. Ludovic. *à Cruce in Cruciat. Diſp.* 1. *cap.* 20. *dub.* 4. Item Fagundez *in* 2. *Eccleſ. precept. L.* 8. *cap.* 8. *n.* 32. *in fin.* Fernandez *in examin. Theol. moral. part.* 3. *cap.* 9. *Sect.* 11. *& cap.* 19 *n.* 5. Duardo *in Bull. Cœn. L.* 3. *§.* 2. *Quaſt.* 11. *n.* 41. Thom. Sanch. *in Decal. to.* 1. *L.* 2. *cap.* 11. *n.* 27. Eſcobar *Theol. moral. tr.* 1. *Examin.* 17. *cap.* 4. Auſonius Noctinot. *V. Bulla Cruciata quoad alia. n.* 93. quos refert, & pariter ùt certum tradit Petrus de Murga *to.* 2. *Diſquiſ. moral. diſq.* 1. *dub.* 14. *§.* 10. *concl.* 6. *n.* 145. & ſupponit Andreas à Matre Dei *tr.* 10. *de Cenſur. cap.* 2. *punct.* 7. *n* 82. ac probat Diana *part.* 1. *tr.* 11. *Reſol.* 96. ſicque omnes docere teſtatur Donatus *to.* 1. *part.* 1. *tr.* 13. *Quaſt.* 17. *n.* 13. ergò neque Bulla Cœnæ, non obſtante ſua rigoroſa privilegiorum revocatione, tollit privilegia Regularium, quibus conceditur poteſtas abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, licèt eorum nullam faciat exceptionem; conſequentia patet, cùm nulla ſit ratio, nec ulla dari poſſit diſparitas, cur privilegia Cruciatæ à rigoroſa & univerſali revocatione privilegiorum in Bulla Cœnæ contentâ ſint excepta, non item privilegia Regularium, quod ip-

ipſum manifeſtè oſtenditur: ideò enim Bulla Cœnæ non derogat privilegiis Cruciatæ, quibus conceditur poteſtas abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, quia ita habetur in dicta Cruciata, quòd nempe poſſint abſolvi fideles ab illis caſibus: ſed etiam habetur in privilegiis Canonicorum aliorúmve Regularium, quòd eorum Prælati poſſint abſolvere Religioſos ſibi ſubditos à dictis caſibus, & quidem non obſtante Bulla Cœnæ, ac ſi hæc nunquam fuiſſet facta, nec fieret: ergò etiam Bulla Cœnæ non derogat privilegiis Canonicorum aliorúmve Regularium, quibus conceditur poteſtas Prælatis abſolvendi Religioſos ſibi ſubditos à caſibus ejuſdem Bullæ Cœnæ. Neque dicas: privilegia in Bulla Cruciata conceſſa ideò non revocari per Bullam Cœnæ, quia privilegia Cruciatæ conceſſa ſunt per viam contractûs oneroſi; penduntur enim ab illam ſuſcipientibus, ùt ſcribit Joan. Sanchez *in ſelect. Diſput. 51. n. 6.* duo argentei, quos interpretatur Gobath *tr. 4. de Indulg. part. 2. cap. 16. n. 418.* duos eſſe Regales, in bellum ſacrum convertendi. Sed contra eſt, quòd etſi hoc argumentum poſſit aliquid valere contra privilegia Mendicantium, utpote quæ neque ſunt ex contractu oneroſo conceſſa, neque ex hoc titulo confirmata, nihil tamen valet contra Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis, Bononienſis, ac S. Georgii in Alga, neque contra Caſſinenſes Ordinis S. Benedicti, aliáſque octo diverſorum Ordinum non Mendicantium Congregationes, cùm eorum privilegia fuerint à plus quam centum jam annis de novo conceſſa, ac confirmata ſub contractu oneroſo plurium centum millium aureorum, quæ pro confirmatione ac manutentione ſuorum privilegiorum Cameræ Apoſtolicæ in graviſſimis Eccleſiæ neceſſitatibus ſolverunt, ùt patet ex pluribus SS. Pontificum Bullis præſertim ex Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Cùm ſuperiore Anno. 5. Maji Anno 1595.* & ex alia ejuſdem Bulla: *Cùm nobis in tanto. 29. April. Anno 1601.* & ex Bulla Pauli V. quæ incipit: *Nuper ut Chariſſimo. 1. Maji. Anno 1620.* & ex Bulla Alexandri VII. quæ incipit: *Nuper ut nomini. 21. Novembr. Anno 1661.* Si igitur Bulla Cœnæ non derogat privilegiis Cruciatæ, quia per viam contractûs oneroſi duorum argenteorum, qui 20. crucigeris noſtratis monetæ juxta P. Gobath l. c. æquivalent, conceſſa ſunt, multo minus Bulla Cœnæ derogabit privilegiis Regularium quoad abſolutionem ſuorum à caſibus in Bulla Cœnæ contentis: ídque tanto minùs, quantum ſumma plurium centum millium aureorum ſeu ſcutorum in auro excedit duos levidenſes argenteos, vel duos Regales hiſpanicos: atque adeò manet firmum & inconcuſſum, quòd ſicut Bulla Cœnæ non revocat privilegia Cruciatæ, ita neque privilegia Regularium, præſertim cùm

per

Digitized by Google

per generalem revocationem non cenſeantur revocata privilegia, quorum fieri debet ſpecialis ac expreſſa mentio, ùt in privilegiis Canonicorum Regularium & aliorum quorumdam Ordinum Religioſorum; ex quo ipſo principio noſtra concluſio. (*Adde*; jam ſupra oſtenſum eſſe, conceſſiones aut confirmationes privilegiorum non ſe habere per modum contractûs oneroſi, ſed per modum remunerationis ad præſtationem aliunde debitam.)

45 Probatur ulterius 3tiò. Sicut in conceſſione generali non cenſentur ea eſſe conceſſa, quæ ſpeciali indigent mentione, ita etiam in revocatione generali non cenſentur eſſe revocata, quæ ſpeciali indigent mentione, ùt communiter tradunt DD. ex Reg. Jur. 1. Omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur; & *L. nil tam naturale. ff. de Reg. Jur.* Item *L. prout quisque. ff. ſoluto matrimonio*: atqui Canonicorum Regularium privilegia à SS. Pontificibus præſertim Sixto IV. conceſſa ad hoc ut cenſeantùr revocata, ſpeciali indigent mentione; ita enim hic ipſe Sixtus in ſuo illo privilegio magno Canonicis Congregationis Lateranenſis conceſſo, quod incipit: *Dum ad Univerſos.* motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis ſtatuit & ordinavit, ut quæcunque litteræ etiam motu proprio confectæ aut in futurum conficiendæ, etiamſi in iis clauſula: privilegiis & indultis dictæ Congregationi conceſſis non obſtantibus, fuerit, niſi evidentiſſimè & apertiſſimè appareret, quòd S. Pontifex, qui pro tempore eſſet, hujusmodi indulto vel alicui ejus parti vellet per Apoſtolicas litteras derogare, faciendo ſpecialem mentionem de verbo ad verbum ex certa ſcientia de hujusmodi privilegio & ipſa Congregatione diverſis eam nominibus nominand., causásque legitimas allegaverit, cur his obviare intendat decretis nullius eſſent roboris vel momenti; quæ cauſa fuit, quòd cùm poſtea in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. celebrato quibusvis Ordinibus Religioſis reſtricta fuiſſent eorum privilegia, atque ita moderata, ut iis tantûm impoſterùm potuerint uti & gaudere juxta factam moderationem, nihilominus declaraverit idem S. Pontifex Leo motu proprio & ex certa ſcientia per Bullam: *Decet Romanum Pontificem. Anno 1519. Pontif. 7mo.* poſtquam illi relata Sixti IV. clauſula fuerat exhibita, Congregationem Lateranenſem ejúsque Prælatos & Canonicos ab ea moderatione omnino exemptos eſſe, nullúmque privilegiis eorum per tot Romanos Pontifices conceſſis, & iteratis vicibus confirmatis præjudicium inferri neque ſub ea fuiſſe comprehenſa vel eſſe, aut comprehendi potuiſſe, vel poſſe, ſed iis liberè juxta eorum tenorem uti poſſe & debere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi ab ea moderatione

ne

ne & deſuper confectis litteris expreſsè fuiſſent excepti. Similem quoque clauſulam privilegio ſuo magno, quod incipit: *Inter cæteros.* Canonicis Regularibus Congregationis Bononienſis Anno 1512. conceſſo adjecit Julius II. aliique Pontifices Romani, qui ea privilegia ampliſſimè confirmârunt, prout videre eſt in Bullario Lateranenſi, ac Bononienſi: ergò privilegia Canonicorum Regularium in revocatione generali non cenſentur eſſe revocata: ſed per Bullam Cœnæ revocantur tantùm privilegia ſub terminis ac clauſulis generalibus nulla facta mentione ſpeciali horum privilegiorum: ergò hæc non cenſentur revocata per Bullam Cœnæ. Id quod ulteriùs confirmatur; quia ſicut in conceſſione generali abſolvendi à caſibus S. Pontifici reſervatis non veniunt caſus Bullæ Cœnæ, ſed requiritur quòd in ſpecie concedantur, ùt docent Authores communiter, ita etiam in revocatione generali privilegiorum abſolvendi à caſibus S. Pontifici reſervatis non comprehenduntur ea; quæ expreſsè concedunt poteſtatem abſolvendi à caſibus dictæ Bullæ, ſed requiritur, quòd de iis fiat expreſſa mentio hoc vel ſimili modo: non obſtante quocunque privilegio, quo Regulares quicunque abſolvi poſſint à caſibus Bullæ Cœnæ, etiamſi in eis auctoritas ad eorum abſolutionem concedatur: ſed taliter nunquam fuerunt in Bulla Cœnæ hactenus revocata Regularium privilegia ab ullo S. Pontifice: ergò cenſeri debent à nullo hactenus revocata fuiſſe.

Verùm inquies: SS. Pontifices utpote ſupremos Legislatores ac Principes nullis teneri certis verborum formulis aut clauſulis, nullisq; ligari Anteceſſorum ſuorum decretis, parémque habere cum iis poteſtatem, neque unum poſſe præſcribere ſervandam formam aut modum ſuis Succeſſoribus, aut eorum ligare manus. ℟. enimverò, tametſi SS. Pontifices per ſe loquendo nullis teneantur determinatis verborum formulis, tenentur tamen talibus uti, quibus eorum voluntas innoteſcat illis, ad quos pertinet, quæ certè intelligi non poteſt, niſi claré loquantur, & eas adhibeant formulas aut clauſulas, quæ ſecundùm Juris formam ac DD acceptionem expreſsè ſignificent, talem eſſe illorum mentem: per hoc autem, quòd generalibus utantur terminis aut clauſulis necdū intelliguntur velle particularia revocare privilegia, niſi ſpecialem eorum faciant mentionem ſub certis verborum formulis, præſertim ubi talis requiritur, ut conſtet talem eſſe illorum voluntatem: neque per hoc ligantur Anceſſorum ſuorum decretis, aut illorum adſtringuntur legibus, ſed tantùm compelluntur, ut ſuam mentem legitimè explicent talibus verbis, ex quibus claré colligi poſſit eorum voluntas: ſicut ad hoc, ut legislator totam communitatem legibus 46

gibus ſuis obliget, requiritur, ut eas promulget talibus verbis, quæ mentem illius dilucidè & apertè declarent, ita ut ab omnibus clarè poſſit intelligi, quin per hoc minuatur aut coarctetur illius poteſtas; id enim oritur ex natura rei. Unde quando Pontifices quidam ſtatuerunt, ut nulla ſit revocatio, niſi Succeſſores Pontifices ſpecialem talium privilegiorum fecerint mentionem ſub certis verborum clauſulis, non volunt illorum coarctare poteſtatem, quod utique fieri non poteſt, ut ipſimet ſupponunt, ſed ſolùm intendunt, ut voluntatem ſuam manifeſtiùs aperiant nec tantùm in terminis generalibus, ſed ſpecialibus etiam, quibus conſtet, quòd hujusmodi quoque privilegia ſpecialia revocare velint; cùm enim ſæpè contingat (ſunt ipſiſſima Sixti IV. verba) SS. Pontifices vel ex importunitate petentium, vel negotiorum multitudine, aut ſuppreſſione veritatis & ignorantia privilegiorum fatigatos vel circumventos aut inductos ea concedere, quibus aliàs nullatenus annuerent, aut facere, quæ neutiquam facerent, ſi certam haberent omnium notitiam, hinc ſaluberrimè conſtitutum eſt, ipſis etiam probantibus SS. Pontificibus, ut niſi ea fiant ſub certo modo & forma, quæ præſcribitur, non cenſeatur factum cum certa privilegii notitia & ſcientia, neque illud velle abrogare, cùm SS. Pontifices quàm minimùm velint acquiſito aliorum Juri præjudicare. Neque per hoc minuitur ac deprimitur poteſtas Apoſtolica, ſed potiùs attollitur ac perficitur, dum præcavetur, ne quotidie decreta Pontificum immutentur, abrogentur, aut reſcindantur, quódque hodie Pontifex hic ſaluberrimè & ex graviſſimis rationibus conſtituit, mox alius iterum reſcindat cum maximo dignitatis Pontificiæ deſpectu, ne dicam contemptu, indéque etiam levitatis alicujus notentur: id enimverò ipſimet ſatis agnoſcunt SS. Pontifices, dum difficulter aliorum Pontificum ac Anteceſſorum ſuorum decreta & indulta abrogant, aut nonniſi urgentibus de cauſis reſcindunt. Si proin SS. Pontifices certam præſcribunt formam & modum in abrogandis privilegiis ſervandum, id non faciunt, quaſi Succeſſoribus velint ligare manus aut eorum circumſcribere poteſtatem, ſed ut tantò certiùs conſtet de abſoluta voluntate Pontificis, ac præveniatur fraudibus, ac ſubornationibus hominum; neque hic diſceptatur, an poſſit S. Pontifex derogare privilegiis quoad punctum controverſum, ſed utrum id factum ſit hactenus, quod graviſſimi Authores, iique numero longè plures non putant, & Adverſariorum argumenta nullatenus probant, ut proinde in dubio ſtandum ſit pro poſſidente. Ex quo ipſo rursùs fundamento

47 Probatur concluſio noſtra 4tò. Certum eſt ex una parte atque indubitatum, potuiſſe Prælatos Regulares vi privilegiorum ſuorum abſolvere Religioſos ſibi ſubditos à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, ùt ex hactenus dictis abundè conſtat: ex altera verò parte incertum omninò eſt, ac plusquam dubium, an poteſtas hæc quoad Regulares ſuos illis unquam fuerit revocata, quin potiùs contrarium patere videtur ex allatis hucusque rationibus, magisque patebit ex ſolutione objectionum: ergò tenendum eſt, poſſe Prælatos etiamnum hodie ab iis abſolvere Religioſos ſibi ſubditos; melior enim ſemper eſt conditio poſſidentis ex *Reg. Jur. 65. in 6to.* & juriſdictio certa & evidens non tollitur per revocationem dubiam & incertam. Accedit quòd privilegia Canonicorum Regularium ex ſententia SS. Pontificum præſertim Sixti IV. & Julii II. in favorem animarum ſuarum largiſſimè ſint intelligenda & interpretanda, non autem ſecundùm Juris rigorem, vel Doctorum opiniones & ſubtilitates: hæc autem privilegia, quibus conceditur poteſtas abſolvendi Regulares à caſibus Bullæ Cœnæ, cedunt eorum animabus in maximum favorem, nec ulli præjudicium inferunt: conducunt præterea ſummopere ad diſciplinam regularem conſervandam & ad omnem Religioſis præcludendam occaſionem evagandi, facilè caſum reſervatum in Bulla Cœnæ prætenſuris, ut extra Monaſteria ac Conventus ſuos per omnes mundi plagas diſcurrere poſſint cum ſcandalo publico & majori adhuc ſalutis ſuæ periculo; hoc ipſum movit SS. Pontifices, ut tribuerent Prælatis Regularibus poteſtatem abſolvendi à dictis caſibus Religioſos ſibi ſubditos non obſtante Bulla Cœnæ, ut nempe conſulerent eorum quieti, illisque præcluderent omnem evagandi occaſionem, quemadmodum loquitur Julius II. in Bulla: *Exponi nobis feciſti, 27. Febr. Anno 1510.* cupientes potiùs, ùt ait Leo X. in Bulla iisdem verbis incipiente *9. Maji Anno 1517.* Fratres in ſuis clauſtris Deo cordis contriti ſacrificium pro ſuis peccatis offerre, quàm cum ſuarum animarum periculo & ſcandalo populorum per longinqua itinera diſcurrere. Quæ ſanè rationes cùm æquè pugnent pro præſenti tempore, quàm pro præterito, pariter etiam movere debent modernos Pontifices ac præteritos, ut Prælatis Regularibus relinquant poteſtatem abſolvendi ſubditos ſibi Religioſos à dictis caſibus Bullæ Cœnæ: id quod ita ſe velle, ipſimet etiam ſatis declarant ex eo, quòd concedendo ac confirmando Regularibus privilegia ſua nunquam excipiant ea, quæ concedunt abſolutionem à caſibus Bullæ Cœnæ, licèt excipiant ſemper privilegia Tridentino contraria: ſed ſi vellent, ut Prælati Regulares ſuos non abſolvant à caſibus Bullæ Cœnæ, deberent ea nonminùs excipere, quàm ex-

excipiunt privilegia Tridentino contraria: ergò nolunt ea excipere, ſed in ſuo eſſe relinquere; nam exceptio firmat regulam in contrarium: atque adeò cùm in confirmatione privilegiorum nulla fiat in ſpecie dictorum caſuum reſervatio, eorum abſolutio cenſetur eſſe conceſſa; eò magis, quia agitur de quiete Religioſorum & ſalute animarum: favores enim ſunt ampliandi juxta Regulam Juris *15. in 6.* Et certè ſi non vellent, illuderent Regularibus, dum ad ſummum Pontificatum ſolent eorum confirmare privilegia: non eſt autem credibile, quòd SS. Pontifices velint illudere Regularibus, & hodie deſtruere, quod heri ædificaverant: ergò neque eſt credibile, quòd ſtatim per Bullam Cœnæ quotannis publicatam ea velint revocare, quæ primùm antea confirmaverant: ſicut propterea communiter docent Authores, quòd per prædictam Bullam Cœnæ non revocatur facultas Bullæ Cruciatæ concedentis Confeſſariis, ut ſemel in vita & iterum in morte poſſint abſolvere pœnitentes à caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ, excepta hæreſi, quia eſſet hodie deſtruere, quod heri ædificabatur: & per unam Bullam quotannis revocare, quod per aliam quotannis conceditur, ùt obſervat Andreas à Matre Dei cit. *punct. 6. n. 78.* Sed videamus tandem, quæ contra concluſionem noſtram afferant argumenta contrariæ ſententiæ Patroni: unde

Solvuntur Objectiones.

Objiciunt igitur 1mò. Bullam Cœnæ, utpote in qua expreſsè habetur, quòd à prædictis caſibus & ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus abſolvi poſſit etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum quibuscunque Eccleſiaſticis & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium ac Militiarum Regularibus, in genere vel in ſpecie conceſſorum & innovatorum. Non obſtantibus privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis vel eorum alicui à prædicta ſede quavis cauſa, etiam per viam contractûs aut remunerationis vel ſub quavis alia forma & tenore conceſſis: quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenores, acſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus ac revocamus: ergò vi hujus Bullæ nil valent ampliùs omnia privilegia ſub quacunque demùm forma Regularibus conceſſa in ordine ad abſolutionem à caſibus in dicta Bulla contentis. ℟. quamvis argumento huic jam ſupra fuerit abunde ſatisfactum, placet tamen ea hìc paucis repetere aliáque ſuperaddere ad majorem dictorum confirmationem: unde conceſſo antecedente diſtinguo conſeq. ergò non amplius valent omnia privilegia in ordine & quoad abſolutionem ſæ- 48

cularium C. quoad abſolutionem Regularium N. conſ. quòd enim SS. Pontifices quoad horum abſolutionem nihil innovaverint, nec eorum revocaverint privilegia, patet ſufficienter ex ipſorum SS. Pontificum declarationibus; ac iteratis conceſſionibus: ſic enim Julius II. declaravit datâ hanc in rem Bullâ, non obſtare Bullam Cœnæ, quo minùs poſſint Prælati ſuos Regulares abſolvere à caſibus in ea contentis, non ſecùs ac ſi non fuiſſet facta, nec fieret. Similem declarationem fecit Leo X. tum vivæ vocis oraculo Cardinali Laurentio 4tuor. Coronatorum facto, ùt refert de Peyrinis, tum expreſſa Bulla, quam per extenſum exhibent Felicianus & Bonagratia: idem pariter declaravit Clemens VII. per vivæ vocis oraculum Cardinali Campegio pro Ordine Minorum, ùt habet Rodriquez. Idipſum in terminis conceſſit Pius V. in Bulla: *Dum ad Congregationem.* non obſtante annua Bullæ Cœnæ promulgatione: idemque rurſus declaravit Paulus IV. pro Congregatione Clericorum Regularium, ùt refert Peregrinus, Gregorius XIII. pro Societate JEſu, ùt tradit Suarez: ac noviſſimè pro Ordine Prædicatorum Benedictus XIII. ùt habet Brencola, quamvis tum hic, tum alii ex relatis Pontificibus ſub iiſdem omninò clauſulis publicaverint Bullam Cœnæ: ex quo manifeſtè colligitur, quòd nec cæteri Pontifices in alio ſenſu eam promulgaverint, ſed ſempèr ſubintellexerint clauſulam illam, quam Sixtus V. & Clemens VIII. addiderunt expreſsè, *Niſi in eis privilegiis etiam caſus præſentibus expreſſi comprehendantur*, quæ proinde, tametſi in aliis ac modernis hujusmodi Bullæ Cœnæ publicationibus non addatur explicitè, ſemper tamen eſt ſubintelligenda, ùt notat Peyrinis, Donatus, & alii communiter: præſertim cùm id neceſſarium ſit ad evitandam Juris correctionem, quæ quantum fieri poteſt, vitari debet, ne ſibi Pontifices contradicere videantur; expedit enim concordare Jura Juribus, & correctiones, ſi ſuſtineri valeant, evitari, ùt loquitur Bonifacius VIII. *cap. Cùm expediat. 29. de Elect. in 6.* ubi etiam *Gloſſa. V. ſuſtineri.* quibus & conſonat *cap. cùm dilectus. 8. de Conſuet.* & *cap. Si Papa. 10. de Privileg. in 6.* Unde Jure quoque cavetur quòd ſicut lex anterior generaliter & indiſtinctè loquens per poſteriorem ſpecialem limitanda eſt, ita etiam lex poſterior generaliter & indiſtinctè loquens limitari debeat per ſpecialem antiquiorem, prout habetur *in Leg. ſed & poſteriores. ff. de Legib.* ubi dicitur: poſteriores leges ad priores pertinent, ſi contrariæ non ſint: & concordant Authores; ſic enim Palao *to. 1. tr. 3. Diſp. 5. punct. 3. §. 3. n. 13.* ait: quòd lex nunquam cenſeatur derogata alia lege, niſi lex derogans priori ſit omninò contraria; & Sanchez *de Matrim. to. 1. L. 2. Diſp. 24.* inquit: Lex poſterior & indiſtinctè loquens limitan-

da eſt per ſpecialem antiquiorem, & juxta illam intelligenda, niſi expreſſis verbis illi contradicat. Idem habet Marcus Vidal in indice utriuſque Juris textuum V. Lex. ad calcem Arcæ Vitalis. Peyrinis *de Privil. Regul. to. 3. cap. 1. n. 8. in fin.* Donatus *to. 1. tr. 13. Quæſt. 27. n. 12.* valet etiam *Reg. Jur. 34. in 6.* generi per ſpeciem derogatur, non item ſpeciei per genus, quam cum Gloſſa ibi DD. intelligunt, etiamſi ſpecies antecedat: atqui clauſula Bullæ Cœnæ, quæ reſpectu privilegiorum ſupra relatorum eſt lex poſterior, reſervans eorum caſuum abſolutionem, revocánſque facultates abſolvendi priùs conceſſas, legitimè poteſt intelligi & referri ad facultates, quæ concernunt abſolutionem ſæcularium, non autem Regularium, utpote quos ſuprarelati Pontifices à dicta Cœnæ Bulla voluerunt eſſe ſemper exceptos, quin eidem illiúſque clauſulis ulla vis inferatur, aut in alienum detorqueantur ſenſum, ergò taliter intelligenda eſt: atque adeò licitum eſt Prælatis virtute privilegiorum ſuorum ſubditos ſibi Religioſos abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ, prout Navarrus in ſumm. *cap. 27. n. 260.* & *Libr. 5. Conſil. 10. 2. tit. de privil. Conſil. 11. q. 1.* Bannez. *in 2. 2. q. 11. art. 4. dub. 2. v. etſi objiciat. poſt concluſ. 2.* cum aliis ab ipſis citatis docet.

49 Objiciunt 2dò. Decretum S. Congregationis negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ de mandato Clementis VIII. editum *9. Januar. Anno 1601.* quo Regularibus omnibus expreſsè prohibetur abſolvere à dictis caſibus Bullæ Cœnæ: quod ipſum anno ſequenti *1602.* die *26. Novembr.* idem Clemens VIII. renovavit, magiſque declaravit: quæ duo decreta poſtmodum eadem S. Congregatio juſſu Pauli V. confirmavit *die 7. Januar. Anno 1617.* iterúmque innovavit *17. Novembr. Anno 1628.* approbante Urbano VIII. in quo poſteriore decreto expreſſis verbis ſtatuitur, quòd indulta abſolvendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, utpote ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem nec vires nec robur acquiſiverint ex ſubſequentibus privilegiorum confirmationibus: ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi in vim privilegiorum aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt nec intra nec extra Italiam poſſint quemquam abſolvere ab eisdem caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis. Ex quibus omnibus jam certum videtur, non poſſe Regulares, quocunque demùm nomine vocentur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorúmque totis tenoribus & formis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua mentio, ac de verbo ad ver-

bum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſervanda eſſet. ℞. relata hactenus decreta & conſimiles S. Congregationis declarationes adeò non favere oppoſitæ ſententiæ nec noſtræ obeſſe, ut eam potiùs pleniſſimè corroborent; loquuntur enim omnia tantùm de abſolutione ſæcularium, nullatenus verò de abſolutione Regularium; nulla enim in his decretis fit mentio Regularium, qua pœnitentes ſunt, ſed tantummodo qua Confeſſarii, quorum privilegia ſeu facultates abſolvendi alios ſeu Eccleſiaſticos ſeu ſæculares caſſat & annullat, ùt legenti decreta illa palam innoteſcet, prout etiam docent Molſeſius *part. 1. ſumm. tr. 7. cap. 21.* Portellus *V. Abbas.* Souſa *Diſp. 100.* Naldus. *in ſumm. V. Reſervatio. ṽ. & cum de hac.* Grat. *Diſcept. for. to. 5. cap. 893.* ubi per multa hoc probat. Peyrinis *to. 1. ad Conſtit. 4. Sixti IV. & to. 3. in additam. ad eandem.* Donatus *to. 1. tr. 13. q. 17. n. 25.* & *to. 2. tr. 11. q. 17. n. 2. ad fin.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 2. punct. 6. n. 79.* aliique communiter; & certè hanc fuiſſe Clementi mentem vel ex eo convincitur, quòd is in promulgatione Bullæ Cœnæ hanc addiderit clauſulam, *niſi in iis* privilegiis *etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur*; quæ ſanè verba cum relatis decretis collata contradictionem involverent, cùm hic licere, ibi verò non licere abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ aſſeratur: niſi igitur quis Clementem ſibi ipſi contradixiſſe velit, fateri neceſſariò debet, eum ſolùm in duobus illis decretis prohibuiſſe abſolutionem quoad ſæculares, non autem quoad Regulares, utpote quos à Bulla Cœnæ expreſsè excepit; atque ita etiam per dictam Congregationem vivæ vocis oraculo declaratum fuit Joanni Sipontino Generali Clericorum Theatinorum, non fuiſſe mentem Clementis per dicta decreta tollere & annullare privilegia quoad abſolutiones Regularium, ſed tantùm quoad ſæculares perſonas: ùt refert Peregrinus *in Compend. p. 1. V. abſolutio in Schol. §. 1.* & ex eo Cottonius *Controverſ. celeb. L. 4. Controv. 9. cap. 5. n. 16.* & alii. Eodem modo intelligendum eſt etiam citatum decretum Pauli V. quia editum fuit in declarationem & confirmationem prædictorum decretorum Clementis VIII. declaratio autem & confirmatio facta in forma communi, ùt eſt iſta de qua agitur, non eſt nova diſpoſitio, ſed antiquorum Jurium ſimplex & clara explicatio, prout eruditè advertit Leonard. Duard. *in Bull. Cœn. L. 3. §. 2. q. 1. n. 32.* & Donatus *to. 2. tr. 11. q. 17. n. 4.* Deinde Paulus V. eo præcipuè fine ſuum illud decretum edidit, ut eorum iret obviam opinioni, qui putabant, decreta Clementis VIII. cùm in iis nulla fiat mentio de cenſuris, ad eas non extendi, ſed ſolos complecti caſus Papæ & Ordina-

na-

nariis reſervatos, unde ſtatuit, neminem poſſe prætextu privilegiorum abſolvere à caſibus & cenſuris ſedi Apoſtolicæ, & Ordinariis locorum reſervatis, ſcilicet ſæculares, ùt patet ex toto illius decreti contextu, non autem Regulares, utpote de quorum abſolutione nullam omninò mentionem facit. Atque ita quoque intelligendum eſt decretum Urbani VIII. cùm & ipſum ſit declarativum horum Clementis VIII. decretorum: Conſtitutio autem, quæ fit ad declarandam ac interpretandam aliam, ſecundùm illam eſt intelligenda; quòd autem decretum Urbani VIII. atque etiam Pauli V. tantùm loquatur de abſolutione ſæcularium, ex eo convincitur, quòd eodem modo ac ſerie loquatur de caſibus Ordinariis locorum reſervatis, quo de caſibus in Bulla Cœnæ contentis: ſed caſus Ordinariis locorum reſervati afficiunt tantùm ſæculares, non autem Regulares exemptos, utpote qui reſervationi Epiſcopali ſubjecti non ſunt: ergò neque caſus in Bulla Cœnæ contenti afficiunt Regulares, ſed tantùm ſæculares, qui ſubduntur reſervationi Epiſcopali. Neque dicas: in dicto Urbani VIII. decreto prohiberi, ne Regulares in vim privilegiorum ſuorum NB. *quemquam* abſolvant à dictis caſibus Bullæ Cœnæ aut Ordinario loci reſervatis: conſequenter tam Regulares quàm ſæculares excludit. ℟. enim, dictionem illam *quemquam* intelligendam eſſe juxta ſubjectam materiam & quoad abſolutionem eorum, pro quibus ſublata jam fuerat facultas à caſibus Bullæ Cœnæ & Ordinario loci reſervatis abſolvendi: illi autem ſæculares tantummodò, non verò Regulares fuerant; quodipſum efficaciter confirmatur ex eo, quòd cùm allata hactenus decreta facta ſint ad inſtantiam DD. Ordinariorum, quibus curæ non erant res Religioſorum Ordinum, niſi quoad ſuos ſæculares, reſpectu horum duntaxat declarationes illæ factæ ſint, non Regularium ab eorum juriſdictione exemptorum; nam petentium ſupplicationi ſolet Princeps ſe conformare. Tantum igitur abeſt, ut ea decreta noſtræ adverſentur ſententiæ, ut eam potiùs confirment per commune Juris axioma relatum à Barboſa *Axiom. 120. n. 7.* quòd *expreſſio unius cauſæ vel ſpeciei nedum includat aliam, ſed imò excludat.* Bonagratia *l. c. ad fin.*

50 Objiciunt 3tiò. Decretum Alexandri VII. Anno 1665. die 24. Septembr. ſequentem propoſitionem ordine 3tiam. damnantis tanquam ſcandaloſam: ſententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt: Anno 1629 die 18. Julii in Conſiſtorio ſacræ Congregationis Eminentiſs. Cardinalium viſa & tolerata eſt; ergò & noſtra ſen-

ſententia ſaltem indirectè per eam reprobata eſt, quæ ſimiliter aſſerit, poſſe Regulares abſolvere ſuos à caſibus Bullæ Cœnæ ſaltem occultis, ſicut vi Tridentini poſſunt Epiſcopi ſæculares abſolvere à dictis caſibus. Pro reſponſione ſciendum, triplicem in hac propoſitione damnata contineri propoſitionem, quarum quælibet ſubjacere poſſit damnationi, quin tamen ulla noſtræ, ne in minimo quidem, officiat concluſioni. Prima eſt illa, quæ aſſerit quòd Bulla Cœnæ ſolùm prohibeat abſolutionem hæreſis & aliorum criminum, quando publica ſunt: quam docent Authores non pauci, iique admodùm graves cum Salmanticenſibus *to. 3. tr. 18. cap. 4. punct. 2. n. 128.* quæ proinde, ſiquidem eam S. Pontifex intendat damnare, non abs re fuiſſet damnata, cùm Bulla Cœnæ non tantùm prohibeat abſolutionem hæreſis & aliorum criminum, quando publica ſunt, ſed etiam quando ſunt occulta. Verùm hoc nihil contra nos, utpote qui haud difficulter iſtud fatemur: dicimus tamen, quòd ab ea ſint excepti Regulares ob plurimorum Pontificum conceſſiones, ac declarationes, quibus permittunt, quòd Prælati non obſtante Bulla Cœnæ poſſint Regulares ſuos abſolvere à caſibus in ea contentis. Altera propoſitio eſt, quòd ſiquidem Bulla Cœnæ tantùm prohibeat abſolutionem hæreſis & aliorum criminum, quando publica ſunt, id non deroget facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt: quæ poſterior propoſitio, ſi vera foret antecedens, maximam haberet probabilitatem, à qua tamen, ſi prior damnationi ſubjaceat, multùm eſt deturbata, præſertim poſt plures declarationes Cardinalium in contrarium emanatas. Verùm neque hæc 2da. propoſitio, licèt eſſet damnata, noſtram tangit ſententiam, cùm illa nuſpiam de Regularibus verbum faciat, ſed tantùm de Epiſcopis, & facultate eisdem conceſſa per Tridentinum abſolvendi à caſibus occultis S. Pontifici reſervatis: neque nos utimur ad probandam concluſionem noſtram illo, quo plerique Authores noſtræ ſententiæ nituntur fundamento: quòd ſicut Epiſcopis vi Tridentini competit poteſtas abſolvendi ſæculares à caſibus occultis Bullæ Cœnæ, ita quoque eadem poteſtas competat Prælatis Regulares abſolvendi à dictis caſibus, utpote à quo ſtudiô abſtinuimus. Tertia demùm propoſitio eſt, quòd præcedentes duæ viſæ fuerint atque toleratæ in Conſiſtorio S. Congregationis Eminentiſs. Card. quam ſolam Alexandrum VII. damnâſſe communior hodie ſententia tenet cum Salmanticenſibus *l. c. n. 130.* qui teſtantur, graviſſimos Academiæ Salmantinæ Magiſtros, inter quos erant tres primariæ cathedræ moderatores, circa hoc conſultos unanimiter reſpondiſſe, prohibitionem & cenſuram Alexandri relatas illas cathegoricas propoſitiones

nes nullatenus afficere, ſed illud tantùm prædicatum, quo aſſeritur, quòd ſententia iſta *in Conſiſtorio S. Congregationis viſa & tolerata ſit*; non enim defuerunt Doctores aliqui, qui dicebant Epiſcopos ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ occultis, etiam ab hæreſi, poſſe abſolvere: & talem opinionem in judicio contradictorio viſam fuiſſe in Conſiſtorio S. Congreg. Eminent. Cardd. ac poſt longam diſcuſſionem ab ea toleratam ùt probabilem: quod poſterius rejicit & condemnat ùt falſum & ſcandaloſum Alexander VII. non verò ipſas propoſitiones, ſuper quas illa falſa impoſtura cadit. Sanè mirum eſſet Alexandrum per duo decreta prohibuiſſe quadraginta quatuor propoſitiones, omnes manifeſtè, clarè, absque ulla ambiguitate aut reſtrictione, & ſolùm ſuprapoſitas duas cum tanta reflexione & quaſi per ambages propoſuiſſe, cùm tamen eas majori cum expreſſione debuiſſet proponere; ſiquidem per illas graviſſimum Tridentini decretum videbatur revocare, pro DD. Epiſcopis adeò favorabile, adeóque gratioſum, & condemnare ſententiam usque ad illud tempus approbatam, & ùt probabiliſſimam à tot tantisque doctiſſimis ſcriptoribus commendatam; per hoc enim manifeſtè indicavit ſuam mentem non fuiſſe propoſitiones illas & ſententias ſuprarelatas condemnare, ſed ne dicerentur cum illa amplitudine à S Congregatione approbatas eſſe, inhibere, ne videlicet illis adjiceret novum, & quidem magnum pondus ob authoritatem Eminentiſſimorum Cardinalium, ſi ab iis viſæ fuiſſent & toleratæ. Ita Salmanticenſes. Sed quidquid de hoc ſit, horum nihil ad noſtram concluſionem pertinet, cùm ea nec attingat dictas propoſitiones, nec iſtarum ulla poſſit ad eam referri.

Objiciunt denique 4tò. ex Ja- 51
cobo de Graffis *in deciſ. aur. p. 1. L. 1. cap. 13. n. 34.* afferente quamdam declarationem Gregorii XIII. in hæc verba: Gregorius XIII. vivæ vocis oraculo (ùt in ſcriptis vidimus) declaravit, ſe nolle, quòd præfati Regulares Prælati poſſint abſolvere ſuos ſubditos à caſibus in Bulla Cœnæ contentis. Similem declarationem Cardinalis Alexandrini affert Paſſarellus *in not. privil. Minim. Notab. 13.* quibus tandem profligatam putant aliqui noſtram ſententiam. Verùm ℟. 1. opponendo his duabus declarationibus, alias longè plures multorum SS. Pontificum, quibus non dubiè ſed clarè declarant, poſſe Prælatos non obſtante Bulla Cœnæ Regulares ſuos abſolvere à caſibus in ea contentis, non aliter ac ſi ea non eſſet facta nec fieret, ùt patet ex ſupradictis, quorum declarationes non ſunt dubiæ aut incertæ, ſed authenticæ atque etiam bullatæ, & conſequenter majoris longè auctoritatis, quàm ſint illæ, quas producunt Adverſarii, atque adeò eti-

am magis illis credendum, quàm his. Hinc autem ℞. 2dò. cum Laurent. de Peyrinis, quòdſi haberemus authenticum aliquod hujus declarationis monumentum, res eſſet ſine controverſia, ſed quia nullum adeſt, & nullus alius id dicit, ipſius authoritas non cogit ad præſtandum illi aſſenſum, quin potiùs eandem omninò eſſe falſam ex eo probabiliſſimè convincitur, quòd ipſe Gregorius XIII. *Anno 1584. die 18. Martii* conceſſerit Generali Jeſuitarum, quòd poſſit abſolvere ſocios ſuos non tantùm à caſibus Bullæ Cœnæ, ſed etiam ab hæreſi, & relapſu in hæreſin, ùt habetur *in Compend. privil. Societ. V. abſolutio.* & refert cum aliis Suarez l. c. haud ſanè conceſſurus tam amplam poteſtatem, ſi eam voluiſſet eſſe revocatam; & licèt id etiam voluiſſet, mirum omninò, quòd hanc ſuam voluntatem nunquam publicam fecerit, ſed illud ſuo, ut ita dicam, ſcrinio voluerit reſervatum. Deinde ſi privilegia Regularium non cenſentur revocari per revocationem generalem, nulla illorum facta ſpeciali mentione, multò minùs valebit tale vivæ vocis oraculum, quod multis ex titulis poteſt eſſe falſum, ſub- & obreptitium. Ad alteram declarationem, de qua Paſſarellus, ℞. quòd neque de hac conſtet, quòd ſit authentica, aut facta auctoritate Papæ, qui ſolus ſicut & concedere, ita & auſferre ac revocare poteſt privilegia: adeóque nec illa cogit ad adhibendam illi fidem, aut ulla alia ejuſmodi declaratio, niſi debita habeat requiſita: quibus omnibus oppono decretum S. Congregationis juſſu & auctoritate Urbani VIII. editum *2. Auguſt. Anno 1631.* quo ex ſpeciali Sanctiſſimi D. Urbani divin. Provid. Papæ VIII. juſſu mandat & præcipit, hujusmodi declarationibus tam impreſſis, quàm imprimendis ac manuſcriptis nullam fidem eſſe in judicio vel extra à quoquam adhibendam, ſed tantùm illis quæ in authentica forma, ſigillo conſueto, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti & Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint. Idipſum tradit Cardinalis de Luca, qui pluribus in locis omnem omninò fidem hujusmodi declarationibus derogat, inquiens, erroneum eſſe in ejusmodi declarationibus cum conſueta cæca fide vim conſtituere: quodipſum hodie aſſerunt DD. communiter. Quibus denique omnibus pro coronide hujus controverſiæ addo, quòd cùm ea quoad praxin maximi ſit momenti, & jam diu in utramque partem ſummo partium ſtudio agitata, & quidem ſcientibus etiam Pontificibus Romanis, debuiſſent ſanè jam pridem ad animarum laqueos tollendos ſpeciali aliquo decreto mentem ſuam apertiùs declarare: quod cùm hactenus non fecerint, & necdum faciant, præſumi utique poteſt, ac certum nobis eſſe debet, nunquam hactenus revocatam fuiſ-

Digitized by Google

ſe Prælatis facultatem hanc, ſed potiùs velle, ut ſua Regularibus privilegia quoad hoc punctum ſalva maneant atque integra, utpote quæ nemini præjudicium inferunt, ſed in maximum cedunt Religioſorum Ordinum emolumentum.

52 Ex hucusque porrò dictis ſatis clarè conſtare videtur, ſententiam noſtram non modò verè & practicè probabilem eſſe, ſed & ſpectatis principiis tum intrinſecis tum extrinſecis longè probabiliorem, ac in praxi omninò tutam; cùm enim contraria opinio nullum pro ſe habeat certum & ſolidum fundamentum, utpote quod unicè conſiſtit in revocatione privilegiorum incerta planè ac plusquam dubia, ne dicam falſa; ſententia econtrà noſtra clarè demonſtret factam eſſe tum Canonicis noſtris tum aliis Religioſis Ordinibus facultatem abſolvendi à prædictis caſibus Bullæ Cœnæ, eámque nunquam fuiſſe revocatam abundè probet ex ipſis SS. Pontificum Conſtitutionibus ac declarationibus, aliisque ſolidis argumentis, & ſimul argumenta Adverſariorum dilucidè diſſolvat, habenda eſt ſententia noſtra tanquam probabilior, atque adeò etiam ex principiis tum directis tum reflexis in praxi omninò tuta; nam quandocunque datur opinio probabilis & multò magis probabilior pro jurisdictione, tunc etſi talis opinio à parte rei eſſet falſa, eam tamen ſupplet Eccleſia, ut ſi probabile ſit, talem abſolvere poſſe à reſervatis, vel à cenſuris: poſſe Confeſſarium eligere: privilegium non eſſe revocatum &c. & ſimilia, & ille ex hac operetur opinione, valida ſunt acta, ſupplente defectum Eccleſia, ſi fortè aliquis ſubſit: ùt pro certo tenent Bonacina *to. 2. Diſp. 5. de Pœnit. quæſt. 7. punct. 5. §. 4. n. 4.* & *de Matrim. quæſt. 2. punct. 8. n. 29.* Thomas Delbene *de Parlament. dubit. 4. ſubſect. 32. Coroll. 2. n. 2.* Thomas Sanchez *tom. 1. in Decàl. cap. 9. n. 35.* & *L. 3. de Matrim. Diſp. 22. n. 65.* Joan. Sanchez *in ſelect. Diſp. 44. n. 3.* Henriquez *L. 2. de pœnit. cap. 14. n. 3. & 4.* Suarez *to. 4. in 3. part. Diſp. 26. ſect. 6.* Card. de Lugo *Diſp. 19. de Pœnit. ſect. 2.* citans Granadum, Malderum & Turrianum, alióſque. Caſtropalao *to. 1. tr. 1. Diſp. 2. punct. 5. n. 9.* Trullench. *in Bull. Cruciat. L. 1. cap. 1. dub. 9.* Leſſius *L. 2. de Juſtit: cap. 29. dub. 8. n. 68.* Villalobos *to. 1. tr. 1. Diffic. 13. n. 5.* Baſilius de Leon. *L. 5. de matr. cap. 19: n. 8. & cap. 20. n. 7.* Coninck. *de Sacram. Diſp. 8. dub. 3. concl. 6. n. 22. & dub. 6. n. 47.* Filliucius *to. 1. tr. 7. cap. 9. n. 22.* Diana *part. 2. tr. 13. Reſol. 2.* Pellizarius *to. 2. part. 1. tr. 8. cap. 3.* Marcus Vitalis *in Arca Vitali tit. de opin. probab. n. 49.* Caſp. Hurtado *Diſp. 10. de pœnit. difficult. 6.* Arriaga *to. 8. Curſ. Theolog Diſp. 39. ſect. 5. ſubſect. 2. n. 43.* Auſonius Noctinot. *V. opinio probabilis n. 8.* Lezana *to. 2. ſumm. QQ. Regul. part. 4. V. opinio Regularibus tenenda. n. 8.* qui

idem docuerat *part. 3. V. Confeſſio*, ubi addit: quod eſt valdè notandum pro Regularibus, quando ſunt opiniones diverſæ circa valorem privilegiorum, quæ habent ad abſolvendum. Petrus de Murga *to. 2. Diſquiſ. Moral. & Canon. Diſq. 1. dub. 18. § 10. n. 150.* Franciſcus Bonæſpei *Diſp. 9. n. 39.* Herinx *Diſp. 5. n. 30.* Averſa *de Pœnit. quæſt. 16. ſect. 5.* Dicaſtillo *Diſp. 10. dub. 8.* Antonius à Spiritu S. *n. 824.* Thom. Tamburin. *de Confeſſ. L. 3. cap. 3.* Franciſcus à JEſu Maria *tr. 6. de Pœnit. cap. 11. punct. 5. n. 74.* Cardenas *in 2. Criſi Theolog. Diſſert. 2. cap. 6. art. 6.* Arsdekin *de abſol. Sacram. n. 12.* Chriſtoph. Raſsler *de Pænit. cap. 6. §. 19.* Sporer *de pœnit. n. 714.* Stoz. *L. 2. n. 53.* Illſung *tr. 1. diſp. 1. n. 77.* Gormaz *Diſp. 5. à n. 331.* La-Croix *L. 6. de Sacram. part.* 1. *à n.* 111. & alii non tot quin plures; & ratio eſt, quia certum eſt in Jure, quòd conſuetudo tribuat jurisdictionem, ùt conſtat ex plurimis Juris utriusque textibus, præſertim ex *cap. Dudum 54. de Elect. cap. Cùm contingat. 13. de foro compet. cap. Romana* 1. *eodem in 6. cap. Duo ſimul.* 11. *de Offic. Judic. Ordinar.* & *cap. Ut litigantes 5. eodem in 6. cap. Cùm quidam 2. de Exception. in 6.* & *cap. Romana. 5. de ſent. excommun. in 6.* in quibus capitulis Gloſſa ubique ferè addit *in V. Conſuetudo*: Nota, quod conſuetudo dat jurisdictionem; quibus accedit etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. de Reform. cap. 8.* illis verbis: Si alicui ex prædictis dignitatibus de Jure vel NB. conſuetudine jurisdictio non competat: ſed praxis & conſuetudo obtinuit in tota Eccleſia, quòd Confeſſarii abſolvant ex opinione verè & practicè probabili circa jurisdictionem: ergò certum eſt, quòd ex tali conſuetudine Confeſſarii habeant veram jurisdictionem: atqui opinio aſſerens Prælatos poſſe ſuos ſubditos Regulares abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ ex dictis eſt verè & practicè probabilis, quin & probabilior: ergò certum eſt, quòd in ea opinione poſſint abſolvere, & licèt ea foret à parte rei falſa, jurisdictionem tamen ſuppleret Eccleſia. Similiter certum eſt, quòd ubi adeſt error communis circa jurisdictionem cum titulo putativo collato à legitimo Superiore, Eccleſia ſuppleat jurisdictionem, ùt ex *L. Barbarius ff. de Offic. Prætoris* & *Can. Infamis* 1. *cauſ. 3. quæſt. 7.* tenent omnes Theologi & Jurisperiti tum antiqui tum recentiores nemine dempto, teſte Th. Sanchez *L. 3. de matrim. diſp. 22.* ubi longum eorum catalogum refert, neque invenio authorem aliquem, qui contradicat, ait Cardenas l. c. idque verificatur tam pro foro interno, quàm pro externo, cùm Jura non diſtinguant: idipſum enimverò exigit & bonum commune & officium ſupremi Principis, ne graviſſimæ oriantur deordinationes, & incommoda: atqui in opinione noſtra aſſerente, Prælatos poſſe ſuos ſubditos Regulares abſolvere à caſibus

Bullæ Cœnæ, licèt falſa foret, adeſt error communis, cùm verè & practicè probabilis ſit ac communiter recepta à Doctoribus ex omni Ordine ac ſtatu, habétque titulum ſaltem putativum à Superiore collatum, qui conſiſtit in privilegiis SS. Pontificum hanc in rem conceſſis: cùm ergò certum ſit in tali errore communi cum titulo putativo à legitimo Superiore collato jurisdictionem ab Eccleſia ſuppleri tam pro foro interno, quàm externo: certum etiam erit, quòd in opinione noſtra, etiamſi foret falſa, Eccleſia jurisdictionem ſuppleat, & abſolutio ſecundùm illam data erit
53 certò valida. Quin imò, quòd communis error etiam absque titulo præſumpto aut putativo jurisdictionem tribuat, docent Baſilius de Leon *L. 5. de Matrim. cap. 20.* Diana cum aliis pluribus à ſe citatis *part. 2. tr. 16. Reſol. 43. part. 8. tr. 1. Reſol. 94. part. 11. tr. 2. Reſol. 69.* Bordonus *in Conſil. Regular. to. 1. Reſol. 86.* Sylvius *in Reſol. var. V. Matrimonium.* 11. Leander à SS. Sacram. *1. part. tr. 5. Diſp. 11. quæſt. 102. & de Matr. Diſp. 7. quæſt. 30.* Hurtado *in var. Reſol. to. 2. tr. 12. cap. 1. Reſol. 7. n. 2018.* Poſſentius *in Recollect. quæſt. moral. cap. Miſcellan. pro Regular. n. 17.* Pellizarius *in Man. to. 2. tr. 8. cap. 2.* Bardi *in Bull. Cruciat. part. 2. tr. 5. cap. 1. ſect. 12.* Joan. Sanchez *in ſelect. Diſp. 44. n. 3.* Molfeſ. *in ſumm. to. 1. tr. 7. cap. 13.* Machado *de perfecto Confeſſario to. 1. L. 1. part. 2. tr. 1. documento 8. n. 2.* Boſſius *de Caſib. ſingular. Conſcient. Caſ. 225.* Genuenſ. *in praxi cap. 29.* eóſque referens Petrus de Murga *to. 2. diſquiſ. moral. & Canonic. diſq. 1. dub. 14. §. 10. n. 151.* Ludovicus Scildere *de Conſcient. tr. 2. n. 42.* & alii plures tum ab his, tum à Thoma Sanchez *L. 3. de Matrim. diſp. 22.* citati, quorum ſententiam probabilem eſſe cenſent Palao *to. 5. diſp. 2. punct. 13. §. 10. n. 9.* Thom. Tamburin. *de Pœnit. L. 5. cap. 4. §. 7.* Andreas à Matre Dei *tr. 9. de Matrim. cap. 8. punct. 4. n. 54.* cum pluribus aliis. & ratio eſt; quia ob evitanda damna communia Jus concedit talem facultatem non habenti illam, quando error eſt communis & titulus adeſt putativus à legitimo Superiore collatus: ergò etiam idem Jus talem jurisdictionem confert, quando communis eſt error, licèt nullus adſit titulus, cùm eadem damna ſequerentur, quod pluribus textibus & exemplis illuſtrat Baſilius *de Leon. l. cit.* Ex quibus omnibus fuſiùs hactenus deductis, ſatis ſupérque conſtat, licere certò Prælatis abſolvere ſubditos ſibi Regulares à caſibus Bullæ Cœnæ (& eodem modo diſcurrendum eſt in aliis ſimilibus quæſtionibus, ùt quando dubium eſt, an hoc vel illud liceat vi talis privilegii, an privilegium ſit revocatum, an ſe extendat ad hunc vel iſtum caſum) quamvis enim à parte rei falſa eſſet ejusmodi opinio, aut non liceret abſolvere vel uti tali privilegio, quia tamen ſupponitur eſſe verè & pra-

ſticè probabilis, Eccleſia confert ac ſupplet defectum jurisdictionis, vel ratione conſuetudinis, quæ ex Jure vim habet tribuendi jurisdictionem: vel ratione erroris communis, præſertim ſi conjunctus ſit cum titulo præſumpto ac putativo à legitimo Superiore collato, qui nunquam deeſſe poteſt in hujusmodi caſibus, cùm ſemper nitatur privilegio à S. Pontifice conceſſo, qui poteſt ſupplere defectum jurisdictionis & actui tribuere valorem. (*Adde*; nullatenus admittendum eſſe, quòd liceat in Sacramento pœnitentiæ extra caſum neceſſitatis uti jurisdictione præcisè probabili. Neque enim præſumendum eſt, Eccleſiam velle ſupplere jurisdictionem, niſi moraliter certam, aut in eo præcisè caſu neceſſitatis, quo nequit jurisdictio moraliter certa alterius Confeſſarii haberi. Itaque hæc ſententia practicari non poterit, niſi ab iis, quibus viſa fuerit moraliter certa. Totum dependet ab intentione Pontificum legali, an ſit derogatoria privilegiorum Regularium. Eam certè non videtur exigere ſubjecta materiæ, & bonum ac rectus ordo Eccleſiæ ſaltem pro ultramontanis.)

Sectio V.

De poteſtate Prælatorum abſolvendi ſubditos ſibi Religioſos ab hæreſi.

54 HÆreſis græcum nomen ſuam accipit nomenclationem ab electione, eoquòd perperam eligat, qui erroneam in fide ſequitur doctrinam. Dividi poteſt in objectivam, quæ nihil aliud eſt, quàm propoſitio è diametro contraria objecto revelato: & in ſubjectivam, quæ ſe tenet ex parte ſubjecti, & eſt ipſe error contra fidem in eo, qui ſe Chriſtianum profitetur; & ſiquidem talis error ſit absque pertinacia voluntatis perſiſtendi in tali errore, vocatur hæreſis materialis: ſi verò error hujusmodi conjunctus ſit cum pertinacia, dicitur hæreſis formalis; requiri autem pertinaciam ad propriam ac veram ſeu formalem hæreſin, habetur in *Can. Dixit Apoſtolus. 29.* & *Can. Quia in Eccleſia. 31. cauſ. 24. Q. 3.* & *cap. unic. de Summ. Trinitat.* & *Clement. un. eodem tit. §. 2.* Atque ſic accepta definitur hæreſis, quòd ſit *error voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia aſſenſûs in eo qui Chriſti fidem profitetur.* Dicitur 1. *Error*, hoc eſt, judicium erroneum intellectûs, ſicut actus fidei eſt judicium verum intellectûs. Dicitur 2. *voluntarius*; quem-

quemadmodum enim aſſenſus fidei imperatur à voluntate, indéque accipit ſuam libertatem ac moralem bonitatem, ita viciſſim imperatur diſſenſus à voluntate, indéque ſuam accipit libertatem & malitiam. Dicitur 3. *contra aliquam fidei veritatem*; qui enim nullam recipit, non equidem hæreticus, ſed Judæus, aut Paganus, vel Atheus dicendus eſt. 4. *cum pertinacia aſſenſûs*, qua ſcilicet quis ſciens volénsque tenet aliquid contra fidem Catholicam, ùt cum S. Auguſtino contra Manichæos docent Theologi & Canoniſtæ: nec tamen requiritur, ut quis diu in errore perſiſtat, ſed ſufficit tanta mora temporis, quæ requiritur ad hoc, ut quis poſſit cum plena advertentia judicare de veritate fidei ſufficienter ſibi propoſita, & nihilominus ſuo velit inhærere perverſo judicio, ſiquidem hæreſis formalis poteſt committi in uno inſtanti, & per unicum actum. Dicitur denique 5. *in eo, qui Chriſti fidem profitetur*: non quòd hæreticus veram Chriſti fidem habeat, ſed quòd eam habeat quoad ſpeciem, & apparentiam, dum ſaltem fatetur, ſe aſſentiri aliis fidei Chriſtianæ articulis tanquam revelatis à Deo, licèt à parte rei hujusmodi aſſenſus non ſit fidei divinæ, ſed humanæ; qui enim uni articulo diſſentit, jam habitum fidei amittit, tam parùm compatibilem cum actu contrario fidei, quàm habitús charitatis cum peccato mortali. Ex quibus patet, errantem ex ignorantia culpabili & vincibili, aut etiam craſſa & ſupina circa dogmata veræ fidei, paratum tamen corrigi, ſi ſciret ea eſſe per Eccleſiam definita, non peccare contra fidem, adeóque non eſſe hæreticum formalem, nec pœnis ſubjici in hæreticos latis; quia ad hoc ut aliquis ſit formalis hæreticus, requiritur pertinacia in eo ſita, quòd quis ſciens teneat dogma veræ fidei contrarium: ſed qui errat ex ignorantia culpabili & vincibili, aut etiam craſſa & ſupina circa dogmata veræ fidei, paratus tamen corrigi, ſi ſciret, ea eſſe per Eccleſiam definita, ſciens non tenet dogma veræ fidei contrarium nec eſt pertinax: ergò non eſt hæreticus formalis, nec ſubjicitur pœnis in hæreticos latis. Quin imò communior hodie tenet DD. ſententia, ignorantiam etiam affectatam, excuſare a crimine hæreſis; quia qui ignorat hunc vel illum articulum eſſe veræ fidei contrarium, undecunque demum talis proveniat ignorantia, Eccleſiæ verè non contradicit: ergò dici non poteſt contumax contra doctrinam Eccleſiæ, ſicut ad hæreſin requiritur, præſertim cùm voluntas ſe corrigendi, ſiquidem ſciret, opinionem ſuam eſſe veræ fidei contrariam, compatibilis ſit cum tali errore; quia ignorantiam hanc affectare poteſt, ne ſe debeat corrigere: ſic autem virtualiter ſe ſubjicit Eccleſiæ; atque ita etiam cum pluribus à ſe citatis docet Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 4. punct. 4.*

(*Ad-*

Digitized by Google

(*Adde*, hic benè diſtinguendum eſſe circa errorem *univerſalem*, verſantem circa ipſum articulum veræ Eccleſiæ, & errorem *particularem*, verſantem circa articulos particulares, attamen cum unione habituali prædominante ad veram Eccleſiam. Si enim error ſit *particularis*, qualis interdum datur in militibus, & aulicis, defendi quidem poteſt, etiam ignorantiam craſſam, imò & affectatam excuſare à crimine hæreſis, eoquòd tales homines non gerant animum obſirmatum ſe ſeparandi ab Eccleſia, ſed parati ſint ſe ſubjicere ejus inſtructioni. Sed circa errorem *univerſalem* defendi nequit, excuſare à crimine hæreſis ignorantiam craſſam, multò minus affectatam conjunctam cum ſeparatione ab Eccleſia.)

55 Hæreſis formaliter accepta poteſt eſſe vel interna tantùm vel externa tantùm, aut externa & interna ſimul. Hæreſis interna tantùm eſt error voluntarius & pertinax contra fidem intùs reſervatus in mente, nec ullo ſigno exteriori ſive verbo, ſive facto manifeſtatus: hæreſis externa tantùm dicitur error contra fidem, externo tantùm ſigno, verbo, vel facto manifeſtatus, ſervata in mente fidei veritate, ut cùm quis vel expreſsè vel interpretativè verbo, ſigno, vel facto hæreſin ſimulat. Hæreſis interna & externa ſimul eſt error voluntarius & pertinax contra fidem, intùs mente conceptus & foris verbo, ſigno, vel facto ſufficienter manifeſtatus. Hæreſis interna & externa ſimul alia eſt occulta, alia publica: occulta dicitur non tantùm illa, quæ per accidens non eſt manifeſta, ac proinde quæ per teſtes probari non poteſt, ùt quidam perperam aſſerunt, ſed quæ non eſt publica, notoria, aut famoſa; & ideò quamvis probari poſſit teſtibus, ſi tamen de facto non eſt deducta ad forum contentioſum, vel niſi ſciatur à majori parte viciniæ, Parochiæ, Collegii, vel Monaſterii, ita ut ex viginti vicinis undecim ad minus ſciant, adhuc occulta cenſetur in ordine ad præſentem controverſiam: publica ſeu notoria eſt, quæ vel ex Jure, vel ex facto ſuo ita habetur certa, ut nulla amplius diſcuſſione egeat, aut ob facti evidentiam nulla celari poſſit tergiverſatione, ùt habetur *Can. Manifeſta 15.* & *Can. de manifeſta. 17. Cauſ. 2. Q. 1.* & *cap. ſuper eo. 3. de teſtib. cogend.* ut ſi crimen hæreſis deductum jam ſit ad forum contentioſum, aut illud reus ſponté confiteatur, vel ob illud ſit condemnatus: aut ſi illud commiſſum ſit publicè in oculis omnium, vel majoris partis Univerſitatis, Parœciæ, Collegii &c. famoſa verò dicitur, quando exiſtit publica fama, & manifeſta notitia ex indiciis probabilibus orta. Ad forum contentioſum deducta cenſetur, quando delata eſt Judici, & inſuper delatio parti intimata; unde ſi delictum hæreſis ſit quidem delatum Judici, non

non tamen intimatum parti, dici nequit deductum ad forum contentioſum; quinimò cùm juxta communem ſententiam judicium primùm incipiat à conteſtatione litis, haud poterit dici ad forum contentioſum eſſe deductum, usque dum lis fuerit conteſtata; licèt autem delictum fuerit ad forum contentioſum deductum, ſi tamen reus in illo ſe purgaverit vel defenderit, etiamſi hoc falſis teſtibus & via iniqua fecerit, ibique abſolutus fuerit, idem erit, acſi nunquam fuiſſet ad forum contentioſum deductum; nam ceſſat ratio, ob quam delictum dicatur deductum ad forum contentioſum, & perinde eſt, acſi non eſſet deductum, cùm non fuerit probatum & redactum ſit ad priſtinum ſtatum, manens occultum ſicut priùs, ùt docet Coninck. *Diſp. 14. dub. 16. n. 243.* Henriquez *L. 14. cap. 7. num. 5.* Sanchez *L. 8. de Matrim. Diſp.* 34. *n. 57.* & *in ſumm. L. 2. cap. 11. n. 21.* aliisque citatis Andreas à Matre Dei *to. 2. tr. 10. cap. 2. punct. 5. n. 60.* Porrò lapſus in hæreſin dupliciter conſiderari poteſt, primò cùm quis nunquam in hæreſin lapſus prima vice in illam incidit; & tunc dicitur lapſus ſimpliciter: ſecundò, quando jam ſemel in hæreſin lapſus, eam eſt deteſtatus, & iterum in illam incidit, & tunc dicitur relapſus: pro quo tamen benè notandum, quòd quando in Jure vel in Bullis Pontificiis ſermo eſt de relapſis in hæreſin, per ejusmodi relapſos non intelligantur omnes illi, qui lapſi in hæreſin poſt eam abjectam iterum in hæreſin reincidunt, ſed illi tantùm, qui poſt hæreſin coram Judice competente abjuratam rurſus in hæreſin relabuntur, prout reſponſum fuiſſe per Cardinales in Capitulo generali Capucinorum Anno 1608. Patribus ultramontanis teſtatur P. Cyprianus *ad cap. 7. Reg. Lect. 26. fol. 748.* apud Bonagratiam *in ſumm. ſelect. Quæſt. V. abſolutio quoad fratres. n. 17.* Hisce præmiſſis

Suppono 1. Excommunicatio- 56
nem jam antiquitùs ſtatutam fuiſſe in omnes ac quoscunque hæreticos, ùt patet *ex cap. Cùm Chriſtus 7. cap. ad abolendum 9. & cap. Excommunicamus 13. de Hæretic. cap. Noverit 49. de ſentent. excommun.* Quamvis autem in his Juribus dicta excommunicatio nullibi legatur eſſe reſervata, reſervatur tamen ea S. Pontifici in Bulla Cœnæ Canone 1mo. in quo non tantùm excommunicantur hac excommunicatione reſervata hæretici cujuscunque ſectæ, ſed etiam ipſis credentes, fautores, receptatores, defenſores, & qui hæreticorum libros hæreſin continentes, vel de Religione tractantes ſine licentia Pontificis legunt, retinent, imprimunt, vel defendunt. Ad hanc verò excommunicationem incurrendam S. Pontifici reſervatam præter alia ad conſtituendam hæreſin formalem requiſita requiritur 1mò. ſcientia ſeu notitia talis excommunicationis, ita

ut ſi quis ignoraret inculpabiliter vel etiam culpabiliter huic actui annexam eſſe excommunicationem, eam non incurreret; quia ad incurrendam excommunicationem requiritur contumacia & contemptus cenſuræ: ſed qui nullam illius habet ſcientiam vel notitiam, eámque ignorat inculpabiliter vel etiam culpabiliter huic actui annexam eſſe, dici haud poteſt contumax, aut cenſuram contemnere: ergò quando nullam habet excommunicationis ſcientiam vel notitiam, eandem non incurrit; in quo differt pœna excommunicationis ab aliis pœnis, quæ Jure civili vel Eccleſiaſtico pro aliquo delicto aſſignantur: quòd aliæ pœnæ, cùm non petant contumaciam, ex natura rei ex ipſo delicto contra legem conſequuntur: ideóque ſuppoſita prohibitionis notitia, non requiritur notitia ipſius pœnæ, ùt accidit in homicida, qui quamvis neſciat eſſe capitale ſupplicium tali delicto annexum, juſtè ſuſpenditur. At cenſura cùm petat contumaciam contra ipſam poteſtatem Eccleſiaſticam per cenſuras coercitivam, non incurritur, niſi notitia talis pœnæ habeatur, maximè quia iſta ad emendationem & reſipiſcentiam ordinatur, illa verò ad correctionem. Ita Sanchez *L. 9. de Matrim. Diſp. 32. n. 13.* Diana *3. part. tr. 6. Reſol. 41.* & *4. part. tr. 2. Reſol. 36.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 1. punct. 7. & punct. 15. n. 193.* Requiritur 2dò. ad incurrendam hanc excommunicationem, ut hæreſis formalis mente concepta ſigno aliquo externo manifeſtetur & quidem animo hæreſim aſſerendi & profitendi, non equidem ita, ut actus exterior hæreſis manifeſtativus aliis innoteſcat, ſeu coram aliquo vel aliquibus fiat, nam licèt ille occultè exerceatur, ſi verè ex ſe ſit manifeſtativus erroris in mente concepti, jam ſubjacet juriſdictioni Eccleſiæ, & ad incurrendam excommunicationem ſufficit. Qua in re tamen magna eſt inter Authores controverſia; etenim non pauci, quos adductis eorum locis citat Thomas Sanchez *Libr. 2. ſumm. cap. 8. n. 1.* docent, excommunicationem in hæreticos ſtatutam incurri etiam ob hæreſin purè mentalem, idque ex eo probare nituntur: quia peccatum hæreſis verè ac perfectè conſumari poteſt in ſola mente, credendo nempe cum pertinacia errorem Eccleſiæ Catholicæ contrarium, ac nolendo ſuum illi judicium ſubjicere: atque adeò hæreſis mentalis eſt verè ac propriè dicta hæreſis: ſed juxta ipſos omnis hæreſis verè ac propriè talis punitur pœna excommunicationis: ergò etiam hæreſis mentalis. Verùm longè plures, quos refert & ſequitur idem Sanchez *l. c. n. 2.* tenent, requiri ſignum aliquod externum, utut occultum, ob eam rationem, quòd Eccleſia judicare non poſſit de internis. Sed quamvis hæc ratio procedat in iis, ubi opus eſt prævia cognitione ac coactione externa, nihil tamen in

iis,

iis; in quibus ſolummodò agitur de pœnis in conſcientia ac coram Deo incurrendis, nec ulla neceſſaria eſt prævia cauſæ aut delicti cognitio; & hinc probabiliùs mihi dicendum videtur, Eccleſiam potuiſſe quidem excomunicationem ferre in hæreticos purè mentales, de facto tamen non tuliſſe, adeóque eam tantùm afficere hæreticos internos ac externos ſimul. Et quidem potuiſſe illam ferre in hæreticos purè mentales, ex eo conſtat, quòd lex Eccleſiaſtica directiva, atque etiam coactiva coactione interna poſſit præcipere vel prohibere actus purè internos, ùt cum Caramuele *in Theolog. fundament. fundam. 24. n. 698.* Carden. *in 1ma. Criſi Theol. part. 2. Diſp. 25. cap. 7.* & *part. 3. Diſp. 9. cap. 20. art. 12. & in 2da. Criſi Diſſert. 34. cap. 2.* Gormaz *p. 2. de Pœnit. n. 67.* LaCroix *de Leg. à n. 652.* pluribus docui & probavi *in tract. de Legib. Diſp. 3. quæſt. 2.* Non verò tuliſſe hactenus, ex eo ſatis probari videtur, quia oppoſitum neque ex uſu & experientia, neque ex ratione oſtendi poteſt, quin potiùs tam experientia, quàm ratio pro ſententia pugnat negativa: experientia quidem, quia hæretici purè mentales neque ſe gerunt pro excommunicatis, nec unquam procurant abſolutionem ab excommunicatione: ratio verò; quia hic verſamur in odioſis & pœnalibus: odia autem ac pœnæ reſtringi debent, quantum fieri poteſt; atque hanc ipſam eſſe SS. Pontificum mentem ex eo ſatis colligitur, quòd ſciant Authores communiter docere, excommunicationem eique annexam reſervationem ſolùm cadere in hæreſin internam ſimul & externam, & tamen non contradicant.

Suppono 2dò. Quòdſi aliqua 57
hæreſis ex aliquo capite, ſive quia error contra fidem non eſt voluntarius, aut quia error ille, licèt ſit voluntarius, non tamen retinetur cum pertinacia, ſive quia non exit in actum externum, aut ignoratur eidem annexam eſſe cenſuram, ſive ex alio quocunque capite non ſubjaceret excommunicationi, aut ſiquidem ſubjaceret, jam fuiſſet ablata per abſolutionem etiam extra Sacramentum impenſam, quilibet Confeſſarius poſſit ab ea abſolvere; quia hæreſis ſolùm reſervata eſt ùt eſt excommunicationi conjuncta: ea igitur ex aliquo capite vel non incurſa, vel jam ſublata, etiam hæreſis deſinit eſſe reſervata, ùt notant Sanchez *L. 2. ſumm. cap. 8. n. 5. in fin.* & *cap. 11. n. 3.* Palao *de fide. Diſp. 4. punct. 1.* & alii: quod maximè notandum pro iis, qui cum ignorantia talis excommunicationis in hæreſin incidunt. Solùm ergò hic quæſtio procedit de hæreſi ùt habente omnia requiſita ad formalem illius conſtitutionem, cui verè annexa eſt excommunicatio, eáque S. Pontifici per Bullam Cœnæ reſervata: an ea non obſtante poſſint Prælati ab-

ſolvere ab hæreſi ſubditos ſuos Religioſos; nam quod ad ſæculares attinet, certum nunc eſt, quòd eos defacto non poſſint abſolvere ob propoſitionem 4tam. ab Alexandro VII. damnatam, quæ ſic habet: *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoscunque ſæculares ab hæreſi, & ab excommunicatione propter eam incurſa.* Solùm igitur loquendo de Regularibus in hæreſin formalem lapſis, an eos abſolvere poſſint Prælati? in qua negativam tenent non tantùm illi, qui ſect. præc. negârunt Prælatis poteſtatem abſolvendi Regulares ſuos à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, ſed etiam alii, qui id ibidem conceſſerunt, ùt Portell. *in addit. ad dub. Regul. V. Abbas. n. 11.* Thom. Hurtado *to. 1. tr. 5. cap. 4.* Pellizarius *tr. 8. cap. 2. n. 34. & 39.* Leander *tr. 2. de excommunic. Diſp. 16. quæſt. 78.* Antonius à Spiritu S. *to. 1. tr. 2. Diſp. 1. ſect. 1. n. 47.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 2. punct. 6. n. 76.* qui tamen aſſertionem ſuam reſtringunt ad ſolam ferè Hiſpaniam, aut etiam Italiam propter particularia privilegia Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis conceſſa: verùm cùm hi neque in Gallia, neque in Germania aliisque Provinciis recepti ſint, nihil nobis officiunt. Unde ſententiam affirmativam propugnant Authores plerique pro priori ſectione citati, quos inter Alvinus *de poteſt Abb. cap. 27. n. 2.* Finellius *de Caſib. reſerv. cap. 7 n. 17.* Joannes Canartus *in Compend. privil. pag. 44.* Beja *in Reſponſ. caſuum conſcient. part. 4. caſ. 35.* Caſſarub. *in Compend. privil. Tit. abſolutio quoad Fratres.* Crouſers *ſuper cap. 7. Reg. Minor.* Avila *de Cenſur. part. 1. Diſp. 10. dub. 10.* Vecchius *in prax. Novit. Diſp. 9. à n. 4.* Martinus à S. Joſeph. *L. 1. tr. 2. n. 5.* Marchinus *de Sacram. Ordin. tr. 1. difficult. 1. n. 3.* Novarius *in ſingular. Canonic. concluſ. 2. n. 6.* quos præter plures alios refert & ſequitur Petrus de Murga *in Diſquiſ. Canonic. & Moral. to. 2. Diſquiſ. 1. dub. 14. §. 13. concluſ. 9. n. 165. & ſeq.* eandem ſententiam præterea tenent Laurent. de Peyrinis *to. 1. de privileg. Regular. ad Conſtit. Pyrrhi à n. 44.* & *ad Conſtit. 4. Sixti IV. §. 5.* & *to. 3. in additament. ad dict. Conſtit. Sixti IV. cap. 2. à n. 35.* Emanuel Rodriquez *to. 1. Quæſt. Reg. quæſt. 20. art. 9.* Suarez *to. 4. de Religion. tr. 8. L. 2. cap. 21.* Thom. Sanchez. *L. 8. de Matrim. Diſp. 2. n. 22. & 23.* & *Diſp. 3. n. 9. & 12.* Villalobos *to. 1. tr. 9. difficult. 61. n. 5.* Fragoſus *to. 2. Libr. 11. Diſp. 24. n. 151.* Vincent. Candidus *to. 1. Diſquiſ. moral. Diſq. 3. art. 25. dub. 2.* Hieronym. Rodriq. *in compend. QQ. Regular. Reſol. 3. n. 3.* Llamas *part. 4. Method. cap. 3. §. 8.* Bauny *to. 1. tr. 4. quæſt. 32.* Bruno Chaſſaing. *de privil. Regul. tr. 3. cap. 3. propoſ. 1. & 3.* Palao *to. 1. tr. 14. Diſp. 4. punct. 3. §. 3.* dum ait: *quam facultatem* (abſolvendi ſcilicet ab hæreſi) *etiam pro Hiſpania conceſſit Gregorius XIII. 18. Martii Anno 1584. ùt habetur in compend. privileg. Societatis V. abſolutio §. 7. & 8.* Henriquez

riquez *L. 6. cap. 16. §. 8. & L. 7. cap. 25. §. 2. & L. 14. cap. ult. §. 5. ad fin.* Baſſæus *in Floribus V. Abbas.* Donatus *to. 2. tr. 11. quæſt. 18.* & *to. 3. tr. 5. Quæſt. 53.* Boſſius *de tripl. Jubil. ſect. 1. caſ. 10. §. 1. n. 8.* Iſo Pfaw. *in ſummar. privil. part. 1. ſect. 1. §. 2.* Bonagratia *in ſumul. ſelect. QQ. Regul. V. abſolutio quoad Fratres. n. 15. & 16.* Sbogar *tract. 140. num. 42.* Renzi *to. 2. L. 1. de Sacram. tr. 5. cap. 4. quæſt. 10.* Felix Poteſtas *in Exam. Confeſſar. to. 1. part. 4. cap. 5. num. 3375.* Ægidius Kibler *in Collectar. privil. part. 1. art. 1. §. 4. per tot.* Petrus Brencola *Reſolut. Miſcellan. pro Confeſſar. cap. ult. de Privileg. Regul. §. 4. n. 18. & 26.* Faberius *de Caſib. reſervat. part. 1. ſect. 6. quæſt. 3.* Köndig *in Elench. privileg. tr. 2. quæſt. 3. quæſit. 1. Reſponſ. 2.* Urbanus ab Aſcenſ. *part. 2. Theolog. moral. tr. 2. diſt. 2. cap. 3. reg. 4. fol. mihi 314.* Reiffenſtuel *L. 5. Decretal. tit. 39. n. 255.* Sannig *diſt. 11. de Sacram. pœnit. quæſt. 9. n. 8.*

58 Dico: *Poſſunt Canonicorum aliorúmve Regularium Prælati ſubditos ſibi Religioſos abſolvere ab hæreſi formali & excommunicatione propter eam incurſa.*

Probatur 1mò auctoritate SS. Pontificum & inprimis Sixti IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Cal. Aug. Anno 1477.* Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis conceſſa: Julii II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Prælatis Canonicorum Regularium Congregat. Bononienſis: Innocentii VIII. in Bulla: *Sacra Religionis. 3. Idus. April. Anno 1486.* Prælatis Cann. Regg. Congregationis Windeſemenſis, aliorúmque plurimorum SS. Pontificum, quos præcedente ſectione ac concluſione recenſuimus, qui omnes in Bullis ibidem relatis conceſſerunt Prælatis ac Superioribus quorumcunque Religioſorum Ordinum poteſtatem abſolvendi Religioſos ſibi ſubditos ab omnibus caſibus, & annexis cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti quomodocunque ſedi Apoſtolicæ generaliter vel ſpecialiter reſervatis etiam in Bulla Cœnæ contentis, exceptis ſolummodò quatuor, ſcilicet relapſis in hæreſin, ſchiſmaticis, deferentibus prohibita ad infideles, & falſificantibus litteras Apoſtolicas: cùm ergò exceptio firmet Regulam in contrarium, & in caſibus non exceptis, poterunt Prælati à cæteris caſibus hìc non exceptis abſolvere: ſed caſus hæreſis formalis hìc non eſt exceptus: ergò poſſunt Prælati ab ea & annexa excommunicatione abſolvere Religioſos ſibi ſubditos. Confirmatur ex communi & recepta Regula: Qui de uno expreſsè negat, de altero affirmat implicitè *arg. cap. Nonne 5. de Præſumpt.* & *L.*

Prætor. ff. de Judic. ſed SS. Pontifices hic relati expreſsè negant Prælatis poteſtatem abſolvendi à 4tuor dictis caſibus: ergò implicitè affirmant ac illis concedunt facultatem abſolvendi à reliquis Bullæ Cœnæ caſibus, quos inter primum locum obtinet hæreſis. Neque dicas: hæc omnia privilegia revocari per annuam Bullæ Cœnæ publicationem, utpote per quam diſtrictè prohibetur, ne quis abſolvat ab ullo caſu in dicta Bulla contento, etiam quarumcunque facultatum ac privilegiorum prætextu: cùm ergò hæreſis primus ſit ac cæteris principalior caſus inter eos, qui in Bulla Cœnæ continentur, non licebit ampliùs ab eo abſolvere. Verùm ad hoc jam ſupra reſpondi ac pluribus demonſtravi, prohibitionem illam quotannis in Bulla Cœnæ fieri ſolitam tantùm intelligendam eſſe quoad abſolutionem perſonarum ſæcularium, non autem Regularium; quòd enim SS. Pontifices quoad horum abſolutionem noluerint revocare relata hactenus privilegia, declarârunt ipſimet, ac in ſpecie Julius II. Leo X. Clemens VII. Paulus IV. Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. Benedictus XIII. Quid? quòd multi ex his Bullam Cœnæ quotannis publicaverint ſub iisdem clauſulis privilegiorum revocatoriis, quibus eandem promulgârunt alii Pontifices, & tamen illi ab his exceptos eſſe voluerunt Regulares: ergò & cæteri SS. Pontifices eosdem voluerunt exceptos, Bullámque Cœnæ promulgando ſubintelligunt clauſulam illam, quam Sixtus V. & Clemens VIII. expreſsè addiderunt, *niſi in eis* privilegiis *etiam caſus præſentibus expreſſi comprehendantur*, quæ clauſula, licèt in aliis ac modernis Bullæ Cœnæ publicationibus explicitè non addatur, ſemper tamen ſubintelligenda eſt juxta Laurent. de Peyrinis, Hiacynth. Donatum & alios, præſertim cùm id ſerviat ad evitandam Jurium correctionem, quæ quantum fieri poteſt, vitari debet; ſed de his ſatis actum eſt ſectione præcedente, quæ videri poteſt.

Probatur 2dò auctoritate S. Pii 59
V. qui in Bulla: *Dum ad Congregationem. 13. Junii. Anno 1571.* edita Prælatis & Abbatibus Congregationis Caſſi abſolutè conceſſit poteſtatem abſolvendi quoscunque Religioſos ſibi ſubditos ab omnibus omninò caſibus Sedi Apoſtolicæ quomodocunque reſervatis etiam in Bulla Cœnæ contentis, nulla uſpiam facta exceptione alicujus caſus, aut hæreſis: ergò ſicut in tali facultate incluſi cenſentur omnes caſus Bullæ Cœnæ, ita etiam incluſa cenſeri debet hæreſis; non enim major eſt ratio hanc potiùs excipiendi quàm alios Bullæ Cœnæ caſus, cùm eodem modo de omnibus loquatur, atque inſuper, licèt cæteri Pontifices communiter aliquos ex Bullæ Cœnæ caſibus ab iſta facultate exceperint, nunquam tamen exceperunt hæreſin: ergò multò minùs eam excipere voluit

S.

S. Pius V. utpote qui nullum omninò excipit caſum; & ratio ulterior eſt, quia quando SS. Pontifices volunt à generali aliqua conceſſione excipere hæreſin, illam nominatim excipiunt, ùt ex diverſis patet SS. Pontificum Bullis: dum igitur eam non excipiunt, concedere videntur: privilegia enim accipi debent ſicut ſonant, maximè quando conceſſa ſunt motu proprio & ex certa ſcientia ac de plenitudine poteſtatis, quemadmodum iſta Pii V. Bulla ſub hujusmodi clauſulis data eſt; hæ etenim clauſulæ faciunt, quòd poteſtas conceſſa latè interpretanda ſit, præſertim quando nemini præjudicat. *L. hoc modo ff. de condition. & demonſtrat.* Neque dicas: In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter conceſſurus, ùt habet *Reg. Juris 81. in 6.* atqui talis eſt caſus hæreſis: ergò non venit in generali conceſſione. min. probatur: Ideò enim communiſſimè docent AA. quòd conceſſa facultate abſolvendi ab omnibus caſibus reſervatis, non intelligatur conceſſa facultas abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, niſi exprimatur, quia iſtam S. Pontifex veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus, cùm caſus Bullæ Cœnæ habeant ſtrictam & ſpecialem reſervationem: ergò etiam conceſſa facultate à caſibus Bullæ Cœnæ non intelligitur conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi; quia hanc veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus S. Pontifex, cùm habeat ſtrictiſſimam & ſpecialiſſimam reſervationem, adeo ut neque in Jubilæo univerſali conceſſa poteſtate abſolvendi ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ intelligatur conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi, niſi exprimatur, ùt docent Authores communiter apud Dianam *part. 12. de Conclav. Reſol. 25.* & conſequenter neque Pius V. conceſſa facultate abſolvendi ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ per hoc cenſendus eſt conceſſiſſe facultatem abſolvendi ab hæreſi, cùm eam non exprimat. ℞. enim neg. min. vel diſting. ſed talis eſt caſus hæreſis reſpectu perſonarum Sæcularium conc. reſpectu Regularium. neg. min. hoc ipſo enim, quód plerique SS. Pontifices Regularibus conceſſerint facultatem abſolvendi ab hæreſi, eo ipſo caſus hæreſis eſt talis, ut etiamſi illum aliqui SS. Pontifices in ſpecie non expreſſerint, in generali tamen conceſſione cenſeatur comprehenſus; nam ea veniunt (liceat mihi invertere argumentum) in generali conceſſione, quæ communiter in ſpecie ſolent à Romanis Pontificibus concedi: atqui SS. Pontifices Pio V. anteriores communiter ſolebant concedere Regularibus facultatem abſolvendi ab hæreſi, ùt conſtat ex plurimis eorum Bullis, in quibus Prælatis omnium ferè Religioſorum Ordinum conceſſerunt poteſtatem abſolvendi ſuos Regulares ab omnibus omninò caſibus Sedi Apoſtolicæ quomodocunque reſervatis, exceptis ſolumodò quatuor in Bulla Cœnæ contentis & inter hos ſo-

ſolo relapſu in hæreſin excepto, quo ipſo conceſſerunt poteſtatem abſolvendi à primo lapſu in hæreſin, quem ſi voluiſſent quoque excipere, hoc ipſo etiam excepiſſent, ſicut exceperunt relapſum in hæreſin. Cùm itaque S. Pius V. conceſſerit facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ, cenſeri debet etiam hanc conceſſiſſe in ordine ad hæreſin, cùm reliqui Pontifices eam communiter conceſſerint. Ad Probat. min. ℞. negando, quòd S. Pius V. in generali conceſſione facultatis abſolvendi ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ veriſimiliter non fuiſſet in ſpecie conceſſurus facultatem ab hæreſi, ſi eſſet interrogatus; nam eo ipſo, quòd ſciverit cæteros Pontifices hanc Regularibus conceſſiſſe facultatem, præſumendum eſt, quòd etiam ipſe hanc fuiſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, ſi eſſet interrogatus; nam à communiter contingentibus fit præſumptio. Nego pariter, quòd caſus hæreſis reſpectu Regularium habeat ſtrictiſſimam ac ſpecialiſſimam reſervationem; quæ enim ſtrictiſſimam habent reſervationem, non ſolent communiter ac plerumque concedi: atqui poteſtatem abſolvendi ab hæreſi fecerunt SS. Pontifices pleriſque Religioſis Ordinibus: ergò non habet ſtrictiſſimam reſervationem reſpectu Regularium. Ad inſtantiam & paritatem circa Jubilæum factam ℞deo, iſtud pro ſæcularibus potiſſimùm indici, reſpectu quorum facilè conceſſerim, hæreſin ſtrictiſſimam habere reſervationem, nec venire in generali conceſſione, niſi exprimatur: verùm licet hoc complures defendant Authores, non deſunt tamen alii Doctores prioribus nec authoritate nec numero inferiores, qui æque probabiliter aut etiam probabilius aſſerunt, caſum hæreſis in Jubilæo venire in generali conceſſione facultatis abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, etiamſi non exprimatur, prout reipſa docent plures à Diana citati *part. 1. tr. 5. Reſol. 1.* quibus præter multos alios recentiores accedit Cottonius *celebrior. controverſ. L. 2. contror. 12. n. 43.* Gobat *de Jubil. cap. 33. n. 248.* Reiffenſtuel *Theol. moral. tr. 12. quæſt. 9. n. 129. & ſeqq.* ex quo magis confirmatur probatio noſtra. Sed ut magis ac magis adhuc pateat, quòd S. Pius V. in conceſſa poteſtate abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ voluerit etiam comprehendere caſum hæreſis, atque reipſa in ſpecie conceſſerit Prælatis poteſtatem abſolvendi ab hæreſi ſuos Regulares

Probatur concluſio noſtra 3tio 60
auctoritate ejusdem S. Pii V. qui in Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis eodem Anno 1571.* ac paucis poſt diebus nempe 21. *Junii* edita concedit Prælatis Regularibus facultatem abſolvendi Religioſos ſibi ſubditos, ſicut poſſunt Epiſcopi vi Tridentini abſolvere Clericos & ſæculares ſibi ſubditos, verba illius ſunt: *Et inſuper quia ſacrum œcumenicum generale Tridentinum Concilium conceſſit*

Epi-

Epiſcopis, ut abſolvere poſſint in foro animæ ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ. 24. cap. 6. habetur, ne Prior & ſuperiores Prælati in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici aut ſæculares exiſtant, eiſdem Priori & ſuperioribus Prælatis, ut ipſi per ſeipſos idem omninò poſſint in fratres & Moniales ſibi ſubditos, quòd poſſunt Epiſcopi in Clericos & laicos ſibi ſubjectos, tam quoad abſolvendi & diſpenſandi hujuſmodi, quam alias quaſcunque facultates, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, perpetuò concedimus & indulgemus, ac etiam declaramus: Atqui Epiſcopi poſſunt abſolvere ſubjectos ſibi Clericos ac ſæculares à crimine hæreſis occulto; ita enim illis conceſſit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.* ſequentibus verbis: *Liceat Epiſcopis in quibuscunque caſibus occultis etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoscunque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua, per ſeipſos aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm & non eorum Vicariis ſit permiſſum*: ergo etiam Prælati Regulares poſſunt abſolvere ſubditos ſibi Religioſos à crimine hæreſis occulto. Neque dicas iterum: hanc facultatem Epiſcopis per Tridentinum conceſſam, eſſe ſublatam, & conſequenter etiam Prælatis Regularibus: ſed contra eſt, quòd licèt hæc facultas modò ſublata eſſet Epiſcopis, de quo tamen magna eſt controverſia, ùt infra videbimus, non tamen ſublata erat tunc, cùm Pius V. hoc privilegium conceſſit Regularibus: ergò cùm pro illo tempore potuerint Epiſcopi abſolvere à crimine hæreſis, communicando Prælatis Regularibus omnem poteſtatem abſolvendi, quam vi Tridentini tunc habebant Epiſcopi, eo ipſo conceſſit eiſdem etiam poteſtatem abſolvendi à crimine hæreſis: & licèt poſtea fuiſſet Epiſcopis ſublata hæc poteſtas, haud tamen ſequitur, eam fuiſſe Prælatis Regularibus ademptam; cùm rationes, quæ probant hanc poteſtatem fuiſſe ſublatam Epiſcopis, nequaquam pugnent contra Prælatos Regulares, ſed multæ potiùs contrarium ſuadeant, & cæteroquin Authores communiſſimè ac univerſaliter doceant, quòd revocato privilegio alicui directè conceſſo, non revocetur alteri communicatum: neque ulla vel probabilis ratio afferri poteſt, quæ probet hanc facultatem à Pio V. Prælatis Regularibus conceſſam, fuiſſe revocatam; non enim revocatur per annuam Bullæ Cœnæ publicationem, ùt identidem inclamant Adverſarii; nam contrarium hactenus ſatis ſuperque oſtendimus, atque ipſe etiam S. Pius V. ipſo facto demonſtrat, dum non obſtante, quòd hanc ipſam Bullam quotannis promulgaverit eo modo, quo ſolent alii Pontifices, hoc tamen privilegium Regularibus conceſſit, ſimulque voluit perpetuis temporibus illud illibatum cuſtodire, ùt patet ex fortiſſimis & efficaciſſimis clauſulis & non obſtantiis, quibus illud præmu-

Digitized by Google

munivit ac præſervavit contra omnem & qualemcunque revocationem; ait enim poſt relata ſuperiùs verba: decernentes præſentes litteras perpetuò durare & valere, & ſub quibusvis illarum conſimilium vel diſſimilium conceſſionum, indulgentiarum, & gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus, derogationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per nos & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, aut ſedem Apoſtolicam, etiam ex quavis cauſa, aut aliàs quomodolibet, canonicè vel de facto nunc & pro tempore factis & faciendis nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas & de novo conceſſas exiſtere & fore ac cenſeri & ſuffragari debere; irritum quoque & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis & quibusvis Apoſtolicis ac univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus Conſtitutionibus & Ordinationibus &c. Ex quibus ſanè clauſulis ad oculum patet, privilegium illud S. Pii V. nequidem comprehendi ſub revocatione privilegiorum Bullæ Cœnæ, ſed ab ea exceptum eſſe, & ſiquidem per eam fors revocaretur, hoc ipſo in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitui & de novo concedi: cùmque S. Pius V. eodem modo promulgaverit Bullam Cœnæ, quo eam promulgant cæteri Pontifices, nec tamen voluerit revocare hoc ſuum, aliaque hujusmodi privilegia, rectè præſumitur, nec cæteros Pontifices promulgando Bullam Cœnæ, ea velle revocare, quouſque ſe clariùs explicent: quod cùm hactenus non fecerint neque faciant, quamvis ſciant graviſſimam hanc controverſiam inter Authores maximo partium ſtudio agitari, ſtandum erit pro privilegio.

Probatur denique 4tò auctoritate Julii III., qui in Bulla: *Sacræ Religionis 22. Octobr. Anno 1552.* conceſſit præpoſito Generali Societatis Jeſu, ut poſſit per ſe vel per alios Societatem profeſſos ad id idoneos & ab eo deputandos abſolvere quoscunque ejusdem Societatis Religioſos a caſibus hæreſis, & aliis contra fidem criminibus & conſequentibus cenſuris quibuscunque &c. Idem conceſſit ac reſpectivè confirmavit Gregorius XIII. *die 18. Martii Anno 1584.* præpoſito Generali dictæ Societatis, ut poſſit abſolvere ſuos ſubditos ab hæreſi & relapſu in hæreſin, ùt refert Suarez *to. 4. de Relig. tr. 1. L. 2. cap. 21.* qui addit, idem etiam conceſſiſſe Alexandrum VI. Minoribus de Obſervantia pro Ultramontanis. Unde Compendium ejusdem Societatis Romæ editum, Anno 1615. §. 8. ſic habet: facultate conceſſa Minoribus de Obſervantia Ultramontanis, poſſunt præpoſitus Generalis ac Provinciales Socie- 61

ta-

tatis Ultramontani abſolvere noſtros Ultramontanos ſibi ſubditos & diſpenſare cum eis, quoties opus fuerit à relapſu in hæreſin aut apoſtaſiam; & eorum pœnas à jure conſtitutas augendo vel minuendo, penſatis qualitate & quantitate, aliisque debitis circumſtantiis: dummodo talium relapſorum crimina publica & notoria apud Sæculares non ſint, ut ex hoc ſcandalum oriri poſſit. Quamvis autem Gregorii XIII. privilegium ſit vivæ vocis oraculo conceſſum, neutiquam tamen cenſeri debet eſſe revocatum per revocationes oraculorum à Gregorio XV. ac Urbano VIII. factas, tum quia eſt declaratio ac confirmatio privilegii à Julio III. per Bullam conceſſi: tum quia omnia privilegia Societatis fuerunt ſæpiùs confirmata motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis, in ſpecie à Gregorio XIV. in Bulla: *Eccleſia Catholica. 28. Junii Anno 1591.* à Paulo V. in Bulla: *Quantum. 4. Sept. Anno 1606.* & ab aliis diverſis Pontificibus: ſed vivæ vocis oracula, quæ ſunt declarationes ac confirmationes alicujus privilegii per Bullam conceſſi, aut quæ ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatis fuerunt à SS. Pontificibus confirmata, non ſubjacent revocationi oraculorum à Gregorio XV. ac Urbano VIII. factæ: ergo neque dictum oraculum Gregorii XIII. eidem ſubjacet, neque cenſeri debet eſſe revocatum. Atque hoc privilegio, Jeſuitis primariò ac immediatè conceſſo, gaudent cæteri quoque Religioſi Ordines vi communicationis privilegiorum, quam habent cum dicta Societate. Ex quo proinde ſequitur, quòd quamvis plerique Pontifices ſupra relati in ſpecie excipere ſoleant relapſum in hæreſin, vi hujus tamen privilegii ab eo poſſint abſolvere: id quod etiam ex privilegio Pii V. n. præced. adducto, quod incipit: *Romani Pontificis.* deſumitur, utpote in quo concedit, quòd Prælati poſſint abſolvere ſuos Religioſos, ſicut Epiſcopi poſſunt vi Tridentini abſolvere ſuos Clericos ac ſæculares ſibi ſubjectos: ſed Epiſcopi vi Tridentini poterant abſolvere Clericos & ſæculares ſibi ſubditos etiam à relapſu in hæreſin; nullibi enim excipitur: ergò id etiam poſſunt Prælati vi hujus privilegii à Pio V. conceſſi. Quæ omnia ex altero quoque ejuſdem Pii V. privilegio, quod incipit: *Dum ad Congregationem.* confirmari poſſunt, in quo dum concedit Prælatis poteſtatem abſolvendi ab omnibus caſibus in Bulla Cœnæ contentis, nulla facta exceptione alicujus caſûs, eo ipſo omnium abſolutionem conceſſit; qui enim nihil excipit, cùm poſſet & deberet, omnia conceſſiſſe videtur: ſed inter caſus Bullæ Cœnæ eſt etiam relapſus in hæreſin: ergo & hujus abſolutionem conceſſit Prælatis.

Solvuntur Objectiones.

62 Objicitur 1mò. Conſtitutio Pauli V. quæ incipit : *Romanus Pontifex. 1. Septemb. Anno 1606.* edita, in qua ſub graviſſimis pœnis prohibuit omnibus Ordinum Religioſorum Superioribus ac Prælatis, ne in cauſis hæreſis ſeſe ingerant, abrogatis quoad hoc omnibus eorum privilegiis, voluitque eas ſolùm ab Inquiſitoribus & Ordinariis cognoſci poſſe, quam Conſtitutionem deinde confirmavit ac declaravit Alexander VII. aliâ Conſtitutione, quæ incipit : *Licèt aliàs. 8. Julii. Anno 1660.* in qua idipſum omnibus & ſingulis Regularium Superioribus pariter prohibet ſub graviſſimis pœnis ipſo facto incurrendis, quarum relaxationem & ſuſpenſionem, ac abſolutionem vel diſpenſationem ſibi ſoli ac ſedi Apoſtolicæ reſervat, eamque quotannis in publica menſa, vel Capitulo ad hoc ſpecialiter congregato prælegi jubet. Ex quibus omnibus hoc formatur argumentum: Prælati Regulares vi hujus Conſtitutionis Paulinæ ac Alexandrinæ non poſſunt ampliùs Religioſos ſibi ſubditos cognoſcere in cauſa hæreſis; cùm quoad hoc omnia eorum privilegia ſint revocata, ſed debent eos remittere vel ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis, vel ad Ordinarios tanquam Inquiſitores à Jure conſtitutos: ergò multò minus poſſunt eos ampliùs abſolvere, cùm cognitio præcedat abſolutionem. ℞. diſtinguendo conſequens : ergò multò minùs poſſunt eos abſolvere in foro externo & contentioſo conc. in foro interno ac pœnitentiali vel ſacramentali nego. Hæc autem Conſtitutio aliæque ſimiles ſolùm loquuntur de cognitione in cauſa hæreſis quoad forum externum ac contentioſum, ùt legenti dictas Conſtitutiones evidenter patebit : hinc mirum eſt, quòd contrariæ ſententiæ Authores non pauci easdem in ſuæ confirmationem ſententiæ adducant, non obſtante, quòd nullam ac ne minimam quidem mentionem faciant de abſolutione in foro conſcientiæ, de quo tamen ſolùm & unicè noſtra loquitur concluſio : quòd enim ad forum externum & contentioſum attinet, ultrò concedimus, quòd Prælati Regulares & quidem ob has ipſas Conſtitutiones Pontificias per ſe non poſſint ampliùs Religioſos ſibi ſubditos cognoſcere in cauſa hæreſis, multo minùs eos abſolvere; quamquam in Germania, ùt notat P. Reiffenſtuel *tit. de Hæretic. n. 438.* & ex eo P. Schmalzgrueber ibidem *n. 179.* videatur uſus & conſuetudo obtinuiſſe, quòd Prælati Regulares ſuos ſubditos etiam in cauſa hæreſis judicent, & pœnis Juris afficiant, ùt patet ex praxi; nam caſu, quo Regularis apoſtata hæreticam Sectam amplexus, denuò revertitur aut capitur, non ab Epiſcopo, ſed à Prælato ſuo Regulari judicatur ac punitur.

Objicitur 2dò. Conſtitutio Urbani VIII. quæ incipit : *Cùm ſicut accepimus. 5to. Novembr. Anno 1631.* edi- 63

edita, in qua, poſtquam intellexiſſet, diverſorum Ordinum Regularium Profeſſores aſſerere ac defendere, quòd vigore ſeu prætextu privilegiorum & indultorum ſibi ſuisque Ordinibus conceſſorum tam per viam meræ conceſſionis quàm communicationis, in Conſtitutionibus generalibus à ſede Apoſtolica hactenus éditis & de cætero edendis minimè comprehendantur, niſi de iis ſpecialis, ſpecifica, individua & expreſſa mentio fiat, ſtatuit & decrevit motu proprio & ex certa ſcientia, quòd quævis generales Conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes Apoſtolicæ per ſe & quoscunque Romanos Pontifices Prædeceſſores ſuos in concernentibus fidem Catholicam illiúsque propagationem, & ſanctæ Inquiſitionis officium, præſertim quoad ea, quæ in Congregationibus S. Officii & de propaganda fide coram ipſo Papa tractari ſolent, hactenus editæ, omnes & ſingulos tam S. Benedicti, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, S. Antonii de S. Antonio Viennenſi & Societatis Jeſu, quàm quorumcunque aliorum Ordinum &c. Profeſſores omninò comprehendant, perinde acſi præfati & alii quantumlibet privilegiati in eis nominatim expreſſi fuiſſent &c. Quibus ex verbis Adverſarii præſertim Dicaſtillo hoc contra noſtram ſententiam formant argumentum: juxta hanc Conſtitutionem & motum proprium limitanda ſunt omnia privilegia in iis, quæ fidem concernunt Catholicam, illius propagationem, & ſacræ Inquiſitionis officium: atqui privilegia de poteſtate Prælatorum abſolvendi Regulares ſuos ab hæreſi & annexa illi excommunicatione concernit fidem Catholicam: ergò juxta hunc motum proprium & Conſtitutionem limitanda & ad incudem revocanda ſunt. ℟. hanc Urbani VIII. Conſtitutionem nihil omninò contra noſtram probare concluſionem, cùm ea ſolummodò velit, quòd Regulares omnes comprehendantur ſub iis diſpoſitionibus, quæ hactenus factæ ſunt & imposterum fieri continget circa fidem Catholicam, & ejusdem propagationem in ordine ad forum externum & contentioſum, non verò in ordine ad forum conſcientiæ & internum; id enim clarè deſumitur ex hac ipſa Urbani Conſtitutione, utpote quæ expreſsè loquitur de ſacræ Inquiſitionis officio & de propaganda fide, quæ ad forum ſolùm externum referuntur, & in illo occupantur: certè S. Inquiſitionis officium in eo præcipuè, ſi non unicè, conſiſtit, ut inquirat in hæreticos, ad eos in foro externo puniendos, non verò ad eos in foro conſcientiæ & interno abſolvendos, præſertim cùm adhuc ſub Judice lis ſit, an id poſſint, ùt infra patebit. Deinde nego ſuppoſitum, quòd ulla hactenus edita ſit Conſtitutio Pontificia, in qua ſive generaliter ſive ſpecialiter revocata ſint privilegia tribuentia Prælatis poteſtatem abſolvendi Regulares ſuos ab hære-

ſi in foro interno conſcientiæ, prout tamen requireretur ad hoc, ut juxta hanc Urbani Conſtitutionem ſub ea quoque comprehendantur Regulares Ad argumentum à Dicaſtillo ex ea formatum ℞. *diſtinguendo maj.* juxta hanc Conſtitutionem limitanda ſunt omnia privilegia, quæ fidem concernunt Catholicam &c. in foro externo, & in ordine ad S. Inquiſitionis officium, *concedo*, in foro interno & conſcientiæ *ſubdiſting.* in ordine ad abſolutionem Regularium *nego*, in ordine ad abſolutionem ſæcularium, *tranſeat*. Dico *tranſeat*; quia de hoc foro nullam facit mentionem prædicta Conſtitutio etiam quoad ſæculares, & licèt feciſſet, magna tamen eſſet utrinque diſparitas; nam quoad ſæculares habemus certum ac indubitatum fundamentum ex propoſitione 4ta. ab Alexandro VII. damnata, quòd non poſſint Regulares Prælati amplius ſæculares abſolvere ab hæreſi: nullum tale fundamentum habetur id aſſerendi in ordine ob abſolutionem Regularium, ſaltem certum aut indubitatum, ac nobis ſufficienter promulgatum aut debitè intimatum.

64 Objicitur 3. Epiſcopis per Bullam Cœnæ revocata eſt facultas abſolvendi ſubditos ſuos ſive Clericos ſive laicos ab hæreſi, quam illis conceſſerat Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.* ùt præter alios plures tenent Bonacina *Diſp. 1. de Cenſur. q. 3. punct. 2. n. 1.* Sanchez *L. 2. ſumm. cap. 11. n. 27.* Barboſa *de Offic. Epiſc. allegat. 40. n. 23. & ſeqq.* Alterius *to. 1. L. 5. Diſp. 21. cap. 2.* Lezana *in ſumm. V. Bulla Cœna n. 55.* Palao *to. 1. tr. 4. Diſp. 4. punct. 3. §. 1. n. 21.* Diana *1. p. tr. 5. Reſol. 2. & part. 4. tr. 4. Reſol. 239.* Sperell. *Deciſ. 112. n. 61.* Carena *de Offic. Inquiſit. p. 2. tit. 4. n. 98.* Pignatellus *to. 1. Conſult. 291. n. 2.* Card. Petra *to. 3. ad Conſtit. 18. Innocent. IV. à n. 19.* quia in Bulla Cœnæ revocantur omnes facultates abſolvendi ab hæreſi quibuscunque perſonis Eccleſiaſticis etiam Epiſcopali vel alia majori dignitate præditis per ſedem Apoſtolicam aut cujusvis Concilii decreta conceſſæ; ſed nullum Concilium niſi Tridentinum conceſſit Epiſcopis facultatem abſolvendi ab hæreſi: ergò hæc facultas per Tridentinum conceſſa in Bulla Cœnæ revocatur: quibus ſuffragatur propoſitia 3tia. ab Alexandro VII. damnata, pluréſque Declarationes Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quas ex libris Decretorum dictæ Congregationis refert laudatus Card. Petra loc. cit. His accedunt ſimiles declarationes ſupremæ Inquiſitionis, de quibus teſtatur Pegna *part. 3. Direct. comm. 141.* & Card. Albit. *de inconſtantia in fide. cap. 25. n. 9.* ergò etiam Prælatis Regularibus per Bullam Cœnæ revocata eſt facultas ab hæreſi abſolvendi ſubditos ſibi Religioſos, licèt hanc illis conceſſerint plures SS. Pontifices, cùm in ea non minùs revocentur omnia privilegia Prælatis Regularibus, quàm Epi-

Digitized by Google

Epiſcopis conceſſa. ℟. 1. antecedens non adeò certum eſſe, ùt ſupponere videntur Adverſarii; contrarium enim defendunt plurimi, iique graviſſimi Authores, qui poſt Tridentinum & poſt multarum Bullarum in die Cœnæ promulgationem uni poſt alios ex profeſſo ea de re ſcripſerunt, quorum integrum longúmque catalogum refert, eóſque pariter ſequitur Petrus de Murga *to. 2. Diſquiſ. Moral. & Canonic. Diſq. 1. dub. 14. §. 10. concluſ. 6. n. 136.* quibus longè plures adhuc addi poſſent, qui etiamnum propugnant, poſſe Epiſcopos adhuc ſtante Bulla Cœnæ vi Tridentini abſolvere ab hæreſi occulta in foro interno; tum quia Tridentino non derogatur, niſi illius fiat expreſſa ac ſpecifica mentio, ùt multi adhuc hodie docent magni nominis DD. tum quia correctio Juris communis, quale eſt illud Tridentini, vitanda eſt quoad fieri poteſt arg. cap. *Cùm expediat. 29. de Elect. in 6.* ubi Gloſs. *V. ſuſtineri.* poteſt autem vitari, ſi dicatur, quòd Bulla Cœnæ revocans quasvis facultates abſolvendi ab hæreſi intelligi debeat de publica, & de abſolutione quæ etiá in foro externo proſit: Tridentinum verò de hæreſi occulta: tum quia Bulla Cœnæ non derogat Bullæ Cruciatæ, aut ullo ejus privilegio, ùt tanquam certum tradunt Authores: ergò multò minùs derogat decreto Tridentini concedenti Epiſcopo facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta; conſequentia patet, quia Decretum Tridentini vim Juris communis habet: Bulla autem Cruciata privilegium eſt perſonarum ſingularium: ad revocationem autem Juris communis plus requiritur, quàm ad revocationem privilegii, maximè ſingularibus perſonis conceſſi: ergò ſi Bulla Cœnæ non derogat Bullæ Cruciatæ, multò minùs derogabit decreto Tridentini. Sed quidquid ſit de hac controverſia, quam ſuis relinquimus Authoribus diſcutiendam, ℟. 2. tranſmiſſo antecedente, negando conſequentiam; diſparitas eſt, quòd ſufficiens fundamentum habeatur aſſerendi de Epiſcopis, quòd facultas illis per Tridentinum conceſſa, ſit revocata per Bullam Cœnæ, deſumptum ex declarationibus Cardinalium, & ſupremæ Inquiſitionis: nullum tale fundamentum ſive ex Conſtitutionibus Pontificiis, ſive ex declarationibus Cardinalium aut aliunde afferri poteſt, quo probetur, facultatem abſolvendi ab hæreſi à tot SS. Pontificibus conceſſam Prælatis Regularibus, per Bullam Cœnæ illis iterum ademptam fuiſſe, quin potiùs contrarium evidenter oſtenditur ex tot SS. Pontificum Bullis & declarationibus, quibus edixerunt, Regulares non comprehendi in Bulla Cœnæ in ordine ad abſolutionem ſuorum Religioſorum: poſſe Prælatos non obſtante Bulla Cœnæ eos abſolvere, acſi hæc non fuiſſet facta nec fieret, quemadmodum ex dictis hac & priori ſectione abundè con-

conſtat. Ulterior diſparitas deſumi poteſt ex eo, quòd ratio movens SS. Pontifices concedendi Prælatis Regularibus tale privilegium fuerit, ut conſulerent Religioſorum quieti, eisque aufferrent omnem vagandi occaſionem, aut Romam, alióve proficiſcendi abſolutionis obtinendæ prætextu, quæ ratio non invenitur in ſæcularibus, aut Clericis Epiſcopo ſubjectis.

65 Objicitur 4tò. Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis per Bullam Cœnæ revocata eſt facultas, ſi quam habuerant, abſolvendi ab hæreſi in foro conſcientiæ, ùt docent Carena *de Offic. Inquiſit. part. 2. tit. 1. §. 26. num. 136.* Bordonus *in Tribunali cap. 12. n. 43.* Farinacius *de Haret. quaſt. 192. n. 52. in fin.* Suarez *de Cenſur. Diſp. 43. ſect. 1. n. 3.* Sanctarell. *de hareſi cap. 5. dub. 7.* Garzias *de benefic. part. 11. cap. 10. n. 121.* Card. Petra *ad Conſtit. 18. Innocent. IV. à n. 28.* atque ita pluries reſolutum fuiſſe à ſuprema Inquiſitione refert Card. Albitius *cit. cap. 25. n. 16.* ergò etiam Prælatis Regularibus per Bullam Cœnæ debet eſſe revocata facultas abſolvendi Religioſos ſuos ab hæreſi in foro conſcientiæ; cùm non minùs horum privilegia fuerint generaliter revocata, quàm illorum, non obſtante, quod Inquiſitorum officium hanc exigere videatur poteſtatem. Confirmatur: Prælatis Regularibus per Bullam Cœnæ revocata eſt poteſtas abſolvendi ab hæreſi ſæculares; ergò etiam Regulares; cùm in Bulla Cœnæ nullum fiat diſcrimen inter abſolutionem ſæcularium, vel Regularium. ℟. 1. Antecedens non minùs eſſe controverſum, quàm prius illud de Epiſcopis; contrarium enim tenent Authores admodùm graves Bañez *2. 2. quaſt. 11. art. 4. dub. 2.* Vivaldus *in Candelabro part. 3. de abſolut. n. 1* Navarrus *L. 5. Conſil. tit. de privil. Conſil. 11.* Emanuel Rodriquez *in Bull. Cruciat. §. 9. n. 20.* Guttierez *quaſt. Canonicar. L. 1. cap. 13. n. 7.* Henriquez *L. 6. de Pœnit. cap. 7. n. 3.* Fernandes de Mource *in Exam. Theol. part. 3. cap. 9. §. 16. quaſt. 6.* Graffis *part. 1. Deciſion. L. 2. cap. 9. n. 5.* Toletus *L. 4. ſumm. cap. 4. n. 2.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 4. punct. 4. n. 61.* & ſupponit Azor *L. 8. cap. 19. q. 5.* Petrus de Murga *to. 2. Diſquiſ. Moral. Diſquiſ. 1. dub. 14. §. 10.* & alii plures, qui nihil dubitant, quòd Inquiſitores abſolvere poſſint in foro conſcientiæ, quando hæreticus occultus, non delatus coram ipſis, ſecretò illis ſuam hæreſin confitetur; eſſet enim duriſſimum & à fragilitate humana prorsùs alienum, velle aliquem in hæreſin lapſum cogere, ut crimen ſuum occultum, & ad forum contentioſum needum deductum coram tribunali Inquiſitionis judicialiter confiteatur, & quidem coram Notario & teſtibus; atque hinc Clemens VII. in Bulla: *Cùm ſicut. Anno 1530.* conceſſit Inquiſitoribus facultatem abſolvendi extrajudicialiter hæreticos occultos, ſi

ad

Digitized by Google

ad cor converſi pœnitentes id humiliter petierint, poſtquam hæreſin abjuraverint & juramento promiſerint à tali hæreſi prorsùs abſtinere: quod aliter intelligi non poteſt, quàm pro foro conſcientiæ; id enim denotat illud adverbium *extrajudicialiter*: aliàs ſi coram Notario & teſtibus deberet talis abſolutio impendi, quid de novo concederet Pontifex pro delictis occultis? cùm ſic etiam à publicis poſſent abſolvere, ùt benè notat Andreas à Matre Dei l. c. Neque dici poteſt conceſſionem hanc per Bullam Cœnæ revocatam eſſe, tum quia per eam non revocantur cætera privilegia Inquiſitoribus contra hæreticam pravitatem à diverſis SS. Pontificibus conceſſa: tum quia illa facta eſt in favorem Officii Inquiſitorum, non ipſorum delinquentium: tum denique quia nulla fit in Bulla Cœnæ Inquiſitorum mentio, aut privilegiorum eisdem conceſſorum. Ex quibus omnibus confirmari quoque poteſt noſtra concluſio ſic invertendo argumentum: Per Bullam Cœnæ non eſt revocata facultas abſolvendi ab hæreſi Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis: ergò neque Prælatis Regularibus, præſertim cùm pro his pugnent tot declarationes ac Bullæ Pontificiæ Verùm ℟. 2. transmiſſo antecedente, negando conſequentiam, diſparitas eſt; quia non expedit, ut Inquiſitores abſolvere poſſint ab hæreſi in foro conſcientiæ & interno; cùm talis abſolutio non ſuffragetur pœnitentibus in foro externo, quin poſſint in eodem inquiri & puniri: undè neceſſariò ſequetur inconveniens, quòd Inquiſitor audita hujusmodi confeſſione vel non poſſit liberè fungi officio ſuo in foro externo, ne videatur ſigillum frangere confeſſionale, vel certè ſuſpectus fiet, quòd notitia in confeſſione acquiſita utatur, eámque transferat ad forum externum, ſicque Sacramentum pœnitentiæ reddet exoſum, plurimísque ſcandalis obnoxium; expedit econtra vel maximè, quòd Prælati habeant hanc poteſtatem abſolvendi Religioſos ſuos ab hæreſi, tum ut eorum conſulant quieti, tum ut illis præripiant occaſionem vagandi aut per omnes mundi partes diſcurrendi cum maximo ſæcularium ſcandalo, & ipſarum Religionum diſpendio: quæ cauſa fuit, quòd SS. Pontifices hoc illis conceſſerint privilegium. Ad Confirmationem ℟deo. quòd Prælati de facto non poſſint ampliùs abſolvere ſæculares ab hæreſi, quódque illis privilegia, ſi quæ habuerunt, quoad hoc punctum ſint revocata, habetur certum ac indubitatum fundamentum ex relata propoſitione 4ta. ubi id expreſſé prohibetur; nullum tale fundamentum id aſſerendi habetur quoad abſolutionem Regularium: quin imò per illam propoſitionem potiùs confirmatur, quàm impugnatur noſtra ſententia; cùm enim S. Pontifex tantummodò damnet, quòd Prælati Regulares poſſint quoscunque ſæculares ab hæ-

reſi occulta, hoc ipſo tacitè innuit ac concedit, quòd poſſint abſolvere ſuos Regulares; ſi enim & hos voluiſſet comprehenſos, addidiſſet: cùm autem id non fecerit, benè infertur, noluiſſe eos comprehendere; contra eum enim, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda, ùt habet Regula Juris 57. in 6.

66 Ex quibus denique omnibus ſatis luculenter apparet, ſententiam noſtram conſideratis omnibus præ oppoſita longè probabiliorem eſſe; etenim certum eſt ac indubitatum, conceſſam eſſe Prælatis poteſtatem à SS. Pontificibus, abſolvendi Canonicos aliósque Regulares ſibi ſubditos ab hæreſi: incertum verò, dubium, aut omninò falſum, an hæc poteſtas fuerit illis unquam revocata, quin potiùs contrarium patere videtur ex allatis hactenus rationibus, & clara ſolutione objectionum, quibus Adverſarii ſententiam noſtram conantur impugnare licèt ſine viribus: atqui in dubio, an unquam fuerit revocatum aliquod privilegium, tenendum eſt non fuiſſe revocatum; cùm in dubio ſemper judicandum ſit pro poſſidente privilegium ante exortum dubium, ùt docent Authores communiſſimè cum Aſcanio Tamburino *to. 1. Diſp. 16. quæſ. 10.* Laurent. de Peyrinis *ad Conſtit. 10. Clement. VII. n. 15.* Lezana *to. 2. V. privilegium. n. 20.* Sanctarell. *to. 1. variar. Reſolut. quæſt. 16. n. 12.* Andrea à Matre Dei *de privileg. cap. 2. punct. 3. n. 36.* Petro de Murga *to. 2. Diſquiſ. 1. n. 182.* La Croix *L. 1. n. 852* Idque habetur ex pluribus SS. Pontificum Bullis præſertim Eugenii IV. Sixti IV. ac Julii II. Canonicis Regularibus conceſſis, in quibus expreſsè ſtatuunt, ut in dubio ſemper ſua privilegia in favorem animarum ſuarum largiſſimè interpretentur, non autem ſecundùm Juris rigorem vel Doctorum opiniones ac ſubtilitates: unde tenendum eſt, privilegium hoc nunquam fuiſſe revocatum; atque adeò poſſe Prælatos abſolvere ſubditos ſibi Religioſos ab hæreſi: idque in praxi tutum eſſe conſtat ex dictis ſectione præcedente in fine, ubi probavimus, quòd quando datur opinio verè & practicè probabilis & multò magis probabilior pro jurisdictione, licèt talis opinio à parte rei fortè falſa eſſet, Eccleſia tamen ſuppleat illius defectum; nam certum eſt, quòd in opinione practicè probabili vi conſuetudinis, quæ de Jure tribuit jurisdictionem, liceat abſolvere: ſed opinio aſſerens, Prælatos poſſe ſuos ſubditos abſolvere ab hæreſi, eſt verè ac practicè probabilis, quin & probabilior: ergò certum eſt, quòd in opinione aſſerente, poſſe Prælatos abſolvere ſuos ſubditos ab hæreſi, liceat abſolvere, & quamvis ea foret falſa à parte rei, jurisdictionem tamen ſuppleret Eccleſia. Similiter certum eſt, quòd ubi adeſt communis error circa jurisdictionem cum titulo pu-

Digitized by Google

putativo collato à legitimo Superiore, Eccleſia ſuppleat jurisdictionem, ùt tenent Authores omnes: ſed in opinione noſtra aſſerente, poſſe Prælatos abſolvere ſuos ſubditos ab hæreſi, licèt falſa foret, adeſt error communis, cùm ſit verè & practicè probabilis & communiter à Doctoribus recepta: habet inſuper titulum ſaltem putativum à Superiore collatum, qui conſiſtit in privilegiis SS. Pontificum hanc in rem conceſſis: ergò certum eſt, quòd in opinione noſtra poſſint Prælati abſolvere ſuos ſubditos ab hæreſi, & licèt à parte rei foret falſa, Eccleſia tamen ſuppleat jurisdictionem; taceo, quòd plurimi etiam Authores defendant, quòd communis error etiam absque titulo putativo jurisdictionem tribuat, quos recenſui ſect. præc. ad fin. (*Adde*; quod jam ſupra monui, non ſuppleri ab Eccleſia jurisdictionem, niſi in caſu moralis certitudinis, aut in caſu neceſſitatis, ubi alius Confeſſarius haberi nequit. Mens enim Eccleſiæ præſumenda eſt ea eſſe, qualis deberet eſſe juxta leges prudentiæ; qualis non foret, ſi ſuppleret jurisdictionem probabilem tantùm ſine neceſſitate.)

67 Ex hactenus verò dictis ſequitur ulteriùs, poſſe Prælatos multò magis abſolvere ſubditos ſibi Religioſos, qui ſunt credentes, fautores, receptatores, aut defenſores hæreticorum, qui licèt reipſa non ſint hæretici, poſt eos tamen enumerantur in primo Canone Bullæ Cœnæ, ac eadem excommunicatione feriuntur: ad hoc tamen ut illi hanc incurrant, requiritur, ut id faciant animo favendi hæreſi, non autem ex alio motivo, v. g. quia amicus eſt, aut conſanguineus; quia hæc excommunicatio non incurritur, niſi à receptatore, defenſore, vel fautore hæretici, quatenus eſt formaliter hæreticus; lex enim imponens talem pœnam ſolùm intendit, ut hæreticus quà talis non recipiatur, vel defendatur, aut illi faveatur, ita ut favor non redundet proximè in hæreſin, non verò, ut non defendatur aut recipiatur ex alio titulo v. g. amicitiæ aut conſanguinitatis, per quod favor hæretico exhibitus redundat tantùm remotè & ex conſequenti in hæreſin: ſed qui recipit hæreticum, ne puniatur, defendit ne capiatur, vel eidem ſavet, quia eſt amicus vel conſanguineus, non recipit vel defendit hæreticum qua talem: ergò non incurrit excommunicationem in fautores, receptatores, aut defenſores hæreticorum latam: ſicut ille, qui amicitiæ causâ recipit, occultat, aut defendit latronem aut furem ne capiatur, non incurrit pœnas in latrones vel fures ſtatutas, ſed tantùm ille, qui de eorum furto participat, aut in delicto communicat. Sequitur præterea, poſſe quoque Prælatos abſolvere Religioſos ſibi ſubditos, qui legunt, apud ſe retinent, imprimunt, aut quomo-

dolibet defendunt libros hæreticorum, de Religione tractantes, vel hæreſin continentes, quique pariter in primo Canone Bullæ Cœnæ excom̃unicantur & damnantur non minùs quàm fautores ac defenſores hæreticorum: & ratio eſt; quia cui licet plus, licet utique quod eſt minus, præſertim ſi utrumque ſit in eodem genere, *Reg. Jur. 53.* & plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus *Reg. 35. in 6.* atqui plus eſt poſſe abſolvere ab hæreſi formali, ac hæreticos formales, quàm eorum fautores, aut eorum libros legentes, ergò poſſunt & hos abſolvere: quamquam Bulla Cœnæ quoad hoc punctum & excommunicationis pœnam non videatur in Germania tam ſtrictè recepta eſſe, uti docent Authores Germani pleriq; Layman *L. 2. tr. 1. cap. 15. n. 4.* Becanus *to. 2. tr. 1. de fine c. 15. q. 8. n. 5.* Wex *Ariadn. p. 4. Append. 1. ad caſ. 10. Decad. 1. n. 8.* Pirhing. *L. 5. de hæretic. n. 20.* Engl *ibidem. n. 10.* Schambogen *n. 15.* Wieſtner *n. 20.* Reiffenſtuel *n. 50.* Pichler *n. 8.* qui putant Bullæ Cœnæ quoad libros hiſtoricos profanos, politicos, Philoſophicos, Medicos, Juridicos, ab hæreticis editos, ac hinc inde hæreſin continentes aut obiter referentes in pluribus Germaniæ Provinciis uſu derogatum eſſe; cùm videamus paſſim viros etiam timoratos, probos & doctos non modò laicos, ſed etiam Eccleſiaſticos ac Religioſos hujusmodi libros penes ſe retinere, manibus terere, ac per modum novellarum legere, & quidem absque ſcrupulo, aut ullo cenſuræ incurrendæ metu: & certè vix invenire eſt Bibliothecâ aliquam inſigniorem etiam apud Religioſos, in quo ejusmodi libri non aſſervantur aut perluſtrantur: hos autem omnes excom̃unicationis damnare, nimis durum eſt & difficile: unde neceſſariò dicendum videtur, Bullam Cœnæ in Germania, ubi omnia ſcatent hæreticis & plena ſunt hæreticorum libris, Bullam Cœnæ quoad libros iſtos in omni rigore non eſſe receptam, neque obſervantiam illius à S. Pontifice in tanto rigore urgeri, ùt ait P. Pichler & Juris Canonici ſcientiâ & rerum germanicarum experientiâ clariſſimus, qui iſtud etiam ex eo probat: quòd omnis lex Eccleſiaſtica per conſuetudinem rationabilem abrogari vel mitigari poſſit, etiam ſine conſenſu perſonali Papæ (ſufficit enim conſenſus legalis) ſed conſuetudo permittens retentionem librorum hæreticorum in quibusdam locis, vel lectionem librorum hæreticorum non de Religione tractantium, aliquas tamen hæreſes continentium, & ſic mitigans Bullam Cœnæ, vel exinde fieri poteſt rationabilis, quòd Bullæ in omni rigore obſervatio in quibusdam Germaniæ locis prudenter ſperari non poſſit, & urgeretur ſine fructu, atque cum magno animarum detrimento; cùm plurimi, aliàs probi & ſedi Apoſtolicæ addictiſſimi, pro excommunicatis haben-

bendi forent; quando autem lex deſinit eſſe rationabilis, conſuetudo oppoſita ſit rationabilis. Ita P. Pichler. Atque hanc doctrinam, quòd conſuetudo poſſit derogare Bullæ Cœnæ, & quòd hæc non ſit recepta quoad retentionem, imò & lectionem librorum prohibitorum, jam pridem ſuppoſuit doctiſſimus Becanus l. c. dicens: ubi Bulla Cœnæ vel index librorum prohibitorum receptus non eſt, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos. Quæ ſententia, ait Engl in Manual. *p. 3. c. 2. de Pœnit. in catal. excomm.* præſertim in illis locis deſervire poteſt, ubi omnia ſcatent hæreticis & hæreticorum libris; ubi enim facilis peccandi materia, non expedit tam gravem cenſuram dictare, ne conſcientiis laqueus injiciatur; cùm lex debeat eſſe non valdè difficilis, ſed utilis ſecundùm patriæ conſuetudinem, loco & tempori conveniens. *Can. erit autem. 2. diſt. 4.* (*Adde*; hanc rationem P. Engl valere, non illam P. Pichler. Multitudo enim quorumdam, qui habentur pro probis, non inflecteret conſtantiam legislatoris, ſed conditio circumſtantiarum, & ratio boni publici præponderans antecedenter ad ſuppoſitionem delicti.)

DISPUTATIO II.

De poteſtate Prælatorum diſpenſandi cum Religioſis ſibi ſubditis in Irregularitatibus, aliíſque pœnis canonicis.

CEnſuris affinis eſt Irregularitas, quam etſi multi Authores illis etiam annumerent, contrarium tamen verius eſſe credimus; tum quia nullibi in Jure inter cenſuras refertur, ſed ſolùm excomunicatio, ſuſpenſio & interdictum, ùt patet ex *cap. Quærenti. 20. de verbor. ſignific.* & *cap. Medicinalis 1,* & *cap. Statutum. 13. de ſentent. excommunic. in 6.* tum quia cenſura eſt pœna medicinalis, quæ infligitur ad emendationem & reſipiſcentiam, qua ſecutâ iterum aufertur: irregularitas verò, quæ provenit ex delicto, eſt pœna vindicativa criminis, quæ de ſe perpetuò durat, nec aufertur etiam poſita emendatione, niſi per diſpenſationem tollatur; hoc ipſo autem, quòd ſit pœna Eccleſiaſtica, magnam etiam habet cum cenſuris connexionem. Unde poſtquam priori diſputatione egimus de poteſtate Prælatorum abſolvendi ſubditos ſibi Religioſos à cenſuris, conſequens eſt, ut in præſenti agamus de po-

poteſtate illorum diſpenſandi in irregularitatibus, quibus cùm proximè accedant aliæ pœnæ Canonicæ, de iis quoque hìc nobis agendum erit. Unde in hac diſputatione tractabimus 1. de Irregularitate in communi, de cauſis ab ea excuſantibus, & de diſpenſatione ad eam tollendam requiſita. 2dò. de poteſtate Prælatorum diſpenſandi in irregularitatibus ex defectu provenientibus. 3tiò. de poteſtate Prælatorum diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto provenientibus. 4to. de poteſtate Prælatorum diſpenſandi in irregularitate ex infamia proveniente.

Sectio I.

De irregularitate in communi, & cauſis ab ea excuſantibus, ac de diſpenſatione ad eam tollendam requiſita

1 IRregularitas ſic dicta quaſi ſine regula, definitur, quòd ſit *impedimentum canonicum ex facto vel defectu proveniens, quo quis ad Ordines Eccleſiaſticos promoveri, & jam promotus in eiſdem miniſtrare prohibetur.* Ita Abbas *in cap. Quæſitum. 17. de temporib. ordinat. n. 2.* ubi ait: *nota effectum irregularitatis, quia impedit in ſuſceptis miniſtrare, & prohibet à ſuſcipiendis.* Dicitur 1mò. *Impedimentum*, per quod verbum, velut genus, convenit cum quocumque impedimento ad Ordinem ſuſcipiendum contracto ſive ex natura rei ſive ex Jure divino, atque etiam cum cenſuris, à quibus tamen differt, quia non neceſſariò ſupponit culpam, uti cenſuræ, cum irregularitas incurri etiam poſſit ſine culpa, ſi talis ſit ex defectu, quamvis illa, quæ eſt ex delicto, culpam præſupponat, & rationem pœnæ habeat, non quidem medicinalis, quemadmodum cenſuræ, ſed vindicativæ ac de ſe perpetuæ. Dicitur 2. *Canonicum*, id eſt, Jure Canonico introductum, per quod differt ab aliis impedimentis Jure naturali vel divino provenientibus; licèt autem nomen irregularitatis rarò admodum in Jure reperiatur expreſſum, res tamen ipſa ſæpiùs in eo reperitur. Ex hoc ipſo autem, quòd irregularitas ſit introducta Jure Canonico, ſequitur, nullam defacto incurri, niſi ſit expreſſa in SS. Canonibus, prout expreſsè dicitur *cap. Is qui. 18. de ſent. excommunic. in 6.* ubi ſtatuitur, quòd is, *qui in Eccleſia ſanguinis aut ſeminis effuſione polluta ſcienter celebrare præſumit, licèt in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen, cùm id non ſit expreſſum in Jure, laqueum non incurrat.*

Ex

Ex quo fit, quòd non liceat in materia irregularitatem concernente à ſimili argumentari, aut à minori ad majus, vel ab uno ad alium etiam ejuſdem rationis; quia poteſt irregularitas quoad unum caſum eſſe in Jure expreſſa, non autem quoad alterum; atque hinc non valet argumentum: qui celebrat in Eccleſia interdicta, fit irregularis: ergò etiam, qui celebrat in Eccleſia polluta; quia ſcilicet primum habetur Jure expreſſum *cap. Is qui 18 §. Is verò de ſent. excom. in 6.* non item ſecundum, ſed potiùs contrarium ſtatuitur *cit. cap. 18. §. 1.* ſimiliter nec valet illud argumentum: reiterans Baptiſmum fit irregularis: ergò etiam reiterans Confirmationem; quia prius illud in Jure ſtatutum habetur *Can. confirmandum 65. diſtinct. 50.* & *Can. Afros 3. diſtinct. 98.* non autem ſecundum, licèt nec Confirmatio iterari poſſit; prætera ex eo, quòd irregularitas introducta ſit Jure Canonico, patet etiam, quòd ea non poſſit ab homine per ſententiam, ſed ſolo Jure eoque non particulari ſeu Epiſcopali ſed univerſali tantùm ac Pontificio imponi: unde nullus Epiſcopus Papâ inferior unquam legitur tuliſſe irregularitatem. Dicitur 3tiò. *ex facto vel ex defectu proveniens*; quia omnis irregularitas naſcitur ac provenit vel ex indecentia ac defectu, vel ex delicto ſive facto hominis. Dicitur 4tò. *quo quis ad Eccleſiaſticos Ordines promoveri: & jam promotus in eiſdem miniſtrare prohibetur.* Ubi nomine Ordinum ex communi ſententia intelligitur etiam prima tonſura; tum quia licèt ſtrictè non ſit Ordo, eſt tamen ad illum via: tum quia conſtituit hominem intra Ordinem Clericalem, à quo illum Eccleſia intendit excludere per irregularitatem: unde nec abit graviter: qui ea irretitus illam recipit; ex prædictis quoque verbis colligitur duplex effectus, qui ex irregularitate dimanat: primus & principalis eſt, quòd impediat irregularem ab Ordinibus ſuſcipiendis: unde omnes, qui Ordines recipiendi capaces ſunt, etiam capaces ſunt irregularitatis incurrendæ, ex quo patet, quòd ea quoque cadat in laicos & quidem primariò, quia nondum habent ullum Ordinem: quamvis fœminas, utpote jam aliunde Jure divino incapaces Ordinum, non afficiat. Secundus effectus irregularitatis, qui ſolos reſpicit Clericos, eſt, quòd eos impediat ab uſu & exercitio Ordinum, quos jam ſuſceperunt, ita ùt nec ad altiores Ordines aſcendere, nec in jam ſuſceptis miniſtrare licitè poſſint, quamvis eosdem validè ſuſcipiant, & exerceant; quia Eccleſia, à qua irregularitas eſt inſtituta, Sacramenti valorem impedire non poteſt, ſi omnia à Chriſto inſtituta & requiſita adhibeantur; unde peccat mortaliter Clericus in irregularitatem lapſus actum Ordinis ſibi prohibitum exercendo, aut ad altiorem aſcendendo: novam tamen non incurret irregularitatem, ùt tradunt communiter DD. Ex hisce autem con-

conſequitur, quòd irregularitas, ſaltem ſi ſit totalis, arceat à beneficiis Eccleſiaſticis obtinendis juxta *cap. 2. de Cleric. pugnant.* & Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform.* quia cùm beneficium detur propter officium, meritò arcetur à beneficio, qui officium, propter quod datur, exercere nequit: unde illicitè confertur irregulari beneficium, adeóque peccat mortaliter tam conferens, quàm recipiens. Si tamen ſemel eidem, licèt illicitè, fuerit collatum, valida erit collatio, ùt hodie tenet communior mihíque probabilior ſententia, quia ùt dicitur *cap. ſi ſoli. 6. de conceſſion. Prabend. in 6.* nulla prohibitio Pontificis irritat collationem, niſi expreſsè conſtiterit, eſſe irritum & inane, quod contra ipſum eſt factum: nulla autem prohibitio, Jus nullum afferri poteſt, ex quo conſtet talem collationem eſſe ipſo facto irritam & inanem; quod præcipuè procedit in effectibus irregularitatis, quia ſicut ipſa non incurritur, niſi quando in Jure expreſſa eſt, ita nec effectus induci poteſt, niſi in Jure exprimatur. Unde nec irregularis ipſo Jure privatur beneficiis jam habitis ante contractam irregularitatem, uti nec fructibus beneficii, ſi per Vicarium illud adminiſtrare poſſit; quia titulum beneficii retinet multò verò minùs privatur ipſo facto perceptione Sacramentorum à Sacramento Ordinis diſtinctorum, quia nullo Jure id eſt expreſſum.

Dividitur irregularitas 1mò in totalem & partialem; totalis eſt, quæ omnium Ordinum receptione & uſu quocunque privat, ut eſt illa, quæ à laicis contrahitur; partialis, quæ vel aliquorum Ordinum uſu & exercitio, vel etiam ſolo aſcenſu ad ſuperiores Ordines privat, permiſſo ſuſceptorum uſu & miniſterio, ut ſi Sacerdos perdat duos digitos cum medietate palmæ, fit quidem ex *cap. 2. de Cleric. ægrotant.* irregularis ad celebrandum, non autem ad alia munia Sacerdotis vel aliorum Ordinum exercenda: ſicque poteſt abſolutè baptizare, audire confeſſiones, aſſiſtere matrimonio, & alia Sacramenta impertiri; ſic etiam Diaconus, qui celebravit Miſſam abſque Ordine ſacerdotali, fit quidem irregularis in ordine ad ſuſcipiendum Presbyteratum, poteſt tamen in Ordine Diaconatûs miniſtrare, eáque obire munia, quæ Diacono competunt. *ex cap. 2. de Cleric. non ordinat. miniſt.* Cæterùm irregularitas abſolutè & ſimpliciter poſita ſupponit communiter pro totali, niſi aliud ex circumſtantiis & ſubjecta materia colligatur. Dividitur 2dò. in perpetuam & temporalem: illa eſt, quæ ex ſe perpetuò durat, niſi ſcilicet per diſpenſationem auferatur: temporalis eſt, quæ lapſu temporis ceſſat, ùt eſt irregularitas ex defectu ætatis, quæ adveniente ætate per ſeipſam ceſſat, aut irregularitas ex defectu ſcientiæ, quæ per acquiſitionem illius tollitur. Dividitur 3tiò. 2

&

& principaliter in eam, quæ ex defectu aliquo provenit, & in eam, quæ ex delicto contrahitur. Irregularitas ex defectu quinque numerat ſpecies: prima eſt ex defectu natalium. 2da. eſt ex defectu animæ & corporis. 3tia. eſt ex defectu ætatis. 4ta. ex defectu Sacramenti, id eſt, Bigamia. 5ta. ex defectu lenitatis, hoc eſt, ex homicidio juſtè ac licitè perpetrato; quæ irregularitates incurruntur etiã, quamvis nulla culpa interceſſerit; cùm enim illæ fuerint à Jure introductæ propter indecentiam, quam ſecumferunt, dato hujusmodi defectu, eo ipſo incurritur irregularitas, à Jure pro tali defectu ſtatuta. Species irregularitatis ex delicto contractæ ſunt ſequentes: prima ex homicidio & mutilatione caſuali. 2da. ex mutilatione & homicidio voluntario & injuſto. 3tia. ex indebita ſuſceptione vel uſu Ordinum. 4ta. ex violatione cenſurarum. 5ta. ex reiteratione Baptiſmi. 6ta. ex infamia vel delicto infamiam pariente.

3 Circa hanc autem irregularitatem ex delicto dictã notandum, quòd ad eam incurrendam requiratur peccatum mortale, quia pœna graviſſima eſt, utpote privans receptione Ordinum, dum non habentur, vel ſi habentur, eorum uſu & exercitio: ergò neceſſariò exigit ac ſupponit culpam gravem & peccatum mortale; aliàs pœna excederet gravitatem culpæ; quæ ratio probat, nequidem S. Pontificem poſſe ſtatuere irregularitatem, ùt pœnam, pro aliquo delicto ob culpam merè venialem. Dico: *ùt pœnam*; quia non nego, quòd poſſit ob indecentiam, quæ fortè ex tali delicto utut venialiter tantùm aut omninò non peccaminoſo reſultat, imponere irregularitatem ad Ordines ſuſcipiendos, aut in eis miniſtrandum, ſicut poteſt irregularitatem inducere propter defectum absque ulla præſuppoſita culpa in ſubjecto repertum; hinc autem ſequitur, quòd ſi actus, qui aliàs irregularitatem induceret, ex aliqua circumſtantia à peccato mortali excuſetur, non incurratur irregularitas in talem actum ſtatuta; ex quo etiam infertur, quòd hoc ipſo, quòd Jus pœnam irregularitatis imponat præcepto, illud intendat ſub mortali obligare, cùm absque eo non poſſit incurri. Requiritur prætereà ad incurrendam irregularitatem ex delicto, ut actus ille ſit externus, nec ſufficit merè internus; & hinc quamvis aliquis animum habeat obfirmatum occidendi, aut alia crimina committendi, in quæ ſtatuta eſt irregularitas, ea verò ipſo opere non exequatur, irregularis non fiet; quia Eccleſiæ poteſtas exterior, qua irregularitates conſtitutæ ſunt, ſicut de internis actibus non judicat *cap. Sicut 33. & cap. Tua nos. 34. de Simon.* ita pœnam etiam non imponit delictis merè internis, nam ùt dicitur *Can. Cogitationis 4. de Pœnit. diſt. 1.* Cogitationis pœnam nemo patitur, & *Can. Si quandoque 1.* *cauſ.*

cauſ. 15. quaſt. 6. non poteſt humano condemnari examine, quem Deus ſuo reſervavit judicio, Dominus enim inſpector eſt cordis; ex quo ſequitur nullam dari irregularitatem mentalem: & quando in aliquibus Bullis vel privilegiis datur facultas diſpenſandi in irregularitate mentali, id intelligendum eſt de irregularitate omninò occulta, quæ probari non poteſt in judicio, aut dicendum eam eſſe conceſſam ad ſedandos ſcrupulos, non autem ex neceſſitate. Quin imò requiritur etiam, ut actus ille externus ſit conſummatus & perfectus juxta proprietatem verborum Canonis irregularitatem ſtatuentis; unde ſi quis lethale vulnus alicui infligeret, niſi mors inde ſequatur, non incurret irregularitatem, ſive dein induſtria Chirurgorum, ſive ope dæmonum, ſive divino prodigio in vita præſervetur; quia revera non poſuit actum ad incurrendam irregularitatem requiſitum; non tamen eſt neceſſe, ut talis actus publicus ſit aut notorius, ſed ſufficit, quòd ſit occultus, etiamſi ab omnibus ignoretur, nec ullo modo probari poſſit, ùt deſumitur ex *cap. Niſi cùm pridem. 10. ℣. Non tamen de Renuntiat.* & *cap. fin. juncta Gloſſa V. Homicidii. de Tempor. Ordinat.* & apertè ſupponitur à Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.* ubi conceditur Epiſcopis poteſtas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus: cùm ergò Concilium loquatur univerſaliter de omnibus delictis occultis, ſolùmque excipiat homicidium, dicendum eſt, per omnia illa delicta, quantumvis occulta, poſſe contrahi irregularitatem; aliàs etiam non contraheretur ob homicidium voluntarium penitùs occultum, quod tamen & ipſi negant Adverſarii, moti decreto Tridentini *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reformat.* ubi dicitur, quòd ob tale crimen, etiamſi nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum ſed occultum fuerit, nullo tempore ad ſacros Ordines quis promoveri poſſit; & ratio eſt, quia delicta externa, quantumvis occulta ſubjiciuntur judicio Eccleſiæ aliquid decernentis, ac pœnam ipſo facto incurrendam imponentis: nec obeſt, quòd hic & nunc probari non poſſit in judicio; id enim merè per accidens eſt: cùm Eccleſia ad hoc ut incurratur irregularitas, nullam requirat ſententiam Judicis, ſed ipſo facto contrahitur, ad quod ſufficit revera præceſſiſſe delictum; atque ita docent Navarrus *Manual. cap. 27. n. 194.* Covarruv. *in Clement. Si furioſus. p. 2. §. 3. n. 4.* Avila *p. 2. Diſp. 2. dub. 2. concl. 2.* Suarez *de Cenſur. Diſp. 40. ſect. 3. n. 21.* Coninck. *Diſp. 18. dub. 2. n. 16.* Palao *tr. 29. Diſp. 6. punct. 3. n. 1.* Diana *part. 7. tr. 11. Reſol. 48.* Pellizarius *to. 2. tr. 7. cap. 5. ſect. 1. quaſt. 2. n. 10.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 7. punct. 1. n. 16.* Wieſtner *L. 5. Decretal. tit. 37. n. 40.* Reiffenſtuel *ibidem. n. 15.*

4 Circa hanc porrò irregularitatem ex delicto gravis eſt inter Authores controverſia, eáque in praxi magni momenti, an in dubio tum Juris tum facti quis excuſetur ab irregularitate? Eſt autem dubium Juris, cùm quis dubitat: an in Jure pro tali facto vel delicto ſtatuta ſit irregularitas, vel quia ſunt contrariæ Doctorum ſententiæ & in utramque partem probabiles, vel verba legis, ſtatuentis pro tali facto irregularitatem, ſunt ambigua, aut diverſas patiuntur interpretationes. Dubium facti eſt, cùm certum eſt tali facto vel delicto irregularitatem à Jure impoſitam eſſe, dubitatùr autem, num quis tale factum commiſerit: an ipſe mutilaverit, an vulnus lethale inflixerit ipſe &c. Qua in re certum eſt, quòd taliter dubitans ſive dubio Juris ſive dubio facti teneatur debitam adhibere diligentiam ad inveſtigandam veritatem, ac interea ùt irregularem ſe gerere; aliàs ſe manifeſto exponeret periculo violandæ irregularitatis, quod foret grave peccatum, ùt apertè colligitur ex *cap. illud. 5. de Cleric. excommunic. Miniſtr.* ubi Epiſcopus graviter reprehenditur, qui dubitans de ſua excommunicatione celebravit; excipitur, niſi interim, dum dubium diſcutitur, urgeat gravis neceſſitas ſuſcipiendi Ordines, aut grave damnum immineret dubitanti amittendi beneficium ſibi oblatum, ſi ſe fateretur irregularem; neque enim lex Eccleſiaſtica tam rigidè obligare velle videtur urgente neceſſitate & cum tam gravi damno. Quòd ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam rationes verè probabiles habeat opinandi vel tali facto annexam non eſſe irregularitatem, vel ejuſmodi factum, cui cæteroquin annexa eſſet irregularitas, ſe non commiſiſſe, poterit ſe huic conformare ſententiæ probabili, ac immunem ſe reputare ab irregularitate; neque enim ſe tenetur ſtante tali probabilitate ſubjicere tam gravi pœnæ, præſertim cùm eam ſequendo prudenter agat, & ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis; ſolùm igitur procedit hæc controverſia caſu, quo poſt adhibitam diligentiam debitam quis manet in utramque partem dubius ac veluti ſuſpenſus, non potens ſe in alterutram reſolvere ob occurrentes pro utraque parte rationes non leves, ob quas non valet efformare judicium probabile: an ſe tunc debeat cenſere incurriſſe irregularitatem ac ſe credere irregularem? cùm in dubiis tutior pars ſit eligenda. Ad hoc verò ℞deo &

5 Dico 1mò. *Dubius ſive dubio Juris ſive dubio facti non incurrit irregularitatem, nec pro irregulari habendus eſt, excepto ſolo caſu patrati homicidii.*

Ita Navarrus *in Can. Si quis 4. diſt. 7. de Pœnit. n. 41.* Gibalinus *de irregu-*

gularit. cap. 2. quaſt. 1. n. 12. Avila *p. 7. Diſp. 2. dub. 5. concluſ. 2.* Suarez *ſect. 6. n. 8. & 13.* Sanchez *L. 1. moral. cap. 10. n. 48.* Cornej. *Diſp. 6. dub. 2.* Layman *L. 1. tr. 1. cap. 5. §. 4.* Bonacina *de irregularit. quaſt. 1. punct. 5. n. 3.* Henriquez *L. 1. cap. 3 n. 4.* Chaſſaing *tr. 4. cap. 1. Propoſ 1.* Dicaſtillo. *Diſp. 7. dub. 2. & 3.* Diana *p. 4. tr. 2. Reſol. 52.* Coninck. *Diſp. 18. dub. 2. n. 22.* Sperell. *Deciſ. 77. à n. 31.* & *Deciſ. 119. n. 48.* Palao *tr. 29. Diſp. 6. punct. 3. n. 9.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 7. punct. 3. à n. 44.* Gobat *Theol. experiment. tr. 8. n. 660. & 667.* Scildere *tr. 5. n. 67.* Sporer *tr. 1. proœm. cap. 1. ſect. 4. n. 96. & ſeqq.* & *part. 1. Theol. Sacram. cap. 5. ſect. 4. n. 79.* Bardi *Diſcept. 6. cap. 7. §. 2.* Wieſtner *L. 5. tit. 37. à n. 41.* Schmalzgrueber *ibidem. n. 86.* Et ratio eſt 1. quia omnia Jura clamant, neminem in dubio condemnandum, ſed reum in dubio abſolvendum eſſe *cap. ùn. Ut beneſic. ſin. diminut.* In pœnis benigniorem interpretationem faciendam *Reg. in pœnis 49.* Odia eſſe reſtringenda, favores ampliandos, *Reg. Odia 15. in 6.* quæ ſicut univerſim in aliis legibus pœnalibus ſine controverſia recipiuntur à DD. ita etiam recipi debent in irregularitatibus ex delicto, cùm & ipſæ verè ſint pœnæ, niſi ex iis aliquam fortè excipiant Jura; ſi enim Judex ne quidem in foro externo aliquem condemnare poteſt ſed abſolvere tenetur, ſi delictum, in quod pœna à Jure ſtatuta eſt, ſit dubium, incertum, nec ſufficienter cognitum, quanto magìs in foro conſcientiæ abſolvendus eſt ille, qui dubitat, an delicto ſuo annexa ſit irregularitas, aut an tale delictum commiſerit, præſertim cùm ea ſit pœna omninò extraordinaria, quam ex conſtitutione Juris ſibi ipſi applicare, ac in ſeipſo exequi teneretur. Ratio eſt 2dò. quia nulla irregularitas incurritur, niſi Jure ſit expreſſa, arg. *cap. Is qui. 18. de ſentent. excomm.* atqui nullo Jure expreſſum eſt, quòd dubitans, an pro hoc vel illo delicto ſtatuta ſit irregularitas, vel utrum tale delictum commiſerit, incurrat irregularitatem: ergò nullam etiam incurrit taliter dubitans. Ratio eſt 3tiò. quia in dubio nemo privari debet Jure ac libertate, quam habet; cùm in dubio ſemper ſit melior conditio poſſidentis ex *Reg. 65. in 6.* ſed taliter dubitans privaretur ſuo Jure ac libertate, quam habet ad ſuſcipiendos Ordines, & in ſuſceptis miniſtrandum, ſi incurreret irregularitatem: ergo eam non incurrit. Dixi tamen: *excepto ſolo caſu patrati homicidii*; hic enim expreſſè excipitur *cap. ad audientiam. 12. cap. ſignificàſti 18.* & *cap. petitio tua 24. de homicid.* in quibus deciditur, quòd in dubio patrati homicidii tutior pars ſit amplectenda, atque adeo dubitans, an facto ſuo vel mandato & conſilio commiſerit homicidium, habendus eſt pro irregulari non quidem abſolutè, ſed quoad duos tantùm effectus vel abſtinendi à cele-

bra-

Digitized by Google

bratione Miſſarum, vel petendi diſpenſationem; quia de his tantùm loquuntur relati textus: nullo autem modo ſic dubitans cenſendus eſt irregularis quoad privationem beneficiorum, aliáſque pœnas irregularibus impoſitas, cùm de his nihil ſtatuant citata Jura, & conſequenter cùm res ſit odioſa, non eſt extendenda niſi ad ea, quæ ſunt in Jure expreſſa: neque pœna delicto certo à Jure impoſita, ad dubium porrigenda; ſic etiam prædictorum Jurium diſpoſitio non debet extendi ad mutilationem, quia ſolùm exprimunt homicidium, ad quod mutilatio quidem via eſt, haud tamen dici poteſt homicidium: in pœnalibus autem verba ſtrictè ſumenda ſunt; ſicut nec ille dicendus eſt irregularis, qui dubitat an aliquis ſit occiſus; quia citati textus loquuntur tantùm de eo caſu, quo hominem interfectum eſſe conſtat: & dubium eſt, an ejus mors ex vulnere à ſe, vel ab alio inflicto, aliáve cauſa ſecuta ſit. Quòd autem SS. Pontifices in dubio patrati homicidii tutiorem partem eligendam ſtatuant, non eſt trahendum in conſequentiam & ad caſus non expreſſos, vel ad alia delicta, etſi pro his cæteroquin ſtatuta ſit irregularitas, cùm illud Juris principium: In dubiis tutior pars eſt eligenda, exorbitet à Regula Juris communis, quæ vult, reum in dubio abſolvendum, benigniorem interpretationem præferendam in pœnalibus, præſertim in irregularitatibus, quas in caſibus duntaxat expreſſis contrahi, Juris explorati Regula eſt. *cap. Is qui. de ſent. excommunic. in 6.* Neque per hoc quòd aliquis relinquat partem tutiorem & amplectatur benigniorem, exponit ſe periculo peccandi, cùm opinio aſſerens, quòd dubius de contracta irregularitate non ſit habendus pro irregulari, ex principiis tum intrinſecis quàm extrinſecis adeò videatur eſſe certa ac ſecura, ut licèt remaneat fortè ſpeculativè dubius, practicè tamen dubius eſſe deſinat, præſertim ſi conſideret, quòd principium illud: tutior pars eligenda, extra caſum patrati homicidii ſit tantùm de conſilio, non autem de præcepto.

6 Difficultatem hanc taliter complanatam excipit alia non minùs inter Authores controverſa, & ipſa magni quoad praxin momenti: An ſcilicet ſicut dubium Juris & facti excuſat ab irregularitate, ita etiam excuſet ignorantia ſaltem invincibilis & inculpabilis; nam quod ad culpabilem attinet, quæ ſimul eſt craſſa, ſupina, aut affectata, certum eſt apud omnes, eam non excuſare ab irregularitate incurrenda, ùt habetur *cap. Apoſtolica. 9. De Cleric. excom. miniſtr.* ubi Canonici quidam Pragenſes ex ignorantia divina celebrantes tempore ſuſpenſionis ſupponuntur eſſe irregulares, ſi eorum ignorantia craſſa & ſupina aut erronea fuerit: excuſantur verò, ſi probabilis fuerit ſeu invincibilis. De hac ſo-

ſola igitur loquendo, conveniunt pariter AA. quòd ea, quæ excuſat à mortali, etiam excuſet ab irregularitate incurrenda; quia ùt diximus eſt pœna graviſſima: hæc autem incurri non poteſt, niſi ob culpam gravem; aliàs nulla eſſet proportio inter pœnam & culpam: idque procedit ſive ſit ignorantia Juris, ùt ſi quis ignoraret, quòd rebaptizare ſit peccatum mortale: ſive ſit ignorantia facti, ùt ſiquis aliquem rebaptizaret, ignorans jam eſſe ritè baptizatum; ſicut enim in tali caſu ignorantia excuſat à culpa, ita etiam excuſat ab irregularitate. Controverſia ergò hic præcipuè verſatur in duplici caſu: primus eſt, an excuſetur ab irregularitate, qui ſcit quidem actum ſuum eſſe prohibitum lege Divina aut naturali, ignorat tamen inculpabiliter illum eſſe ſpecialiter prohibitum lege Eccleſiaſtica, ùt ſi quis ſciret quidem, quòd rebaptizare ſit prohibitum Jure divino, ignoraret tamen id eſſe prohibitum Jure Eccleſiaſtico: aut homicidium eſſe Jure naturali prohibitum, neſciret verò illud eſſe ſpecialiter prohibitum Jure Eccleſiaſtico. Secundus eſt, an excuſetur ab irregularitate etiam ille, qui quidem ſcit delictum ſuum eſſe ſpecialiter prohibitum lege Eccleſiaſtica, ignorat tamen irregularitatem eidem annexam eſſe, ùt ſi quis ſciret quidem, quòd in cenſura celebrare divina ſit prohibitum ab Eccleſia, ignoraret tamen, quòd ita celebrando incurratur irregularitas. Quod autem ſtatuitur de ignorantia, idem intelligendum eſt de naturali oblivione, de actuali inadvertentia, & inconſideratione, cùm hæc inter ſe æquiparentur.

Dico 2dò. *Qui ignorat legem Eccleſiaſticam ſtatuentem in aliquod delictum irregularitatem, eandem non incurrit, etiamſi ſciat, illud lege divina aut naturali prohibitum eſſe.*

Ita Sanchez *L. 9 de matrim. D. 32. n. 9. & 17.* Coninck. *Diſp. 18. de irregul. dub. 4. concl. 1.* Palao. *tr. 29. de Cenſur. Diſp. 6. punct. 6.* & *de peccat. tr. 2. Diſp. 1. punct. 17.* Cornejo. *to. 2. tr. 5. de irregular. Diſp. 6. dub 3. concl. 3.* Leander. *tr. 1. Diſp. 4. quaſt. 4.* Andreas à Matre Dei. *tr. 10. cap. 7. punct. 3. n. 49.* & alii communiter. Probatur 1mò. *ex cap. fin. de Conſtitut. in 6.* ubi deciditur, quòd Conſtitutionibus Ordinariorum non ligentur illi, qui has ignorant, dummodo tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina; ex quo hoc formatur argumentum: Ignorantia excuſat à transgreſſione legis: ergò etiam excuſat à pœna propter transgreſſionem legis ſtatutâ: ſed irregularitas ex delicto eſt gravis, quin imò graviſſima pœna: ergò ignorantia legis ſtatuentis irregularitatem in aliquod delictum, excuſat ab ea; & certè æquum non eſt,

trans-

Digitized by Google

transgreſſorem legis ex ignorantia eâdem aut æquali pœna puniri, qua punitur transgreſſor legis ex malitia, & cùm ſcientia illius; cùm majori utique pœna dignus ſit, qui legem ſciens, quàm qui eam ignorans transgreditur. Id quod etiam ex *Can. Propoſuiſti. 2. diſt. 82.* comprobatur, ubi Clerici incontinenter viventes, qui legem Eccleſiaſticam eorum incontinentiam ſub pœna depoſitionis prohibentem ignorabant, venia digni pronuntiantur, & mitiori pœna arbitrio Judicis afficiuntur, evidenti ſanè argumento, quòd ignorantia legis Eccleſiaſticæ excuſet à transgreſſione, & à pœna eidem annexa. Probatur 2dò. etiam ratione: quia lex pœnalis ſolùm afficit transgreſſores, qui illius habent notitiam: ſed qui ſcit aliquid eſſe lege divina aut naturali prohibitum, ignorat autem illud eſſe lege Eccleſiaſtica prohibitum, eſt quidem transgreſſor legis divinæ aut naturalis, cujus habet notitiam; non autem legis Eccleſiaſticæ, utpote quam ignorat: ergò hunc non afficit, atque adeò nec pœnas incurrit à lege Eccleſiaſtica in transgreſſores ſtatutas, licet incurrat pœnas à Jure divino & naturali ſtatutas, cujus habet notitiam: ſed lex Eccleſiaſtica ſtatuens in aliquod delictum irregularitatem eſt lex pœnalis, utpote ſtatuta in pœnam & vindictam delicti: qui igitur illam ignorat, hanc non incurrit. Neque dicas: Irregularitatem non tam in pœnam delicti, quàm ob decentiam ſtatûs Eccleſiaſtici & ſacerdotalis impoſitam eſſe, cui ſpecialiter repugnat tale delictum v. g. homicidium voluntarium: ſicut igitur irregularitas ex defectu incurritur ab ignorante, ita etiam incurri debet irregularitas ex delicto ab ignorante. Nam contra eſt: quòd irregularitas ex delicto, licèt etiam ſtatuta ſit ob decentiam ſtatûs Eccleſiaſtici & ſacerdotalis, id tamen fit tantùm ſecundariò, principaliter verò ſtatuitur in pœnam ac deteſtationem delicti, & ad reprimendam inobedientiam, quæ cùm ceſſet ſuppoſita legis ignorantia, ceſſare etiam debet irregularitas.

8 Dico 3tiò. *Etiam ille, qui ſcit quidem delictum ſuum eſſe lege Eccleſiaſtica ſpecialiter prohibitum, probabiliter tamen ignorat, irregularitatem eidem annexam eſſe, eam non incurrit.*

Ita Innocentius in *cap. à nobis 28. de ſent. excommunic.* Sylveſter V. *Ignorantia. quaſt. 8.* Navarrus. *Manual. cap. 27. n. 274.* Philiarchus *de Offic. Sacerd. p. 1. L. 3. cap. 4.* Bonacina. *Diſp. 1. de Cenſur. quaſt. 2. punct. 1. n. 13.* Sanchez. *L. 9. de matr. Diſp. 32. n. 17. & 21.* Portell. *in dub. Regul V. ignorantia.* Cornejo. *Diſp. 6. dub. 3.* Diana. *part. 4. tr. 2. Reſol. 85.* citans pro hac ſententia præter alios etiam Pe-

Peregrinum, Reginaldum, Merollam. *Gobat Theol. experim. tr. 8. n. 666.* Sporer *Theol. Sacram. p. 1. cap. 5. ſect. 4. n. 79.* Leander *tr. 1. Diſp. 4. quaſt. 4.* Palao *De cenſur. Diſp. 6. punct. 6.* Antonius à Spiriu S. *tr. 2. Diſp. 3. n. 61.* Schiara *L. 4. diſſert. 32.* & probabilem agnoſcunt hanc ſententiam Suarez *Diſp. 4. de Cenſur. ſect. 9. n. 22.* Coninck *Diſp. 18. dub. 4. n. 31.* Dicaſtillo. *D. 7. n. 91.* & alii. Ratio eſt: quia irregularitas hoc ipſo, quòd obliget delinquentem ad eam ſibi applicandam & in ſeipſo exequendam, eſt pœna delicti prorſus extraordinaria: ſed hæc non incurritur ab ignorante, cùm exigat conſenſum ſaltem tacitum in culpam prout eſt cauſa talis pœnæ eamque continet, ad quod requiritur notitia talis pœnæ, culpæ illi annexæ, quando eſt extraordinaria ab ipſo reo ſibi applicanda: ergò irregularitas non incurritur ab ignorante eam delicto ſuo annexam eſſe; quodipſum confirmari poteſt ex eo, quòd nec excommunicatio, nec ſuſpenſio incurratur niſi à ſcientibus eam pœnam eſſe delicto ſuo annexam: ergo nec incurritur irregularitas niſi à ſcientibus eam eſſe delicto ſuo annexam. Nec obeſt, quòd excommunicatio aut ſuſpenſio ſint pœnæ medicinales, quæ ad hoc ut incurrantur, prævIam requirunt cognitionem; irregularitas verò, quæ eſt ex delicto, rationem habeat pœnæ vindicativæ: licèt enim cenſuræ & irregularitas ex delicto in hoc ab invicem differant, manet tamen quoad hoc paritas, quòd tam illæ, quàm iſta ſint pœnæ extraordinariæ: eſt autem communiter receptum ad inſtar Regulæ, quòd committens aliquod delictum ſubdatur quidem pœnis tali delicto proportionatis, non autem aliis extraordinariis, quæ ab Eccleſia imponuntur ad evitandam delicti frequentiam, vel aliam ob cauſam, niſi delinquens ſciverit, ſub ea pœna prohibitum eſſe. Verùm

9 Inſtabis fortiùs: ſi ignorantia pœnæ delicto ſuo annexæ excuſaret ab ea incurrenda, ſequeretur eum, qui ignoraret, lege civili ſtatutam eſſe pœnam mortis in homicidas, illam non incurrere, nec ultimo poſſe ſupplicio affici, quamvis ſciat homicidium eſſe Jure naturæ, ac divino vel etiam civili prohibitum: hoc autem admitti non poteſt, ùt conſtat ab experientia quotidiana, qua non inquiritur, an reus ſciverit, talem pœnam eſſe ſtatutam in delictum à ſe commiſſum: ergò neque admitti poteſt, quòd qui ignorat, lege Eccleſiaſticâ ſtatutam eſſe pœnam irregularitatis in homicidas, eandem non incurrat, etiamſi ſciat homicidium eſſe Jure naturæ ac divino vel etiam Eccleſiaſtico prohibitum; & certè ſi hoc admitti poſſet, ſequeretur ulteriùs, quòd & Judex jubens occidere homicidam, excuſaretur ab irregularitate, ſi neſciret eam actui ſuo de ſe juſto annexam eſſe, quod tamen nullus admittit. ℞. N. ſequelam, vel D.

ſi

ſi ignorantia qualiscunque pœnæ etiam ordinariæ excuſaret C. ſi tantùm ignorantia pœnæ extraordinariæ, & quam reus in ſeipſo debet exequi N. ſeq. pœna autem mortis in homicidas ſtatuta non eſt pœna extraordinaria, ſed ordinaria, quæ fundatur in æquitate naturali ac Jure divino pœnam mortis in homicidam ſtatuente: & his nititur lex civilis; ſunt enim leges civiles pœnam ordinariam pro delictis aſſignantes, veluti declarationes æquitatis naturalis & pœnarum, quæ de Jure naturæ proportionatæ ſunt delictis contra legem naturæ perpetratis: & hinc mirum non eſt, quòd ad eas incurrendas nulla requiratur notitia legis civilis aut pœnarum à Jure ſtatutarum. Quod ſi verò lex civilis præter pœnas ordinarias in æquitate naturali fundatas, aliam etiam extraordinariam ſtatueret pro hujusmodi delictis, etiam ipſa non incurreretur in foro conſcientiæ & interno ac coram Deo, ſi eam ignoraret, præſertim ſi talis eſſet pœna, quam reus teneretur in ſeipſo exequi, ſibique applicare: quidquid ſit de foro externo, in quo cùm præſumatur notitia Juris communis & pœnarum delictis impoſitarum, etiam procederetur ad hujusmodi pœnam, quam nemo ſupponitur ignorare: cùm igitur irregularitas ſit talis pœna extraordinaria ab Eccleſia homicidio, aliisque expreſſis in Jure delictis annexa, quam reus in ſeipſo exequi, ſibique applicare deberet, non incurritur ab ignorante legem Eccleſiaſticam, aut eidem annexam. Quoad alteram ſequelam à Judice pœnâ mortis plectente homicidam petitam negatur paritas; nam Judici irregularitas non in pœnam nec ob delictum, ſed ob decentiam & ob defectum lenitatis impoſita eſt, qualis etiam incurritur absque ulla culpa, & cum ignorantia legis Eccleſiaſticæ irregularitatem ob talem defectum ſtatuentis; econtra irregularitas in homicidam ſtatuta eſt principaliter in pœnam delicti, ſecundariò verò tantùm ob decentiam, quæ cùm gravior pœna ſit ac difficiliùs relaxetur, mirum non eſt, quòd ad hanc requiratur ejusdem notitia, licèt ad illam nulla requiratur. Cæterùm non deſunt, qui cum Diana in hac materia excipiunt homicidium, quibus neutiquam repugno.

Dico 4tò. *Irregularitas* 10
tam ex delicto, quàm ex defectu, ſi ſit perpetua, per ſolam tollitur diſpenſationem.

Ratio eſt; quia cùm irregularitas ſit à Jure introducta Canonico, aliter tolli non poteſt, quam relaxatione Juris irregularitatem inducentis: ſed relaxatio Juris Canonici eſt diſpenſatio; ſic enim definitur: ergò irregularitas aliter tolli non poteſt, quàm diſpenſatione. Neque obeſt, quòd in plurimis privilegiis concedatur Prælatis Regularibus facultas *abſolvendi* ab irregularitatibus, non au-

autem *diſpenſandi* in illis: ergo dicendum, quòd irregularitas etiam tollatur per abſolutionem. Nam in illis privilegiis verbum *abſolvendi* latiùs ſumitur pro verbo abolendi ſeu tollendi, prout ſæpiùs fit in Jure; quia ſicut ſub poteſtate ligandi & ſolvendi includitur etiam poteſtas diſpenſandi; unum enim ab altero differt ſicut inferius à ſuperiore; nam omnis diſpenſatio eſt abſolutio, non omnis abſolutio eſt diſpenſatio, cùm abſolutio à peccatis & cenſuris diſpenſatio non ſit. Verbum itaque abſolvendi in tali caſu accipi debet in illa generali ſignificatione, quæ includit etiam diſpenſationem; & licèt juxta comunem uſum loquendi, ac juxta proprietatem non ſoleat accipi pro facultate diſpenſandi, ita tamen intelligendum erit, quando contextus verborum ad hoc cogit, præſertim ſi aliàs verba privilegiorum fruſtranea forent ac inutilia, prout fit in præſenti. Quamvis autem & Baptiſmo à multis tribuatur vis tollendi irregularitatem, ſi tamen res ipſa penitùs perpendatur, apparebit, nullam irregularitatem perpetuam per Baptiſmum tolli; quia nulla eſt irregularitas, quæ Baptiſmum præcedit, cùm Eccleſia, à qua ſolâ introducta eſt irregularitas, nullam habeat jurisdictionem in eos, qui non ſunt baptizati. Haud attamen nego, alioſque eſſe defectus, qui ante Baptiſmum contracti, poſt Baptiſmum remanent in baptizato, ratione quorum poſt ſuſceptum Baptiſmum primùm fit & conſtituitur irregularis, quique deinde non aliter, quam diſpenſatione tolli poſſunt, ùt ſi quis ante Baptiſmum bigamus fuerit aut illegitimus: ſi claudus & cœcus vel aliam deformitatem habeat. Similiter tribuitur Profeſſioni Religioſæ vis tollendi irregularitatem præſertim ex defectu Natalium ortam: verùm id ipſum habere videtur ex privilegio SS. Pontificum, qui ab initio hoc conceſſerunt quibusdam Monaſteriis, ac poſtea exortis ſucceſſivè pluribus ac diverſis Ordinibus Religioſis in eorum favorem ad omnes extenderunt. Dixi autem in concluſione: quòd irregularitas, *ſi ſit perpetua*, tollatur per ſolam diſpenſationem; quia ſi tantùm ſit temporalis, hæc elapſo, quod reſpicit, tempore ceſſat per ſe: ùt irregularitas, quæ ex defectu ætatis provenit, adveniente ætate per SS. Canones requiſita tollitur: quæ ex ignorantia, per ſcientiæ neceſſariæ acquiſitionem: & quæ ex corporis vel animæ defectu, ceſſante illo, quamvis hoc per miraculum, aut aliud quodcumque principium eveniat. Similiter ii, qui ſunt ſervi, aut matrimonio legitimo juncti, vel ad ratiocinia aut Curiam ſæcularem obligati, ſublatis iſtis manent habiles ad Ordines ſine ulla diſpenſatione. Demùm irregularitas ex infamia contracta lapſu temporis aut mutatione loci tolli poteſt.

Porrò diſpenſare poteſt ſolus Romanus Pontifex in omnibus irregu- II

la-

laritatibus, cùm ipſe ſolus ſit ſupra Jus Canonicum, & omnes irregularitates ſint Jure poſitivo Eccleſiaſtico introductæ. Ut autem licitè in iis diſpenſet, requiritur juſta cauſa, qualis tamen neceſſaria haud eſt ad validam diſpenſationem: major tamen vel minor ſolet requiri cauſa pro qualitate irregularitatis contractæ, ita ut in aliquibus faciliùs, in aliis difficillimè & non niſi ex urgentiſſimis cauſis diſpenſetur, quemadmodū contingit in irregularitate Bigamiæ, cùm ſit antiquiſſima & jam ab Apoſtolorum temporibus introducta: & in illa, quæ ex homicidio oritur ſive juſto ſive injuſto: in illo quidem propter indecentiam, quam ſecum fert, ſtatui Clericorum contrariam: in hoc verò, quia eſt delictum graviſſimum, quod meretur puniri pœna non tam facilè diſpenſabili. Præter S. Pontificem poſſunt in irregularitatibus diſpenſare omnes & ſoli illi, quibus is hanc poteſtatem ſpecialiter conceſſit; & in ſpecie quidem poſſunt Epiſcopi non modò conſecrati, ſed etiam confirmati tantùm diſpenſare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ſolummodò illa, quæ oritur ex homicidio voluntario etiam occulto; id enim illis conceſſit Tridentinum *ſeſs. 24. cap. 6. de reform.* Ad hoc tamen tria requiruntur: 1mò. ut delictum ſit occultum & necdum deductum ad forum contentioſum, ùt patet ex citato cap. *6.* 2dò. ut is quocum diſpenſat, ſit ejus ſubditus, prout habetur dicto cap. *6.* ibi: quoscumque ſibi ſubditos, quibus à Palao *tr. 29. Diſp. 6. punct. 7. n. 8.* Sanchez *L. 2. moral. cap. 11.* annumerantur etiam vagi, qui nullibi certam habent ſedem. 3tiò. ut diſpenſet in ſua Diœceſi, prout eodem cap. dicitur, ad quod requiritur, ut vel Epiſcopus vel ſubditus in Diœceſi exiſtat; ſic enim verificantur & intelligenda ſunt verba Concilii. Unde ſi ſubditus ſit extra Diœceſin, poterit ab Epiſcopo intra illam exiſtente diſpenſari: & econtra, ſi Epiſcopus extra Diœceſin exiſtat & ſubditus intra illam: eſt enim talis diſpenſatio actus juriſdictionis voluntariæ, qui etiam extra territorium exerceri poteſt, ùt cum communi Doctorum tradunt Sanchez *cit. cap. 11. n. 16.* Palao *n. 9.* qui idipſum dicendum putant etiam in caſu, quo tam Epiſcopus quàm ſubditus extra Diœceſin exiſtunt, quod praxis quoque apud plures comprobare videtur. Præter Epiſcopos poſſunt etiam Prælati Regulares diſpenſare cum ſubditis ſuis in omnibus illis irregularitatibus, in quibus cum ſuis poſſunt Epiſcopi, prout conceſſit S. Pius V. in Bulla: *Romani Pontificis. 21. Junii Anno 1571.* in qua Prælatis Regularibus concedit: *ùt ſicut ſacrum Oecumenicum Concilium generale Tridentinum conceſſit Epiſcopis, ùt diſpenſare poſſint in irregularitatibus, ita & ipſi diſpenſare cum ſubditis poſſint eodem modo in iiſdem irregularitatibus, ne ſcilicet Regulares deterioris ſint conditionis, quàm Clerici & Sæculares &c.* Hoc ipſum conceſſit

Prælatis Ciſtercienſibus Gregorius XIII. in Bulla: *Conſuevit. 13. Januar. Anno 1574.* ubi inter alia concedit, *ut cum quibuscumque Monachis, & Fratribus ac Converſis & Donatis diſpenſare valeant ſuper irregularitate per eos ex delicto occulto contracta, & aliis à Concilio Tridentino permiſſis Epiſcopis.* juxta quæ privilegia poſſunt Prælati Regulares in ſubditos ſuos, quidquid valent Epiſcopi virtute *cap. Liceat. 6. ſeſſ. 24. de Reform.* ſed Epiſcopi in vim dicti cap. poſſunt diſpenſare cum ſubditis ſuis in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio, ùt ſupra dictum eſt: ergo etiam Prælati Regulares. Verùm præter allata hactenus privilegia concesſerunt SS. Pontifices Prælatis Regularium præſertim Canonicorum multa alia privilegia longéque ampliorem facultatem, quàm Epiſcopis, diſpenſandi in irregularitatibus non tantùm ex delicto occulto, ſed etiam ex defectu provenientibus, quæ in hac diſputatione intendimus indagare ac diſcutere, poſtquam pauca quædam huc pertinentia fuerimus executi.

12 Nam advertendum hìc eſt circa diſpenſationem in irregularitatibus faciendam, quòd ſi plures aliquis incurriſſet diverſæ ſpeciei irregularitates, quarum diſpenſatio expetitur, omnes in ſpecie referendæ ſint, earumque facienda ſit expreſſa mentio; hoc ipſo enim, quod una auferri poſſit ac diſpenſari ſine altera, cognoſci debent omnes à diſpenſante, ùt ab omnibus diſpenſet, ùt benè notat Navarrus *Manual. cap. 27. n. 32.* Sanch. *L. 8. de Matrim. Diſp. 24. n. 7.* Avila *p. 7. de irregular. Diſp. 10. dub. 8.* Palao *p. 7. cit. n. 16.* & Ratio ulterior eſt, tum quia ſaltem inferior S. Pontifice diſpenſare non poteſt in irregularitatibus nec licitè nec validè ſine cauſa legitima & rationabili, ùt docent Authores communiter apud Petrum de Murga *to. 2. Diſquiſ. Moral & Canon. diſq. 1. dub. 13. n. 133.* & *in Comment. ad Conſtit. Apoſtol. Conſtit. 2. Alexandri IV. n. 1140.* cùm facultas diſpenſandi inferioribus conceſſa ſit ad ædificationem & non ad deſtructionem, quæ certè non rarò contingeret, ſi absque juſta cauſa & rationabili ſaltem exiſtimata, vel apparente diſpenſatio impetraretur: tum quia diſpenſans, etiam in irregularitatibus, ſemper debet imponere pœnitentiam condignam, ùt patet ex praxi Eccleſiæ, Bullis Pontificiis, Brevibus ſacræ Pœnitentiariæ, ac decretis Rotæ: ſed condignam pœnitentiam imponere non poteſt diſpenſans, ſi diſpenſandus irregularitatum ſuarum non ignarus, eas in ſpecie nón exprimat: ergo debet eas in ſpecie exprimere. Dixi tamen: *ſi plures incurriſſet diverſa ſpeciei irregularitates*; nam ſi quiſpiam plures contraxiſſet quidem ſed ejusdem rationis ac ſpeciei irregularitates v. g. multa commiſiſſet homicidia, ſæpiùs in iisdem cenſuris celebrâſſet &c. non eſt neceſſe, ut in particulari

lari omnes numericè recenſeantur, ſed ſufficit referre, quòd ſæpius has irregularitates contraxerit, ùt tenet Palao *loc. cit.* Koninck. *Diſp. 18. dub. 14.* Petrus de Murga. *ad cit. Conſtit. 2. Alexandri IV. n. 1141.* quin imò juxta Navarrum *Conſil. 3. de raptorib. n. 6.* Sanchez. *loc. cit.* Avila. *dub. 8.* ſufficit, quòd petens diſpenſationem aſſerat ſe irregularem eſſe ratione talis delicti vel defectûs, non exprimendo, quòd ſæpiùs in illam inciderit; ſed hoc, ùt ait Andreas à Matre Dei n. 61., verùm eſt tantùm, quando Prælatus verbis univerſalibus diſpenſat, non alligando ſuam intentionem ad unam vel alteram irregularitatem; non enim judicari poteſt, Prælatum habere voluntatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, in quibus poteſt, niſi id exprimat, quando irregularis unam ſolùm manifeſtat irregularitatem, ac in ea petit diſpenſari, prout deſumitur ex *cap. Cùm pro cauſa. 27. & cap. Officii 42. de ſentent. excommunic.* Advertendum præterea, quòd Prælatus potens diſpenſare in irregularitate, ſi admittat ad Ordines, vel concedat litteras dimiſſorias ad ſuſcipiendos Ordines conſcius irregularitatis, eò ipſo diſpenſare cenſeatur in irregularitate quoad forum conſcientiæ ſaltem, ùt docent Sylveſter V. *Diſpenſatio. q. 15. & V. Irregularitas q. 28.* Henriquez. *L. 14. cap. 15.* Suarez *Diſp. 41. ſect. 3.* Bonacina *De cenſuris. Diſp. 7. quæſt. 5. punct. ult.* Palao *l. c. n. 18.* quidquid ſit, an hæc tacita diſpenſatio valeat in foro externo. Quamvis autem in Jure nulla præſcripta ſit certa ac determinata verborum forma pro concedenda irregularitatum diſpenſatione; ſed ad eam ſufficiant quævis verba cum intentione diſpenſandi teſte Baſſæo *to. 1. V. Irregularitas. n. 120.* & Tamburino *to. 1. Diſp. 5. quæſ. 17. n. 7.* imò ſufficere quæcumque ſive facta ſive verba, ex quibus ſufficienter cognoſci poſſit animus diſpenſandi in eo, qui diſpenſare poteſt, tradunt Sylveſter *V. Irregularitas. q. 28.* Suarez *de Cenſur. Diſp. 41. ſect. 3.* Bonacina *de Cenſur. Diſp. 7. quæſt. 5. punct. ult. n. 7.* ut autem certam habeant ac determinatam diſpenſaturi, poterunt ſequenti uti: *Diſpenſo tecum in irregularitate vel irregularitatibus, quas ob talem vel talem cauſam contraxiſti, téque habilem efficio ad ſuſceptionem & executionem Ordinum & Officiorum tuorum, quantùm poſſum, in nomine Patris &c.* Et quando dubitatur, an irregularitas contracta ſit: Diſpenſo tecum in irregularitate, ſi fortè incurriſti ob talem vel talem cauſam; hancque diſpenſationem dari poſſe extra Sacramentum pœnitentiæ tradunt DD. communiter cum Baſſæo l. c.

 Sectio

Sectio II.

De poteſtate Prælatorum diſpenſandi cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitatibus ex defectu provenientibus.

13 Diverſis ex capitibus contrahi irregularitates ex defectu, jam ſupra diximus, nempe 1mò. ex defectu natalium ſive legitimitatis. 2dò. ex defectu animæ & corporis. 3tiò. ex defectu ætatis ad Ordines requiſitæ. 4tò. ex defectu Sacramenti ſive ex bigamia. 5tò. ex defectu lenitatis proveniente ratione occiſionis vel mutilationis hominis in judicio legitimo, vel bello juſto commiſſæ: de quibus omnibus hìc ſecundùm ordinem agemus; ante omnia verò pro meliori intelligentia notandum eſt, defectum natalium tunc dari, quando aliquis ex illegitimo thoro natus eſt, diciturque illegitimus: ex his alii dicuntur naturales, alii ſpurii. Naturales cenſentur de Jure Canonico (nam de Jure civili aliter accipiuntur) illi omnes, qui extra matrimonium procreati ſunt à parentibus, inter quos tempore conceptionis vel nativitatis, vel inter utramque intermedio conſiſtere potuiſſet matrimonium. Spurii econtra eodem Jure Canonico dicuntur illi duntaxat, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos nec matrimonium fuit, nec etiam conſiſtere poterat toto illo tempore, quod à conceptione currit usque ad nativitatem. Horum 4tuor præcipuæ ſunt ſpecies; nempe aliqui vocantur adulterini, qui ex duobus vel alterutro ſaltem conjugato nati ſunt. *Can. nemo. 4. cauſ. 32. quaſt. 4. Can. Lex 2. §. Cùm ergò. V. Adulterium. cauſ. 36. quaſt. 1.* 2dò. Sacrilegi, qui nati ſunt ex Religioſo vel Moniali, ſive ùt aliqui etiam volunt ex Clerico in ſacris conſtituto. 3tiò. Inceſtuoſi, qui ſuſcepti ſunt ex parentibus cognatione aut affinitate conjunctis, præſertim ex conſanguineis collateralibus in gradu prohibito. *§. inter eas 2. Inſtit. de nupt.* 4tò. Nefarii, qui orti ſunt ex concubitu patris & filiæ, aut aliorum aſcendentium & deſcendentium. *§. ergò 1. Inſtit. de nupt. & authent. ex complexu. Cod. de inceſt. & inutil. nupt.* atque hi omnes de Jure cenſentur irregulares & incapaces ſuſcipiendi SS. Ordines, ùt habetur *cap. ut filii. 1. & ſeqq. de fil. Presbyt.* tum quia tanquam perſonæ viles & infames Ordine clericali, ac beneficiis & dignitatibus Eccleſiaſticis reputantur indigni, *cap. inter dilectos. 11. de exceſſ. Prælat.* tum in odium ac deteſtationem paternæ incontinentiæ, quam Jus plerumque etiam in filiis punit *cap. vergen-*

tis 10. de haretic. tum quia communiter ejusmodi liberi in pravos mores propenſi paternam imitantur incontinentiam. *Can. Si gens 10. diſt. 56.* Idque procedit 1mò. ut neque ad minores Ordines abſque diſpenſatione promoveri poſſint *cap. is qui. 1. de fil. Presbyt. in 6.* 2dò. ut ſint incapaces ad beneficia non modò curata, ſed etiam ſimplicia. 3tiò. & multò magis ad dignitates; & hoc verum eſt, licèt illegitimus ſit occultus & communiter pro legitimo habitus; quia *cap. 1. & fin. de fil. Presbyt.* filii illegitimi generaliter & indiſtinctè ab Ordinibus & beneficiis repelluntur: eſtque irregularitas hæc non tantùm ad ſuſcipiendos Ordines, ſed etiam ad miniſtrandum in receptis, ſi fortè illegitimus eos illicitè recepiſſet, quia Jura intendunt præcipuè excludere illegitimos à miniſterio Altaris.

14 Ad hoc autem, ut quis cenſeatur ex defectu natalium irregularis, requiritur, ut talis de ſua illegitimitate certus ſit; nam ſi dubius foret, non tenetur ſe ùt illegitimum, & conſequenter nec ùt irregularem ſe gerere: tum quia in tali caſu ſemper ſunt benigniora præferenda: tum quia nulla incurritur irregularitas, niſi quæ Jure eſt expreſſa, qualis non eſt in præſenti caſu, ùt ſupra pluribus expoſuimus. Ex quo ſequitur, expoſitos, quorum parentes ignorantur, non debere reputari illegitimos, cùm multoties parentes etiam conjugati ſuos liberos ob inopiam exponant: tum quia in dubiis, ùt diximus, ſemper ſunt præſumenda benigniora, præſertim quando agitur de favore prolis. *cap. ex tenore 14. Qui filii legit.* tum quia in dubio non præſumitur delictum. *cap. fin. de præſumpt.* & *L. meritò 51. ff. pro ſocio*: hoc autem fieret, ſi expoſiti præſumerentur eſſe illegitimi, cùm ſic ex fornicatione potiùs, quàm ex legitimo thoro nati præſumerentur: tum quia denique *cap. Lator. 5. & cap. pervenit. 11. qui filii legit.* adverſario objicienti defectum natalium injungitur onus probationis: hoc autem non injungeretur ipſi, ſi in dubio non eſſet ſtandum pro legitimitate: ergò &c. Atque hinc Gregorius XIV. in Bulla *Anno 1591.* edita in gratiam confraternitatis pro expoſitis mandavit, hujusmodi expoſitos habendos eſſe pro legitimis in ordine ad Ordines & beneficia, cæteráſque dignitates; unde etiam filius natus ex parentibus conjugatis, quorum tamen matrimonium erat invalidum, ſi bona fide contractum eſt ſaltem ex parte unius, non eſt habendus ùt illegitimus, ſed potiùs ùt legitimus. *cap. ex tenore. 14. cap. cùm inter. 2. cap. Perlatum 8.* & *cap. quod nobis. 9. Qui filii ſint legit.* ſic etiam filius, qui vero matrimonio durante natus eſt, non tenetur matri credere etiam cum juramento aut in articulo mortis aſſerenti, illegitimum eſſe: unde licèt matris dictum aliquam faciat præſumptionem, per hanc tamen filius Jure le-

legitimitatis non tenetur ſe privare, ſtante in oppoſitum majori longè præſumptione legitimi matrimonii, ac proinde neque privari hoc Jure poteſt à Judice, niſi alia dentur indicia, eáque manifeſta, cùm ſemper prævaleat in hujusmodi caſibus juſta poſſeſſio legitimitatis titulo matrimonii conjuncta. His ita præmiſſis procedit jam quæſtio, an Prælati præſertim Canonicorum Regularium poſſint cum Religioſis ejusmodi illegitimis ſive naturalibus ſive ſpuriis ſibi ſubditis diſpenſare, ut non tantùm ad ſacros Ordines promoveri, ac in ſuſceptis licitè miniſtrare, ſed etiam ad dignitates & Prælaturas aſſumi poſſint? ad quam

15 Dico 1mo. *Poſſunt Prælati & Abbates Canonicorum Regularium cum ſubditis diſpenſare in irregularitatibus ex defectu natalium provenientibus, ut non tantùm ad SS. Ordines promoveri, & in ſuſceptis miniſtrare licitè poſſint, ſed etiam ad quascunque dignitates ac Prælaturas aſſumi valeant.*

Ita quoad 1mam. partem ipſiſſimis penè verbis Sixtus IV. Prælatis & Abbatibus Cann. Regg. Congregationis Lateranenſis in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Cal. Sept. Anno 1477. Pont. 6.* Innocentius VIII. in Bulla: *Sacra Religionis honeſtas. 3. Idus April. Anno 1486.* Prælatis Cann. Regg. Congregationis Windeſemenſis. Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Prælatis Cann. Regularium Congregationis Bononienſis conceſſit, ut cum quibusvis perſonis defectum natalium ex adulterio, inceſtuoſo, & quovis alio nefario, & illicito coitu provenientem patientibus, poſtquam Congregationem ipſam ingreſſi, & illam expreſsè profeſſi fuerint, perpetuò diſpenſare valeant, ut defectu & irregularitatibus hujusmodi non obſtantibus ad quoscunque etiam ſacros & Presbyteratûs Ordines promoveri, & in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare poſſint. Quoad alteram verò partem idipſum dictis Prælatis conceſſerunt relati SS. Pontifices Sixtus IV. Innocentius VIII. & Julius II. in citatis Bullis, ut etiam ad quæcunque officia, adminiſtrationes, ſeu dignitates prædictarum Congregationum aut illarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum recipi & aſſumi, illáque gerere & exercere liberè & licitè & absque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ, quoties opus fuerit, diſpenſare valeant. Idem jam priùs Eugenius IV. per ſimplicem ſignaturam *Florentiæ 12. Calend. Februarii Anno 1436. Pontif. 5to.* conceſſerat Prælatis Cann. Regg. Congr. Lateranenſis,

ut

ut cum perſonis ſibi ſubditis defectus natalium patientibus diſpenſare valeant, ut Prioratus, & Rectoratus, & alia officia dictæ Congregationis recipere & retinere liberè & licitè valeant. Idipſum quoque conceſſit iisdem Prælatis Paulus II. in Bulla: *Exponi nobis. die 23. Novembr. Anno 1465. Pont. 4to.* attendens, nullam exceptionem perſonarum apud Deum, inter Religioſos maximè, qui ſpretis temporalibus ad cœleſtia aſpirant, ſimúlque confirmat & approbat Conſtitutionem in Capitulo generali factam, in quo decretum fuerat, quòd Canonici defectum natalium patientes eligi poſſent & aſſumi ad dignitatem & officium Rectoratus generalis ejusdem Congregationis Lateranenſis.

16 Verùm inquies: hujusmodi Conſtitutiones & privilegia SS. Pontificum omnia fuiſſe revocata à Sixto V. in Bulla: *Cùm de omnibus. 26. Novembr. Anno 1587.* data, in qua expreſsè prohibet, ne impoſterum illegitimi, præſertim ex inceſtu & ſacrilegio procreati vel in Religioſum Ordinem recipi, & in eo Profeſſionem emittere, aut ad Ordines promoveri, multò minùs ad ullam dignitatem aſſumi poſſint, revocatis quoad hoc quibuscunque privilegiis. Id quod pluribus declarat in altera Bulla: *Ad Romanum. 12. Calend. Novembr. Anno 1588.* edita; prout videre in Bullario Cherubini to. 2. & per extenſum refertur à Donato tom. 2. tr. 2. ſed contra eſt: quòd Gregorius XIV. in Bulla: *Circumſpecta. 15. Martii Anno 1591.* utramque Sixti V. Conſtitutionem in ea parte, qua cavetur, ne illegitimi ex certo inibi expreſſo damnato thoro vel complexu ad quamcunque Religionem, neque ad habitum & Profeſſionem Regulares admittantur ſub nullitate Profeſſionis: & in altera parte, in qua illegitimè geniti etiam ante ipſas Conſtitutiones profeſſi, vigore privilegiorum Apoſtolicorum cuivis Ordini & ejus Superioribus conceſſorum etiam ipſi per ingreſſum Religionis, vel per eosdem Superiores legitimati, ſeu ad gradus & honores ac dignitates habilitati ſeu integrati, ab eisdem honoribus & gradibus ac dignitatibus quibuscunque (non obſtantibus privilegiis) excluduntur, & diſpenſationes quæcunque aut legitimationes non ſuffragantur, ad terminos Juris reducat ac moderetur: omnes etiam diſpenſationes & habilitationes vigore privilegiorum Apoſtolicorum cuivis Ordini & ejus Superioribus conceſſorum, quæ tempore Conſtitutionum Sixti V. uſu receptæ erant, in priſtinum ſtatum ac validitatem reſtituat: & ideò illi, qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum & Profeſſionem Regulares admitti poſſe concedat, quemadmodum admitti poterant, ſi prædictæ Conſtitutiones editæ non fuiſſent. Conceſſit præterea præfatus Gregorius XIV.

Generalibus & Provincialibus ſingulorum Ordinum ac Congregationum, ut juxta tenorem privilegiorum eis conceſſorum (quæ dummodo uſu recepta revalidantur in hac parte) cum illegitimis, quos aliàs dicti Generales & Provinciales ſuffragantibus meritis dignos judicaverint, ad honores & gradus ac dignitates diſpenſare, perinde ac ſi relatæ Sixti V. Conſtitutiones non emanâſſent : ad Superiorem autem Monaſterii in locis ſeu Monaſteriis, ubi fit filiatio, de conſenſu ſui Capituli pertineat illegitimorum receptio. Similiter idem Gregorius XIV. conceſſit Societati Jeſu in Bulla : *Exponi. 30. Auguſti Anno 1591.* ut tam in Novitiis etiam cujusvis generis illegitimis admittendis, quàm in diſpenſationibus eorumdem ad quælibet officia & gradus ac dignitates ejusdem Societatis concedendis, formam & rationem in privilegiis ſibi conceſſis, & in Conſtitutionibus ac Regulis expreſſam liberè & licitè proſequi & retinere valeat: non obſtantibus Conſtitutionibus Sixti V. *Anno 1587. & 1588.* editis, ùt habetur *in Corpore Inſtitut. dictæ Societatis to. 1. pag. mihi 156.* Idem denique Gregorius XIV. in Bulla : *Illius qui. 21. Septembr. 1591.* indulſit Præfecto Generali Congregationis Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis & de illius licentia Præfectis inferioribus aliorum locorum, ſeu Provincialibus & illorum Vicariis, ac loca tenentibus, ut cum ejusdem Congregationis perſonis defectum natalium etiam ex adulterio, vel ſacrilegio aut inceſtu & quovis alio nefario & illicito coitu provenientem patientibus valeant diſpenſare, ut defectu hujusmodi non obſtante poſſint ad Ordines etiam ſacros promoveri & in illis miniſtrare, nec non ad quascunque adminiſtrationes & officia eligi atque aſſumi, prout refertur à Cherubino in Bullar. Roman. to. 2. Conſtit. 17.

Poſt Gregorium XIV. quoque 17
conſtituit Clemens VIII. in Bulla : *In ſuprema. 2. April. Anno 1602.* utpote in qua Conſtitutiones Sixti V. Anno 1587. & 1588. editas quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem Conſtitutionibus præſcriptam de cætero non ſervaverint, & quoad alios etiam caſus ibidem expreſſos, in quibus receptorum in quibuscunque etiam Mendicantium Ordinibus Profeſſio nulla declaratur, ad terminos Juris & SS. Canonum, perinde ac ſi prædictæ Conſtitutiones in illa parte editæ non fuiſſent, auctoritate Apoſtolica reducit: ùt habetur in Bullar. Roman. *to. 3. Conſtit. 83,* & apud Pittonum. Ex quibus aliisque SS. Pontificum Conſtitutionibus deducunt Baſſæus *V. Irregularitas. 3. n. 7. ℣. ex variis.* Diana *part. 3. tr. 2. Reſol. 102.* Sigismund. à Bononia *tr. de elect. dub. 73. n. 67.* Tamburinus *to. 1. Diſp. 5. quæſ. 14. n. 10.* Laur. de Peyrin. *de privil. Minim. to. 1. Conſtit. 2. Julii II. §. 29. n. 96.*

Por-

Portell. *in dub. Regular. V. illegitimus. n. 10.* Pellizar. *to. 2. tr. 9. cap. 3. ſect. 4. quæſt. 26. n. 131.* Chaſſaing. *tr. 4. cap. 1. Propoſ. 4.* Villalobos *to. 1. tr. 13. difficult. 60. n. 10.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 9. punct. 4. n. 57.* Petrus de Murga. *de Privil. Conſtit. 2. Alexandri IV. à n. 812.* poſſe non tantùm Generales, ac Provinciales, ſed etiam Prælatos ac Priores locales eorúmque Vicarios illis mortuis aut ab officio motis per ſeipſos cùm illegitimis diſpenſare tum ad Ordines, tum ad Prælaturas & dignitates. Ut autem illegitimus cenſeatur eſſe diſpenſatus ad dignitates, ſufficit etiam ſola electio illius in Prælatum ab habentibus poteſtatem diſpenſandi facta, ſiquidem his nota fuerit, eò quòd licèt non verbis, facto tamen ipſo diſpenſare videantur; quia cùm talis diſpenſatio neceſſaria ſit ſaltem ut licita ſit talis electio illegitimi, præſumendum eſt, ipſos nolle peccare, & ſic velle diſpenſare, proindéque talis diſpenſatio implicita valebit ſaltem pro foro conſcientiæ, ſicut ſi Prælatus dimittat Religioſum ſuum ad ſuſcipiendos Ordines, implicitè diſpenſare cenſetur, ut illos poſſit recipere. Ita Navarrus *Manual. cap. 25. n. 74.* Sylveſter *V. irregularitas n. 14. quæſt. 28. in fin.* Suarez *de cenſur. Diſp. 41. ſect. 3. n. 4.* Sanchez *L. 8. de matr. Diſp. 4. n. 17.* Bonacina *de cenſur. Diſp. 7. quæſt. 5. punct. 1. n. 9.* & alibi ſæpiùs. Tamburin. *to. 1. Diſp. 5. quæſ. 17. à n. 4.* plures citans. Anton. à Spiritu S. in Direct. *Regul. tr. 2. Diſp. 1. ſect. 1. n. 63.* Petrus de Murga *l. c. à n. 827.*

18 Cæterùm ad hoc, ut diſpenſatio ſuper defectum natalium valida ſit, non ſufficit illam in genere petere, ſed requiritur, ut diſpenſandus exprimat qualitates quoad turpiorem illegitimationis modum v.g. quòd ſit inceſtuoſus, vel adulterinus, vel inceſtuoſus & adulterinus ſimul, aut ſacrilegus; & ſi eſt inceſtuoſus, exprimendus eſt gradus conſanguinitatis parentum vel affinitatis in ſententia Covarruviæ *in Epitome 4. Decret. part. 2. cap. 8. §. 9.* & ſi ex ſacrilegio, declarandum eſt, an ex Sacerdote, Religioſo, vel Moniali, ùt vult Joan. Andreas *in addit. ad ſpeculatorem in titul. Qui fil. ſint legit. ℣. ſed quæro.* ubi etiam dicit, quòd ſi diſpenſandus dixit, ſe eſſe ſpurium ſimpliciter, ſi erat ſpurius duplicatus v. g. ex uxorato & uxorata, diſpenſatio & legitimatio non valeat: quodipſum etiam docent Panormitanus *in cap. per venerabilem 13. n. 27. Qui fil. ſint legit.* Sylveſter *V. legitimus. n. 8.* Covarruv. l. c. & alii, quos citat & ſequitur Tamburin. *quæſ. 18. n. 3.* quæ doctrina procedit etiam in diſpenſationibus per S. Pontificem factis cum clauſulis: *de plenitudine poteſtatis*; vel *ſupplentes omnem defectum*; aut *ex certa ſcientia*; quia non tollunt defectum diſpenſationis provenientem ex taciturnitate qualitatis illegitimitatis; in Reſcriptis namque

que Apoſtolicis, quando expreſsè non ponitur, ſemper ſubintelligitur clauſula: *ſi preces veritate nitantur*, ùt ex communi DD. tradit Tamburinus *l. c. n. 5.* Si igitur ad diſpenſationem validè à Papa ſuper illegitimitate impetrandam neceſſariò prærequiritur expreſſio qualitatum illegitimationis, à fortiori prærequiretur ad diſpenſationem à Prælatis Regularibus ſive in ſolidum, ſive ſimul cum Capitulis Generalibus vel Provincialibus obtinendam; quia cùm inferiores Papa, ùt ſunt Prælati Regulares, diſpenſare non valeant abſque cognitione cauſæ, oportet illegitimationis conditiones & qualitates eis explicari, ut inde colligant, an adſit cauſa ſufficiens, ad concedendam diſpenſationem, maximè quia ubi turpior eſt originis defectus, ibi major requiritur cauſa. Ita citatis aliis Tamburin. *to. 1. D. 5. quaſ. 18.* & ex eo Petrus de Murga *de privil. ad Conſtit. 2. Alexandri IV. n 831.* Verùm non deſunt alii, qui putant non requiri, quòd Religioſus illegitimus petens à ſuis Prælatis diſpenſationem ad Prælaturas obtinendas, exprimat in tali petitione, qua qualitate illegitimitatis ſit innodatus, an nimirum ſit adulterinus, inceſtuoſus, aut ſacrilegus; quia Prælatus ſemper intendit diſpenſare cum eo, quomodolibet ſit illegitimus, àliter enim de qualitate illegitimitatis interrogaret, ſi prudenter ſe vellet gerere, prout docet Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 9. punct. 4. n. 58.* referens Pellizarium *ſect. 3. n. 100.* Leand. *Diſp. 4. q. 84.* Dian. *part. 10. tr. 13. Reſolut. 39.* Rodriquez. *to. 1. quaſt. 3. art. 6.*

Dico 2dò. *Poſſunt Prælati cum Religioſis ſibi ſubditis diſpenſare in irregularitatibus ex defectu animæ aut corporis provenientibus, ita ut eo ceſſante ad ſacros Ordines promoveri, aut in ſuſceptis licitè miniſtrare valeant.* 19

Et quidem, quòd poſſint ita diſpenſare in irregularitate ex defectu animæ proveniente, id eſt, cum amentibus, furioſis, lunaticis, morbo caduco laborantibus, arreptitiis ſeu obſeſſis à dœmone, aut aliàs plena ratione deſtitutis, ſiquidem plenè atque integrè convaluerint, & ab ejuſmodi defectu totaliter liberati videantur, docent Pellizarius *tr. 7. cap. 5. ſect. 2. n. 41.* Bonacina *Diſp. 7. quaſt. 2. punct. 1. n. 1.* Avila *p. 7. D. 3. dub. 4.* Cornej. *Diſp. 13. dub. un. quaſt. 3.* Suarez. *Diſp. 51. ſect. 1. n. 4.* Palao *Diſp. 6. punct. 10. n. 4.* Chaſſaing *tr. 4. cap. 1. Propoſ. 4. ℣.* ſequitur 2. Diana *tr. 2. de irregular. Reſol. 74.* Rodriquez *quaſt. 24. art. 7.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 9. punct. 7.* & alii communiter. Qua in re tamen conſulendi ſunt Medicinæ Doctores ac Chirurgiæ pe-

periti, eorúmque ſtandum judicio; tempus autem quod datur ad explorandum, an quis ex hujusmodi morbis convaluerit, eſt ſpatium unius anni arg. *Canonis. Communiter. 3. diſtinct. 33.* Quamdiu verò durant ejusmodi defectus irregularitatem inducentes, nunquam in ea licet diſpenſare; nequidem S. Pontifici, cùm id repugnet Juri naturali ac divino, & plerumque cum exercitio SS. Ordinum ſit incompatibile, ut ſummam taceam indecentiam, quæ inde oriri poſſet.

20 Similiter poſſunt Prælati diſpenſare in irregularitate ex defectu corporis proveniente, modò tamen defectus non ſit eſſentialis ac tantùs, ut neque S. Pontifex in eo ſoleat diſpenſare, cùm Papa non cenſeatur majorem contuliſſe Prælatis poteſtatem, quàm quâ ipſe communiter ſolet uti; tales autem defectus patientes in duplici præcipuè ſunt differentia, nempe debilitati ac deformes. Ad debilitatos ſpectant, qui licèt membra omnia & integra habeant, eorum tamen unum ſaltem inutile ac inſufficiens habent ad functiones & miniſterium, ad quod præſtandum à natura eſt ordinatum, ùt eſt lingua valdè ligata aut volubilis, manus vel pes aridus, oculus cæcus, aures ſurdæ, crus valdè contractum: item laborantes morbo gravi moraliter incurabili, ùt leproſi: aut qui cùm peccato mortali ſibi ipſis vim intulerunt, abſcindendo ſibi etiam partem membri tantùm v. g. digitum: vel qui ſeipſos caſtitatis amore vel vocis conſervandæ ſtudio, aut alio fine caſtraverunt, aut caſtrari fecerunt ſeu ſponte permiſerunt. Ad deformes referendi ſunt, qui vel notabilem habent maculam in vultu v. g. fœdam cicatricem, aut oculos valdè diſtortos, ut horrorem ingenerent aſpicientibus: vel in alia corporis parte defectum patiuntur, ex quo alii commoventur ad riſum, ùt qui naribus vel auriculis truncati ſunt, niſi harum defectum tegere poſſint aſcititio crine: habentes ſtrumam, vel gibbum magnum, caput monſtroſè magnum vel parvum: unum brachium notabiliter brevius altero, turpiter claudicantes, pigmæi, hermaphroditi, etiamſi ſexus virilis prævaleat: de quibus omnibus plura videri poſſunt Canoniſtæ ad titulum de corpore vitiatis. Atque in his omnibus defectibus, quibus inducitur irregularitas, diſpenſare poſſe Prælatos Regulares cum ſuis ſubditis Religioſis, ſi non ſint eſſentiales, nec tales, qui uſum SS. Ordinum impediunt, tenent Authores plerique hac de re ſcribentes, præſertim ſi ſuſceptis Ordinibus ſuperveniant, ùt Palao *Diſp. 6. punct. 12. n. 7.* Layman *L. 1. tr. 5. p. 5. cap. 7.* Diana *part. 4. tr. 2. Reſol. 73.* Antonius à Spiritu S. *tr. 2. ſect. 2. n. 60.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 7. punct. 4. n. 59.* & *cap. 9. punct. 6. n. 75.* & ratio eſt, quia SS. Pontifices Prælatis Regularibus concedentes poteſta-

ſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ad ſummum excipiunt bigamiam, homicidium ac mutilationem voluntariam, & conſequenter cæterarum diſpenſationem hoc ipſo conceſſiſſe cenſentur; exceptio enim unius eſt incluſio alterius, firmatque regulam in contrarium; in dubio autem, an defectus corporis vel animæ ſit eſſentialis aut multùm notabilis ac tantus, ùt ſuſceptionem Ordinis aut ejus ſuſcepti uſum impediat, dijudicare ac arbitrari multò magis ſpectabit ad Prælatum; quia illius eſt judicare, cujus eſt diſpenſare: ſed Prælati poſſunt, ùt diximus, diſpenſare in irregularitatibus ex defectu corporis & animæ provenientibus: ergo etiam judicare. Addo inſuper, Prælatos minorem ob cauſam diſpenſare poſſe, ut hujusmodi defectibus laborantes celebrare poſſint privatim nemine, niſi conſciis, præſente; tunc enim ceſſat ſcandalum, indecentia atque irreverentia: ùt cum eo, qui eſt oculis multùm deformis, claudus aut alterutro pede captus, ita ut abſque lignei pedis vel fulcri adminiculo ad Altare accedere non poſſit: digitis truncatus, quorum tamen nullus eſt vel pollex, vel index tremulas manus habens ob chyragram, paralyſin, aut aliud ſimile impedimentum, modo abſit periculum effundendi Sanguinem ſacrum: podagricus, qui diu ſtare non poteſt ad Altare ſine fulcro, in quibus aliisque ejusmodi caſibus haud gravatè concedunt tum Theologi tum Canoniſtæ, poſſe Prælatos diſpenſare habentes ad hoc privilegia.

Dico 3tiò. *Non poſſunt tamen Prælati Regulares diſpenſare cum ſubditis ſibi Religioſis in irregularitate proveniente ex defectu ætatis ad ſacros Ordines per Concilium Tridentinum requiſitæ.* 21

Ita deſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 12.* ubi poſtquam deſignâſſet ætatem ad quemvis S. Ordinem requiſitam, nempe ad Subdiaconatum 22dum ad Diaconatum 23tium, & ad Presbyteratum 25tum annum inchoatum, ſubjungit: Regulares quoque nec in minori ætate ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitùs excluſis: nec conſtat ullum poſt hoc Decretum fuiſſe alicui Ordini Religioſo collatum, quo poſſint Regulares abſque diſpenſatione S. Pontificis in minori ætate ordinari, licet antea plura fuerint conceſſa diverſis Ordinibus privilegia, ut poſſint 23tio ætatis anno S. Presbyteratûs Ordinem recipere ex ſola diſpenſatione Prælatorum ſuorum; id enim conceſſit Sixtus IV. Carmelitis in Bulla: *Sedis Apoſtolicæ. Anno 1483.* Innocentius VIII. Eremitis S. Auguſtini in Bulla: *Tuis ſupplicationibus. Anno 1486.* quod etiam dictus Innocentius conceſſit

pro

pro toto Ordine Minorum per vivæ vocis oraculum; ùt refert Auguſtinus à Virgine Maria *V. Ordinatio Clericorum.* Alexander VI. Benedictinis in Bulla: *exponi nobis. Anno 1495.* ùt habetur in Bullario Caſſinenſi. Julius II. Minimis in Bulla: *Dudum ad Sacrum 28. Julii. Anno 1506.* apud Peyrinis. Leo X. Camaldulenſibus in Bulla: *exponi nobis. 27. April. Anno 1514.* idemque Leo Ciſtercienſibus in Bulla: *ſacra Religionis. 17. Nov. Anno 1514.* apud Pittonum: quæ tamen omnia privilegia, utpote Concilio Tridentino anteriora, per dictum illius Decretum fuerunt revocata: cùm ergo clarè conſtet de revocatione, nihil autem de nova conceſſione, tenendum eſt, non poſſe amplius Prælatos Regulares in hac irregularitate diſpenſare. Verùm inquiunt aliqui cum Sorbo: Pium V. conceſſiſſe Minoribus vivæ vocis oraculo, ut in conſcientia poſſint uti omnibus privilegiis illorum Ordini à ſuis Prædeceſſoribus, etiam expreſſè revocatis à Tridentino. Sed contra eſt, quòd hoc vivæ vocis oraculum ſemper viſum fuerit valde dubium, atque adeò inter ea, quæ à Gregorio XV. & Urbano VIII. revocata fuerunt, referendum ſit; deinde licèt etiam valeret hoc vivæ vocis oraculum, vix tamen in hac materia locum habere poſſet; cùm enim Prælati debeant ſubditos ſibi Religioſos cum litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus ad Epiſcopos mittere, in quibus fidem faciant, ipſos habere requiſitam à Tridentino ætatem; aliàs enim non ordinarentur: jam verò vel iſtud atteſtantur, vel non? ſi primum, non poſſunt absque falſitate in re gravi concedere tales licentias illis, quos ſciunt non habere ætatem à Tridentino requiſitam. Si 2dum cùm hoc ſit pro foro exteriori, jam prodeſſent hæc privilegia non ſolùm in conſcientia, ſed etiam in foro externo, quod tamen negant omnes, & repugnat dicto vivæ vocis oraculo, ùt poſt alios à ſe citatos benè diſcurrit Andreas à Matre Dei *tr. 8. cap. 5. punct. 1. n. 37.*

Ex quibus ſequitur, Regulares ante legitimam ætatem ſcienter ordinatos incurrere duplicem ſuſpenſionem, unam, qua ſuſpenduntur ab exercitio SS. Ordinum uſque dum legitimam attigerint ætatem, qua tamen adveniente per ſeipſam ceſſat: alteram ex delicto, quo ſcienter fuerunt auſi S. Ordinem ſuſcipere ante legitimam ætatem; quæ ſuſpenſio juxta communem Doctorum perpetua eſt, à qua tamen Prælatos Canonicorum aliorumqueRegularium abſolvere poſſe diximus Diſp. præced. *Sect. 3. Concl. 3.* Præſumentes autem durante ſuſpenſione tali in SS. Ordinibus miniſtrare, eo ipſo incurrunt irregularitatem, ùt conſtat ex Conſtitutione Pii II. quæ incipit: *Cùm ex SS. Ordinum. 15. Calend. Decemb. Anno 1461.* edita, quam Pianam Conſtitutionem tam Regulares quàm ſæculares comprehendere declaravit & voluit Sixtus 28

V.

V. in Bulla: *Sanctum & ſalutare. Non. Januar. Anno 1588.* In hac tamen irregularitate diſpenſare poſſe Prælatos Regulares docent Vivaldus *in candelabro aureo tit. 15. de Sacram. Ordin.* Portell. *in dub. Reg. V. Ordines. n. 14. & in Reſp. caſ. 40. n. 4. & ſeqq.* Peyrinis. *to. 1. privil. ad Conſtit. 1. Julii II. §. 16. n. 31. & 34.* Peregrinus *in compend. V. diſpenſatio. §. 12.* Hieronym. Rodriq. *inCompend. Reſol. 106.* Barboſa *ad cap. 12. ſeſs. 23. Con. Trident. de reform. n. 14.* Diana. *part. 3. de dub. regul. tr. 2. Reſol. 85.* Bordonus *de diſpenſ. irregul. Reſol. 11. quæſt. 5.* Lezana *part. 1. ſumm. cap. 14. n. 21.* Donatus *to. 2. tr. 11. quæſt 17.* & plures alii ab his citati. Ratio eſt, tum quia in hac irregularitate diſpenſare poſſunt Epiſcopi cum Clericis ſuis vigore Concilii Tridentini *cap. liceat 6. ſeſſ. 24. de reform.*; ſed Prælati Regulares poſſunt cum ſuis Religioſis diſpenſare in omnibus irregularitatibus vi Conſtitutionis Pii V. quæ incipit: *Romani 21. Junii Anno 1571.* in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis Clericis: ergo poſſunt tiam Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis Religioſis in dicta irregularitate: tum quia Prælati vi ſuorum privilegiorum poſſunt diſpenſare in omni irregularitate, quæ non eſt excepta aut reſervata: ſed hæc irregularitas nullibi eſt excepta aut reſervata; ergo in ea poſſunt diſpenſare.

23 Neque dicas: quod ejusmodi privilegia omnia ſint revocata per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 12. de reform.* Nam Concilium ibi ſolùm revocat privilegia, ne ordinentur Regulares ante ætatem aſſignatam, non autem revocat privilegia, quæ aliàs habuerant diſpenſandi in irregularitatibus contractis, ùt conſtat ex verbis adducti cap. 12., ibi: *privilegiis quibuscunque quoad hoc penitùs excluſis*, ubi expendas velim vocula illa: *quoad hoc*, id eſt, quoad Ordines ſuſcipiendos ante aſſignatam ætatem: ergo non loquitur de privilegiis Regularium ad diſpenſandum in irregularitate contracta, prout benè cum aliis advertit Portellus l. c. neque aliud oſtendi poteſt decretum Concilii Tridentini, quod ullibi hujusmodi Regularium privilegiis adverſetur. Neque reponas: tametſi Tridentinum ea privilegia non revocaverit, revocavit tamen ea Sixtus V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Sanctum & ſalutare. Non. Januar. Anno 1588.* data, in qua poſtquam cenſuras ac pœnas in malè promotos ſtatutas recenſuiſſet; ait, ac prohibet, ne à quoquam ſæculari vel cujusvis Ordinis regulari Presbytero vel Prælato quavis auctoritate fungente, vigore aut prætextu facultatum aut privilegiorum, etiam Mare magnum aut aliàs quomodolibet nuncupatorum, quibusvis Ordinibus, Congregationibus, aut perſonis Regularibus, aut Epiſcopis per decreta Concilii Tridentini vel aliàs quomodolibet conceſſorum, perſonæ, ſicut præfertur delinquentes tam

ſcili-

ſcilicèt Antiſtites ſeu Abbates promoventes, quam Clerici malè inſigniti ſeu ordinati, à reatibus & exceſſibus præfatis abſolvi poſſint: nec cum iis ſuper irregularitate propter præmiſſa contractâ, etiamſi crimen penitùs occultum fuerit, quovis modo valeant diſpenſari: ſed eorum omnium abſolutionem & diſpenſationem Nobis & ſucceſſoribus noſtris perpetuò reſervamus; quibus ex verbis manifeſtum fit, poteſtatem abſolvendi à cenſuris in prædictis caſibus, & diſpenſandi in irregularitate Prælatis per diverſos Pontifices Romanos, atque etiam per Concilium Tridentinum conceſſam, illis iterum à Sixto V. fuiſſe ademptam ac revocatam. Sed contra eſt 1. quòd poſt Sixtum V. plures SS. Pontifices & in ſpecie Clemens VIII. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. confirmaverint Regularium privilegia cum ſola clauſula: *dummodo decretis Concilii Tridentini non adverſentur*, ſimulque uſi ſint illis verbis: *innovamus motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ*, per quas clauſulas revalidari privilegia etiam ab Anteceſſoribus Pontificibus antea revocata, diximus in ſect. de clauſulis. Contra eſt 2dò ac præcipuè, quòd Clemens VIII. in Bulla: *RomanumPontificem. prid. Cal. Martii. Anno 1595.* edita hanc ipſam Sixti V. Conſtitutionem quoad hoc poſtea revocaverit, & ad terminos SS. Canonum ac Conſtitutionis Pii II. *Cùm ex ſacrorum*, & ad diſpoſitionem Decretorum Concilii Tridentini reduxerit: nec non cenſuras & pœnas in eiſdem Sixti litteris contentas aboluerit: ac conſequenter in antiquum ſtatum, quo res hæc fuerat ante dictam Sixti Conſtitutionem reſtituerit: ſed ante hanc poterant Prælati Regulares abſolvere & diſpenſare, ùt nemo dubitavit: ergo etiam poſt factam illius moderationem: ſicut poſt eam Epiſcopi quoque receperunt facultatem abſolvendi & diſpenſandi ſuos Clericos, quam illis quoad malè promotos abſtulerat Sixtus V. in præfata illa Conſtitutione ſua.

Dico 4tò. *Poſſunt Prælati Canonicorum aliorumque Regularium cum ſubditis ſibi Religioſis diſpenſare in irregularitate proveniente ex defectu Sacramenti, ſive ex bigamia non tantùm ſimilitudinaria, ſed etiam vera ac interpretativa.* 24

Pro meliori concluſionis intelligentia ſciendum, bigamum tunc dici, quando quis plura matrimonia contraxit ſive verè, ſive interpretativè, ſive ſimilitudinariè; unde triplex quoque datur bigamia, ſcilicet vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. Bigamia vera contrahitur ab eo, qui ſucceſſivè matrimonium cum duabus verè & validè contra-

xit, & utrumque conſummavit; & ob hanc incurri irregularitatem conſtat ex *Can. Curandum 9. & ſeqq. diſtinct. 34.* & *cap. debitum 5. de bigamis.* hæc irregularitas ab Apoſtolis deſcendit, ut patet ex *1ma. ad Timoth.* ubi *℣. 2.* inquit Apoſtolus: *oportet Epiſcopum*, per quem juxta SS. Patres intelligitur & Presbyter, *eſſe unius uxoris virum.* & infra *℣. 12.* addit: *Diaconi*, & Clerici quicunque juxta Can. 16. *Apoſtolorum & Can. cognoſcamus. 14. diſt. 34. ſint unius uxoris viri*: dicitur autem hæc irregularitas ex defectu Sacramenti; quia imperfectam illius continet ſignificationem: nam qui duas contraxit uxores ſucceſſivè, non poteſt aptè ſignificare unionem Chriſti cum Eccleſia unica ſponſa. Dixi autem: *qui matrimonium cum duabus ſucceſſivè contraxit, & utrumque conſummavit*, quod utrumque ad veram bigamiam requiritur; & hinc, qui ſponſalia de futuro tantùm contraxit cum pluribus, etiam ſecuta copula fornicaria, bigamiam veram non contrahit: neque is, qui cum duabus quidem contraxit de præſenti; ſed cum una tantùm conſummavit matrimonium: nec etiam ille: qui duxit fœminam, quam ipſe ſolus & non alius priùs carnaliter cognovit, nam nec ipſe, nec fœmina talis diviſit carnem in plures. Bigamia interpretativa, licet vera non ſit, fictione tamen ac interpretatione Juris pro tali habetur: eaque quatuor modis contingere poteſt juxta S. Thomam *in addit. quæſt. 66. art. 1. in corp.* 1mò, quando quis duo matrimonia contrahit & conſummat, unum validum, & alterum invalidum. 2dò. quando quis duo contrahit matrimonia, utrumque irritum & invalidum. 3tiò. quando viduam vel corruptam ducit uxorem. 4tò. quando licèt virginem duxerit uxorem, hæc tamen poſt matrimonium adulteravit, ac poſt adulterium à viro cognoſcitur. Atque hos omnes de Jure fieri irregulares & incapaces ad SS. Ordines ſuſcipiendos, ac in ſuſceptis miniſtrandum habetur *ex cap. nuper. 4. & cap. ſeq. de bigam.* & *ex can. ſi cujus 11. & ſeq. diſt. 34.* Bigamia ſimilitudinaria dicitur, quando quis antecedenter nunquam conjugatus poſt profeſſionem religioſam vel ſuſceptos SS. Ordines tentat contrahere matrimonium cum una eaque virgine ac maritali affectu conſummat, quod etſi à parte rei ſit irritum atque nullum, ob affectum tamen intentionis opere ſecuto inducit irregularitatem *ex Can. quotquot. 24. cauſ. 27. q. 1. cap. ſanè 4. de Cleric. Conjugat. & cap. 2. qui Clerici vel vovent.* Dicitur autem bigamia ſimilitudinaria ob ſimilitudinem, quam conjugium ſpirituale, quod contrahit voto ſolemni caſtitatis ligatus cum Deo vel Eccleſia, habet cum matrimonio carnali: qui igitur poſt ſpirituale conjugium contrahere attentat carnale, quaſi impropriè ac ſimilitudinariè bigamus efficitur. His præmiſſis

Certum eſſe videtur, quòd poſ- 25
ſint Prælati Regulares cum ſubditis

ſibi

ſibi Religioſis diſpenſare in irregularitate proveniente ex bigamia ſimilitudinaria, non tantùm ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, ſed etiam ut eosdem ſuſcipere poſſint, prout multis citatis docent Laurent. de Peyrinis *de privil. to. 1. ad Conſtit. 2. Julii II. §. 29. n. 120. in fin.* Lezana *to. 1. ſumm. quæſt. regular. part. 1. cap. 18. & to. 3. ſuper Mare magn. Prædicat. §. 42. n. 129.* Sigismund. à Bononia *de elect. Prælat. dub. 71.* Bordonus *Reſol. 13. n. 17.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. Allegat. 49. n. 31.* Suarez *de Relig. to. 4. tr. 8. L. 2. cap. 22. n. 11.* Petrus de Murga pluribus locis præſertim *in Diſquiſit. moral. to. 1. tr. 1. diſquiſ. 3. n. 16.* & *de privil. ad Conſtit. 2. Alexandr. IV. ſect. 8. n. 359.* & *in quæſt. Paſtoral. de Jure Parochi Eccleſiarum unitat. part. 3. quæſt. 13. n. 7.* & *de Jure Prioris annexi. n. 95. & n. 113. ac n. 133. & alii communiter.* Nec obeſt, quòd SS. Pontifices concedendo Prælatis facultatem diſpenſandi in irregularitatibus, plerumque excipiant illam, quæ provenit ex bigamia: & conſequenter etiam illam, quæ dicitur ſimilitudinaria; ſed contra eſt, quia bigamia ſimilitudinaria non eſt propriè bigamia, ſed impropriè tantùm ac ſimilitudinariè: quando autem SS. Pontifices excipiunt irregularitatem ex bigamia contractam, intelligendi ſunt de bigamia propriè tali, ſcilicet de vera ac interpretativa, non verò de ſimilitudinaria, quæ propriè non eſt bigamia; & ratio eſt, quia quando in privilegio & poteſtate diſpenſandi in irregularitatibus facta Prælatis fit aliqua exceptio, ea ſtrictè interpretanda eſt, cùm ſit odioſa, nec ultra verborum tenorem ac proprietatem extendenda: cùm igitur excipitur bigamia, intelligi debet de vera ac interpretativa, non verò de ſimilitudinaria, utpote in qua etiam diſpenſare poſſunt Epiſcopi, ùt docent Baſſæus *V. bigamia. n. 12.* Sayrus *L. 6. cap. 6. n. 14.* Diana *part. 4. tr. 2. Reſol. 62. & 63.* Barboſa *Allegat. 49. n. 26.* cum pluribus aliis & habetur in *cap. de Diacono. 1. Qui Clerici vel vovent.* ubi Gloſs. *V. diſpenſativè.* ſic ait: & ita Epiſcopi poſſunt etiam diſpenſare cum Clericis conſtitutis in SS. Ordinibus, ſi contrahant de facto. Major difficultas eſt, quoad irregularitatem ex bigamia vera & interpretativa contractam: an in ea diſpenſare poſſint Prælati Regulares? in qua tamen iterum mihi admodùm probabile videtur, poſſe illos cum ſubditis ſuis diſpenſare in irregularitate ex bigamia interpretativa ex delicto occulto proveniente; nam in ea diſpenſare quoque poſſe Epiſcopos vi Tridentini *ſeſſ. 24 cap. 6.* pluribus citatis defendit Barboſa *J. E. U. L. 1. cap. 11. n. 156.* Avila *de cenſur. part. 7. Diſp. 3. dub. 7.* Engl *ad tit. de Fil. Presb. n. 9.* & *de major. n. 50.* Schmier *de poteſt. Ordin. cap. 6. n. 86.* & per ea quæ dicit *n. 196. & 470.* Pichler *ad Tit. de bigamis n. 5. ad fin.* aliiſque quorum ſententiam valde probabilem vocat Andreas à Matre Dei *cap. 9. punct. 4. n. 53* ſed Prælati Regulares poſſunt eodem modo vi-

gore Bullæ Pii V. quæ incipit: *Romani Pontificis. 21. Junii Anno 1571.* diſpenſare cum Religioſis ſibi ſubditis, quo poſſunt Epiſcopi cum Clericis ſuis: ergò poſſunt etiam Prælati Regulares cum ſuis Religioſis diſpenſare in irregularitate ex bigamia interpretativa ex delicto occulto proveniente. Tota igitur controverſia ad hoc recidit: an poſſint Prælati cum ſubditis ſuis diſpenſare in irregularitate ex bigamia vera & interpretativa ex ſolo defectu & abſque delicto proveniente? in qua

26 Reſpondendum videtur affirmativè; licèt enim plerique SS. Pontifices in concedendo Canonicis aliiſque Regularibus privilegio diſpenſandi in irregularitatibus, communiter excipiant bigamiam, non deſunt tamen alii SS. Pontifices, qui hanc facultatem conceſſerunt abſque dictæ bigamiæ exceptione; ſic enim Cœleſtinus V. in Bulla: *Etſi cunctos. 5. Cal. Octobr. Anno 1294.* conceſſit Abbatibus Cœleſtinorum poteſtatem diſpenſandi cum Monachis ſuis ſuper irregularitatibus quibuscunque, dummodò ex homicidii vel mutilationis cauſa non fuerint contractæ, ùt refert Auguſtinus à Virgine Maria *n. 3. V. diſpenſatio.* quam Eugenius IV. in Bulla: *Ad decorem. Anno 1434.* eidem ex certa ſcientia confirmavit non obſtantibus non uſu, præſcriptione, Conſtitutionibus in contrarium. Sic pariter idipſum indulſit Sixtus IV. Carthuſienſibus in Bulla: *Ad uberes fructus.* data Romæ apud S. Petrum *Anno 1482. 17. April. Pontif. 11.* idque privilegium ſe inveniſſe relatum in ſtatutis Ordinis Carthuſienſis *p. 2. cap. 7. n. 18.* teſtatur Auguſtinus à Virgine Maria *l. c. n. 13.* ſic etiam Leo X. conceſſit Abbatibus Camaldulenſibus in Bulla: *Exponi nobis. 27. April. Anno 1514.* ut cùm Monachi dictæ Congregationis aliquam irregularitatem ex quavis cauſa (præterquam ratione homicidii) contraxerint, cum eis ſuper hujusmodi irregularitatibus valeant diſpenſare, ùt habetur apud Pittonum. Pius V. in Bulla: *Dum ad Congregationem. 13. Junii Anno 1571.* permiſit Abbatibus & Prælatis Caſſinenſibus abſque ulla limitatione vel exceptione, ut in omni irregularitate quavis occaſione aut cauſa contracta, etiamſi homicidium voluntarium ſeu membri mutilatio ſubſecutum fuerit, poſſint abſolvere & diſpenſare, ùt eſt apud Murgam *in Disquiſ. moral. to. 2. Diſquiſ. 1. n. 76.* Gregorius XIII. quoque Anno 1573. confirmat Miniſtro Generali Fratrum Minorum de Obſervantia poteſtatem jam à Pio V. conceſſam cum Fratribus ſuæ curæ commiſſis diſpenſandi in omni irregularitate, præterquam in illa, quæ incurritur ex homicidio voluntario; quod licèt ſit oraculum vivæ vocis, quia tamen factum eſt cum atteſtatione Cardinal. Urbin. ejuſdem Ordinis Protectoris ex auctoritate ſibi per Papam attributa, hinc etiamnum

va-

valet nec cenſetur revocatum juxta dicta de vivæ vocis oraculis. Similiter Paulus III. in Bulla: *Dilecti filii. 12. Martii Anno 1545.* conceſſit Abbatibus, Prioribus, ac Præſidentibus Ordinis ac Congregationis S. Benedicti Valliſoleti plenam ac liberam facultatem, ut cum omnibus ejusdem Congregationis perſonis ſuper quibusvis irregularitatibus per eas pro tempore ex quavis occaſione vel cauſa contractis diſpenſare valeant. Ex quibus aliisque ſimilibus privilegiis, quibus aut ſolo excepto homicidio nulla facta mentione bigamiæ, aut omninò nulla facta exceptione abſolutè & univerſaliter conceditur Prælatis facultas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex quavis cauſa vel quavis occaſione contractis, evidenter conſtare videtur, poſſe Prælatos Regulares vi horum privilegiorum diſpenſare in irregularitate etiam ex bigamia vera & interpretativa absque delicto ſed ex ſolo defectu provenientes; cùm SS. Pontifices neque excipiant bigamiam, neque limitent conceſſionem factam, ſed abſolutè & in communi dicant: quavis ex cauſa vel occaſione contracta: cùmque conceſſio ſit tam ampla & generalis, & Papa id poſſit concedere, nec ab ullo Succeſſore revocatum inveniamus, vix dubium eſſe videtur, quin illâ poſſint uti Prælati ſicut jacet ſine limitatione; quia cùm lex vel Princeps non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, præſertim cùm multa privilegia ſolùm excipiant homicidium, nulla facta mentione bigamiæ: exceptio autem unius eſt incluſio alterius, firmátque Regulam in contrarium; atque ita ſentiunt Hieronym. Rodriquez *in Compend. Quæſt. Regul. Reſol. 16.* Baſſæus *to. 1. V. Abbas. §. 3.* Sorbo *in Compend. priv. l. V. diſpenſatio.* Bordonus *Reſolut. 11. quæſt. 6.* Lezana *V. irregularitas. n. 72.* Portellus *in Addit. ad dub. Regul. V. Diſpenſare. n 5.* Cyprianus *ad cap. 7. Regul. S. Franc. Lect. 12.* Henriquez *L. 12. cap. 6. n. 11.* Avila *de Cenſur. part. 7. Diſp. 8. dub. 4. concl. 8.* Diana *part. 3. tr. 2. de dub. Regul. Reſol. 45.* plures referens. Bruno Chaſſaing *de privil. Regul. tr. 4. cap. 1. Propoſ. 6.* Tamburinus *de Jure Abbat. to. 3. Diſp. 4. quæſt. 12. n. 10. & 11.* Machado. *L. 5. p. 3. tr. 2. docum. 6.* Leander *tr. 2. Diſp. 6. quæſt. 39.* Palao *Diſp. 6. punct. 8. n. 21.* Pellizarius *tr. 19. cap. 3. ſect. 4. n. 122. & 125.* Petrus de Murga *ad Conſtit. 2. Alexandri IV. ſect. 18. n. 359.* Antonius à Spiritu S. *in Direct. Regul. tr. 2. Diſp. 1. ſect. 2. n. 68. & 92.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 9. punct. 3. n. 42.* Iſo Pfaw. *V. Diſpenſatio Irregularitatum §. 4. V. tertio.* Gesvaldus *p. 2. Theol. moral. tr. 24. c. 1. n. 23.* Caſpenſis *tr. 25. de Cenſur. circa fin.* & alii ab his citati.

Verùm dices; in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis 27
veriſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus, ſecundùm Regulam *Juris*

21. *in 6.* nec reſervata Principi: ſed in ſpecie facultas diſpenſandi generaliter in irregularitatibus, non extenditur ad bigamiam, ùt cum Navarro *tit. de homicid. Conſil. 38.* Vivaldo in Candel. aur. *de irregular. n. 312.* Rodriquez *to. 1. quæſt. Regul. qu. 24. art. 15.* & *to. 2. qu. 8. art. 14.* tradunt Authores communiter; nam irregularitas ex bigamia cùm ſit ſpeciali notâ digna, non comprehenditur in conceſſione generali, niſi ſpecialiter exprimatur: ergò licèt in relatis privilegiis non excipiatur irregularitas ex bigamia, haud tamen cenſeri debet comprehenſa, aut non excepta. ℟. 1. plura ex dictis privilegiis excipere expreſsè homicidium tantùm voluntarium, nulla facta mentione bigamiæ: conſequenter ejusdem diſpenſationem, uti aliarum quoque irregularitatum voluerunt eſſe conceſſam; aliàs enim eam etiam excepiſſent SS. Pontifices, quod cùm non fecerint, eam noluerunt exceptã. ℟. 2dò. allegatas in majori regulas intelligendas eſſe, quando conceſſio habet tantùm verba univerſalia ſine expreſſione dictionis univerſalis, quæ ampliet diſpoſitionem, qualis tamen appoſita eſt à Paulo III. & à Pio V. aliisque SS. Pontificibus, ſcilicet quavis ex cauſa & conditione contractis, quæ utique talis virtutis eſt, ut illius virtute quamcunque irregularitatem comprehendat, Paſſeratio authore *V. Quilibet, Quivis*, qui pro eodem utrumque verbum uſurpat; quam in rem quoque videri ac legi meretur Barboſa *in Tractatu de Dictionibus, Dict. 320.* ubi in dict. *Quilibet* plura pro nobis congerit: ac primò quidem, quòd omnia comprehendat. Gloſſa *in L. cùm quid. ff. ſi certum petatur. V. quaslibet. in Leg. omnes Cod. de quadrienii præſcript.* & *in Clement. I. V. quavis alia. de re Judicata.* & certè dicta Gloſſa *in Clement. I. eodem tit.* in illa textus verba: *ii qui beneficiali, vel alia quavis cauſa*, ſic ait: *Quavis* includit ſpirituales, criminales, civiles, & mixtas, omnes utique cauſas. 2dò. dicit Barboſa l. c. quòd operetur idem, quod dictio *omnis*: hæc autem dictio, ùt rurſus ait Barboſa *dict. 241.* inter alia importat, ut comprehendat etiam ea, quæ aliàs non comprehenderentur, & quòd nihil excludat. 3tiò dicit operari idem, acſi eſſent factæ plures diſpoſitiones & dinumerationes, ac proinde Paulus III. & Pius V. aliique Pontifices in clauſula: *quavis occaſione vel cauſa contractis* omnium irregularitatum diſpenſationem includunt, illarum etiam, quæ aliàs non includerentur, nullámque excludunt. Porrò quæ hactenus de bigamis dicta ſunt, etiam locum habent in trigamis, quadrigamis &c. ſufficitque in petenda diſpenſatione exprimere, ſe duo matrimonia contraxiſſe, quamvis tria vel plura contraxerit; quia æquè irregularis eſt, qui bigamus eſt, ac qui trigamus, aut quatuor vel adhuc plures uxores habuit. Cæterùm etſi Prælati Regulares facultatem habeant

beant

beant diſpenſandi in bigamia, eâ tamen in praxi ſine gravi aut graviſſima cauſa utendum non eſt, cùm & ipſe Pontifex difficulter admodùm in ea, & nonniſi urgentibus de cauſis diſpenſare ſoleat.

28 Dico 5tò. *Poſſunt Canonicorum aliorúmque Regularium Prælati etiam diſpenſare cum ſubditis ſibi Religioſis in irregularitate ex defectu lenitatis proveniente ratione occiſionis vel mutilationis hominis in judicio legitimo, vel bello juſto commiſſæ.*

Ita Bordonus *to. 1. Reſol. 13. n. 14.* Sayrus *de Cenſur. L. 7. cap. 13.* plures referens. Llamas. *part. 1. Method. cap. 12. §. 25.* Candidus *to. 2. Diſq. 24. art. 61. dub. 19.* Villalob. *to. 1. tr. 21. diff. 28. n. 10.* Rodriquez *to. 1. quæſt. 24. art. 13.* Miranda *to. 2. quæſt. 8. art. 8. in fin.* Chapeaville *de caſ. reſerv. part. 2. cap. 3. caſ. 3.* Lezana *in ſumm. quæſt. Regul. cap. 18. n. 43.* & *V. Bellum. n. 22.* Avila *de Cenſur. part. 7. Diſp. 6. ſect. 5. dub. 1. concl. 2.* Baſſæus *V. Abbas. §. 4.* Portel. *V. Prælatus. n. 38.* Diana *part. 4. tr. 2. de Irregular. Reſol. 69. 71. & 72.* Palao *Diſp. 6. punct. 14. §. 5.* Pellizarius *to. 2. tr. 19. cap. 3. ſect. 4. n. 143.* Antonius à Spiritu S. in Direct. Regular. *to. 2. Diſp. 1. ſect. 1. n. 70.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 9. punct. 2. n. 24.* Bonagratia *V. Irregularitas. n. 258. in fin.* & alii communiter, idque deſumitur ex plurimis SS. Pontificum privilegiis in ſpecie Prælatis Canonicorum Regularium conceſſis præſertim Eugenii IV. per ſimplicem ſignaturam *10. Calend. Auguſt. Anno 1439.* Sixti IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Calend. Septembr. Anno 1477.* Innocentii VIII. in Bulla: *Sacra Religionis boneſtas. 3. Idus April. Anno 1486.* Julii II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. Aprilis Anno 1512.* in quibus univerſalem eiſdem conceſſerunt poteſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus excepto homicidio voluntario: ſed qui habet univerſalem poteſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, habet poteſtatem diſpenſandi in ea, quæ provenit ex defectu lenitatis ratione occiſionis vel mutilationis in judicio legitimo vel bello juſto commiſſæ, eò quòd hujuſmodi occiſio propriè homicidium non dicatur; cùm homicidium propriè tale ſit illud, quod provenit ex delicto, ùt inquit D. Thomas *1. 2. q. 88. art. 6. ad 3.* accedit, quòd vox homicidium in moralibus ſignificet injuſtum, quale prohibetur in Decalogo per præceptum: *non occides*, tale verò non eſt; quod fit auctoritate divina ac publica: ergò poſſunt Prælati Regulares cum ſubditis ſibi Religioſis diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis proveniente ratione occiſionis aut mutilationis in judicio legitimo vel bello juſto commiſ-

ſæ

ſæ, cùm habeant poteſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus excepto homicidio voluntario, de quo tamen ſect. ſeq.

29 Dixi autem imò. *in Judicio legitimo*: nam ſi ſit illegitimum aut procedatur non ſervato Juris ordine, ſed excedendo, quæ ſunt à legibus præſcripta, reus occidatur aut mutiletur, jam non eſt irregularitas ex defectu lenitatis, ſed mutilationis & homicidii voluntarii, & conſequenter non ex defectu, ſed ex delicto. Ratio autem, quòd illi, qui ad occiſionem vel mutilationem hominis etiam juſtam in foro judiciali concurrunt, irregularitatem contrahant ex defectu lenitatis, eſt, quia cùm omnes Ordines ad S. Euchariſtiam ordinentur, ubi mitiſſimus agnus continetur, qui ſanguinem ſuum pro omnibus dedit, potiùs debent illi, qui ad illos aſpirant, eſſe parati ad effundendum proprium ſanguinem quàm alienum: quare alienum ſanguinem fundendo deficiunt à perfecta lenitate & manſuetudine, quam eorum miniſterium poſtulat: igitur meritò ab illo per irregularitatem arcentur, prout deſumitur ex *cap. Clericis 5. cap. ſententiam. 9. Ne Clerici vel Monachi. cap. Ex litteris 10. de exceſſib. Prælator. cap. in Archiepiſcopatu. 4. de Raptorib.* & aliis Juribus. Hanc autem irregularitatem incurrunt tantùm illi, qui vel adminiſtrant, vel exequuntúr juſtitiam publicam; hi enim tantùm in Jure exprimuntur, neque ullum usquam Jus irregularitatem imponit, niſi miniſtris juſtitiæ & iis, qui concurrunt ad cauſæ probationem vel executionem pœnæ, ùt ſunt omnes Judices, Miniſtri, Procuratores, Executores, & Subexecutores juſtitiæ in cauſa ſanguinis, hoc eſt, mortis ſeu mutilationis, effectu ſecuto, etſi reum tantùm ducant, vel authoritativè comitentur. Item Aſſeſſores, Notarii teſtes, accuſatores, & denuntiatores in eadem cauſa ſanguinis, niſi proteſtentur coram Judice, ſe non intendere vindictam, ſed tantùm petere ſuum intereſſe, ut ſibi fiat digna ſatisfactio, aut imminentia damna evitentur, etiamſi quis de crimine morte digno accuſet reum coram Judice ſæculari, qui ex hac accuſatione ad ſanguinis ſententiam procedat, ùt Bonifacius VIII. ſtatuit *cap. Prælatis 2. de homicid. in 6.* cujus rationem ibidem reddit: alioquin ſi Prælati aut Clerici propter metum hujusmodi, quòd Judex ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur pleriſque materia trucidandi eosdem, & eorum bona liberè deprædandi. Ex hoc ipſo verò, quòd Pontifex accuſationem dicto modo ab irregularitate liberet, etiam aliæ actiones, quæ per ſe conjunctæ ſunt cum accuſatione, ùt ſunt cauſæ proſecutio, præſentatio teſtium &c. ab irregularitate excuſantur; atque hinc irregularis non fit Clericus, qui reum, quem accuſat, caperet, ligaret aut Judici

tra-

Digitized by Google

traderet, aut ab aliis capi, & Judici tradi ſollicitaret; quia talis captio non ordinatur ad criminalem executionem, ſed ad civilem reſtitutionem damni illati: & Pontifex Clericis concedens, ut poſſint ſibi condignam ſatisfactionem procurare, indulſit, ut hoc modis omnibus ad hoc licitè conducentibus fiat, ùt cum aliis à ſe citatis docet Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 9. punct. 1. n. 14.* ídque procedit, etiamſi quis hanc proteſtationem apponat non ex animo, ſed fictè ut evitetur irregularitas, imò etiamſi cum intentione intrinſeca, quòd reus occidatur; quia lex non præcipit, quòd ex animo ponatur, ſed quòd extrinſecè ponatur: ſiquidem apud Judicem idem operatur, quòd ſit ex animo, vel fictè appoſita, modò tamen extrinſecè verbis ſufficientibus apponatur. Neque refert, quòd talis proteſtatio fiat ante accuſationem vel poſt accuſationem, dummodo ante ſententiam Judicis apponatur; quia ad hoc ponitur, ut Judicem retrahat à ſententia ſanguinis. Si tamen eam omittat accuſator, fiet irregularis ſententiâ ſanguinis executâ, etiamſi hoc ex oblivione aut ignorantia contingat; quia oblivio vel ignorantia à culpa excuſat, non tamen ab hac irregularitate, quæ non ex culpa oritur, ſed ex defectu lenitatis, ùt iterum poſt alios docet dictus Andreas à Matre Dei *n. 15.* Licèt autem ob hanc proteſtationem communiter tantùm excuſetur accuſator, advocatum tamen etiam & teſtem ob eandem excuſari, ne fiant irregulares cum aliis docet Diana *part. 4. tr. 2. de irregular. Reſol. 32.* aſſerens etiam *Reſol. 31.* aliquos cenſere, teſtem non fieri irregularem (idem ſervata proportione dicendum de advocato) quando vel Jure teneretur ad dicendam veritatem, vel juſto Judicis vel ſuperioris præcepto ad ferendum teſtimonium, multóque magis, quando ad id gravi metu adigitur, etiamſi ex ſuo teſtimonio mors rei ſequeretur; cùm eo caſu non cenſeatur voluntariè ad mortem concurrere, neque credendum ſit, Eccleſiam hoc impedimentum appoſuiſſe illis, qui adimplent id, ad quod ex Jure naturæ obligantur vel ex ſuperioris præcepto. Neque dicas: Etſi Judex teneatur ſuſpendere latronem, tamen incurrere irregularitatem obediendo legi id ſibi præcipienti; ſed contra eſt, quòd talis mors ſit Judici voluntaria ſaltem in ſua cauſa, quatenus voluntariè acceptavit officium, cui annexa eſt talis obligatio, ex qua oritur defectus lenitatis, qui non invenitur in eo, qui coactus & obligatus, proindéque non purè voluntariè ad occiſionem hominis concurrit, ùt teſtis, qui cogitur ad dicendam veritatem, aut advocatus ad patrocinandum.

Ex quibus omnibus multorum caſuum reſolutionem deducit Diana *part. 3. tr. 35. Reſol. 99.* & *part.* 30

8. tr. 7. Reſol. 61. alibique, quibus irregularitas non incurritur ex defectu lenitatis, ut ſi quis ei, qui plectendus eſt capite, dicat, ut ſupponat caput ad ſuſcipiendum ictum, ideóque citiùs plectatur capite; neque ſi quis dicat carnifici, ut aliquid aptet, quo citiùs occidatur: neque ſi quis, dum reus ad ſupplicium ducitur, conſilium dat capiendi viam breviorem, quò citiùs illud ſubeat, aut ſollicitat accelerari executionem juſtitiæ, dicendo, horam eſſe brevem, aut populum nimis detineri. Item excuſatur Confeſſarius vel Theologus, qui interrogatus à Judice, an teneatur ad occidendum reum, reſponderet, eum teneri: vel qui diceret carnifici, nemo te impedit, ut tuo poſſis officio fungi. Excuſantur pariter ab irregularitate fabri lignarii furcam facientes, qui juvant reum, ut celeriùs per ſcalam aſcendat: qui carnifici funem vel gladium porrigunt occaſionaliter vel ſcalam applicant: qui detegit malefactorem, aut clamat adeſſe latronem, niſi hoc faciat ùt accuſator vel teſtis neceſſarius ad cauſæ cognitionem, vel ùt Miniſter juſtitiæ. Item denuntians hæreticum, licèt ſciat comburendum: Inquiſitor hæreticæ pravitatis tradens eundem brachio ſæculari morte puniendum: aut faciens opus, ad quod Jure divino aut naturali quis tenetur, ſicuti Confeſſarius, qui non vult abſolvere reum, niſi fateatur crimen: aut Judicem, niſi juſtitiam exequatur, ad quam tenetur ex officio. Similiter ſine periculo irregularitatis poſſunt miniſtrantes infirmis eos vertere ex latere ad aliud latus, vel transferre ab uno in aliud lectum, vel eis cibum vel potum porrigere, licèt ex his actionibus præter intentionem mors ſequatur, modò hæc omnia fiant cum cautela, quæ à prudentibus comuniter ſolet adhiberi, adeóque ſine culpa mortali. Unde longè magìs excuſantur Medici & Chirurgi ſecundùm artem ſuam medentes, cùm id faciant ex pietate, & ſic non deficiunt à perfecta ſignificatione manſuetudinis Chriſti. Si tamen Chirurgus vel Medicus eſſet Clericus in ſacris conſtitutus vel Religioſus, fieret irregularis, quia illis exercitium Chirurgiæ cum inciſione vel aduſtione prohibitum eſt *cap. ſententiam. 9. Ne Clerici vel Monachi.* & *cap. Tua nos. 19. de homicid.* ſic enim dat operam rei illicitæ ex ſe periculoſæ; & ratio horum omnium aliorúmque ſimilium caſuum eſt, quòd Jura, quæ hanc irregularitatem aſſignant, loquuntur expreſsè de Miniſtris juſtitiæ, vel de eis, qui ad cauſæ criminalis probationem concurrunt, ùt teſtis, accuſator, advocatus, Procurator &c. vel qui proximè ùt Miniſtri juſtitiæ illam exequuntur: ergò non ſunt extendenda ad illos, qui quomodolibet ad talis mortis executionem vel accelerationem concurrunt; cùm enim ſint odioſa, ad caſus non expreſſos non debent extendi.

Di-

31 Dixi 2dò. in concluſione: *in bello juſto*, in quo omnes & illi ſoli fiunt irregulares, qui propriis manibus aliquem occidunt vel mutilant, prout deſumitur ex *cap. Petitio tua. 24. de homicid.* & *Can. aliquantos 1. diſt. 51.* cæteri verò milites, qui pugnæ interſunt, ſi propriis manibus aliquem non occidant vel mutilent, non fiunt irregulares, ùt colligitur ex dicto *cap. Petitio tua.* & *Can. Si quis. 4. diſt. 51.* in quibus & aliis ſolùm aſſignatur irregularitas pro occidentibus propriis manibus. In quo apparet diverſitas inter eos, qui pugnant in bello juſto, & eos, qui in injuſto, quòd licèt in utroque bello cenſeantur omnes una cauſa moralis homicidii vel mutilationis à quolibet perpetratæ, eò quòd opere, vocibus & exhortatione ſe mutuò adjuvent, & ſic attenta rei natura, pari paſſu currant: aliud tamen conſtitutum eſt Jure poſitivo; nam SS. Pontifices attendentes ad hoc, ut non retraherentur milites à bello juſto, & ne tot homines abſque culpa ſubirent Canonicum hoc impedimentum, noluerunt pro pugnantibus in bello juſto irregularitatem imponere, niſi propriis manibus occidant vel mutilent: quod non indulſerunt pro pugnantibus in bello injuſto, cùm ibi ceſſet ratio indulgentiæ. Ita pluribus citatis Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 9. punct. 2.* qui exinde deducit, nec duces, nec milites, aut alios, etiam Clericos, aſſiſtentes, conſulentes, exhortantes milites, ut ſtrenuè ſe gerant in bello juſto ſive ante conflictum, vel in ipſo conflictu, incurrere irregularitatem, quamvis Clericis & Religioſis prohibitum omninò ſit in bello etiam juſto pugnare *Can. Clerici. 5. cauſ. 23. q. 8. cap. Multa. 1. Ne Cleric. vel Monachi.* & *cap. quòd in dubiis. 5. de pœnis.* quia nemini licet exercitium, quod ipſum incongruum reddit ad ſuum miniſterium: ſed pugna ad mortem ordinatur inimici, & hæc inducit irregularitatem, ratione cujus Clericus vel Religioſus ad ſuum miniſterium incongruus redditur: ergò non licet illis talis pugna.

(o)

Sectio III.

De poteſtate Prælatorum diſpenſandi cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitatibus ex delicto provenientibus.

32 Conſideratis irregularitatibus, quæ ex defectu proveniunt, & expenſa Prælatorum poteſtate in illis cum Religioſis ſuis diſpenſandi, reſtat modò, ut agamus de illis, quæ ex delicto oriuntur, quarum ſex præcipuè ſunt ſpecies, 1ma. ex homicidio & mutilatione ob defenſionem ſui cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ. 2da. ex homicidio & mutilatione caſuali. 3tia. ex homicidio voluntario ac injuſto. 4ta. ex iteratione Baptiſmi, vel indigna illius ſuſceptione. 5ta. ob violationem cenſurarum. 6ta. ob illegitimam Ordinum receptionem, illorúmque uſurpationem, de quibus omnibus hîc particulariter examinandum eſt, qualem poteſtatem habeant Prælati Regulares in illis diſpenſandi? Qua in re quidem certum eſt, & à Doctoribus receptum, eoſdem poſſe in illis diſpenſare ſicut poſſunt Epiſcopi, idque vigore privilegii à S. Pio V. conceſſi, quod incipit: *Romani Pontificis. 21. Junii Anno 1571.* in quo dictis Prælatis eandem conceſſit poteſtatem diſpenſandi in irregularitatibus cum Religioſis ſibi ſubditis, quam Tridentinum conceſſerat Epiſcopis cum ſuis ſubditis diſpenſandi: ſed Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6.* conceſſit Epiſcopis poteſtatem cum ſubditis ſuis diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis ad forum contentioſum deductis: ergò eandem habent Prælati Regulares. Verùm nos hîc in particulari inquirimus, an & qualiter iidem per ſpecialia privilegia diſpenſare poſſint in dictis irregularitatibus, unde ſingulas recenſitas ſpecies ſecundùm ordinem diſcutiemus: & hinc incipiendo à prima

Suppono 1. Licere cuivis injuſtum aggreſſorem occidere ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ùt cum S. Thoma *2. 2. qu. 64. art. 7.* docent Theologi ac JCti omnes arg. *L. ut vim. 3. ff. de J. & J.* ubi dicitur: quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, Jure feciſſe exiſtimatur; cui adſtipulantur *L. Sed & ſi. 5. ff. ad Leg. Aquil. L. Is qui 2. & ſeqq. Cod. ad Leg. Cornel. de Sicar. & Conſtitut. crimin. Caroli V. art. 140.* talis enim occiſio habet ſpeciem defenſionis, quæ à natura cuilibet permiſſa eſt; idque exigente Reipublicæ bono, quod procedit non tantùm 33

tùm ob defenſionem propriam, ſed etiam aliorum Innocentûm, ſi injuſtè fuerint aggreſſi, ſive deinde ſint propinqui, ùt parentes, uxor, liberi, aut alii ſanguine juncti, ſive etiam extranei innocentes nullo propinquitatis gradu connexi; tenemur enim proximum diligere ſicut nos ipſos, cùm igitur poſſimus nos ipſos injuſtè invaſos defendere, etiã poſſumus proximum innocentem. Dixi tamen: *ſervato moderamine inculpatæ tutelæ*: ad quod requiritur 1mò. ut qui aggreditur ſit injuſtus aggreſſor, qualis eſſe cenſetur, qui ferrum ſtringit, aut ſclopum expedit animo occidendi. 2dò. ut defenſio offenſioni ſit proportiona, ut hæc avertatur, prout habetur *cap. ut fama 35. de ſentent. excommun. in fin. L. Sed & ſi. 5. pr. ff. ad Leg. Aquil.* & *L. ſcientiam. 45. §. Qui cùm aliter. 4. ff. eodem.* hinc quando vis illata averti poteſt ac vinci pugno, aut baculo, vel aggreſſorem exarmando, fugando, humi proſternendo &c. occidi nequit. 3tiò. ut defenſio fiat actualiter, ſive in continenti, hoc eſt, in ipſa invaſione. *cap. Si verò. 3.* ibi: Si in continenti vim vi repellat. *de ſentent. excommunic.* ſi enim hoc fiat ex intervallo, & ubi aggreſſor jam non vult, aut non poteſt vim inferre, non tam defenſio quàm vindicta foret, taliter occidere. Ex quibus ſequitur, ita occidentem cum moderamine inculpatæ tutelæ injuſtum aggreſſorem nullam nec in foro civili, nec in foro Canonico incurrere pœnam, ùt patet *ex Clement. un. de homicid.* & *L. Is qui. 2. & ſeq. Cod. ad Leg. Cornel. de Sicar.* & *Conſtit. Carol. V. crimin. art. 139. & 140.* atque adeò neque irregularitatem, ùt iterum patet ex dicta *Clement. un. de homicid.* & cum S. Thoma *2. 2. qu. 64. art. 7. in Corp.* docent Theologi & JCti. communiſſimè; nam tale homicidium non tam voluntarium, quàm neceſſarium cenſetur à Jure, cùm occidens non ſponte ſed coactè eligat mortem alterius, ut ſuam vitam tueatur, in quo minimè peccat; tenetur enim Jure naturæ ſuam conſervare vitam, & ſic vim vi repellere ſibi licet: idque procedit etiam, quamvis cum interno odio & appetitu vindictæ quis invaſorem occidat; nam quamvis in hoc peccet, cùm propria auctoritate ſe vindicare ſit prohibitum, quia tamen actus internus ſine actu externo non ſufficit ad incurrendam irregularitatem, ſi reverà quis occidat ad defendendam ſuam aut alterius innocentis vitam; quodipſum habet locum in quibuscunque ſive laicis ſive Clericis aut Religioſis; quia nullus ex eis in tali occaſione peccat, cùm ex Jure naturæ cuique liceat ſua defenſio, ſicque incurri nequit hæc irregularitas, quæ nonniſi ex delicto contrahitur. Quæ autem hactenus dicta ſunt de occidentibus ad evitandam mortem ab injuſto invaſore intentatam, idem dicendum de occidentibus ad evitandam mutilationem, aut grave vulnus ab invaſore attentatum,

quod probabiliter timetur; mors enim & mutilatio æquiparantur maximè in iis, quæ in favorem cedunt patientis, & vulnus ex ſe grave ad mortem tendit, & ſic ad tuendam propriam vitam licebit vim vi repellere.

34 Suppono 2dò. irregularem econtra fieri, qui aggreſſorem utut injuſtum occidit non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, illudque excedat, ut ſi periculum poſſet evadere ſola percuſſione: ſi fugientem jamjam & invaſionem relinquentem inſequatur aggreſſorem: aut ſi clamando, vulnerando, mutilando ſe poſſet defendere, & tamen occidat, quia talis occiſio ad defenſionem ſui non eſt neceſſaria, & ſic erit injuſta, ſi quidem ex dolo aut ex propoſito faciat, advertens ſe excedere moderamen inculpatæ tutelæ, non verò ſi per accidens & præter intentionem alterum ſolummodo vulnerare vellet, & errante manu inculpabiliter occideret, ſic enim talis occiſio vacat culpa ſaltem gravi, & ſic non erit digna tanta pœna, quia non ſufficit quicunque exceſſus in defenſione ſui ad incurrendam irregularitatem, ſed debet eſſe gravis ſupponens culpam lethalem. *cap. quæſitum 7. de Pœnitent. & Remiſſ.* cùm enim irregularitas ſit pœna graviſſima, non debet ob levem culpam incurri. Ex quibus ſequitur 1mò. irregularem fieri, qui pro ſui defenſione occidit invaſorem injuſtum, à quo vim illatam potuiſſet declinare fugiendo, modò talis fuga nec periculoſa ſit nec ignominioſa aggreſſo; quia talis occiſio in hoc caſu non eſt neceſſaria, & occidendo vel mutilando excedit moderamen inculpatæ tutelæ; atque hinc Clerici & Religioſi incurrent irregularitatem, ſi ab alio invaſi non fugiant, ſed eum occidant aut mutilent; quia non eſt illis indecorum fugere, quandoquidem honor & fama illorum non conſiſtit in armis, ſed in patientia: idem eſt de viro ignobili, quia fugiendo nullum patitur famæ & honoris detrimentum, niſi tamen talis fuga foret periculoſa, ùt quia invaſus timet ne fortè cadat in via aut ne aggreſſor ipſum apprehendat, vel ex fuga illius audacior factus ipſum occidat aut mutilet, tunc enim non tenetur fugere, ſed poteſt aggreſſorem occidere aut mutilare ſine metu alicujus irregularitatis. Similiter qui ſine gravi dedecore aut infamia non poteſt fugere, reſiſtere poteſt injuſto aggreſſori eumque occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia talis non peccat occidendo, cùm non teneatur cum dedecore aut infamia fugam capeſſere. Sequitur 2dò. irregularitatem incurrere, qui aggreſſorem injuſtum famæ & honoris occidit aut mutilat; quia neque talis occiſio aut mutilatio medium eſt neceſſarium ad conſervandam famam & honorem, cùm multa alia prodita ſint remedia legitima, veluti actio injuriarum ex *Leg. diffamari* tam civilis quam criminalis, actio ad Palinodiam, & retorſio

torſio verbalis, ut adeò injuriantem occidere vel mutilare ob defenſionem honoris & famæ vix unquam cogat neceſſitas, niſi fortè quando invaſio præſens eſt & quaſi in puncto illius factæ aut faciendæ; quæ omnia confirmantur ex decreto Alexandri VII. propoſitiones ſequentes numero 17. & 18. damnantis: *Eſt licitum Religioſo vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe vel de ſua Religione ſpargere, minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur*; altera aſſerebat: *licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, à quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare*; huc pertinet etiam propoſitio 30. ab Innocentio XI. damnata, quæ dicebat: *fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit.* Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam vel ictum fuſtis fugiat; ex quibus propoſitionibus manifeſtè conſtat, non licere injuſtum aggreſſorem famæ & honoris ad eorum defenſionem occidere aut mutilare, & conſequenter qui hoc faciat, incurrere irregularitatem. Neque dicas; fama & vita pari paſſu ambulant, & inter ſe æqiparantur: ergo ſi licet occidere ob defenſionem vitæ, tunc etiam licebit ob defenſionem famæ & honoris; nam magna adhuc eſt utrinque diſparitas; honor enim & fama plerumque alia ratione ſi non conſervari, ſaltem recuperari poteſt, adeóque cùm habeatur aliud remedium Jure conſtitutum, non licebit per viam facti procedere: econtra verò vita hominis, niſi in continenti defendatur, ſemel amiſſa, nullâ arte revocari poteſt. Sequitur 3tiò. irregularem fieri, qui occidit aut mutilat injuſtum aggreſſorem bonorum temporalium levis momenti ac viâ Juris facilè recuperabilium, ùt patet ex propoſitione 31. ab Innocentio XI. damnata, quæ ſic habet: *Regulariter poſſum occidere furem pro conſervatione unius aurei*; aliud eſſet, ſi fur auferret bona magni momenti, nec facilè recuperabilia, tunc enimverò ſicut occiſio foret licita, ita neque incurreret irregularitatem, prout deducitur partim ex *L. Rectè. 1. Cod. unde vi. L. quod eſt 3. §. eum igitur. 9. ff. de vi & vi armat. L. furem 9. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* & *Conſtitut. crimin. Caroli V. art. 150. circa pr.* partim ex *Can. Quia te. 38. diſtinct. 50. & ex cap. Interfeciſti 2. de homicid.* Res enim & bona alter hominis ſanguis & vita dicuntur eſſe propter ſummam eorum neceſſitatem ad vitam conſervandam; & hinc metus amiſſionis omnium vel majoris partis bonorum æquiparantur metui mortis à Gloſſa in *L. Advocatis 14. cod. de Advocat. diverſ. Jud.* & Tiraquell. *de Nobilit. c. 31. à. n. 364.* & certè ſi ejusmodi rerum ac bonorum magni momenti defenſio

ſenſio foret illicita, homines improbi facilè moverentur ad illas diripiendas. His ita ſuppoſitis, difficultas eſt, an Prælati Regulares diſpenſare poſſint in irregularitate proveniente ex homicidio ob defenſionem ſui vel proximi perpetrato, non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ? ad quam ℞. &

35 Dico 1mò. *Poſſunt Canonicorum aliorumque Regularium Prælati diſpenſare cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitate proveniente ex homicidio ob defenſionem ſui vel proximi commiſſo cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ.*

Deſumitur hæc concluſio ex plurimis SS. Pontificum privilegiis diverſis Ordinibus Religioſis & in ſpecie Canonicis Regularibus conceſſis præſertim Sixti IV. in Bulla: *Dum ad univerſos 10. Calend. Septembr. Anno 1477.* Congregationi Cann. Regg. Lateranenſi: Innocentii VIII in Bulla: *ſacræ Religionis honeſtas 3. Idus April. Anno 1486.* Congregationi Cann. Regg. Windeſemenſi: Julii II in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Congregationi Cann. Regg. Bononienſi, in quibus illis abſolutè poteſtatem faciunt in omnibus irregularitatibus diſpenſandi excepta ſolummodò illa, quæ provenit ex homicidio voluntario ac mutilatione & bigamia: homicidium autem vel mutilatio, quæ fit ob defenſionem ſui vel proximi licèt cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ non eſt ſimpliciter voluntarium; non enim ſpontè ſed coactè fit ob neceſſariam ſui defenſionem & occaſione injuſtæ aggreſſionis ac intentatæ ſibi mortis, in qua tantùm quoadmodum peccatur, excedendo ſcilicet moderamen inculpatæ tutelæ; unde Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform.* diſcrimen conſtituit inter homicidium voluntarium, & illud, quod in defenſionem ſui committitur non ſervato debito moderamine: & ab illa diſpenſare vetat, ab hac verò diſpenſare poſſe cauſa cognita enuntiat; & ſic hæc ſpecies irregularitatis contractæ ob homicidium commiſſum in defenſionem ſui cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ reducitur ad ſpeciem homicidii caſualis, ùt volunt Avila *part. 7. de Cenſur. Diſp. 6. ſ. 5. dub. 5.* Diana *part. 1. tr. 11. Reſol. 19.* & *part. 4. tr. 1. Reſol. 72.* & *part. 9. tr. 7. Reſol. 22.* Antonius à Spiritu S. *in Direct. Regul. tr. 2. Diſp. 3. ſect. 2. n. 67.* & *Diſp. 1. ſ. 2. n. 78.* aliique communiter, qui proinde etiam docent, quòd illi, qui poſſunt diſpenſare in irregularitate homicidii caſualis, poſſint etiam diſpenſare in irregularitate homicidii commiſſi ob defenſionem ſui cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ, in cujus confirmationem

Dico

36 Dico 2dò. *Poſſunt Canonicorum, aliorumque Regularium Prælati diſpenſare cum ſubditis ſibi Religioſis in irregularitate ex homicidio & mutilatione caſuali proveniente.*

Deducitur iterum ex iisdem SS. Pontificum privilegiis tum Prælatis Canonicorum Regularium tum aliis diverſis Ordinibus Religioſis indultis, in quibus cùm abſolutam concedant poteſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, excepto ſolo homicidio voluntario ac mutilatione, eo ipſo conceſſerunt poteſtatem diſpenſandi in irregularitate ex homicidio vel mutilatione caſuali proveniente, utpote quod non eſt plenè, perfectè, directè aut ſimpliciter voluntarium, neque in ſeipſo, ſed tantùm in ſua cauſa & indirectè volitum, ac proinde potiùs involuntarium dici debet ſaltem ſecundùm quid; homicidium enim caſuale dicitur, quod accidit præter intentionem occidentis, adeò ut id non intenderit directè, neque etiam indirectè dando cauſam ejus valde propinquam, etſi culpam admiſerit non adhibendo debitam diligentiam ad illud præcavendum, ob cujus ommiſſionem mortaliter peccaminoſam dein incurrit irregularitatem: eſtque tunc ejuſmodi homicidium partim voluntarium partim involuntarium, ùt ſi quis daret operam actioni, ex qua timeret ſequendam eſſe mutilationem aut homicidium; quia ex qua parte illud non vult directè, involuntarium dicitur: ex qua parte verò actionem exercet, ex qua probabiliter timet ſequendum eſſe homicidium, in cauſa & per accidens eſt voluntarium, & ſic irregularitatem inducit: à qua tamen, cùm non ſit homicidium directè & ſimpliciter voluntarium, quale in privilegiis excipitur, diſpenſare poſſe Prælatos Regulares tenent Candidus *to. 2. Diſquiſ. 24. art. 61. dub. 9.* Villalobos *tr. 21. Diffic. 9. n. 17.* Avila *part. 7. de* Cenſur. *Diſp. 6. ſect. 5. dub. 2. Concl. 2.* Vecchius *in praxi. Novitior. Diſp. 9. dub. 18. n. 6.* Diana *part. 4. tr. 2. de irregul. Reſol. 72. in fin.* & fuſiùs *part. 7. tr. 2. Reſol. 31.* ubi multos allegat, cui favet Bordonus *Reſol. 13. quæſt. 4.* Sayrus *L. 7. de Cenſur. cap. 7.* Henriquez *L. 14. cap. 9. §. 3.* Sigismund. à Bononia *de elect. Prælat. part. 2. cap. 4. dub. 68. n. 14.* Rodriquez *to. 1. quæſt. Regul. qu. 24. art. 13.* Miranda *to. 2. quæſt. 8. art. 13. concl. 3.* Lezana *to. 3. V. irregularitas. n. 82.* Portel. *V. diſpenſare n. 9.* Hurtado *Diſp. 2. de irregular. diffic. 20.* Bruno Chaſſaing. *tr. 4. cap. 1. propoſ. 3.* Donatus *to. 2. tr. 11. quæſt. 10.* Antonius à Spiritu S. *Diſp. 1. n. 79.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 8. punct. 3.* præſertim cùm & Epiſcopi poſſint in hac irregularitate vi Tridentini diſpenſare, utpote quod tantùm excipit homicidium voluntarium, hujus autem nomine non venit homicidium

um caſuale, cùm ipſum Tridentinum inter utrumque faciat diſcrimen *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform.* & in caſuali quidem concedat Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi, non idem in voluntario. In hoc tamen adhuc eſt differentia inter Epiſcopos & Prælatos, quòd hi vi privilegiorum ſuorum poſſint in irregularitate homicidii caſualis diſpenſare, etiamſi delictum ſit publicum, ùt docent ex citatis Authoribus plerique, cùm SS. Pontifices loquantur illimitatè & absque ulla reſtrictione: Epiſcopi verò tantùm, ſi delictum ſit occultum, cùm illis Tridentinum hanc poteſtatem expreſſè ad hoc ſolùm reſtrinxerit.

17 Ex quibus ſequitur, poſſe Prælatum Regularem diſpenſare cum eo, qui neſciens Sclopetum eſſe oneratum illud explodit, ſicque hominem caſu occidit, ut nuper cum aliquo Religioſo factum eſt, pro quo tamen inſcius ille Prælatus Romam pro diſpenſatione recurrit, cùm tamen ipſemet potuiſſet diſpenſare, cùm homicidium hoc fuerit verè caſuale. Sequitur 2dò eundem pariter diſpenſare poſſe cum eo, qui vacans operi de ſe illicito atque periculoſo, ex quo homicidium vel mutilatio facilè ſequi ſolet, factus eſt irregularis ob non adhibitam ſufficientem curam & diligentiam, vi cujus potuiſſet mutilatio vel homicidium præcaveri, tum quia talis mutilatio vel homicidium eſt verè caſuale, tum quia eſt indirectè & in ſua cauſa voluntarium, cùm opus illud ſupponatur fuiſſe periculoſum, debitamque omiſſam in præcavendo homicidio diligentiam. Sequitur 3tiò illum etiam diſpenſare poſſe cum eo, qui aliquem in ebrietate tametſi non plena mutilavit, aut occidit, ac propterea irregularitatem contraxit, quia talis mutilatio aut homicidium eſt merè caſuale, cùm non ſit perfectè voluntarium & ebrietas etiam non plena perturbet rationem, ac conſequenter valdè minuat voluntarium. Sequitur 4tò, poſſe quoque diſpenſare cum illo, qui in ſubita rixa hominem mutilavit aut interfecit, quod antea non intenderat, ſed tamen vehementi correptus ira id executus, ſicque irregularitatem incurrit; quia quod fit ex ira vehementi, aut in ſubita rixa, potiùs caſuale ſit reputandum, prout colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform.* ubi homicidium caſuale per hoc diſtinguit à voluntario, quòd iſtud fiat per inſidias & ex induſtria: caſuale verò ſine illis. & *cap. Sicut dignum 6. de homicid.* homicida voluntarius dicitur, qui ex propoſito & dolo, inito conſilio hominem interficit. Idem habetur Exodi 22. ibi: ſi quis per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias, ab Altari meo evelles eum: ſed qui vehementi correptus ira aut in ſubita rixa hominem occidit, non poteſt dici illum occidere ex propoſito, dolo, per inſidias & induſtriam: ergò neque dici poteſt committere homicidium voluntarium, ſed caſuale tantùm, atque adeò à Prælatis

Regu-

Regularibus diſpenſabile; prout cum pluribus aliis à ſe citatis docent Diana *part. 1. tr. 11.* Reſol. *19.* & *part. 9. tr. 7.* Re*ſol. 22.* Antonius à Spiritu S. *tr. 2. Diſp. 3. ſect. 2. n. 67.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. de Cenſur. cap. 8. punct. 1.*

38 Dico 3tiò. *Poſſunt Canonicorum, aliorumque Regularium Prælati diſpenſare cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitate non tantùm ex mutilatione voluntaria ac injuſta, ſed etiam ex homicidio voluntario & injuſto contracta, aut proveniente.*

Concluſio hæc quoad 1mam partem patere videtur ex eo, quòd etiā Epiſcopi in irregularitate ex mutilatione voluntaria & injuſta provenientte poſſint diſpenſare vi Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* ubi illis conceditur poteſtas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto ſolo homicidio voluntario ac injuſto, prout ſe ipſum explicat *ſeſſ. 14. cap. 7. de reformat.* ergò cum exceptio firmet Regulam in caſibus non exceptis, ex vi hujus conceſſionis ac exceptionis potuerunt in illa diſpenſare, quæ provenit ex injuſta & voluntaria mutilatione; quia ex una parte hoc indultum favorabile eſt & beneficium Principis inſertum Juri communi, ſicque ampliſſimè ſumendum ac latiſſime interpretandum: ex alia verò parte exceptio illa homicidii eſt odioſa, & ſic de homicidio ſimpliciter tali intelligenda, quale non eſt mutilatio, ſed ad ſummum tantùm impropriè & ſecundùm quid tale. Nec obeſt, quòd in Jure æquiparetur homicidio, & *Can. ſi quis abſcidit. 4. diſt. 55.* mutilans dicatur homicida; nam talis dicitur tantùm impropriè, & mutilatio æquiparatur ſolùm homicidio quoad irregularitatem incurrendam, non autem quoad gravitatem culpæ & diſpenſationem, quam proinde ſuis ſubditis Epiſcopos impertiri poſſe, ſi delictum ſit occultum, defendunt Navarrus *Manual. cap. 27. n. 240.* Suarez *Diſp. 44. de Cenſur. ſect. 4. n. 35.* Avila *part. 7. Diſp. 6. ſect. 5. dub. 4.* Filliuccius *tr. 20. cap. 2. n. 51.* Bonacina *Diſp. 7. quæſt. 4. punct. ult. circ. fin.* Palao *tr. 29. Diſp. 6. punct. 15. §. 3.* Diana *part. 1. tr. 11.* Reſol. *12. & part. 4. tr. 2.* Reſol. *71.* Villalobos *tr. 21. diff. 21. n. 2.* Barboſa *in Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform. n. 36.* Antonius à Spiritu S. *in Direct. Regular. tr. 2. Diſp. 3. n. 67.* Donatus *to. 2. tr. 11. quæſt. 8.* Andreas à Matre Dei *cap. 8. punct. 2. n. 28.* cæterique Authores communiter: ſed Prælati Regulares eandem habent ex privilegio S. Pii V. quod incipit: Romani *Pontificis* 21. *Junii Anno* 1571. poteſtatem cum ſubditis ſuis Religioſis diſpenſandi in

irregularitatibus, quam habent Epiſcopi reſpectu ſuorum ſubditorum, ùt jam ſæpiùs diximus: ergò poſſunt etiam diſpenſare in irregularitate ex mutilatione voluntaria & injuſta ſaltem occulta proveniente; id quod multò magis confirmatur ex dicendis & ex privilegiis num. ſeqq. referendis. Interim tamen

39 Notandum eſt, quòd per mutilationem membri intelligatur talis abſciſſio partis corporis, quæ proprium officium habet ab aliis partibus diverſum, ùt manus quæ ad tangendum, oculus ad videndum, auris ad audiendum, naſus ad odorandum, lingua ad guſtandum & comedendum, pedes ad ambulandum: aliæ verò partes, quæ cum his membris conjunguntur & coadjuvant ad ſuas operationes, non intelliguntur hoc loco nomine membri, proindeque abſciſſionem earum non inducit irregularitatem, ùt habet communis Doctorum; quia lex hæc conſtituens irregularitatem propter abſciſſionem membri, cùm ſit pœnalis, intelligenda eſt de membro propriè & ſimpliciter tali: ſed membrum propriè & ſimpliciter tale illud duntaxat dicitur, quod in corpore habet officium proprium diſtinctum ab aliis membris: ergò ſolùm hujus abſciſſio conſtituit irregularitatem: minor probatur ex Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 12. ubi ait: membra corporis non eundem actum habere: ergò ſupponit, per hoc conſtitui membrum in ratione membri, quòd proprium habeat actum ad officium. 2dò quia in *L. Idem Ophilius ff. de edilitio edicto* dicitur, eum, cui amputatus eſt unus digitus, dici partem membri habere amputatam, non membrum; & *in L. ſunt liberi. ff. de ſtatu hominum* aſſeritur, ob multiplicationem digitorum ampliùs ſolito, membra ampliùs ſolito non multiplicari; & *cap. Presbyterum 2. de Cleric. ægrotant.* carens duobus digitis cum medietate palmæ non dicitur mutilatus aut truncus, ſed debilitatus ſeu deformatus; enumerata porro membra non ſunt quomodocunque accipienda, ſed quatenus conſtituunt ſenſum; unde qui tantùm abſcinderet cartilaginem auris ſeu auriculam exteriorem, aut qui naſum abſcinderet, auditûs vel odoratûs ſenſu remanente, non cenſeretur eſſe mutilatio membri, cùm iſta non ſint membra, ſed auditus & odoratus tutelæ & ornamenta. Ad hoc verò ut incurratur irregularitas ex mutilatione, de qua hic agimus, requiritur ut ſit voluntaria & injuſta, quod fit, quando quis expreſsè aut ex propoſito, dolo, vel per inſidias & ex induſtria membrum aſcindit, vel ſaltem cauſam ponit cum mutilatione inſeparabiliter conjunctam. Requiritur præterea ut talis mutilatio ſive abſciſſio membri fiat phyſicè; quamobrem, ſi quis debilitet tantùm alterius membrum verberando, ita ut verberatus reddatur ineptus pro functionibus Ordinum, ipſe tamen verberans vel debilitans non contrahit irregularitatem, ad hanc enim incurrendam requiritur,

Digitized by Google

ut membrum abſcindat & quidem vivum: unde mutilans membrum mortui non efficitur irregularis, cùm membrum mortui non dicatur nec ſit ſimpliciter membrum. Quòd autem per talem mutilationem membri incurratur irregularitas patet ex *Clementin. unic. de homicid.* & *cap. Porrò. 1. de Clericis pugnant. in duell.* idque procedit ſive quis alium mutilet, ſive ſeipſum, quia tam parùm quis eſt dominus ſuorum membrorum, quàm alterius, ùt habetur *Can. Si quis abſcidit 4.* & *Can. Hi qui 5. diſt. 55.* Item *Can. Si quis. 7. eadem diſtinct.*

40 Pars altera ſtatutæ concluſionis quoad poteſtatem diſpenſandi in irregularitate ex homicidio voluntario ac injuſto contracta, quæ cæteroquin ex omnibus eſt diſpenſatu difficillima, & maximè controverſa, probatur ex multis SS. Pontificum privilegiis, & primò quidem ex illo Martini V. Monaſterio S. Benedicti Vallisoleti conceſſo in hunc ſenſum: Martinus V. conceſſit Priori S. Benedicti Vallisoleti, & virtute extenſionis poſtea factæ omnibus Prioribus Congregationis Hiſpaniæ, ut cum Monachis ejusdem Congr. ſuper omni irregularitate etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi vicem reſervat, in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione, valeant diſpenſare, dum tamen aliquid horum trium notorium non ſit: & hoc propter ſcandalum. Quod privilegium in dicto Monaſterio Vallisoletano ſub ſigillo authentico ſe vidiſſe & inde etiam fideliter extraxiſſe teſtatur Caſſarubios *in compend. privil. V. abſolutio ordinaria quoad fratres*, qui ſimul advertit, quòd licèt ſupradicta conceſſio facta fuerit Priori Monaſterii Vallisoleti, poſtea tamen extenſa ac communicata fuerit omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monaſteriorum dictæ Congregationis; & quia dicta conceſſio Martini V. primitùs facta fuit Priori locali, docet optimè Candidus *to. 2. Diſq. 24. art. 61. dub. 8.* non ſolùm Generales ac Provinciales ſed etiam Priores locales poſſe talem diſpenſationem reſpectu ſuorum ſubditorum impendere; quia privilegia conceſſa Generali unius Religionis, Generalibus alterius conceſſa cenſentur: quæ Provinciali, Provincialibus, & quæ Prioribus localibus, ùt Præpoſitis, Abbatibus, Rectoribus, Quardianis. Licèt autem dictum privilegium ſit oraculum vivæ vocis: quia tamen à pluribus SS. Pontificibus ac præſertim à Paulo III. in Bulla: *Exponi. 12. Martii Anno 1545.* & à Clemente VIII. in Bulla: *Romanus Pontifex. 30. Sept. Anno 1592.* ex certa ſcientia fuit confirmatum, approbatum ac renovatum, nec in alicujus cedit præjudicium, & inſuper per Officiales aut Conſervatores fuit expreſſum ac in ſcriptis relatum, qualia vivæ vocis oracula non fuiſſe revocata Tract. imo. oſtendimus, hinc nec iſtud revocatum fuiſſe cenſendum

dum eſt. Simile quoque privilegium conceſſiſſe Julium II. Dominicanis refert Donatus *to. 2. tr. 11. quæſt. 9. n. 5.* ex Miranda *to. 2. Manual. qu. 8. art. 10.* Sorbo *in compend. privil.* & Peregrin. *de privil. Theatin. V. Diſpenſatio. §. 2.* in quo eisdem concedit facultatem diſpenſandi in omni irregularitate, & in caſibus Papæ reſervatis, hoc eſt, in homicidio voluntario, & membrorum obtruncatione, modò factum horum duorum non ſit notorium; pro quo notandum, quòd notorium dicatur illud, quod ſcitur à tota communitate vel majore illius parte, quia nimirum coram illa fuit perpetratum delictum: nam ſi alio modo ad illius notitiam perveniat, dicetur famoſum vel manifeſtum, non verò notorium; in his igitur & ſimilibus privilegiis accipitur pro eo, quod eſt publicum vel per evidentiam facti in communitate, populo, vicinia vel loco: aut per ſententiam juſtam Judicis, vel per confeſſionem rei in judicio, vel per publicam famam, quæ nulla tergiverſatione celari poteſt; nec ſufficit, quòd teſtibus probari poſſit, niſi dictas habeat conditiones, quæ omnia confirmantur ex particulis immediatè ſubſequentibus: *& hoc propter ſcandalum*, quibus ſatis indidicatur, notorium ſic ſumi oportere; atque hinc etiamſi delictum fuerit publicum in uno loco ſeu notorium, ſi tamen in alio loco, ubi petitur diſpenſatio fuerit, occultum, nec detur ſpes proxima, quòd in illo publicetur, adhuc dicetur occultum, prout opponitur publico & notorio, ùt poſt Vidal *de caſib. reſervat. Inquiſit. 1. n. 105.* & Vincent. Candidum *to. 1. Diſquiſ. 22. art. 49. dub. 9.* docet Andreas à Matre Dei *tr. 18. cap. 4. punct. n. 26.* An verò illo ſcandalo ceſſante, poſſint Prælati Regulares in illa irregularitate diſpenſare, etiamſi publica ſit & notoria? dubium eſt: ad quod tamen affirmativè reſpondet Chaſſaing, quia Pontifex concedit facultatem omnimodam diſpenſandi, & tantùm poſito ſcandalo reſtringit illam ad occultam irregularitatem: illo igitur ceſſante remanebit poteſtas in Prælatis ad diſpenſandum in ea, etiamſi publica ſit ac notoria; quod confirmat 1. ex eo, quòd Prælati Regulares poſſint diſpenſare in irregularitate publica homicidii voluntarii, dummodo non ſit publica in loco, in quo diſpenſatur ſubditus, ùt ſupra diximus; confirmat 2dò ex eo, quòd dicti Prælati diſpenſare poſſint in illa, etiamſi publica ſit inter Regulares, modò non ſit publica inter ſæculares, quia in illis ceſſat ratio reſervationis ſcilicet ſcandalum: ergò à ſimili in hoc caſu eſt argumentandum.

Probatur 2dò. ex privilegio Pauli III. quod incipit: *Exponi nobis. 12. Martii Anno 1545. Pontif. 11.* Abbatibus, Prioribus & Præſidentibus Ordinis, ac Congregationis S. Benedicti Vallisoleti his verbis conceſ- 41

ceſſo: *Nos igitur, qui ſingulorum ſalutem paterno zelamus affectu, bujusmodi ſupplicationibus inclinati, vobis quod ſtante immemoriali conſuetudine cum omnibus & ſingulis utriusque ſexûs perſonis Ordinis & Congregationis prædictorum Religioſis ac eidem Ordini & Congregationi Oblatis ſeu Donatis, nec non Eremitis ſub cura veſtra exiſtentibus ſuper quibusvis irregularitatibus per eos pro tempore quavis occaſione vel cauſa contractis diſpenſare, prout hactenus, ut præfertur, conſueviſtis, auctoritate Apoſtolica valeatis, plenam ac liberam eadem auctoritate concedimus facultatem.* ſubditque poſtea S. Pontifex firmiſſimam ac irrevocabilem confirmationem his verbis: *ita ut ſi præinſerta conceſſio revocetur, iterum reintegrari vel reſtitui cenſeatur.* In quo privilegio præcipuè notandum, quòd illud ſe referat ad *conſuetudinem immemorialem*, qua eousque ſoliti fuerant diſpenſare in quibusvis irregularitatibus etiam illis, in quibus Papa ſibi vicem reſervat, haud dubiè ortam ex privilegio Martini V. n. præc. relato, vi cujus conſueverant hactenus diſpenſare in omnibus irregularitatibus ſine exceptione, quam facultatem ſibi poſtulaverant innovari à Paulo III. Simile privilegium conceſſit Julius III. Clericis Regularibus S. Pauli, vulgò Barnabitis in Bulla: *Rationi congruit.* relata de verbo ad verbum à P. Barelli to. 1. L. 5. cap. 2. ut eorum Superiores per ſe vel Confeſſarios ab eis deputatos cum ſubditis ſuis in omni irregularitate, quam NB. quomodolibet incurrent, diſpenſare valeant; quod privilegium ſolùm differt à priori illo Pauli III. quòd hoc reſtringatur ad unam diem anni, nempe pro prima die Lunæ Quadrageſimæ, qua ſolùm fieri poſſit hæc diſpenſatio: in privilegio verò Julii III. nulla uspiam fiat reſtrictio. Licèt autem in generali conceſſione poteſtatis diſpenſandi in irregularitate non veniat ea, quæ eſt ex homicidio voluntario aut mutilatione, ſicuti neque ea, quæ eſt ex bigamia, atque ideò etiam plerumque excipiantur in Bullis Pontificiis, cùm ſint ſpeciali notâ dignæ; nihilominùs tamen cùm SS. Pontifices verbis utantur ampliſſimis & univerſaliſſimis, quibus Prælatis concedunt poteſtatem diſpenſandi ſuper quibusvis irregularitatibus quavis occaſione vel cauſa contractis, aut quomodolibet incurſis, admodùm probabiliter ſuadent, illâ etiam uti poſſe ſecundùm hanc ipſam verborum amplitudinem ac univerſalitatem, præſertim cùm dictio quivis & quomodolibet utpote univerſalis comprehendat quemcunque modum, qui comprehendi poteſt, & oſtendat exuberantem ac plenam diſponentis voluntatem, & propter hanc generalitatem verborum extenditur ad quamcunque irregularitatem etiam eam, quæ aliàs non comprehenderetur, cùm teſte Barboſa *in Tract. de Dictionibus dict.* 320. dictio quivis idem operetur ac importet, quod dictio omnis, quæ nihil excludit. Ac-

Accedit, quòd cùm conceſſio hæc ſit tam ampla ac generalis, & Papa id poſſit concedere, nec ab aliquo Succeſſore revocatum inveniamus in ſpecie, vix dubium eſſe videtur, quin Prælati Regulares illâ poſſint uti ſicuti verba ſonant ſine limitatione; quia quando lex vel Princeps non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Verùm non deſunt privilegia, quæ in terminis etiam concedunt poteſtatem diſpenſandi in irregularitate ex homicidio voluntario. Unde

42 Probatur 3tiò. ex privilegio Sixti IV. Carthuſienſibus in Bulla: *Ad uberes fructus.-17. Calend. April. Anno 1482. Pontif. 11.* conceſſo, in quo ſic loquitur: & ut ipſi Priores & Fratres, qui nunc ſunt & pro tempore erunt dicti Ordinis, conſcientiæ pacem & animæ ſalutem Deo propitio poſſint, ùt optant, faciliùs adipiſci, & indulgentias hujusmodi conſequi, majoris Carthuſiæ & aliis quinquaginta Prioribus domorum dicti Ordinis deputatis ad abſolvendum perſonas dicti Ordinis, in ſingulis etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus & cum eis diſpenſandum ex cedula fel. record. Eugenii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri eis ad tempus conceſſa & per nos approbata & extenſa, Perſonis dicti Ordinis tam ad effectum indulgentiarum hujusmodi, quàm aliàs in ſingulis etiam hæreſibus, & injectionibus manuum in Prælatum, & homicidii etiam voluntarii ac mutilationis membrorum caſibus in foro conſcientiæ duntaxat, de abſolutionis beneficio & opportuna diſpenſationis gratia auctoritate noſtra perpetuis futuris temporibus providere valeant, ita tamen, quòd ſuper irregularitate contracta pro homicidio voluntario circa Altaris miniſterium duntaxat diſpenſent; quod privilegium refertur in libr. ſtatutor. Ordin. Carthuſienſ p. 2. c. 7. n. 18. & in Bullar. Lateran. p. 332. & ab Authore Compend. privil. Fulienſ. V. Diſpenſatio §. 5. ex quo evidenter conſtat, licere Prælatis Regularibus vi illius ſaltem per viam communicationis diſpenſare in irregularitate ex homicidio voluntario ac mutilatione membrorum contracta, cùm utrumque verbis clariſſimis exprimatur. Neque dicas: quòd hoc aliáque relata hactenus privilegia quoad poteſtatem diſpenſandi ab irregularitate hac fuerint revocata per Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform.* ubi dicitur: quòd qui ſua voluntate homicidium perpetraverit, etiamſi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum ſed occultum fuerit, nullo tempore ad SS. Ordines promoveri poſſit, nec illi aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat, ſed omni ordine ac beneficio & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat; quibus verbis omnem hujus irregularitatis diſpenſationem excludit, ſimúlque poſtea concedit Epiſcopis poteſtatem

tem diſpenſandi in irregularitate ex homicidio caſuali & in defenſionem ſui commiſſo: quod multò clariùs exprimit *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* dum eiſdem concedit facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto provenientibus, excepto homicidio voluntario, cujus diſpenſationem reſervat ſoli Romano Pontifici. Sed contra eſt, quòd Concilium utroque loco tantùm loquatur de Jure communi, & de Epiſcopis reſpectu ſuorum ſubditorum, non autem de Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum Religioſorum, multò minùs de privilegiis illorum, utpote quorum nullam uſpiam mentionem facit: & licèt etiam de his loqueretur, quia tamen nullam addit clauſulam eorum derogatoriam aut revocatoriam, nihil nobis officeret, cùm privilegia Regularium licèt Tridentino contraria, nulla tamen clauſula derogante, aut irritante munita, maneant in ſuo robore, quemadmodum in Tract. 1mo. demonſtravimus.

43 Probatur denique 4tò. ex privilegio S. Pii V. in Bulla: *Dum ad Congregationem, 13. Junii Anno 1571.* Congregationi Caſſinenſi conceſſo, & in Bullario Margarini, & Cherubini relato, quod ſic habet: Motu itaque proprio non ad ipſorum Abbatum & Prælatorum ſeu alicujus pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & de mera liberalitate noſtra, Apoſtolicæque poteſtatis plenitudine omnibus & ſingulis moderno & pro tempore exiſtentibus Abbatibus & Prælatis Congregationis hujuſmodi quoſcunque illius pro tempore exiſtentes Monachos, Converſos, Commiſſos & Oblatos tam Profeſſos quàm Novitios, in ea tamen perſeverantes à quibusvis criminibus, reatibus, culpis, cenſuris, & pœnis per eos & eorum quemlibet tam ante quàm poſt illorum in Congregationem hujuſmodi, ac Monaſteria ſub illius obedientia exiſtentia, ingreſſum ſeu Profeſſionem Regularem ibidem per eos emiſſam ex quavis cauſa & ob quemvis exceſſum & delictum publicum vel occultum, caſu, ſeu data opera, quomodolibet ab eis & eorum ſingulis, NB. etiamſi homicidium voluntarium ſeu membri mutilatio, non tamen poſt ingreſſum hujuſmodi pro tempore ſubſecutum ſeu ſubſecuta fuerint incurſis, & in futurum incurrendis, etiamſi de caſibus reſervatis ſedi Apoſtolicæ, vel de comprehenſis in Bulla, quæ die Cœnæ Domini ſingulis annis legi conſuevit, fuerint, plenariè toties quoties opus fuerit, injuncta ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, quoad reatum homicidii in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi, & liberandi, ac in priſtinum, & eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet erant & fuerunt, ſtatum reintegrandi, omnem inhabilitatem & infamiæ maculam ſeu notam inde quomodolibet inſurgentem

gentem ab eis & eorum quolibet prorſus abolendi, ſecumque quòd præmiſſis non obſtantibus non promoti ad omnes etiam ſacros & Presbyteratûs Ordines promoveri atque Monaſteriis ejuſdem Congregationis in Abbates, Priores, & Prælatos præfici, nec non ad quaſcunque alias dictæ Congregationis Prælaturas eligi & aſſumi, munúsq; benedictionis ſuſcipere, & tam illi quàm qui jam ante vel poſt præmiſſa ſint vel fuerint promoti, præfecti, electi, etiamſi munus benedictionis hujuſmodi ſcienter ſuſceperint, irregularitatibus, inhabilitatibus, reatibus, cenſuris & pœnis hujuſmodi vel aliis quibuſcunque criminibus irretiti & innodati ſcienter Miſſas & alia divina officia celebrâſſent, ſimúlve ſeu aliàs munere benedictionis hujuſmodi quomodolibet uſi eſſent, in Altaris miniſterio miniſtrare, & dicto munere uti, nec non omnes & quaſcunque Prælaturas, obedientias, adminiſtrationes & officia Ordinis & Congregationis hujuſmodi retinere, recipere, gerere, & exercere liberè & licitè poſſint & valeant, nullámque de præmiſſis in quibusvis privilegiis, facultatibus, diſpenſationibus, & conceſſionibus, etiam gratiam vel juſtitiam ſeu mixtim concernentibus etiam per ſedem Apoſtolicam ſibi pro tempore conceſſis mentionem facere teneantur, miſericorditer in Domino diſpenſandi licentiam & facultatem liberam Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò concedimus & elargimur. In quorum omnium firmiorem ſubſiſtentiam ac confirmationem deinde ſequentia ſubdit: decernentes quoque præſentes litteras perpetuâ roboris firmitate ſubſiſtere, & nullo unquam tempore ſub quibusvis ſimilium vel diſſimilium facultatum & licentiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, etiam in dicta Bulla Cœnæ Domini pro tempore contentis minimè contentas aut comprehenſas eſſe, aut comprehendi debere, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe & cenſeri; & quoties contraria hujuſmodi emanabunt, toties eandem præſentes & in eis contenta in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtituta & perpetuò reintegrata eſſe.

Ex quo privilegio rurſus manifeſtè patet, quòd etiam vi illius poſſint Prælati Regulares diſpenſare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario ac mutilatione, ſive delictum ſit publicum ſeu occultum, ſive caſu ſeu data opera fuerit ſubſecutum. Licèt autem illud reſtringat S. Pontifex ad homicidium ante ingreſſum Religionis commiſſum, reliqua tamen privilegia numeris præcedentibus relata nullam habent quoad hoc limitationem, ſed loquuntur univerſaliter etiam de eo, quod commiſſum eſt poſt illius ingreſſum, ut proinde vi horum liceat dictis Prælatis diſpenſare in quocunque homicidio ac muti- 44

tila-

tilatione ſive ante ſive poſt ingreſſum Religionis commiſſo. Nec refert, quòd nullum ex relatis hisce privilegiis conceſſum fuerit Canonicis Regularibus aut aliis Religioſis Ordinibus præterquam Benedictinis, Carthuſienſibus, ac Dominicanis &c. & conſequenter ad illos non ſit extendendum; nam licèt hujusmodi privilegia non ſint ipſis directè conceſſa, fuerunt tamen illis conceſſa indirectè, ſcilicet per communicationem omnium privilegiorum prædictis tribus Ordinibus conceſſorum, qua gaudent tum Regulares Canonici, tum aliæ Religiones: nam privilegia Congregationis Caſſinenſis totiúsque Ordinis Benedictini communicata fuerunt Canonicis Regularibus per Sixtum IV. in Bulla: *Dum ad univerſos.* per Julium II. in Bulla: *Inter cæteros.* per Julium III. in Bulla: *Cùm à nobis.* & per Gregorium XV. in Bulla: *Injuncti nobis.* Privilegia Ordinis Carthuſienſis communicata fuerunt Canonicis Regularibus per Innocentium VIII. in Bulla illius prima Congregationi Windeſemenſi conceſſa. Privilegia Dominicanis indulta iisdem communicata fuerunt per Julium II. & III. in præcitatis Bullis, & per S. Pium V. in Bulla: *Ex ſuperna diſpoſitionis.* & ſic tum per hos, tum etiam per alios SS. Pontifices aliis Ordinibus Religioſis: ut adeò per relata hactenus privilegia diſpenſare poſſint in irregularitate ex homicidio voluntario ac mutilatione contracta non tantùm Prælati Benedictini & Carthuſienſes, ſed etiam Canonicorum Regularium, ac etiam aliorum Ordinum, idque virtute communicationis privilegiorum, quam habent cum Benedictinis ac Carthuſienſibus. Id quod non tantùm de quocunque homicidio etiam qualificato, ſed etiam de abortu fœtûs animati; nam etſi Sixtus V. in Bulla: *Effrænatam. 28. Novembr. Anno 1588.* omnia privilegia diſpenſandi in hujusmodi irregularitate revocaverit, poſtea tamen Gregorius XIV. prædictam Sixti V. Conſtitutionem moderatus eſt per Bullam: *Sedes Apoſtolica. 31. Maji Anno 1591.* editam, & facultas facta Ordinariis in illa diſpenſandi, & conſequenter etiam Prælatis Regularibus, utpote qui eandem habent poteſtatem in ſuos ſubditos, quam habent Epiſcopi in ſuos. Verùm de hoc plura videri poſſunt ſect. 3. Concluſ. 6ta. præc. Diſputationis.

45 Atque ſic etiam ſentiunt plerique Authores, qui rem hanc ex inſtituto examinârunt, & aliquam dictorum privilegiorum habuêre notitiam, quos inter Rodriquez *to. 1. quæſt. 24. art. 12. cum ſuo compend. Reſol. 52. de diſpenſ. n. 25.* & fuſiùs *part. 3. ſumm. cap. 18. n. 44.* & *V. Irregularitas. n. 22.* Sorbo *in compend. privil. V. diſpenſatio.* Suarez *de Cenſur. Diſp. 41. ſect. 2.* Candidus *to. 2. Diſquiſ. 24. art. 61. dub. 8.* Diana *part. 4. tr. 2. Reſol. 103.* Bordonus *Reſolut. 13. quæſt. 3. & 4.* Aſcan.

Tamburin. *to. 3. de Jure Abbat. Diſp. 4. quæſt. 12. n. 10. & 11.* Lezana *to. 1. Quæſt. Regular. cap. 18. n. 44.* & *to. 3. V. Irregularitas. n. 27.* Joan. de la Cruz *de ſtat. Religioſ. L. 1. cap. 6. n. 19.* Liamas *part. 4. Method. cap. 3. §. 8.* Portel. *in dub. Regul. V. Diſpenſatio.* & *V. abortus. in addit.* Corduba *in ſumm. moral. quæſt. 34.* Sigismund. à Bononia *de elect. Prælat. part. 2. cap. 4. dub. 71.* Miranda *to. 2. Manual. quæſt. 8. art. 10. concl. 2.* Martinus à S. Joſeph *de auctorit. Guardiani ad Diſpenſ. n. 3.* Elig. Baſſæus *V. Abbas § 3.* & *V. Irregularitas.* Pellizarius *to. 2. tr. 9. cap. 3. quæſt. 13.* Antonius Hinojoſa *in Direct. decif. Regular. V. Diſpenſatio.* Leander *tr. 2. Diſp. 27. quæſt. 32.* ubi plures refert. Palao *Diſp. 6. punct. 12. §. 3. n. 4.* Virginius Alviſet. in Murenul. *ſect. 3. cap. 23. §. 2.* Hyacint. Donatus *in praxi regular. to. 2. tr. 11. quæſt. 9.* Bruno Chaſſaing *de privileg. Regular. tr. 4. cap. 1. propoſit. 5ta.* Petrus de Murga *ad Conſtit. 2. Alexandri IV. ſect. 18. n. 359.* Antonius à Spiritu S. *in Director. Regular. tr. 11. Diſp. 7. n. 80.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. de Cenſur. cap 8. punct. 1. n. 17. & tr. 18. de privil. cap. 4. punct. 1. §. 4. n. 25. & ſeqq.* Giribaldus *to. 3. tract. de Cenſur. cap. 6. n. 119.* Geſwaldus *p. 2. Theolog. moral. tr. 24. cap. 1. n. 23.* Iſo Pfaw. *in ſummar. privileg. ſect. 1. §. 3. de Diſpenſ. Irregularit. V. 2do. Litt. D.* Ægidius Kibler *in Collectar. privil. art. 8. §. 1.* & alii plures.

Ad homicidium porrò voluntarium ac injuſtum, prout hanc ſpeciem irregularitatis inducit, unum ex duobus omninò requiritur: vel ut committatur per directam, expreſſam, ac ſpontaneam voluntatem occidendi: vel ut cauſa aliqua intendatur directè, adeò cum morte inſeparabiliter conjuncta, ut impoſſibile ſit illam velle, & non velle mortem, ut ſi vulnus infligatur lethale, porrigatur venenum mortiferum, concedatur remedium efficax ad abortum; quòd autem requiratur talis expreſſa, directa, & ſpontanea voluntas, ut quis propriè dicatur voluntarius homicida, conſtat *ex cap. Sicut dignum. 6. de homicid.* & ex Tridentino *ſeſſ. 14. de reform. cap. 7.* ubi illud dicitur homicidium voluntarium, quod fit ex animo occidendi, aut ex propoſito, dolo, vel per inſidias, in quo expreſſa, directa, & ſpontanea voluntas explicatur; quòd verò per tale homicidium incurratur irregularitas, habetur *ex Can. Miror. 4. & ſeqq. diſtinct. 50.* & *ex cap. Si quis, 1.* ac multis aliis *de homicid.* & perinde eſt, ſive occidatur voluntariè Chriſtianus, Paganus, Judæus, hæreticus, aut infans etiam nondum natus, modò fuerit animatus; nam qui procurat abortum fœtûs animati, incurrere irregularitatem conſtat ex *cap. Si aliquis. 5.* & *cap. Sicut. 20. de homicid.* & ex Bulla Sixti V. quæ incipit: *Effrænatam. 28. Novembr. Anno 1588.* edita; requiritur 46

ta-

tamen, ut mors reipſa ſequatur: atque hinc ſi quis vulnus lethale infligat, aut venenum porrigat animo occidendi, ſi ſpeciali arte medicinæ, aut etiam miraculosè impediatur mors, irregularitatem non incurreret; quia irregularitas hæc ſtatuta eſt pro homicidio voluntario, quod non verificatur, niſi mors ſequatur; neque enim in Jure conatus aut attentatio occiſionis, ſed ipſa occiſio ſeu mors alteri illata punitur irregularitate. Præter ipſum homicidam incurrit hanc irregularitatem 1mò. *Mandans*, ſi ex mandato intimato homicidium, abortus, aut mutilatio ſit ſecuta. *Can. Si quis Viduam. 8. diſtinct. 50.* & *cap. fin. de homicid. in 6.* nam homicidium principaliter adſcribitur mandanti, ut perinde, quod quis per alium facit, per ſeipſum feciſſe cenſeatur juxta Regulam *72. in 6.* neque excuſatur, quamvis ante patratam cædem mandatum revocaverit, ſi revocatio mandatario non innotuit, adhuc enim iſte nomine mandantis agit, & ſic mandans manet cauſa principalis cædis. 2dò. incurrit hanc irregularitatem *Conſulens* & perſuadens homicidium, abortum & mutilationem, ſi iſtud ex vi talis conſilii reipſa ſequatur. *Can. Si quis Viduam. 8. diſtinct. 50.* ibi: *præcepto aut conſilio. cap ſicut. 6. §. qui verò. & §. fin. de homicid.* ibi: *qui conſilium dederunt. Can. perniti oſè. 23. diſtinct. 1. de pœnit.* ibi: *per quorum conſilium*, vocantúrque ibi hujusmodi conſulentes *homicidæ.* & *cap. fin. de Cleric. pugnant.* ubi dicitur: *homicidium non tam facto, quàm conſilio perpetrari*; eſt enim tale conſilium vera cauſa moralis homicidii. 3tiò. eandem irregularitatem incurrit *Conſentiens* effectivè in homicidium, ita ut in illud efficaciter influat, occidenti cooperando, ei aſſiſtendo, robur & animum addendo, propoſitum occidere volentis approbando, vel occiſum, ne ſe defendat, impediendo, ùt colligitur ex *cap. Sicut dignum. 6. §. illi etiam. de homicid.* & *cap. ſignificâſti. 18. eodem.* ibi: *Si ipſius ſtudio, conſilio, vel mandato proceſſerint.* Secùs eſt, ſi purè & ſine ulla cooperatione conſentiat in homicidium, quod nullo modo fit nomine ipſius conſentientis, talis enim non fit irregularis, etiamſi conſenſum verbis exprimat, cùm efficaciter non influat in alterius cædem. Atque cum his omnibus tum mandantibus, tum conſulentibus, ac etiam effectivè conſentientibus in homicidium poſſe Prælatos Canonicorum aliorúmque Regularium diſpenſare in irregularitate exinde contracta ſequitur ex dictis. Verùm de hoc ſatis: unde ulteriùs progredior, &

Dico 4tò. *Poſſunt Prælati Canonicorum aliorúmque Regularium diſpenſare cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitate contracta ex reiteratione Baptiſmi* 47.

 tam

tam activa, quàm paſſiva.

Ita deſumitur ex diverſis SS. Pontificum privilegiis, præſertim Eugenii IV. *Florentiæ 10. Calend. Auguſt. Anno 1439.* per ſignaturam datis, ubi Prælatis Canonicorum Regularium Lateranenſium concedit, ut poſſint ſuper irregularitatibus quibuscunque & quomodocunque contractis diſpenſare, ita ut omnes & ſinguli, cum quibus ſuper irregularitatibus ſupradictis diſpenſari contigerit, ad omnes SS. Ordines promoveri valeant, & in Ordinibus ſic ſuſceptis liberè miniſtrare. Similia habent in ſuis privilegiis Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Cal. Septembr. Anno 1477.* Canonicis Lateranenſibus: Innocentius XI. in Bulla: *Sacra Religionis honeſtas. 3. Idus April. Anno 1486.* Windeſemenſibus: Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Nonas April. Anno 1512.* Bononienſibus: & S. Pius V. in Bulla: *Dum ad Congregationem. 13. Junii Anno 1571.* Caſſinenſibus conceſſis, in quibus poteſtatem faciunt illis, ut cum irregularibus ex quavis cauſa, & in omnibus caſibus poſſint diſpenſare, ut irregularitatibus hujusmodi non obſtantibus ad quoscunque etiam ſacros & Presbyteratûs Ordines promoveri & in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & ad quæcunque officia & dignitates recipi & aſſumi, illáque gerere & exercere liberè & licitè & absque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ valeant. Ex quibus omnibus hoc formatur argumentum: vi horum privilegiorum poſſunt Canonicorum Regularium Prælati in omnibus irregularitatibus quavis ex cauſa ac in omnibus caſibus contractis diſpenſare, quæ non ſunt ſpecialiter exceptæ, aut ſub exceptis comprehenduntur: ſed irregularitas ex reiteratione Baptiſmi tam activâ quam paſſivâ contracta non eſt ſpecialiter excepta, nec ſub exceptis comprehenduntur: ergò poſſunt in ea diſpenſare.

48 Incurritur autem hæc irregularitas ab eo, qui rebaptizatur *per Can. confirmandum 65. diſtinct. 50. Can. Afros. 3. diſt. 98. Can. qui in qualibet. 10. cauſ. 1. quaſt. 7.* & *Can. Qui bis 117. de Conſecr. diſt. 4.* Eadem etiam incurritur à rebaptizante; quamvis enim adverſus hunc in Jure nulla clarè ſit expreſſa irregularitas, ex communi tamen DD. omnium conſenſu deſumitur, aſſerentium, & hunc eam incurrere, argumento *ex cap. Ex litterarum. 2. de Apoſtat.* deſumpto; ubi acolythus aſſiſtens miniſterio rebaptizationis declaratur irregularis: ſi autem hic irregularitatem incurrit, tunc multò magis eam incurrere debet miniſter exercens actum rebaptizationis. Hæc autem irregularitas non eſt ſimpliciter & abſolutè talis quoad omnes effectus illius, ſed ſolùm in tantum, quòd impediat aſcenſum ad alios Ordines, non impedit tamen, ut in ſuſceptis miniſtrare poſſit, cùm il-

Digitized by Google

illud ſolùm prohibeant relata hactenus Jura. Ad irregularitatem verò hanc à rebaptizante ejúsque miniſtris incurrendam requiritur, ut talis rebaptizatio ſit publica ac ſolemniter facta, cùm in *cap. Ex litterarum* cit. dicatur: *ad ſuperiores Ordines promoveri (ſi publicum eſt quod proponitur) non valebit: ſi verò occultum eſt, promoveri poterit:* vi quorum verborum tantùm publica rebaptizatio punitur irregularitate, non item occulta: & ſecundùm hujus textus diſpoſitionem intelligendi ſunt alii, in quibus dicta irregularitas pro rebaptizatione ſtatuitur. Eandem irregularitatem incurrit etiam ille, qui coactus aut metu gravi adactus rebaptizat, aut rebaptizatur, ſi habeat intentionem recipiendi aut conferendi baptiſmum, quia nulla vi, metu nullo, vel coactione quis adigi poteſt, ad talem habendam, cùm ſit actus internus: unde talis tenetur aut nullam aut omninò contrariam facere intentionem nullum recipiendi aut conferendi baptiſmum, quo caſu nullam incurret irregularitatem; tunc enim non eſt vera rebaptizatio ſed ficta, quæ ſub hac pœna non prohibetur ab Eccleſia: ſicut nec ille in foro interno irregularitatem incurrit, qui abſque metu vel coactione ſolùm exteriùs rebaptizaret aut rebaptizaretur ſine animo aut intentione conficiendi Sacramentum baptiſmi; nam hæc pœna irregularitatis tantùm ſtatuta eſt in eos, qui ex animo & intentione iterant baptiſmum, in quo favent erroribus hæreticorum. Idem dicendum de illo, qui cum ignorantia invincibili facti repeteret baptiſmum; quia tunc propriè non diceretur iterare baptiſmum, non enim cenſetur iteratum, quod non ſcitur eſſe factum. *Can. Solemnitates. 16. de Conſecrat. diſt. 1.* Cæterùm licèt iterando ſcienter baptiſmum incurratur irregularitas, nulla tamen incurritur per iterationem aliorum Sacramentorum etiam characterem imprimentium, ùt eſt confirmationis aut Ordinis Sacramentum, cùm nulla ſit in Jure pro his expreſſa. Nec obſtat, quòd ubi eadem eſt ratio, eadem etiam ſit Juris diſpoſitio: ſed in iteratione baptiſmi ac aliorum Sacramentorum præſertim characterem imprimentium eadem eſt ratio: ergò etiam eadem debet eſſe Juris diſpoſitio. Nam axioma hoc procedit quidem de lege diſponente, non autem de lege pœnali; lex enim diſponens ita pendet à ratione, ut hæc dicatur anima legis, & ſic meritò cenſetur eandem habere vim, ubi eadem eſt ratio: at lex pœnalis partim à ratione & partim à voluntate Legislatoris dependet, quæ potuit velle, quòd talis pœna pro una culpa aſſignetur, non pro alia, etiamſi eadem ratio inveniatur in illa: id quod maximè in irregularitate verificatur, circa quam non valet argumentatio à paritate rationis, prout hæc optimè tradit Andreas à Matre Dei *cap. 8. n. 61. & ſeq.*

Di-

49 Dico 5tò. *Poſſunt quoque Prælati Canonicorum aliorumque Regularium diſpenſare cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitate ob violationem Cenſurarum contractâ.*

Ita Prælatis Cann. Regg. Congr. Lateranenſis expreſſis verbis conceſſit Eugenius IV. Florentiæ per ſignaturam *10. Cal. Auguſti Anno 1439. Pontif. 9.* ut ſuper irregularitatibus, ſi quas ex cenſuris excommunicationum, ſuſpenſionum, ac interdictorum, vel earum aliqua divina officia celebrando eorum Canonici incurriſſent, quoties opus fuerit diſpenſare valeant, ita ut omnes & ſinguli, cum quibus ſuper irregularitatibus ſupradictis diſpenſari contigerit, ad omnes ſacros Ordines promoveri, & in Ordinibus ſic ſuſceptis liberè miniſtrare poſſint. Eadem fermè habent Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos.* Innocentius VIII. in Bulla: *Sacra Religionis honeſtas.* Julius II. in Bulla: *Inter Cæteros.* ſupra relatis, ubi dictis Cann. Regularium Prælatis concedunt, ùt in caſibus, quibus exceſſerint, & pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut ſuſpenſionis ſententias à Jure vel ab homine generaliter promulgatas incurrerint, & hujuſmodi ſententiis innodati, aut in locis generali vel ſpeciali Eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto divina Officia celebrantes ſic ligati notam irregularitatis ſimiliter incurriſſent, diſpenſationis beneficium valeant illis impartiri. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, poſſe Prælatos Canonicorum Regularium diſpenſare cum illis in irregularitate ob violationem cenſurarum contracta, ut proinde alio argumento ad id probandum non ſit opus. Plura hujuſmodi privilegia conceſſerunt diverſi Pontifices aliis quoque Religioſis Ordinibus, quæ tamen brevitatis cauſa hic omitto recenſere, cùm ea videri poſſint in eorum compendiis, & apud Collectores privilegiorum *V. Diſpenſatio.*

Incurrit autem hanc irregularitatem, qui majori excommunicatione irretitus actum Ordinis proprium aut ex Jure divino, Eccleſiaſtico, vel conſuetudine Eccleſiæ eidem annexum exercet, ùt habetur *Can. ſi quis Epiſcopus 6. & Can. ſeq. cauſ. 11. quæſt. 3. & cap. fin de Cleric. excommunic.* Eandem pariter incurrit, qui perſonaliter interdictus vel in loco interdicto actum Ordinis proprium vel illi annexum exercet, ùt iterum habetur *cap. Is qui. 18. §. fin. & cap. Is. cui. 20. de ſentent. excommunic. in 6.* Eandem etiam incurrit ſuſpenſus ab Ordine, qui exercet actum illius Ordinis vel eidem annexum, ùt conſtat *ex cap. Apoſtolica 9. de Cleric. excommunic. cap. Cùm æterni 1. ℣. fin. de ſentent. & re judicat. in 6. & cap. Cùm medicinalis 1. ℣. fin. de ſentent. excommunic. in 6.* Si tamen ſuſpenſus ab uno Ordine actum alterius Ordinis, 50

à quo non eſt ſuſpenſus, exerceret, non fieret irregularis. Requiritur autem ad incurrendam hanc irregularitatem, ut actum Ordinis, à quo eſt ſuſpenſus, exerceat ſolemniter, qui ſcilicet à Clericis in tali Ordine conſtitutis tantùm fieri poteſt, ùt ſi Epiſtolam cantet in Miſſa cum manipulo, Evangelium cum ſtola: vel exerceat actum Ordinis ſacri abſque ſolemnitate quidem, ſed talem, qui à non conſtitutis in ſacris etiam abſque ſolemnitate fieri non poſſunt, ut ſi abſque debitis cæremoniis celebraret, aut abſolveret &c. per actum autem Ordinis ſacri intelliguntur omnes illæ actiones, quæ à ſolis Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, aut Epiſcopis fieri poſſunt, ùt canere Epiſtolam, vel Evangelium cum dicta ſolemnitate, Miſſam celebrare, abſolvere, nuptias ſolemniter benedicere (non item illis aſſiſtere) cinerum, ramorum, aut candelarum ſolemnis benedictio, Calicis aut Eccleſiæ conſecratio. Requiritur præterea, ut actus Ordinis proprius exerceatur temerè; quia irregularitas iſta à Jure lata eſt in pœnam culpæ gravis & quidem cum temeritate conjunctæ, prout conſtat *ex Can. ſi quis Epiſcopus 6. cauſ.* 11. *quæſt. 3. cap. Cùm medicinalis. 1. §. fin. de ſent. excommunic. in 6. cap. Latores 4. de Cleric. excommunic.* in quibus textibus irregularitatis pœna ſtatuitur in eos, qui cenſurâ innodati *audent* & *præſumunt* ſe divinis ingerere; ex quo ipſo ſequitur, quòd requiratur etiam, ùt quis ſcienter actum Ordinis exerceat; quia ob contemptum cenſurarum eſt impoſita. Unde ſi invincibiliter ignorans ſe cenſurâ irretitum celebret, eam non incurrit; quia irregularitas hæc pœna eſt, & oritur ex delicto, quod in ſic ignorantem non cadit. Nihil autem refert ad incurrendam hanc irregularitatem, quòd cenſuratus ſive excommunicatus ſit tolleratus, quia Jura generaliter loquuntur non diſtinguendo inter tolleratos vel non tolleratos, & quòd tolleratus ſit nihil confert ad illius favorem, ſiquidem per hoc, quòd eum tolleret Eccleſia, nullo modo voluit eum relevare, ùt ex Extravaganti Martini V. quæ incipit: *ad evitanda.* edita in Concilio Conſtantienſi conſtat.

Excuſatur verò ab incurrenda hac 51
irregularitate, qui ejusmodi actum Ordinis aut illi annexum exercet exigente extrema neceſſitate, ut ſi Sacerdos excommunicatus abſolvat moribundum non habentem copiam alterius Sacerdotis non cenſurati, quia in hoc articulo abſolvere quilibet, ùt conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform.* Excuſatur pariter, qui exercet actum Ordinis, ſi ex omiſſione illius ſequeretur grave ſcandalum vel infamia Sacerdotis, maximè ſi ex tali omiſſione periculum foret, ne ex ea manifeſtaretur crimen illius occultum; quia lex Eccleſiaſtica non videtur obligare caſu quo ejus obſervantia cum tali incommodo eſt conjuncta; atque hinc etiam excuſatur ille, qui cele-

celebrat talem actum Ordinis ob gravem metum alterius gravis mali, dummodo metus iſte non fuerit incuſſus in contemptum cenſurarum. Excuſatur ſimiliter, quando ſententia cenſuræ eſt evidenter nulla; quia univerſaliter loquendo non debet is pœnam canonicam ſuſtinere, in cujus damnationem canonica non eſt lata ſententia: & *ſicut* hujusmodi *ſententia Juris caret effectu, ſic authoritate & nomine rei careat judicatæ, ut nec in opinione communi, aut vulgi labiis nomen habere mereatur judicatæ*, ùt dicitur *Clement. 2. ℣. ut igitur. propè fin. de ſent. & re judicat.* & concordat *L. ſiſe. 4. §. condemnatum. 6. ff. de Re judic.* Excuſatur quoque ab hac irregularitate, qui excommunicatus, ſuſpenſus aut interdictus poſt interpoſitam
17 appellationem à ſententia cenſuræ contra ſe latæ, etiam illegitimam, quam tamen putat eſſe validam, ante abſolutionem à cenſura exercet actum proprium Ordinis, à quo eſt ſuſpenſus vel interdictus, aut etiam alium, ſi ſit excomunicatus, quamvis mortaliter peccet, ſi ſciret aut ſcire poſſet vel deberet, appellationem ſuam non eſſe juſtam. Univerſim denique loquendo excuſantur ab hac irregularitate, quoties intervenit cauſa quædam ſufficienter excuſans à peccato mortali, nam ad eam incurrendam requiritur culpa gravis, quæ ſuppoſita tali cauſa excuſante nulla eſt, adeóque tam gravis pœna locum habere non poteſt. An autem minori excommunicatione ligatus incurrat irregularitatem divina celebrando aut actum Ordinis exercendo, quamvis olim maximè controverſa fuerit quæſtio, hodie tamen certum eſſe videtur, eam non incurri ob claram deciſionem Gregorii IX. *cap. fin. de Cleric. excommunic.* factam, ubi ſupponitur, irregularitatem ſolùm contrahi ab eo, qui id facere præſumit in excommunicatione majore.

Dico denique 6tò. *Poſſunt Canonicorum aliorumque Regularium Prælati cum Religioſis ſibi ſubditis diſpenſare in irregularitate per illegitimam Ordinum ſuſceptionem, ac indebitum illorum uſum contractâ.* 52

Ita rursùs deducitur ex ſuprarelatis SS. Pontificum privilegiis Canonicorum Regularium Prælatis conceſſis, ac inprimis Eugenii IV. Florentiæ *10. Calend. Auguſt. Anno 1439. Pontif. 9.* in quo Lateranenſibus per ſimplicem ſignaturam poteſtatem facit diſpenſandi ſuper irregularitatibus quibuscunque & quomodocunque contractis: & conſequenter etiam ſuper irregularitate ob illegitimam Ordinum ſuſceptionem ac indebitum illorum uſum contractâ, ita ut omnes & ſinguli ad omnes ſacros Ordines promoveri valeant, & in ordinibus ſic ſuſceptis miniſtrare. Sic etiam Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos.* Innocentius VIII.

in

in Bulla: *ſacra Religionis honeſtas.* Julius II. in Bulla: *Inter cæteros.* pariformiter concedunt Canonicorum Regularium Prælatis facultatem diſpenſandi ſuper irregularitatibus in omnibus caſibus, & ex quavis cauſa contractis, & quas etiam ſuſcipientes Ordinem incurriſſent, ùt irregularitatibus hujusmodi non obſtantibus ad quoscunque, etiam ſacros & Presbyteratûs Ordines promoveri, & in illis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & ad quæcunque officia, adminiſtrationes, ſeu dignitates prædictæ Congregationis aut illius Eccleſiarum, Monaſteriorum & locorum recipi & aſſumi, illaque gerere & exercere liberè & licitè & absque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ valeant; ex quibus evidens eſt, quòd poſſint Prælati Canonicorum Regularium diſpenſare in irregularitate ob illegitimam Ordinum ſuſceptionem & indebitum eorum uſum contracta; cùm enim vi dictorum privilegiorum poſſint ſuper irregularitatibus quibuscunque ac in omnibus caſibus, & ex quacunque cauſa contractis, & quas etiam ſuſcipientes Ordinem incurriſſent diſpenſare, clarum eſt, quòd etiam poſſint diſpenſare in irregularitate ob illegitimam Ordinum ſuſceptionem contractâ. Prætermitto plura alia hujusmodi privilegia aliis Ordinibus Religioſis conceſſa, quæ videri poſſunt apud Collectores privilegiorum & Auguſtinum à Virgine Maria *V. Diſpenſatio*, ac Antonium à Spiritu S. *in Director. Regular. tr. 2, Diſp. 1. n. 72.*

Incurrunt autem hanc irregularitatem, qui Ordines ſuſcipit ſine approbatione vel examine Epiſcopi *cap. Veniens 1. de eo qui furtivè juncta Gloſſ. V. furtivè.* aut ignorante Ordinatore ſe dolosè ordinandis immiſcet. *Can. Quando. 5. diſtinct. 24. & Can. Extra. 5. diſt. 64.* qui ad minores Ordines admiſſus eâdem die recipit Subdiaconatum. *cap. Cùm H. 3. de eo qui furtivè.* aut contra ſuperioris inhibitionem eodem die dolosè recipit duos majores Ordines. *cap. fin. eodem.* qui poſt contractum matrimonium ante conſummationem illius Ordinem ſacrum ſuſcipit invita uxore. *Extravag. antiqua concertationi. de voto.* & denique qui ſolemniter exercent actum Ordinis, quem nunquam receperunt, aut ſcienter in eo miniſtrant. *cap. 1. & 2. de Cleric. non Ordinat.* Dixi, qui ſolemniter exercet, id eſt, cum ſolemnitatibus, cæremoniis, aut circumſtantiis, in quibus à non habente talem Ordinem fieri non poteſt, ut ſi in Miſſa ſolemni Epiſtolam cum manipulo & Evangelium cum ſtola canat abſque Ordine Diaconatûs vel Subdiaconatûs: & ſi absque Ordine Presbyteratûs ſolemniter baptizet, abſolvat ſacramentaliter, Miſſam celebret. Dixi etiam: *aut in eo ſcienter miniſtrant;* nam ſi putaret ſe habere talem Ordinem, non fieret irregularis. An verò irregularitatem hanc incurrat etiam laicus ſolemniter baptizans, Miſſam celebrans &c. magna eſt inter AA. controverſia, in qua tamen mihi præplacet negativa ex ratione, 53

Digitized by Google

quia nulla incurritur irregularitas, niſi in caſibus Jure expreſſis: ſed nullo Jure expreſſum eſt, quòd talis laicus irregularitatem incurrat, quin potiùs contrarium elicitur ex rubrica tituli 28. quæ eſt de Clerico non ordinato miniſtrante, non veró de laico non ordinato miniſtrante, unde verba generalia, quæ in Juribus ibidem contentis adducuntur in contrarium, intelligi & explicari debent juxta dictam rubricam tituli, nempe de Clerico.

Sectio IV.

De poteſtate Prælatorum diſpenſandi in irregularitate ex infamia provenientc.

54 IRregularitati, quæ provenit ex delicto, affinis eſt irregularitas, quæ naſcitur ex infamia, cùm hæc ſemper oriatur ex delicto, eoque gravi vel enormi. Eſt autem infamia, publica diminutio boni nominis & rectæ exiſtimationis ob ſiniſtram de perſona opinionem ex vitio vel delicto ortam. Alia eſt infamia facti, alia infamia Juris. Infamia facti dicitur, quæ ex ipſo facto oritur ſecluſa omni lege, quia cùm fama ſit dignitatis ac exiſtimationis illæſæ ſtatus legibus ac moribus comprobatus ac in ullo diminutus *L. cognitionum 5. §. exiſtimatio 1. ff. de extraord. cognit.* diminuitur per grave delictum, quod eſt Juribus ac legibus contrarium; habent enim quædam hominum facta ex natura ſua dedecus annexum & exiſtimationem bonam diminuunt, licèt neque lex neque Judicis ſententia infamem declaret, ùt ſunt illa peccata, quæ attento cujuscunque ſtatu & communitate in qua vivit, vilis & abjectæ exiſtimationis apud pios & prudentes reddunt; ad quam reducitur illa, quæ provenit ex delictis, quæ in Clericis enormia dicuntur, ùt homicidium, perjurium cum falſo teſtimonio in judicio, hæreſis, ſodomia, ſimonia, & alia, quæ infamiam ex Jure inducunt *cap. ex tenore 4.* & *cap. quæſitum. 17. de tempor. Ordinat.* ex quibus etiam capitulis conſtat, quòd ad hoc, ùt ejusmodi delicta inducant irregularitatem, requiratur, ùt ſint publica ac notoria; unde nec ſodomita, nec ſimoniacus aut alio quocunque crimine innodatus, irregularis fit, niſi delictum ſit publicum aut notorium. Requiritur præterea ad hoc, ùt infamia facti inducat irregularitatem, ùt fundetur ſuper aliquo Jure ſtatuente quodnam crimen ad infamiam incurrendam ſufficiat; quia ſicut non incurritur irregularitas, niſi ſit in Jure expreſſa *cap. is cui. de ſentent. excommunic.*

in 6. ita neque infamia inducere poteſt irregularitatem, niſi in Jure habeatur expreſſa, prout etiam docet Suarez *de Cenſur. Diſp. 48. ſect. 1. n. 11.* Garcias *de benefic. part. 7. cap. 8. n. 64.* & *part. 11. cap. 3. n. 118.* Coninch. *de Cenſur. Diſp. 18. dub. 7. n. 58.* Bonacina *de Cenſur. Diſp. 7. quæſt. 3. punct. 1. n. 5.* Sigismund. à Bononia *de elect. Præl. dub. 86. n. 4.* Bartolom. de Vecch. *in praxi Novit. Diſput. 9. dub. 12. n. 6.* Aſcan. Tamburin. *to. 2. Diſp. 17. quæſt. 7. n. 4.* Unde is propriè dicitur infamis infamia facti irregularitatem inducente, cujus delictum eſt notorium ac publicum evidentia facti, & tale connumeratur inter ea, quæ in Jure notantur infamia. Siniſtra autem opinio ſeu infamia inter homines orta ex aliquo crimine, de quo in Jure non ſtatuitur, ùt tale delictum ſit ex iis, quæ infamant, non dicitur infamia facti legalis, nec per eam irregularitas propriè, ſimpliciter, abſolutê, ac ſtrictè ſumpta incurritur, licèt tali opinione gravetur quidem perſona, ac illius fama denigretur, poſſitque reddi indigna munerum ac dignitatum, quantùm rei natura vel conditio poſtulaverit, non tamen per modum pœnæ vel legalis impedimenti, ſed ex naturali tantùm ratione: & idcircò talis infamia non dicitur legalis ſed humana; ùt cum Authoribus citatis iterum docet Tamburinus *d. quæſt. 7. n. 4.*

15 Infamia Juris eſt, quæ authoritate legis vel Canonis ob turpe factum decernitur, eaque tribus potiſſimùm modis contrahitur, ſcilicet ipſo Jure, ſententia judicis, & genere pœnæ. Ipſo Jure contrahitur infamia, cùm tale quid perpetratum eſt, quod ante judicis ſententiam leges vel Canones probro vel ignominia dignum judicant & damnant, cujusmodi facta & crimina multa recenſentur tum in Jure civili tum in Jure Canonico; & quidem de Jure civili infames ſunt, qui lenocinium exercent, fœminæ & maris quæſtuaria proſtitutione. *L. Athletas 4. §. 2. ff. de his notant. infam. & L. palam. 43. §. 6. ff. de ritu nuptiar.* Qui bina ſponſalia binasque nuptias eodem tempore & propria authoritate conſtitutas habent. *L. quid ergò 13. ff. de his qui notant. infam.* Qui operam ſuam locant, ùt cum feris beſtiis depugnetur *L. 1. §. 6. v. & qui ff. de poſtuland.* Qui quæſtûs cauſa ſive accepto pretio cum alio homine in certamen privatum deſcendit. *L. quod ait 2. §. fin. ff. de his qui notant. infam.* Hiſtriones, qui pro quæſtu turpes ludos edunt. *§. fin. cit. & Can. diffinimus 1. cauſ. 4. quæſt. 1.* Uſurarii manifeſti, qui improbum fœnus exercent, & uſuras uſurarum injuſte exigunt. *L. improbum 20. Cod. ex quibus cauſ. infam. irroget.* Qui juramentum promiſſorium contractui vel transactioni appoſitum, ad quod obligatus fuerat, non implet, cùm poſſet illud implere. *L. ſi quis major 41. Cod. de transactionibus.* De Jure verò Canonico infames ſunt Hæretici *ex cap. excommunicamus 13. §. credentes de Hæreticis.* &

Authent. Gazaros. Cod. eodem. Rei violatæ divinæ humanæque Majeſtatis, & S. R. Eccl. Cardinales hoſtiliter invadentes. *cap. Felicis V. de pœnis in 6.* Qui in duellum deſcendunt & eorum Patrini. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 19. de Reform.* Qui fœminam matrimonii ineundi cauſa rapiunt, eorumque fautores & cooperatores. Idem Concil. *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 6.* Qui Epiſcopos ſuos perſequuntur aut invadunt, vel eisdem inſidiantur. *Can. Hi qui Epiſcopos. 9. cauſ. 3. quæſt. 4.* Qui adversùs proprios parentes armantur *Can. omnes 13. cauſ. 3. quæſt. 5.* & plures alii, qui referuntur *Can. Infames 17. cauſ. 6. quæſt. 1.* & *Can. Conſtituimus. 9. cauſ. 3. quæſt. 5.* ac univerſim omnes, qui Jure civili infames ſunt, etiam Jure Canonico pro infamibus habentur *Can. omnes 2. cauſ. 6. quæſt. 1.* niſi hoc Jus infamiam expreſsè tollat. Sicut autem ad infamiam facti contrahendam requiritur, ut crimina ſint publica & notoria, ita pariter idipſum requiritur ad contrahendam infamiam Juris, nec tamen opus eſt aliqua ſententia declaratoria criminis: licèt in hoc plures contrarium teneant. V. de Murga *to. 2. D. 1. dub. 13. n. 109.*

56 Judicis ſententia fiunt infames 1mò qui ex accuſatione condemnati ſunt de delicto publico, hoc eſt, tali, cujus accuſatio cuilibet de populo eſt permiſſa. *§. publica 1. Inſtitut.* & *L. infamem 7. ff. de public. Judic.* uti ſunt crimina læſæ Majeſtatis, proditionis, falſi &c. 2dò condemnati de rapina, de furto, de expilata hæreditate, & de injuria etiam non atrociori; quantumvis enim hæc delicta ſint privata, ſubſecuta tamen judicis ſententia & condemnatione, etiam ipſa irrogant infamiam. *L. infamem. cit. L. Decuriones 5. L. ſi furti. 8. L. ſi te expilaſſe 12. Cod. ex quib. cauſ. infam. irrogetur.* 3tiò qui ne de criminibus accuſarentur, dato pretio pacti ſunt. *L. Athletas 4. § fin. ff. de his, qui notant. infam.* 4tò qui doli mali in contractu ſocietatis, in tutela, mandato, depoſito, in alicujus criminis accuſatione commiſſi, item qui calumniæ, aut prævaricationis in publico judicio perpetratæ damnati ſunt. *L. fuſtibus 6. Cod. ex quibus cauſ. infam. irrogetur.* Ad hoc verò, ut his criminibus infamia contrahatur, requiritur, ut quis de iis ſit condemnatus per judicis ſententiam, quæ neque ſit invalida, nec ſuſpenſa per appellationem, ſed tranſierit in rem judicatam *L. furti 6. §. ſed ſi furti. 1. ff. de his qui notant infam.* & tenent Sylveſter *V. infamia n. 12.* Molina *tr. 4. de Jur. & juſtit. Diſp. 9. n. 4.* Suarez *de Cenſur. Diſp. 48. ſect. 1. n. 6.* Perez *in Cod. ad tit. ex quibus cauſ. infam. irrog. n. 9.* Wieſtner *ad tit. de pœnis n. 56.* Reiffenſtuel *ad eundem n. 58.* Schmier *de poteſt. Ord. cap. 6. n. 513.* Schmalzgrueb. *ad tit. 37. L. 5. n. 167.* haud tamen eſt neceſſe, ut qui de aliquo hujusmodi criminum à judice condemnati, infames evadunt, in ſententia tali expreſſa fiat infamiæ mentio, ſed ſufficit, quòd in ea expreſſum ſit crimen,

ut

ut benè advertit Perez *loc. cit. n. 12.* & P. Schmier *n. 514.*

57 Pœnæ genere infames habentur, qui ignominiæ cauſa exauthorantur militia, moventur Ordine, vel interdicuntur honoribus. *L. Prætoris 1. L. quod ait. 2. pr. ff. de his qui notant. infam. L. Etſi 3. Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog.* Item qui deportati vel ad tempus in opus publicum damnati ſunt. *L. ad tempus. 6. Cod. eodem.* Similiter qui fuſtibus cœſi ſunt, ex juſta tamen cauſa; quia non tam fuſtigatio quàm cauſa, propter quam ictus fuſtium quis meruit, infamat. *L. ictus. 22. ff. de his qui notant. infam.* & *L. fuſtibus 6. Cod. ex quib. cauſ. infam. irroget.* Nec obſtat *L. nullam 14. Cod eodem.* ubi decernitur per fuſtigationem publicam non incurri infamiam. Nam hæc lex loquitur de caſu, quo pœna iſta infligitur indagandæ veritatis causâ, quo caſu fuſtigatio publica poſt ſe non trahit infamiam, quemadmodum legem hanc explicant Molina *L. c. Diſp. 9. n. 19.* & Palao *tr. 29. Diſp. 6. punct. 20. n. 4.* His accenſent multi infamiam Juris ex delicto alieno provenientem, ratione cujus infames ſunt filii aut nepotes parentum, qui violentas manus injecerunt in S. R. E. Cardinalem *cap. Felicis V. ℣. quod ſi quis. de pœnis. in 6.* Item filii perduellium & proditorum, qui commiſerunt crimen læſæ Majeſtatis. *L. quisquis 5. ad Leg. Jul. Majeſt.* uti & illegitimè procreati. *cap. ut filii 1. & ſeqq. de fil. Presbyt.* qui proinde Jure Eccleſiaſtico ab Ordinibus & beneficiis repelluntur, quibus in Germania noſtra annumerantur filii carnificum & quorumdam lictorum, quòd non ſolùm à dignitatibus & officiis publicis, ſed etiam ab opificiis & mechanicis muneribus arceantur. Verùm hoc poſtremum ſolemni Imperiali edicto nuper mutatum eſt, quo liberi lictorum capaces declarati fuerunt ad quælibet opificia & artes mechanicas. Cæterum infamia Juris durat perpetuò *L. ad tempus. 6. Cod. ex quib. cauſ. infam. irroget.* niſi à Principe vel habente poteſtatem aboleatur. *Can. Euphemium 7. §. hinc colligitur. cauſ. 2. quæſt. 3.*

Sicut autem hujusmodi infames excluduntur à dignitatibus & honoribus per *L. Neque famoſis 2. Cod. de dignitat.* & *ex Regula Juris 87. in 6.* & removentur ab actibus legitimis ac publicis muneribus, ita ut nec ad teſtimonium dicendum ſint admittendi *cap. teſtimonium 54. de teſtibus.* & *L. teſtium 3. §. ideoque 1. ff. eodem.* Ita repelluntur etiam ab Ordinibus, ita ut neque ad Ordines promoveri, neque in ſuſceptis miniſtrare poſſint, atque adeò irregulares ſunt *Can. fin. diſt. 51.* & *Can. infames 17. cauſ. 6. quæſt. 1.* cùm enim ad ſacrum miniſterium tantùm illi admitti debeant, qui purum ac immaculatum nomen conſervant, cùm ſit indecens ad Eccleſiaſtica munia admitti, qui famam ſui nominis ob aliquod crimen pollutam habent: meritò omnes, qui infamia aliqua notantur ſive Juris ſive facti, per 58

Jus

Jus Canonicum irregulares fiunt per citatos Canones & *Can. Teſtes 39. cauſ. 2. quæſt. 7.* idque procedit, ſive quis ſit infamis de Jure civili, ſive de Jure Canonico; quia infamia inducta per Jus civile, quod non eſt abrogatum per Jus Canonicum, dicitur infamia canonica in ordine ad cauſandam irregularitatem per textum in *Can. omnes 2. cauſ. 6. quæſt. 1.* ibi: omnes verò infames eſſe dicimus, quos leges ſæculi infames appellant. Neque hæc irregularitas impedit tantùm, ne quis ad Ordines promoveri aut in iis jam ſuſceptis miniſtrare poſſit, ſed excludit etiam à dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis; quia hæc nonniſi à probatis & integræ exiſtimationis perſonis adminiſtrari debent, cùm, ùt dicitur *cap. Inter dilectos. 11. de exceſſib. Prælator.* perſonis vilibus & indignis portæ dignitatum patere non debeant juxta legitimas ſanctiones; eſtque collatio talibus facta ipſo Jure irrita ſaltem pro foro externo, nam in foro interno & conſcientiæ proviſionem hujusmodi ſubſiſtere putant Garcias *part. 7. de benefic. cap. 8. n. 47.* Palao *tr. 29. Diſput. 6. punct. 20. n. 10. ℣. Cæterùm.* quòd nullo Jure ſit expreſſum, eam irritam eſſe pro hoc foro: nullitas autem actûs ſine manifeſto Juris textu ſtatuenda non ſit. His ita præmiſſis ac ſuppoſitis quæſtio jam eſt 1mò, quomodo tollatur infamia facti? 2dò. quomodo tollatur irregularitas ex infamia Juris contracta? 3tiò, an Prælati Regulares cum ſubditis ſibi Religioſis diſpenſare poſſint in irregularitate ex infamia proveniente?

Dico 1mò. *Infamia meri facti tolli & aboleri poteſt facto contrario ſive publica & conſtanti emendatione vitæ triennio ſaltem continuata.* 19

Ita Panormitanus *in cap. Cùm te. 23. de ſentent. & re judicat. n. 9.* Navarrus *in Manual. cap. 27. n. 204. ℣. quin etiam.* Sylveſter *V. infamia. n. 11.* Clarus *§. fin. q. 21. n. 1.* Molina *tr. 4. Diſp. 10. n. 1.* Suarez *Diſp. 28. ſect. 2. n. 6.* Henriquez *L. 14. cap. 5. n. 3.* Bonacina *hic punct. 1. n. 5.* Garcias *part. 7. de benefic. cap. 8. n. 64.* Cornej. *quæſ. 4.* Palao *tr. 29. Diſp. 6. punct. 20. n. 14.* Sigism. à Bononia *de poteſt. Prælat. dub. 87. n. 7.* Barboſa *de offic. Epiſc. allegat. 43. n. 21. & ſeqq.* Aſcan. Tamburin. *to. 2. Diſp. 17. quæſ. 7. n. 12.* Antonellus *de Regim. Eccleſ. cap. 6. n. 17.* Pirhing *de tempor. Ordin. n. 19.* Andreas à Matre Dei *tr. 10. cap. 9. punct. 8. n. 85.* Schmier *de poteſt. Ordin. cap. 6. n. 549.* & colligitur *ex Can. Si duo. 4. cauſ. 35. quæſt. 6.* ubi dicuntur: *infames effecti, donec ab inceſti facinore deſiſtant.* apertéque traditur *Can. nunquam. 4. diſtinct. 56.* ubi relatus S. Chryſoſtomus *ad meliora*, inquit, *converſum nequaquam prior vita commaculat.* & ratio eſt; quia omnis res

per

per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur: *cap. 1. de Reg. Jur. cap. teſtimonium 54. de teſtib.* & Gloſs. *in Can. primùm. 6. diſtinct. 25.* Infamia autem facti naſcitur per factum malum: ergò per factum bonum ſive per publicam & conſtantem vitæ emendationem diſſolvitur, ex qua bona opinio apud probatos & graves viros denuò conſurgat, & mala, quæ antea erat orta, tollatur: & ſicut hominum oblocutione infamia proceſſerat, ita contrario eorum dicto evaneſcat, ut adeò ad Ordines, dignitates, beneficia, & officia quæcunque aſpiranti diſpenſatio non ſit neceſſaria, modò factum ſuum emendatione melioris vitæ publica & conſtanti correxerit, & maculam priorem abſterſerit. Quòdſi omnis infamia facti tollitur emendatione vitæ, tunc illa multò magis tolletur per ingreſſum Religionis factámque in ea Profeſſionem, & ſiquidem primùm poſt eam commiſſum ſit delictum, ex quo oritur infamia facti, ea ipſa poterit iterum tolli per vitam religiosè & & in pœnitentia triennio ſaltem continuatam. Dico, *triennio ſaltem continuatam*; nam criminoſus & infamis infamia facti præſumitur emendatus & purgatus, ſi trium annorum ſpatio ab improbè factis abſtinuerit, & in rectis ac honeſtis actionibus ſe exercuerit: præſumptio enim, de qua Regula *Juris 8. in 6.* ſemel malus, ſemper præſumitur eſſe malus, tollitur, ſi quis per triennium laudabiliter vixerit poſt commiſſum delictum, ut notarunt Felinus *in cap. Cùm deputati. 16. de Judic. n. 1.* Navarrus *comment. 2. de Regular. n. 60.* Maſcard. *de probat. concluſ. 465. n. 10.* Barboſ. *d. Allegat. 43. n. 23.* Tamburinus *quaſ. cit. n. 13.* & ideò Religioſus, qui in ſæculo erat infamis infamia facti, triennio poſt ſuſceptum habitum præſumitur mundus ab omni macula humana, donec contrarium probetur: qua de re tamen ad Prælatum ſpectat judicare ac declarare emendatum, qui etiam abbreviare poteſt tempus triennii ſpectato rigore pœnitentiæ, & emendatione vitæ.

Dico 2dò. *Irregularitas ex infamia Juris contracta non tollitur per emendationem vitæ, ſed ſola diſpenſatione aboleri poteſt.* 60

Ita AA. communiſſimè; & ratio eſt; quia infamia Juris, & exinde conſequens irregularitas inducta eſt per legem, aut ſententiam perpetuam tanquam pœna delicti: ſicut igitur pœnitentia aut emendatio vitæ non ſufficit ad tollendas alias pœnas à Jure vel ab homine impoſitas, ita neque ſufficit ad hanc pœnam irregularitatis auferendam, ſed requiritur omninò diſpenſatio, utpote qua ſola relaxari poſſunt ſtatuta Canonum, & decreta legum ac ſententiæ Judicum in certa delicta ema-

Digitized by Google

natæ. Hanc autem diſpenſationem impertiri poteſt S. Pontifex reſpectu Clerici, undecunque ſit orta infamia & conſequens exinde irregularitas, utpote cùm ejus ſupremæ juriſdictioni ſubjectus ſit: quòd ipſum dicendum eſt reſpectu laicorum, qui temporali Papæ juriſdictioni ſubſunt, ac etiam reſpectu ſubditorum Principibus ſæcularibus quoad effectus Jure Canonico inductos, cùm irregularitas ſit effectus infamiæ Jure Canonico annexus: quia tamen non expedit, ut tales promoveantur ad Ordines & beneficia, antequam in priſtinum bonæ famæ ſtatum reſtituantur à Principe ſæculari, idcircò S. Pontifex non ſolet irregularitatem ejuſmodi infamium tollere, priusquam illis ſæcularis Princeps reparet famam; quoad effectus verò Jure civili infamibus inductos ſolus Princeps aut Magiſtratus ſæcularis, cujus juriſdictioni ſubſunt, abolere poteſt infamiam Juris, qua abolita ac ſublata eo ipſo ceſſat irregularitas in ea fundata, ita ut perſona taliter famæ reſtituta ad Ordines & beneficia Eccleſiaſtica ſine alia diſpenſatione valeat promoveri: ſecùs eſt, ſi infamia ſit ſpecialiter etiam inducta per Jus Canonicum, qualis eſt, quam incurrunt hæretici, manifeſti uſurarii, binas nuptias ſimul habentes &c. nam iſta quoad effectus canonicos per reſtitutionem famæ à Principe ſæculari factam non aboletur: conſequenter ut ad Ordines & beneficia Eccleſiaſtica eâ laborantes promoveri poſſint, opus habent diſpenſatione Apoſtolica. Infamia verò illa, quæ per Judicis ſententiam inducta fuit, per ejusdem vel ſuperioris ſententiam tolli poteſt, qua in priſtinam famam reſtituatur. Quod ad Epiſcopos attinet, probabilius mihi videtur, illos non poſſe diſpenſare in irregularitate ex infamia Juris provenientе; cùm hæc irregularitas fundetur in delicto publico, ùt ſupra diximus: ſed Epiſcopi diſpenſare non poſſunt in irregularitate ex delicto publico fundata: ergò neque in irregularitate ex infamia Juris proveniente; quòd ſi tamen irregularitas aliqua ex delicto occulto v. g. hæreſis contraheretur, ùt plures & graviſſimi Doctores aſſerunt, poſſent haud dubiè in ejuſmodi irregularitate virtute Tridentini diſpenſare Epiſcopi; quia Concilium non limitavit poteſtatem diſpenſandi in irregularitatibus, ſed abſolutè dixit, in omnibus, quæ oriuntur ex delicto occulto licere Epiſcopis diſpenſare, unicâ duntaxat exceptâ, quæ ex homicidio voluntario naſcitur: exceptio autem firmat regulam in caſibus non exceptis. Nec obſtat, quòd per Bullam Cœnæ Epiſcopis ſit adempta poteſtas abſolvendi ab hæreſi occulta, quæ antea virtute Tridentini ipſis competebat; quia poteſtas abſolvendi & poteſtas diſpenſandi ſunt omninò diverſæ, & à diverſis non fit illatio, præſertim ſi unum ſit majus altero, ſicut poteſtas abſol-

ven-

Digitized by Google

vendi eſt major poteſtate diſpenſandi; & in Germania quidem & aliis Provinciis ſeptentrionalibus Epiſcopi ex hæreſi non tantùm occulta, ſed etiam publica ad fidem Catholicam converſos, & ab ea abſolutos, ſi cætera digni ſint, ordinare ſolent absque aliâ diſpenſatione; quia tales neque in foro civili à publicis dignitatibus & officiis excluduntur, multò minùs reputantur infames, ùt docent Navarrus *L. 1. tit. 2. Conſil. 1. q. 14. n. 4.* Layman. *L. 1. p. 5. c. 4.* Pirhing *tit. de hæret. n. 47. ℣. illud.* Quamvis autem Epiſcopi diſpenſare non poſſint ſaltem regulariter in irregularitate ex infamia Juris contracta, ut ad altiores Ordines promoveri poſſint eorum ſubditi ac Clerici, cùm infamia fundetur in delicto publico, illúdque ſupponat, poſſunt tamen ex conceſſione Alexandri III. *cap. Etſi Clerici. 4. § de adulteriis. de Judic.* poſt peractam pœnitentiam cum Clericis diſpenſare in adulterio & aliis criminibus, quæ ſunt minora, ut in jam ſuſceptis Ordinibus miniſtrent. An verò etiam Prælati Regulares cum Religioſis ſibi ſubditis diſpenſare poſſint in irregularitate ex infamia Juris contracta, ut non tantùm in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, ſed etiam ad altiores, uti & ad beneficia & dignitates promoveri valeant, quod erat præcipuus hujus ſectionis ſcopus, nunc tandem ſtatuendum. Unde

Dico 3tiò. *Poſſunt Canonicorum aliorúmve Regularium Prælati diſpenſare cum Religioſis ſibi ſubditis in irregularitate ex infamia Juris proveniente ſive ante ſive poſt ingreſſum Religionis contracta, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare ac ad altiores aſcendere, & ad beneficia & dignitates promoveri valeant.*

Ita deducitur non ſolùm ex omnibus illis SS. Pontificum privilegiis ac Bullis, in quibus univerſaliter concedunt Canonicorum aliorúmque Regularium Prælatis abſolutam poteſtatem diſpenſandi in irregularitatibus *in quibuscunque caſibus, quomodocunque*, aut *ex quavis cauſa* contractis, nulla facta exceptione irregularitatis ex infamia provenientis, quemadmodum faciunt Sixtus IV. Innocentius VIII. Julius II. &c. pro Canonicis Regularibus, & alii Pontifices pro aliis Religioſis Ordinibus; verùm etiam & quidem ſpecialiter ex Bulla Eugenii IV, quæ incipit: *Injunctum Nobis Anno 1434.* in qua indulget Prælatis, ut omnem poſſint abolere infamiæ maculam ſive notam inde conſurgentem, 61

Digitized by Google

Id quod multò clarius & expreſſius declarat S. Pius V. in Bulla: *Dum ad Congregationem.* 13. *Junii Anno* 1571. in qua omnibus & ſingulis Abbatibus & Prælatis Congregationis Caſſinenſis facultatem concedit quoſcunque Monachos, Converſos, Commiſſos, & Oblatos tam Profeſſos, quàm Novitios, in ea tamen perſeverantes, à quibusvis criminibus, reatibus, culpis, cenſuris, & pœnis ante vel poſt ingreſſum in hujusmodi Congregationem ex quavis cauſa, vel ob quemvis exceſſum & delictum publicum vel occultum, caſu ſeu data opera incurſis vel incurrendis, etiamſi de caſibus reſervatis ſedi Apoſtolicæ fuerint, vel de comprehenſis in Bulla, quæ die Cœnæ Domini legi conſuevit, toties quoties opus fuerit, injuncta ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari abſolvendi & liberandi, ac in priſtinum & eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet erant & fuerunt, ſtatum reintegrandi, ac omnem inhabilitatem & infamiæ maculam ſeu notam inde quomodolibet inſurgentem ab eis & eorum quolibet prorſus abolendi, ſecúmque quòd præmiſſis non obſtantibus, non promoti ad omnes etiam ſacros & Preſbyteratûs Ordines promoveri, atque Monaſteriis ejusdem Congregationis in Abbates, Priores, & Prælatos præfici, nec non ad quaſcunque alias dictæ Congregationis Prælaturas eligi & aſſumi, munúsque benedictionis ſuſcipere; & tam illi, quàm qui jam ante vel poſt præmiſſa ſint vel fuerint promoti, præfecti, electi, etiamſi munus benedictionis hujusmodi ſcienter ſuſceperint, irregularitatibus, inhabilitatibus, reatibus, cenſuris & pœnis hujusmodi vel aliis quibuscunque criminibus irretiti & innodati ſcienter Miſſis & alia divina officia celebráſſent, ſimúlve ſeu aliàs munere benedictionis hujusmodi quomodolibet uſi eſſent, in Altaris miniſterio miniſtrare, & dicto munere uti, nec non omnes, & quaſcunque Prælaturas, obedientias, adminiſtrationes & officia Ordinis & Congregationis hujusmodi retinere, recipere, gerere, & exercere liberè & licitè poſſint & valeant, licentiam & facultatem liberam diſpenſandi Apoſtolica auctoritate perpetuò elargitur. Idipſum conceſſit Gregorius XIV. verbis licèt contractioribus in Bulla, quæ incipit: *Illius qui pro Gregis.* 21. *Septembr. Anno* 1591. ubi Prælatis Clericorum Regularium infirmis miniſtrantium poteſtatem impertitur cum ſubditis ſuis diſpenſandi in irregularitate etiam cum rehabilitatione & abſterſione inhabilitationis & infamiæ maculæ, ita tamen quòd ſic diſpenſati pro tempore, ſi de Ordine egrediantur, eoipſo in priſtinas ſententias & cenſuras reincidant. Id quod jam ante Eremitis B. Petri de Piſis conceſſerat Eugenius IV. in Bulla: *Provenit.* 22. *Februar. Anno* 1437. ac poſtea extenderat Sixtus IV. in Bulla: *Iis qua piorum.* 19. *Junii Anno* 1473.

ad

ad Eremitas S. Franciſci de Paula, nunc Minimos dictos, quòd Sacerdotes Societatis prædictæ cum omnibus & ſingulis Eremitis ipſius Societatis ſuper irregularitate per ipſos quoquomodo vel ex quavis cauſa contracta diſpenſare & infamiæ maculam abolere valeant. Ex quibus omnibus SS. Pontificum privilegiis, præſertim S. Pii V. apertè patet, poſſe Canonicorum Regularium Prælatos, utpote qui cum Congregatione Caſſinenſi & aliis Ordinibus relatis ex conceſſione Sixti IV. Innocentii VIII. Julii II. & III. ac Gregorii XV. ampliſſimè communicant in privilegiis, diſpenſare in irregularitate ex infamia Juris proveniente & maculam inde contractam abolere; nam ex una parte potuerunt SS. Pontifices hanc poteſtatem Prælatis concedere: ex altera verò parte eandem reipſa conceſſerunt, ùt patet ex relatis hactenus privilegiis, nec ullibi eam revocâſſe conſtat: igitur illam actu obtinent Prælati, ita ut non tantùm diſpenſare poſſint in irregularitate & infamia ex delictis minoribus proveniente, ùt Epiſcopi, ſed etiam ex criminibus quibuscunque utut enormibus contracta, cùm SS. Pontifices nullum exceperint.

62 Ex quo ipſo ſequitur, poſſe Prælatos diſpenſare cum Religioſis ſuis infamibus, & exinde irregularibus factis ex delicto hæreſis, apoſtaſiæ à fide & Religione, ac aliis in Bulla Cœnæ contentis caſibus, & quibuscunque criminibus quantumvis enormibus, cùm SS. Pontifices ſupra relati loquantur univerſaliter de irregularitate *in omnibus caſibus, quomodocunque, & ex quavis cauſa* contractâ: & S. Pius V. expreſsè dicat, quòd poſſint diſpenſare in quibuscunque criminibus ante vel poſt ingreſſum Religionis ex quavis cauſa, ob quemvis exceſſum & delictum publicum vel occultum caſu ſeu datâ operâ incurſis & incurrendis, etiamſi de caſibus in Bulla Cœnæ comprehenſis fuerint, & omnem inhabilitatem & infamiæ maculam ſeu notam inde quomodolibet inſurgentem ab eorum quolibet abolere &c. & ratio ulterior eſt; quia Prælati Regulares poſſunt Religioſos ſuos abſolvere à quibuscunque caſibus & criminibus quantumcunque enormibus etiam in Bulla Cœnæ contentis ac hæreſi, ùt Diſput. præced. ſect. ult. pluribus oſtendimus: ergò etiam diſpenſare poſſunt in irregularitate ac infamia ob hæreſin aut aliud quodcunque delictum quantumvis enorme contractâ; præſertim cùm irregularitatis hujusmodi diſpenſatio non ſit reſervata in Bulla Cœnæ, licèt proveniat ex aliquo caſu ejusdem Bullæ; facultas enim abſolvendi à cenſuris & diſpenſandi in irregularitatibus ſunt diſtinctæ & independentes, & minor cenſetur irregularitatis diſpenſatio, quàm abſolutio ab ejusdem Bullæ Cœnæ caſibus propter rigoroſam eorum reſervationem, prout etiam docent San-

 chez

chez *L. 2. Mor. c. 25. n. 18.* Filliuc. *to. 1. tr. 20. c. 9. n. 246.* Garcias *to. 2. p. 11. c. 10. n. 86.* Diana *p. 2. tr. 15. Reſ. 24.* Bordon. *to. 1. Reſ. 11. n. 10.* Anton. à Spiritu S. *tr. 2. Diſp. 1. n. 75. V.* Lezana *to. 3. V. Irregularitas.* Verùm etſi Prælati Regulares poſſint ita in irregularitate diſpenſare, haud decet tamen ſine graviſſima cauſa taliter diſpenſare, ſi crimen ſit atrox, ac nefandum, aut ad forum contentioſum deductum, & quoad effectus Jure civili infamibus indictos, antequam à Principe vel Magiſtratu ſæculari ſint famæ reſtituti aut judicium finitum vel delictum punitum; cùm nec S. Pontifex ſoleat cum talibus diſpenſare, neque cenſeri poſſit majorem contuliſſe poteſtatem diſpenſandi, quàm qua ipſe ſolet uti; ſicut enim non decet, ut tales promoveantur ad Ordines & beneficia, ob publicum ſcandalum, ita multò minus decet Prælatos hujuſmodi homines tam malè notatos in ſuum recipere conſortium ac Religionem, aut cum illis in Religionem receptis niſi graviſſima de cauſa diſpenſare, antequam fuerint in priſtinum bonæ famæ ſtatum reſtituti, ne Religionem aut Collegium ſuum pari infamiæ nota, aliiſque pluribus incommodis, ac Religioſos ſuos certo ſeductionis periculo exponant, prout experientia prô dolor! ſatis teſtatur. (*Adde*; rectiſſimè à Cl. Authore obſervari, quòd uſus hujus privilegii de abſolvendis ab irregularitate & reſtituendis ejuſmodi criminoſis vix unquam expediat. Nam plerumque hominibus inveteratæ malitiæ inhæret pravus habitus, qui facilè recurrentibus occaſionibus trahunt infirmos in priſtina retia; aut certè in intellectu eorum inhærent minus ſana principia, quæ, ubi ad officia, aut dignitates, aut ſaltem æqualitatem reſtituuntur, pravos inducunt effectus: neque enim audacter vitia aliis exprobrant, connivent plurima, occaſiones non præſcindunt, fœdera cum ſui ſimilibus contrahunt, zeloſos perſequuntur, & ſyſtema religioſæ diſciplinæ ac pietatis ſuis præjudiciis ac moribus toto niſu conformant. Hinc, ſi revera in Prælatos Regulares translata eſt ea abſolvendi & diſpenſandi poteſtas, non niſi eo ſpiritu & judicio uſurpanda eſt, qui relucet ex conſtanti traditione Eccleſiæ. Certum namque eſt, Eccleſiam ſemper fuiſſe inexorabilem ad reſtituendos priſtino gradui & honori Clericos criminoſos, niſi ex defectu aliorum miniſtrorum idoneorum publica interceſſerit neceſſitas, prout patet legenti Conciliorum Canones. Cùm ergò ea irregularitas ac inhabilitas introducta & ſæpiſſimè confirmata ſit à Conciliis generalibus & provincialibus omnium nationum, ita ut repræſentent ſenſum totius Eccleſiæ, præſumendum eſt, ſummos Pontifices, tanquam cuſtodes ſacratiſſimarum legum, nolle in hac materia tam eſſe profuſos, ut velint pro arbitrio quorumvis ſuperio-

rio-

riorum reſtitui criminoſos ad gradus priſtinos. Idque præſertim conſiderandum eſt in Ordinibus eſſentialiter Clericalibus, qualis eſt Ordo Canonicus; parum enim ſervit ad ædificationem populi, ſi reſtitutos videt ad officia aut dignitates eos, qui vix mererentur comunionem laicam. *Addo 2dò.* illam Bullam Pauli III. ad Congregationem Vallisoletanam, quæ incipit: *Exponi nobis*, mihi videri ſuſpectam ob eam clauſulam: *Ita ut ſi prainſerta conceſſio revocetur, iterum re integrari vel reſtitui cenſeatur.* quæ formula parùm ſapit majeſtatem Pontificiam, & reverentiam erga Succeſſores. *Addo 3tiò.* Cùm S. Pius V. expreſsè excipiat homicidium poſt Profeſſionem commiſſum, idque in Caſſinenſi Congregatione, planè longè veriſimilius eſſe, illud à fortiori excipiendum eſſe in Ordine Canonicorum Regularium, quem Candidati non ingrediuntur tanquam ſtatum pœnitentiæ, ut ſibi ſolis vivant, ſed ut præluceant populo verbo & opere. Idem dicendum de irregularitate ex infamia ſeu Juris ſeu facti; præſertim in foro externo. Pro foro enim interno conſcientiæ, aut etiam miniſterium privatum Altaris maneant illibata privilegia. *Addo 4tò.* in exponendis aut reſtringendis hujuſmodi privilegiis, quatenus vergunt in Monaſteriorum illis ſubjectorum detrimentum potius quàm bonum, Epiſcopos conſiderandos eſſe tanquam Commiſſarios ſedis Apoſtolicæ perpetuos.)

DISPUTATIO III.

De poteſtate Prælatorum irritandi, commutandi, ac diſpenſandi in votis ſuorum Religioſorum, in Horis Canonicis recitandis, aliiſque legibus tum Eccleſiaſticis tum Regularibus.

Conſiderata poteſtate, quam habent Prælati Canonicorum aliorúmve Regularium ad diſpenſandum Religioſos ſibi ſubditos in irregularitatibus quomodocunque contractis, ordo doctrinæ nos ducit ad conſiderandam pariter poteſtatem, quam habent ad irritandum, commutandum, ac diſpenſandum in votis, in Horis Canonicis recitandis, aliiſque legibus tum Eccleſiaſticis tum Regularibus.

Un-

Unde illa explicata ad hanc progredimur explicandam, eámque quatuor abſolvemus ſectionibus, ex quibus prima erit de poteſtate Prælatorum irritandi ſuorum vota Religioſorum. 2da. de poteſtate Prælatorum diſpenſandi ac commutandi ſuorum vota Religioſorum. 3tia. de poteſtate Prælatorum diſpenſandi in Horis Canonicis recitandis. 4ta. denique de eorumdem poteſtate diſpenſandi in legibus tum Eccleſiaſticis tum Regularibus.

Sectio I.

De poteſtate Prælatorum irritandi ſuorum vota Religioſorum.

1 IRritatio definitur communiter, quòd ſit voti annullatio ab habente poteſtatem dominativam facta: ſive ùt deſcribit Suarez *L. 6. de voto. cap. 1. n. 2.* eſt actus liber, quo is, à quo votum ſeu vovens pendet, tollit obligationem voti. Dividitur in directam, & in indirectam. Directa, quæ etiam propria dicitur, eſt annullatio voti ab eo facta, qui poteſtatem dominativam habet in voventem, ratione cujus nullas firmiter poteſt obligationes ſuſcipere, niſi de illiùs, cui ſubeſt, conſenſu, ita quidem ut ipſo diſſentiente hoc ipſo obligatio voti reddatur nulla ac irrita, cùm ſemper imbibitam habeat conditionem, ſi talis conſentiat nec contradicat. Irritatio indirecta eſt annullatio voti ab eo facta, cujus dominio ſubeſt materia à vovente promiſſa, impediendo illius executionem, ac ſubtrahendo materiam, in quam habet dominium; & hæc irritatio non eſt propriè dicta, ſed potiùs ſuſpenſio voti dicenda, quam etiam facere poteſt, qui poteſtatem dominativam non habet, vel prohibendo materiam, qualiter S. Pontifex poteſt omnium fidelium vota irritare ſeu potiùs ſuſpendere; quia prohibendo materiam promiſſam ſuſpendit obligationem voti circa illam, quamdiu res prohibita manet, quæ obligatio poſtea reſurgit ablata prohibitione: vel impediendo executionem rei promiſſæ, quatenus in ſuum cedit præjùdicium, manente ſemper ipſius voti vinculo; atque hinc impropria hæc & indirecta irritatio poteſt eſſe actus jurisdictionis tum ſpiritualis tum temporalis: ſpiritualis quidem, ut ſi prohibeatur jejunium die Dominica aut in feſtis ſolemnioribus, hoc ipſo indirectè annullaretur votum ſingulis diebus jejunandi: temporalis verò, ut ſi Princeps ſæcularis prohiberet ſubditis ſuis, ne quisquam eorum è Provincia egrediatur ob periculum peſtis extrà il-

lam

lam graſſantis, eoipſo quoque indirectè ſuſpenderet votum extra illam peregrinandi. Ex hoc autem, quòd irritatio indirecta proveniat ex dominio, quod quis habet in rem promiſſam, ſequitur, poteſtatem irritandi indirectè non oriri ex Jure naturæ, utpote cùm hoc Jure omnia ſint communia, ſed fundari in Jure poſitivo Canonico vel civili, unde quis habet actionem in rem promiſſam, qua poteſt executionem voti impedire.

2 Econtra verò irritatio propria & directa fundatur in Jure naturali, ùt cum S. Thoma *2. 2. Q. 88. art. 8. ad 3.* tenent Authores communiùs Cajetanus *ad dict. D. Thoma loc.* Sotus *L. 7. de juſtit. qu. 3. art. 1.* Suarez *L. 6. de Vot. cap. 6. n. 2. & 3.* Sayrus *L. 6. cap. 10.* Azor *1. part. L. 11. cap. 7. q. 3.* Andreas à Matre Dei *tr. 17. cap. 3. punct. 3.* quia poteſtas dominativa Prælati in Religioſum, patris in filium, mariti in uxorem, domini in ſervum oritur ex Jure naturæ; cùm ante omne Jus poſitivum ſubdantur Religioſi Prælatis, filii parentibus, uxores maritis, & ſervi dominis ſuis: ſed poteſtas directè irritandi vota fundatur in poteſtate dominativa: ergò etiam fundatur in Jure naturæ. Ex quo ſequitur, quòd omnes & illi ſoli habeant poteſtatem directè irritandi vota, qui poteſtatem habent dominativam in perſonam ſibi ſubitam, ratione cujus ſub alterius dominio conſtituitur vel ratione perſonæ, vel ſaltem ratione rei, quæ promittitur, ita ut nihil ratum, nihil firmum ab ea promitti poſſit, nec niſi ſub tacita conditione, ſi alter cui ſubjicitur conſentiat, vel non contradicat; quamobrem ad irritanda ſubditorum vota non ſufficit quæcunque poteſtas dominativa, ſed requiritur talis, quæ ſubditum reddit inhabilem ad ſe cuiquam obligandum abſque illius conſenſu, cujus eſt ſubditus. Atque hinc Principes & Magiſtratus ſæculares, quamvis habeant poteſtatem dominativam in ſubditos ſuos, non tamen directè poſſunt irritare eorum vota; quia abſque illorum conſenſu poſſunt ſe aliis obligare, contractus inire, res ſuas liberè donare, quin ab illis poſſint regulariter impediri, atque adeò etiam ſe Deo per votum obligare in favorem animæ ſuæ; quin neque S. Pontifex directè poteſt irritare vota omnium Chriſti fidelium, cùm nullibi legatur, quòd hæc poteſtas ſit illi conceſſa à Chriſto: neque hæc poteſtas erat neceſſaria ad rectam Eccleſiæ gubernationem; ſi enim quandoque expediens fuerit, ut Chriſti fideles ſolvantur ab obligatione voti, ad hoc data eſt illi à Chriſto poteſtas clavium, vi cujus illis providere poteſt vel per diſpenſationem vel per commutationem, aut etiam per poteſtatem præceptivam, qua impedire poteſt, ne quis exequatur materiam promiſſam, ùt iterum docet D. Thomas *l. c. art. 12. in Corp.* & ibi Cajetanus, Navarrus *cap. 22. n. 79.* Suarez *l. c. n. 3.*

3. Palao *Diſp. 11. punct. 1. n. 2.* & alii communiter. His præmiſſis quæſtio hìc eſt de Prælatis Regularibus, an & quænam vota ſuorum Religioſorum irritare poſſint? ad quam

3 Dico 1mò. *Poſſunt Prælati Regulares Religioſorum ſibi ſubditorum irritare vota non tantùm indirectè ſed etiam directè.*

Ita quoad 1mam. partem certa omnium ſententia: ſive enim vota ſint realia ſive perſonalia, ſubjecta manent poteſtati dominativæ Prælati; nam ſi realia ſunt, repugnant voto paupertatis aut abdicationis proprii, vi cujus Religioſus nullum habet dominium in particulari, nihilque poteſt diſponere reclamante Prælato: ſi verò ſunt perſonalia, repugnant voto obedientiæ, vi cujus non poſſunt obligare perſonam ſuam ad præſtandum aliquid nolente Prælato: atque adeò hìc poteſt omnia irritare vota Religioſorum ſuorum ſaltem indirectè. Quòd autem id etiam poſſit directè, auferendo directè obligationem & vinculum docet cum S. Thoma *2. 2. Q. 88. art. 8. ad 3.* ubi dicit: *nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati.* idem habet *in 4. diſt. 38. Q. 1. art. 1. quæſtiunc. ult. ad 3.* longè probabilius Richardus *in 4. diſt. 38. art. 4. quæſt. 1.* Angelus *V. Votum 2. n. 5.* Roſella *V. Votum 2. n. 14.* Sotus *L. 7. de Juſtit. qu. 3. art. 1.* Suarez *L. 6. de Voto. cap. 7.* citans Aragonium, Lopez, & alios. Candidus *Diſq. 25. art. 2. Concl. 4.* Sanchez *L. 4. cap. 23. & 24.* Vasquez *1. 2. Diſp. 160. cap. 4. n. 17.* Palao *punct. 8.* Sayrus *L. 6. cap. 10.* Aſcan. Tambur. *to. 2. Diſp. 18 quæſ. 4.* Layman *L. 4. tr. 4. cap. 7.* Bonacina *de Vot. Diſp. 4. qu. 2. punct. 7. §. 1. n. 26.* Peyrinis *to. 2. de Prælat. qu. 3. cap. 3. n. 10.* Pellizar. *to. 1. tr. 2. cap. 4. qu. 21.* Valent. *Diſp. 6. punct. 6. qu. 5.* Azor *1. p. L. 11. cap. 17. qu. 17. & 16.* Fagundez *L. 2. cap. 35.* Giribaldus *cap. 6. n. 17.* Andreas à Matre Dei *tr. 17. cap. 3. punct. 4. n. 37.* & alii communiùs contra Cajetanum, Sylveſtrum, Tabienam, Innocentium, Panormitanum & alios quosdam. Ratio eſt, quia ùt habetur *Can. non dicatis. 11. cauſ. 12. Q. 1.* Religioſus non ſolùm renuntiavit facultatibus, ſed etiam voluntatibus propriis, & ſe per promiſſam obedientiam penitùs aliorum poteſtati & imperiis in Chriſto & pro Chriſto ſubdidit; & juxta *cap. Si Religioſus 27. de elect. in 6.* velle & nolle non habet, ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, voluntate dependet, & conſequenter nullo modo habet poteſtatem obligandi ſe, nequidem ad actus bonos, quales ſunt actus interni fidei, ſpei & charitatis, exacta obſervatio Regularum, præceptorum Dei & Eccleſiæ &c. ſub onere voti abſque licentia & conſenſu Prælati. Neque

que obſtat: quòd Prælatus nequeat impedire actus virtutum, aut aliquid præcipere contrarium præceptis Dei & Eccleſiæ vel Regulæ; quia irritatio voti non infert obligationem faciendi id, quod voto contrarium eſt, ſed ſolùm aufert obligationem ortam ex voto; de cætero ſi aliunde quis teneatur ad eam rem exequendam, manet tamen obligatus, etſi ſolutus ſit à voto. Et ſanè expedire poteſt ſæpiùs non tantùm Prælato ſed etiam Religioſo, ut ejusmodi vota irritentur non tantùm indirectè, ſed etiam directè tum ad hoc, ut majori cum cautela & diſcretione emittantur vota: tùm ad ſedandos ſcrupulos viri ſimplicis aut teneræ conſcientiæ, qui indiſcretè pluribus ſeſe votis oneravit: tum ad impediendas frequentiores transgreſſiones ejusmodi votorum, & quæ ſunt aliæ ejusmodi cauſæ; ex quibus colligitur, poteſtatem directè irritandi vota non tam cedere in favorem Prælatorum, quàm in commodum ac utilitatem Religioſorum. (*Adde*; in hac re Authores non loqui conſequenter. Quando enim loquuntur de obedientia, dicunt, Religioſum non obligâſſe ſuam voluntatem in omnibus, ſed tantùm in iis, quæ pertinent ad regulam. Hic autem, ubi agitur de irritatione votorum, dicunt, quòd Religioſus abſolutè nullum habeat velle aut nolle proprium. Ex quo inferunt, omnia vota, etſi in materia voti aut in perſona non præjudicent Superiori aut Regulæ, ab eo irritari poſſe. Quod tamen per ſe loquendo non debet admitti.)

4 Atque hæc ipſa poteſtas irritandi vota extenditur non tantùm ad jam facta, ſed etiam ad facienda, ut ſi Prælatus Religioſis ſuis declaret aut dicat, quòd ſi aliqua vota impoſterùm emittantur ſe inconſulto, ſint ipſo facto irrita & inania; quia hoc ipſo deeſt conditio imbibita in voto ſubditi, ut ſit validum: oritúrque hæc poteſtas irritandi ex ipſo Jure naturæ; quia Religioſus ex vi traditionis in Profeſſione factæ ita tranſtulit dominium voluntatis ſuæ in voluntatem Prælati, ut ſit impotens ad vovendum, niſi ſub conditione tacita, ſi conſenſerit vel non contradixerit Prælatus, ùt ſuprà jam dictum eſt: ſed vota conditionata ex ipſo Jure naturæ poſſunt irritari ab eo, qui poteſt impedire conditionem; nam hoc ipſo, quòd conditio non apponatur, ipſo facto manet votum ad nihilum redactum: cùm igitur ex Jure naturæ poſſit Prælatus non apponere conſenſum, qui eſt conditio hujus voti, ipſo Jure naturæ facultatem habet illud irritandi, ùt cum pluribus à ſe citatis docet Andreas à Matre Dei *tr. 17. cap. 3. punct. 3. n. 27. & 28.* An verò poſſit Prælatus etiam irritare vota ante ingreſſum Religionis emiſſa? dubium facit, quòd pro eo tempore talis necdum fuerit ſubditus Prælati, multò minùs hic in eum habuerit poteſta-

tem dominativam, ſine qua directa irritatio voti dari non poteſt. Verùm hoc non obſtante communis eſt Doctorum ſententia, poſſe Prælatum Religioſorum ſuorum vota irritare etiam ante Religionis ingreſſum emiſſa; tum quia tota Religioſi voluntas per Profeſſionem in poteſtatem Prælati translata eſt: tum quia Religioſus magis ſubditur Prælato, quàm uxor marito: ſed maritus irritare poteſt uxoris vota ante nuptias emiſſa, ùt patet ex *Can. Noluit. 16. cauſ. 33. q. 5.* ergò poterit à fortiori Prælatus irritare vota Religioſi ante Religionis ingreſſum emiſſa, ùt cum aliis etiam expreſsè docet Gloſſa in *dict. Can. Noluit.* quod præcipuè procedit, quando profeſſus intentionem in Profeſſione habuit vota antea facta etiam poſt Profeſſionem obſervandi, tunc enim cenſentur facta poſt Profeſſionem propter virtualem eorum ratificationem, ac proinde eoipſo ſubſunt Prælati poteſtati ea irritandi; quin nequidem neceſſaria videtur eſſe hæc irritatio ad extinguenda vota ante Profeſſionem emiſſa, cùm omnia vota per Profeſſionem in Religione approbatâ factam eo ipſo ceſſent vi *cap. Scriptura. 4. de voto & voti. redempt.* idque tum favore Religionis, tum quia commutatur temporale obſequium in perpetuum: quod maximè locum habet, quando Religioſus in Profeſſione intentionem habuit vota priùs emiſſa per illam extinguendi. (*Adde*; ſemper ab hac doctrina eſſe excipienda ea vota, quæ neque ratione materiæ, neque ratione perſonæ præjudicant poteſtati gubernativæ Superioris.)

Ab hactenus tamen dictis excipienda ſunt vota ſubſtantialia Religionis ſive ſimplicia illa ſint, ſive ſolemnia, ſcilicet paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, quæ à nullo Prælato poſſunt irritari, utpote cùm ſint eſſentialiter conſtitutiva Religionis & fundamentum illius, ſine quo ſubſiſtere non poteſt, & à quibus tota facultas irritandi vota provenit ac dimanat; excipiuntur præterea illa vota, quæ in aliquibus Religionibus ſunt annexa tribus ſubſtantialibus, qualia ſunt vota perpetuæ abſtinentiæ quadrageſimalis apud Minimos, vota redemptionis captivorum apud Religioſos de mercede, votum inſtruendi gratis puellas apud Canoniſſas Regulares à B. Petro Forrerio inſtitutas, quæ licèt non conſtituant ſtatum Religioſum in genere, conſtituunt tamen talem ſtatum quaſi ſpecificum talis Religionis vel Inſtituti, ad cujus cuſtodiam cùm Prælati ſint electi, poteſtatem non habent illa vota irritandi, & ut ita dicam deſtruendi talem Religionem. Accedit quòd hujuſmodi vota facta fuerit cum approbatione S. Pontificis, qui talis Religionis Regulas confirmavit, & cum conſenſu totius Ordinis ac Inſtituti, qui tantùm illos in ſuum vult recipere conſortium, qui ejuſmodi volunt emittere vota, quæ proin à nemine irritari poſſunt, niſi à S. Pontifice tanquam ſupremo om-

omnium Religioſorum Ordinum Prælato, reſpectu cujus cæteri Prælati omnes ſunt inferiores, qui non poſſunt irritare vota facta cum conſenſu & approbatione ſuperioris ſcilicet S. Pontificis. Denique excipitur etiam votum tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem ob ſpecialem diſpoſitionem *cap. Licèt 18. de Regularib.* quia libera facultas, quam Jus in *d. cap.* tribuit tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, non eſt ſub conditione aſſensûs Prælati prioris, cùm quoad hoc à voluntate Superioris vel Prælati ſit prorsùs independens, ac ſufficiat licentia petita, quamvis non obtenta, ùt docent Authores communiter Sotus *de Juſtit.* L. 7. *quæſt.* 3. *art.* 1. Suarez L. 3. *de voto. cap.* 6. *n.* 23. & *Lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 9. & *cap.* 10. *n.* 26. Leſſius *de Juſtit.* L. 2. *cap.* 40. *dub.* 10. *n.* 74. Sanchez *in Decal.* L. 4. *cap.* 33. plures referens. Bonacina *in Decal. Diſp.* 4. *qu.* 2. *punct.* 7. §. 2. Reginald. *in praxi* L. 18. *n.* 321. Filliuccius *to.* 2. *tract.* 26. *cap.* 8. *n.* 241. Rodriquez *to.* 1. *Quæſt. Regul. qu.* 25. *art.* 4. Laurent. de Peyrinis *to.* 2. *de Prælat. qu.* 3. *cap.* 3. *n.* 19. Aſcan. Tamburin. *to.* 2. *Diſp.* 18. *quæſit.* 7. Thom. Tamburin. *in Decal.* L. 3. *cap.* 16. §. 3. Andreas à Matre Dei *punct.* 4. *n.* 38.

6 Cæterùm dubium hic eſt ac controverſia non modica inter Authores, num ad irritationem faciendam requiratur cauſa? in qua tamen conveniunt, quòd ad valorem irritationis nulla requiratur, in quo differt à diſpenſatione votorum, quæ absque ſufficienti cauſa nec validè impertiri poteſt: irritatio autem ſecundùm omnes valida eſt, etiam nulla cauſa exiſtente; quia cùm votum emiſſum ſit ab inferiore ſub tacita conditione conſensûs Superioris, hoc ipſo quòd ille nolit conſentire, manet votum ſine alia cauſa annihilatum. Quare ſolùm circa licitum uſum irritationis eſt difficultas inter Doctores, ex quibus aliqui volunt, Superiorem peccare mortaliter, ſi absque cauſa irritet votum ſubditi: alii econtra cum Soto & Abulenſi putant, ſolùm peccare venialiter; quia ſi in hoc actu irritationis alia non inveniatur difformitas, ſaltem reperitur illa imprudentiæ & otioſitatis: ſed hic non quæritur de peccato, quod commune eſt actui humano, qui ſi otioſus, imprudens & inutilis ſit, peccaminoſus eſt: ſed de peccato in materia voti, quod Religioni opponitur, ſicut Religioni opponitur diſpenſatio aut commutatio data absque cauſa: hac igitur ſententia relicta, cenſet Suarez, rem hanc definiri non poſſe, niſi attendendo ad finem, propter quem conceſſa eſt poteſtas hæc irritandi vota; ex tali enim fine rectè arguitur, num cauſa exigatur ad rectè utendum hac facultate? cùm igitur hæc data ſit non tam in commodum irritantis, quàm in bonum ſpirituale voventis, juſtam cauſam habere debebit Prælatus, ſi licitè ſua velit

Digitized by Google

uti poteſtate non aberrando à fine: Prælati enim Regulares debent ſubditis præeſſe non in comodum proprium, ſed ad utilitatem ſpiritualem ſubditorum, ut eos adjuvent, & dirigant ad perfectionem conſequendam, unde ſi nulla interveniat cauſa, erit abuſus authoritatis, adeóque peccatum, raro tamen mortale, niſi fortè fiat ex odio & prava intentione, aut prævideatur notabile ſubditi detrimentum. Verùm & hæc Suarezii ſententia magnas patitur difficultates: Hinc abſolutè & univerſaliter loquendo

7 Dico 2dò. *Poteſt Prælatus ſuorum vota ſubditorum irritare, tametſi nullam habeat cauſam.* Ita Cajetanus 2. 2. *qu.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & *in ſumm. V. Votum. qu. ult.* Navarrus *cap.* 12. D. Antoninus *part.* 2. *tit.* 11. *cap.* 6. §. 7. Sylveſter *V. Votum* 4. *qu.* 1. Liamas 5. *part. Meth. cap.* 4. §. 42. Ledeſma *to.* 2. *tr.* 10. *de Vot. dub.* 2. Leſſius *de Juſtis.* L. 2. *cap.* 40. *dub.* 10. *n.* 69. Sanch. *in Decal.* L. 4. *cap.* 24. *n.* 11. Rodriquez *to.* 11. Q. Q. *Regul. quæſt.* 3. *n.* 11. Reginaldus *in praxi* L. 18. *n.* 302. plures alios referens Aſcan. Tamburin. *to.* 2. *Diſp.* 18. *Quæſit.* 5. Andreas à Matre Dei *cap.* 3. *n.* 31. Giribaldus *cap.* 6. *de voto. n.* 14. Antonius à Spiritu S. *tr.* 2. *Diſp.* 1. *ſect.* 2. §. 2. Ratio eſt; quia cùm vota Religioſorum intelligantur facta cum ea conditione, ſi Prælatus conſenſerit aut non contradixerit, Prælatus ea irritando utitur Jure ſuo: ideóque pro ſolo voluntatis ſuæ arbitrio & abſque ulla cauſa id facere poteſt, & Religioſus abſolvitur ab obligatione votum deinceps obſervandi, ut colligitur *ex Can. Puellæ* 2. *cauſ.* 20. *q.* 2. & *Can. Manifeſtum.* 11. *cauſ.* 33. *qu.* 5. Accedit, quòd actus irritandi vota non eſt actus juriſdictionis, quæ ad licitum uſum requirit cauſam; ſed eſt actus poteſtatis dominativæ, ad cujus exercitium non eſt neceſſaria cauſa, cùm utens poteſtate dominativa utatur Jure ſuo; & fortè quandoq; id expedit facere, ut ſubditi cautiùs emittant vota, quæ ſciunt facillimè à Superioribus irritari; deinde admiſſa ſemel neceſſitate cauſæ ad hoc ut vota irritari poſſint, ſtatim argui poſſet, quòd requiratur cauſa gravis, quæ ſit dignitati voti proportionata, & quòd irritans votum grave ex levi motivo, peccet mortaliter: quod neque Adverſarii admittunt. Ex hactenus verò dictis ſequitur etiam, quòd ſubditus per ſe nullo modo peccet, ſi abſque juſta cauſa petat à Prælato, ut votum ſuum irritet; quia ſubditus ſine culpa poteſt illi exponere deſiderium, quod habet ad hoc, ut eximatur ab obligatione voti, nullas addendo preces importunas, neque utendo medio extraordinario ad extorquendam irritationem; hæc enim modeſta & diſcreta petitio ſecundùm ſe omni cul-

pa

pa vacat, atque adeò taliter petens irritationem, nullo modo peccat: ſicut non peccat Prælatus ſine cauſa votum irritando, ſaltem ſi nullam ſubdito licentiam conceſſerit, illud faciendi.

8 Sequitur præterea ex ſtatuta concluſione noſtra, quòd Prælati poſſint irritare ſuorum vota Religioſorum ipſis etiam nolentibus ac invitis, cùm enim irritandi poteſtas proveniat ex poteſtate dominativa, quæ non dependet à ſubditi voluntate aut conſenſu, ſed potiùs facit ſubditum ab ipſa dependentem, non indiget Prælatus ſubditi acceptatione & conſenſu ad hoc, ut illius irritet vota, præſertim cum vota ſubditi non aliter fieri poſſint, quàm cùm implicita conditione, ſi Prælatus conſenſerit aut non contradixerit: hoc ipſo autem quòd contradicat, votum irritum eſt ex defectu conditionis, quæ hujuſmodi voto ſemper ineſt, quin ullus ad hoc neceſſarius ſit ſubditi conſenſus; in quo diſpar eſt ratio inter irritationem & commutationem votorum; hæc enim fieri non poteſt abſque conſenſu voventis, tum quia eſt gratia, quæ non confertur invito, tum quia in commutatione imponitur nova obligatio materiæ ſcilicet ſubrogatæ, quæ nolenti non poteſt obtrudi, cùm obligatio voti debeat eſſe libera; longè aliter ſe res habet irritatione, in qua Prælatus exercet Jus ſuum ad dominium, quod habet in Religioſum, nec illi imponit obligationem, ſed auffert; quòd ſi Religioſus renuat nihilominus acceptare irritationem voti ſui à Prælato factam, atque adeò periculum ſit, ne novo ſe voto obliget, conſultunt Authores, ùt Prælatus non tantùm votum jam factum irritet, ſed etiam impoſterùm prohibeat, ne ullum amplius ſine expreſſo ſuo conſenſu faciat; ſic enim ſemper deficit conditio in voto à Religioſo faciendo imbibita. Ex eadem denique concluſione ſequitur, non requiri ad irritanda Religioſorum vota, ut ea Prælatus in ſpecie cognoſcat, examinet cauſas, aliaſque circumſtantias, ſicut requiritur in diſpenſationibus & commutationibus votorum, ſed ſufficit, quòd Prælatus declaret ſuam voluntatem verbis quibuſcunque, quòd nolit quemquam è ſuis obligari voto; cùm enim ad uſum poteſtatis dominativæ non requiratur cauſa aliqua particularis, ſed ſufficiat motivum honeſtum operandi, ratione cujus actus dici nequeat otioſus vel inutilis, patet per ſe, quòd ad irritanda hujuſmodi vota non teneatur Prælatus diſcutere ſpecies voti, ejuſque cauſas & circumſtantias; aliter diſcurrendum eſſet, ſi Prælatus ſuum conſenſum Religioſo præbuerit, aut eidem licentiam conceſſerit votum aliquod emittendi, aut jam factum omninò approbaverit.

Ex hoc ipſo verò nova naſcitur difficultas, an ſi Prælatus conſenſerit, aut omninò promiſerit, ſe non retracta-

tractatum conceſſam vovendi licentiam, nihilominus poſſit irritare vota taliter cum ſuo conſenſu facta? qua in re ſuppono 1. quòd licèt Prælatus conceſſerit ſubdito licentiam faciendi votum, poſſit tamen antequam fuerit emiſſum, hanc licentiam revocare validè & licitè, & eâ revocata, ſi ſubditus voverit, ejus votum manebit omninò revocabile; quia nulli facit injuriam, dum utitur Jure ſuo: & hoc, etiamſi promiſerit, ſe non revocaturum licentiam; quia facilè poteſt aliquid occurrere, ratione cujus expediens ſit bono ſubditi aut communitatis, conceſſam revocare licentiam. Suppono 2dò poſſe ſuperiorem Prælatum irritare votum Religioſi emiſſum de licentia inferioris Prælati; quia licentia inferioris nequit facultatem ſuperioris infringere aut coarctare; non tamen poteſt Prælatus inferior irritare votum ſubditi ſibi Religioſi emiſſum de licentia Prælati ſuperioris; quia hoc ipſo quòd emiſſum ſit de licentia ſuperioris, non pendet à conditione conſenſûs inferioris. Suppono 3tiò quòd Prælatus ſucceſſor in eadem ſede illius, qui dedit licentiam, poteſt & licitè & validè revocare votum ac ſi abſque ulla licentia fuiſſet emiſſum; quia non fuit particeps illius voti, cùm ipſe licentiam non dederit, nec anteceſſor potuerit ejus facultatem coarctare, cùm par in parem non habeat imperium *cap. Innotuit. 20. de Election.* & docent Suarez *L. 6. de vot. cap. 8. n. 10.* Ledesma *to. 2. tr. 10. cap. 7. dub. ult.* Sanchez *L. 4. cap. 27. n. 36.* Reginaldus *L. 18. n. 234.* Aſcan. Tamburin. *to. 2. Diſp. 18. quæſt. 8. n. 4.* Thom. Tamburin. *in Decal. L. 3. cap. 16. §. 3. n. 25.* Palao *Diſp. 2. punct. 3. §. 2. n. 3.* Andreas à Matre Dei *tr. 17. cap. 3. punct. 3.* unde qui à ſucceſſore vult petere irritationem voti, non tenetur manifeſtare, quòd illud emiſſum ſit cum licentia anteceſſoris; quia ſucceſſor liberè poteſt, etiam abſque cauſa, illud revocare: quamvis indicare teneatur illi, qui licentiam dedit & illius forſan non ampliùs recordatur, quando irritationem voti ſui requirit, cùm hic illam licitè ſine juſta cauſa præſtare non poſſit, & ideo requiritur, ùt talis circumſtantia illi innoteſcat. Sanch. *n. 36.* Palao *n. 10.* Andreas à Matre Dei *l. c.* De illo proinde loquendo, qui licentiam vovendi dedit, aut promiſit illam non retractare, ulterius

Dico 3tiò. *Poſſunt Præla-* 10
ti Regulares Religioſorum ſibi ſubditorum vota irritare, licèt in illa conſenſerint, aut licentiam ea emittendi conceſſerint, vel etiam promiſerint eandem non revocare.

Ita Navarrus in ſumm. *cap. 12. n. 37.* Sotus *de Jure & juſtit. quæſt. 3. art. 1.* Suarez cit. *cap. 8. n. 4.* Azor *part. 2.*

L. 11.

L. 11. cap. 17. q. 6. Valentia *to. 3. Diſp. 8. q. 6. punct. 6. quaſt. 3.* Sanchez *in Decal. L. 4. cap. 27. num. 9.* Reginaldus *in praxi L. 18. n. 304.* Bonacina in Decal. *Diſp. 4. qu. 2. punct. 7. §. 2. n. 28.* Tamburin. *l. c. quaſt. 8.* Sayrus *L. 6. cap. 10. n. 12.* Andreas à Matre Dei *cap. 3. n. 66.*, & communis aliorum, colligiturque *ex Can. manifeſtum 11. cauſ. 33. Qu. 5.* Ratio eſt, quia Prælatus, qui ſubdito dat licentiam vovendi, & in illius votum conſentit, aut promiſit non retractare, non cenſetur per hoc á ſe abdicare dominium, quod in illius perſonam habet, ſed illud eo non obſtante retinet integrum: ergò poteſt illud exercere ſuo Jure utendo, adeóque & irritare vota; ant. patere videtur, quia dominium quod habet Prælatus in Religioſum, eſt inabdicabile, & hic quamdiu manet ſubditus, nunquam fieri poteſt exemptus à poteſtate illius dominativa. Quando ergò Prælatus concedit Religioſo ſuo licentiam vovendi, non intendit illum ſui Juris facere, ſed ſolùm concedit illi, ùt ſe obliget, ſemper tamen dependenter à ſua voluntate & ſub ea conditione, niſi contradixerit. Neque dicas: qui de conſenſu Prælati promiſit aliquid homini: & illi ſe obligavit, tenetur ad illud ſervandum non obſtante Prælati contradictione, quæ licèt fiat, tamen injuſta eſt, cùm alteri jam ſit Jus acquiſitum: ergò etiam qui promittit aliquid Deo cum conſenſu Prælati, tenetur ad id ſervandum, cùm Deo jam fuerit Jus acquiſitum. ℞. enim negando paritatem; quia in promiſſione homini facta cum conſenſu Prælati cenſetur ex diſpoſitione legum humanarum non ſolùm ſe obligare ſubditus, ſed etiam Prælatus, utpote cujus tantùm nomine aliquid poteſt promittere: econtra in voto cum conſenſu Prælati facto tantùm ſe obligat ſubditus, non autem Prælatus, ita diſponente in ſimili divina lege, ùt habetur Numeror. *cap 30.* ubi de votis uxoris dicitur, quòd *ſi facta fuerint ſciente viro, illa reddet: ſin autem poſtea contradixerit, portabit ipſe iniquitatem ejus,* uxore interim à voto manente libera: ex quo patet, poſt contradictionem Prælati Deum non exigere vota à ſubdito.

Ad hoc autem ùt Prælatus licitè irritet vota de licentia ſua & cum conſenſu ſuo facta, requiritur juſta cauſa; aliàs enim impediret opus bonum, ad quod cooperatus eſt concedendo licentiam, ſi eam ſine cauſa juſta revocaret; quænam veró cauſa ſit ſufficiens ad hujusmodi revocationem licitè faciendam, difficile eſt determinare præſertim pro caſibus quibusque particularibus: mihi ſufficere videtur, ſi Prælatus videat ſubditum nimis onerari à voto: vix habere tempus, ùt vacet aliis miniſteriis & officiis domeſticis: reddi ſucceſſu temporis inhabilem ad communes obſervantias, ejusque exemplo aperiri aditum ad ſingularitates, atque communem vivendi modum turbari: vel ſi videat per 11

experientiam in executione hujusmodi voti aliquod inconveniens, quo antecedenter viſo licentiam non conceſſiſſet; hisce aliisque ſimilibus de cauſis Prælatus irritans licitè & validè utitur ſua poteſtate & univerſim juſtam cenſetur habere cauſam irritandi votum etiam de licentia ſua factum, quoties id exigit bonum commune Collegii, aut privatum voventis: neque tamen propterea requiritur ad irritandum cauſa adeò gravis, ſicut ad diſpenſandum; quia irritatio etiam ſine juſta cauſa eſt valida, non item diſpenſatio. Ex quibus ſequitur peccare tam ſubditum irritationem petendo, quàm Prælatum irritando ſine juſta cauſa; an autem graviter, an verò leviter tantùm, controverſia eſt inter Authores; graviter peccare contendunt Cajetanus *2. 2 quæſt. 88. art. 8. ad 3.* Navarrus *cap. 12. n. 73.* Sanchez *L. 4. cap. 27. n. 32.* & *L. 9. de Matr. Diſp. 40. n. 7.* Fagundez *L. 2. cap. 34. n. 16.* Laymann *L. 4. tr. 4. cap. 7. n. 18.* Leſſius *L. 2. de juſtit. cap. 40. dub. 13. n. 76.* Sayrus L. *6. cap. 10. n. 12.* Ledeſma *to. 2. tr. 10. cap. 7. dub. 2.* Andreas à Matre Dei *punct. 3. n. 68.* & alii; quia licet poſt conceſſam licentiam maneat apud Prælatum dominium illius rei Deo per votum exhibendæ, remanet tamen Prælatus obligatus ad exhibendam talem rem Deo ob votum ſui ſubditi, ad quod cooperatus eſt, licentiam concedendo, & ideò ſuppoſita hac cooperatione ad votum, tenetur illud non impedire ſine juſta cauſa, aliter tanquam violator & deluſor vinculi per ſe gravis mortaliter delinquet; quod colligitur ex illo Numer. *cap. 30.* ubi de viro irritante votum uxoris de ejus licentia emiſſum dicitur: portabit ipſe iniquitatem ejus, id eſt, pœnam pro voti illius transgreſſione debitam, ùt explicant Lyranus, Vatablus, Abulenſis & Oleaſter: culpa autem venialis non rectè dicitur iniquitas, nec ſubjacet pœnis transgreſſionis voti, quæ de ſe eſt culpa mortalis. Ita ferè Andreas à Matre Dei *loc. cit.* Econtra verò peccare tantùm leviter & Prælatum irritantem ſine cauſa votum de ſua licentia emiſſum, & ſubditum ſine cauſa talem irritationem poſtulando docent Roſella *V. Votum 3. n. 2.* Sotus *L. 7. de J. & J. quæſt. 3. art. 1.* Suarez *L. 6. cap. 4. ad fin.* Laur. de Peyrin. *to. 2. tr. 2. de Prælat. qu. 3. cap. 3. n. 6.* Bonacina *punct. 7. §. 2. n. 29.* Aſcan. Tamburin. *quæſ. 8. n. 2.* Thom. Tamburin. *cap. 16. §. 3. n. 27.* Diana *part. 4. tr. 4. Miſcellan. Reſol. 110.* Pellizarius *to. 1. tr. 3. cap. 4. qu. 21. n. 66.* & plures alii. Ratio eſt, quia irritatio etiam poſt datam licentiam non eſt contra juſtitiam, cùm per licentiam Jus & dominium ſuperioris non auferatur, neque ſubditus Jus acquirat, ne à ſuperiore gubernetur, aut is non utatur Jure ſuo: nec eſt contra Religionem; quia ſuperior neque vovit, nec eſt cauſa, cur ſubditus, qui voverat, faciat contra votum, quin imò ſolvit eum ab obligatione operandi ex voto, quia vo-

to per irritationem ablato non datur violatio voti, & ſic ſolùm erit cauſa, quód votum non ſit aut non obliget, quod non ſufficit ad mortale: ſolùm igitur erit vel contra fidelitatem, maximè ſi promiſit non revocare licentiam, quæ per ſe non obligat ſub mortali: vel eſt quædam levitas & inconſtantia animi, qua rem & perſonam Deo dicatam retrahit absque cauſa à via perfectionis, quod cùm non fiat per violentiam, ſed per uſum ſuæ poteſtatis dominativæ, haud videtur gravem culpam conſtituere. Ita reipſa Suarez l. c. qui ad allatum S. Scripturæ textum reſpondet, quòd iniquitas in eo non ſumatur formaliter, ita ut ſit idem ac culpa & peccatum, nam revera mulier tunc votum non obſervans non peccat: ſed ſumitur materialiter, hoc eſt, vir reddet rationem operis non impleti, ex hoc autem inferri non poteſt, quòd irritans absque cauſa, adeoque impediens ne votum impleatur, peccet mortaliter, quia de hac actione rationem Deo reddere debet: nam etiam de venialibus imò de operibus bonis ratio reddenda eſt; deinde lex illa utpote merè cæremonialis ceſſavit; utraque ſententia ſicut magnam pro ſe habet authoritatem DD. ita magnam quoque habet probabilitatem: in praxi tamen vix poteſt Prælato irritanti, aut ſubdito petenti deeſſe aliqua cauſa juſta irritandi votum etiam de licentia Prælati emiſſum, cùm non requiratur cauſa admodùm gravis. (*Adde*; non eſſe admittendam eorum Authorum ſententiam, qui aſſerunt ſine peccato mortali ſolvi poſſe ſubditorum vota ſine cauſa, etiam ea, quæ non præjudicant ratione materiæ vel perſonæ bono communi communitatis.)

Quòd ſi petas, quando cenſeatur Prælatus concedere licentiam ad vovendum, ita ut votum absque juſta cauſa nequeat irritare? ℟. non ſolùm quando ſciens voluntatem ſubditi tribuit facultatem ad vovendum, ſed etiam quando votum ab eo factum approbat & ratificat, & in illud conſentit; quia quando conſenſus Prælati non requiritur ad actus valorem (ùt in præſenti accidit, quandoquidem votum ſine conſenſu Prælati emiſſum validum eſt) poteſt illum præſtare vel in ipſo actu, vel ante vel poſt illum, ratificando per ſuum conſenſum actum jam factum; quia hoc ipſo in noſtro caſu apponitur conſenſus Prælati, qui eſt conditio ad firmitatem voti requiſita: non autem cenſetur conſentire ex eo, quòd ſubditus tacito voto obtineat licentiam rem promiſſam exequendi; quia licentia operis exequendi non eſt approbatio voti emiſſi; quare ſi ſubditus licentiam petat ad aliquid donandum vel faciendum, & poſtea voveat ſe facturum, hoc votum revocari poterit ſicut alia ſine licentia Prælati emiſſa. Major controverſia eſt, an taciturnitas & diſſimulatio Prælati habentis notitiam emiſſi à ſubdito voti cen- 12

ſeri debeat approbatio vel ratificatio voti, ita ut non liceat ampliùs absq; Prælato juſta cauſa illud irritare? in qua plures Canoniſtæ affirmativam defendunt cum Sylveſtro *V. Religio. 2. quæſt. 15.* verùm Cajetanus *in cap. 30. Num.* Tabiena *V. Matrimonium. 1. qu. 3. n. 4.* Suarez L. *6. de Voto. cap. 6. n. 14.* & *cap. 4. n. 20.* Sanchez *cap. 27. n. 46.* Palao *Diſp. 2. punct. 3. §. 2. n. 14.* & alii docent, quòd ſi Prælatus audito voto diſtulit conſentire, poſſit pro quocunque tempore irritare votum; quia conſenſus Prælati ad firmitatem voti omninò requiritur, utpote ſub conditione illius emiſſi, & quamvis Prælatus votum ſciat, poteſt tamen tacere ſe merè negativè habendo nec aſſentiendo nec diſſentiendo, ut maturiùs circa ſuum conſenſum dandum vel denegandum deliberet. Si autem Prælatus tacens internè conſentiat & approbet votum ſubditi, volunt prædicti Authores taciturnitatem eſſe virtualem approbationem voti; ſic enim quandoque ſuperiores approbare ſubditorum facta ſolent, idque ſufficit, ut cenſeatur votum de licentia Prælati factum, ita ut irritari non poſſit ſine juſta cauſa. In dubio verò, an Prælatus tacendo conſenſerit, diſtinguendum eſſe putat Suarez l. c. & videndum, an materia voti cedat in præjudicium Prælati, & tunc in dubio non præſumitur adfuiſſe conſenſum: an verò ſit de re indifferenti nemini præjudicium afferente, tunc præſumitur conſenſus, præſertim ſubdito humiliter, & debitis modis voti confirmationem petente, quia in favorabilibus qui tacet conſentire videtur.

13 Difficultas hìc eſt, an vota ſemel irritata poſtea reviviſcant decedente præſertim Prælato? ℞. nulla vota, quæ ſemel à Prælato fuerunt irritata directè, nimirum ratione poteſtatis dominativæ, reviviſcunt unquam ſed omnia ad nihilum redacta cenſentur, ùt colligitur *ex cap. quidam 3.* & *cap. placet. 12. de conſerv. conjugat.* & ratio eſt; quia hujusmodi vota ideò ſunt irritabilia, quia ſub conditione de conſenſu Prælati emittuntur, quo deficiente ſunt vota conditionata: ſed vota conditionata deficiente conditione non ſolùm pro tempore deobligant, ſed manent omninò extincta: ergò ſimiliter etiam irritata, & ſic nunquam reviviſcunt; nam quod ſemel extinctum eſt, nunquam reviviſcit L. *cùm ex cauſa. Cod. de Remiſſ. pignor.* quare quodcunque votum Religioſi ſemel à Prælato irritatum, nullam deinceps virtutem retinet, qua ullo tempore obligare poſſit, niſi in caſu, quo aliquis votum irritaret, qui communi errore & exiſtimatione putabatur Prælatus, qui tamen revera non erat talis, tunc enim irritatio non eſſet valida, & ſic cognito errore obligatio voti reviviſcit; nam licèt in his, quæ ſunt jurisdictionis error communis cum titulo ſufficiat ad valorem actûs juxta L. *Barbarius. ff. de Offic. Prætor.* non autem

tem ut actus dominii ſit validus, qui non eſt actus jurisdictionis ſpiritualis, ſed poteſtatis dominativæ: ſicut ſi dominus venderet ſervum, qui verè ſervus non erat ſuus, ſed alterius vel liber, & communiter ſervus illius putabatur, talis actus dominii in venditione exerciti, & ipſa venditio nullius eſſent momenti; ſic evenit in caſu quoque noſtro, ùt docet Bonacina *Diſp. 4. quaſt. 2. punct. 7. §. 2. n. 23.* Palao *Diſp. 2. punct. 4. n. 10.* Andreas à Matre Dei *l. c. n. 71.*

14 Porrò dubium etiamnum remanet, quinam veniant nomine Prælatorum, quibus competit directa poteſtas irritandi vota Religioſorum? ad quod ℟. hoc nomine inprimis venit S. Pontifex utpote ſupremus omnium Religioſorum Prælatus, cui (in baptiſmo jam fideles omnes) ſubjiciuntur: non tamen Legati à latere, aut Cardinalis Protector, vel S. Congregatio, quia iſti omnes quamvis habeant pleniſſimam jurisdictionem in Religioſos, non tamen ad illos extenditur votum obedientiæ, in quo fundatur poteſtas dominativa, per quam irritantur vota; eodem nomine venit Generalis pro toto Ordine, aut Congregatione: Provincialis pro ſua Provincia, & quilibet Prælatus localis pro ſuo Collegio aut Monaſterio: Viſitatores quoque in viſitatione conſtituti, ùt pluribus citatis docet Tamburinus *Diſp. 18. quaſt. 9. n. 5.* quia in tali actu viſitationis habent poteſtatem dominativam in ſubditos. Controverſia eſt circa Abbatiſſas aliásque Superioriſſas Conventuales Monialium, in qua mihi præplacet ſententia affirmativa eorum, qui tribuunt illis omnem poteſtatem irritandi vota ſuarum Monialium, quam habent Prælati Regulares reſpectu ſuorum Religioſorum; nam poteſtas irritandi provenit præcipuè à poteſtate dominativa, quam habent dictæ Abbatiſſæ vi votorum paupertatis & obedientiæ eisdem factorum, ratione quorum non tantùm quoad gubernationem domeſticam, ſed etiam quoad omnia ad ipſarum profectum ſpectantia illis ſubditæ & ſubjectæ ſunt: & ſic vota cenſentur ab illis emiſſa ſub conditione, ſi Abbatiſſa conſentiat & non contradicat, ùt cum Suarez L. *6. cap. 8. n. 19.* & Tamburino *to. 4. Diſp. 32. qu. 6.* docent Authores communius.

Quæ hactenus dicta ſunt de irritatione votorum, proportionaliter applicanda ſunt etiam ad juramenta promiſſioni aut voto adjecta pro majori eorum confirmatione. Id autem fieri poteſt dupliciter 1mò. in honorem & cultum Dei, quando nimirum aliquid ſoli Deo: 2dò. quando Sanctis, quatenus aliquid Dei ſunt, & in eis Deus ipſe reſplendet, promittitur faciendum, & ut promiſſio ſit firma, juramento confirmatur. Utrumque juramentum ferè cum voto coin- 15

incidit; licèt enim diverſa ſint ſpecie vincula, communi tamen æſtimatione in ordine ad relaxationem idem judicium fit de uno ac de alio; unde communis DD. ſententia tenet, omnes qui poſſunt irritare vota, poſſe etiam irritare ſimilia juramenta; quia cùm per illa nulli Jus aliquod acquiratur, niſi ſoli Deo, qui poteſt promiſſiones Deo factas per vota irritas facere, etiam poteſt irritare juramenta, quæ ſolummodò ad Deum diriguntur: & conſequenter, qui habent poteſtatem ordinariam diſpenſandi in votis, etiam habent in his juramentis: & qui habent poteſtatem dominativam, poſſunt ſicut & ſuorum ſubditorum vota, ita & juramenta irritare, ſi ſint de materia ipſis ſubjecta. Atque hinc omnia pacta Religioſorum & omnes promiſſiones etiam juramento firmatæ poſſunt à ſuis Prælatis irritari; quia cùm Religioſus omni voluntate careat, nil firmum efficere poteſt absque Superioris conſenſu. Ita D. Thomas *2. 2. quaſt. 89. art. 9. ad 3.* & ibi Cajetanus, Azorius *part. 1. L. 11. cap. 10.* Toletus L. *4. cap. 23.* Palao *tr. 14. Diſp. 3. punct. 1.* Sanch. L. *3. cap. 19. & 20.* Leſſius L. *2. cap. 42. dub. 12. n. 61.* Thom. Tamburin. *in Decal.* L. *3. cap. 7. §. 1.* Andreas à Matre Dei *cap. 3. punct. 1.* (*Adde*; idem requiri ad licitam irritationem juramenti promiſſorii, quod requiritur ad licitam irritationem voti, nempe ut detur ſufficiens cauſa, quæ per Epikiam cenſeatur rata haberi in æſtimatione Dei, & inſuper, ut materiæ aut perſonæ qualitas præjudicent Superiori in ſuo regimine libero in ordine ad bonum commune.)

Sectio II.

De poteſtate Prælatorum diſpenſandi ac commutandi ſuorum vota Religioſorum.

16 Diſpenſatio voti, de qua hic loquimur, eſt relaxatio obligationis per votum contractæ facta nomine Dei ab habente in Eccleſia legitimam poteſtatem ob juſtam & rationabilem cauſam, quam nedum ad licitam, ſed etiam validam diſpenſationem requiri, communis eſt Theologorum ac Canoniſtarum ſententia. Dari in Eccleſia poteſtatem diſpenſandi in votis adeò certum eſt, ut id eſſe de fide ab aliquibus aſſeratur ob clarum textum Matth. 16. in quo Chriſtus D. Petro dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*; quæ verba ſicut generalia ſunt, ita &

ge-

generaliter intelligi debent de omni vinculo, quo ſe homo obligare poteſt Deo. Ex quo illud etiam patet, diſpenſationem non eſſe actum Ordinis ſed jurisdictionis; neque enim ad hoc, ut quis poſſit in votis diſpenſare, aliquis Ordo deſtinatus eſt, ſed ſufficit Prælatum habere jurisdictionem ſpiritualem, quam aſſequitur per electionem & confirmationem, etſi nec ordinatus ſit Sacerdos vel Epiſcopus. Commutatio voti tunc fit, quando manente voti vinculo alia materia loco promiſſæ ſubrogatur, & hinc ſicuti una alteri materiæ ſubſtituitur, etiam obligatio, quæ erat circa unam materiam, transfertur ad aliam, & ejus executio eſt actus Religionis, quo ſolvitur Deo id, quod fuerat promiſſum; res enim ſubrogata virtute ſubrogationis tranſit æquivalenter in rem promiſſam; eſt autem commutatio votorum pariter actus jurisdictionis ſpiritualis non minùs quàm diſpenſatio, à qua tamen differt, quòd illa omnem omninò tollat obligationem voti, commutatio verò non tollit omnem obligationem, ſed illam transfert ab una materia in aliam: neque vovens liberatur à vinculo, ſed loco unius vinculi ſubſtituitur aliud. Porrò Commutatio triplex eſt, una qua materia promiſſa mutatur in melius; altera qua mutatur in aliquod æquale; 3tia. denique qua mutatur in aliquod minus.

17 Diſpenſatio verò prout huc facit, alia eſt expreſſa, alia tacita; expreſſa eſt, quæ per verba ad manifeſtandam voluntatem diſpenſantis ſufficientia conceditur, vel etiam ſignis evidentibus exprimitur, ut ſi præcedente petitione inferioris Prælatus annuat capite: neque ulla dantur in Jure determinata verba ad concedendam diſpenſationem requiſita, ſed per quæcunque dari poteſt, modò ſufficienter manifeſtent voluntatem diſpenſantis: multo minus requiritur ad ejus valorem, quòd detur in ſcriptis, niſi fortè alicubi exprimatur, tunc enim neceſſaria foret ſcriptura ad ejus valorem. Diſpenſatio tacita eſt, quæ ex ſignis & conjecturis colligitur, quam dari poſſe ex eo conſtat, quòd in Jure nulla detur expreſſa forma pro diſpenſatione concedenda, ſed requiratur tantùm voluntas diſpenſantis ſufficienter manifeſtata: talis autem voluntas poteſt ſufficienter ſignis & indiciis manifeſtari: ergò dari poteſt tacita diſpenſatio: ut ſi Prælatus ſciens ſubditum habere votum nunquam ludendi, eundem hic & nunc ludere jubeat. Id quod etiam procedit in caſu, quo Prælatus ſciens Religioſum ſuum voto non ludendi ligatum, tamen ludere videat ac taceat nec contradicat, cùm facilè & ſine incommodo poſſit, cenſetur enim tunc virtualiter ac tacitè diſpenſare; tum quia qui ex officio tenetur loqui & tacet, conſentire videtur ex *Reg. Jur. 43. in 6.* tum quia non eſt præſumendum in Prælato delictum aut velle ruinam ſub-

diti,

diti, cùm ipſi incumbat bonum illius promovere: ergò ſi videns ſubditum contra votum ludere & potens illum facilè reprehendere, nec tamen faciat, præſumendum eſt, quòd velit cum eo diſpenſare; aliàs peccaret tacendo & non evitando ruinam ſubditi per diſpenſationem, ùt pluribus citatis docet Andreas à Matre Dei *tr. 11. n. 15.* Dixi tamen, *ſi facilè & ſine incommodo poſſit contradicere*; ſi enim facilè non poſſit, vel tantùm taceat, quia prudentiùs eſſe judicat tacere, ut alia evitentur incommoda, tunc ſe habere cenſetur tantùm permiſſivè, non autem conceſſivè, atque adeò nec cenſeri poteſt diſpenſare. An verò ſufficiat ad præſumendam tacitam diſpenſationem, quòd prudenter judicetur, Prælatum, ſi ſciret, ratihabiturum eſſe factum? ℟. negativè; quia ad diſpenſandum in voto requiritur voluntas Prælati, quæ actu & verè ſit talis: ſed voluntas futura non eſt adhuc verè talis, ſed primùm erit: ergò non ſufficit: ſicut non ſufficit, ut ſimplex Sacerdos confeſſiones audiat, quòd prudenter judicet, Epiſcopum jurisdictionem, ſi ſciret, conceſſurum & approbationem, aut factum ratihabiturum: id quod pluribus aliis exemplis oſtendi poſſet.

18 Poteſtas diſpenſandi rursùs alia eſt ordinaria, alia delegata; ordinaria eſt, quæ alicui competit ex vi muneris & officii ſui, ùt eſt illa, quæ competit Epiſcopis; delegata eſt, quæ alicui convenit ex conceſſione habentis illam ex Jure ordinario. Poteſtas delegata alia eſt ex Jure, officio & dignitati annexa, & hæc poteſtati ordinariæ æquiparatur, habetúrque pro tali; qualis eſt poteſtas diſpenſandi in votis Religioſorum ſuorum Prælatis Religionum à S. Pontifice conceſſa, quæ proinde cenſetur eſſe ordinaria, cùm eorum adhæreat officio ac dignitati. Alia eſt poteſtas delegata ab homine, & hæc eſt in duplici differentia: una eſt, quæ conceditur per modum puræ commiſſionis & in favorem certæ cauſæ vel perſonæ, & hæc expirat morte concedentis, ſi res ſit integra & judicium necdum inceptum, nam ſi hoc inceptum fuerit, non expirat, usque dum finiatur, ùt alibi diximus. Alia eſt per modum gratiæ in favorem delegati, quæ ſi abſolutè conferatur, ùt eſt poteſtas conceſſa Regularibus ad abſolvendum & diſpenſandum, non expirat morte concedentis; *decet enim conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum Reg. Jur. 16. in 6.* & *cap. ſi tibi abſenti. de Præbend.* eodem. Qui habet poteſtatem ordinariam ſive abſolutè ſive æquipollenter talem, poteſt eam delegare; nam poteſtas diſpenſandi eſt poteſtas jurisdictionis: ſed poteſtas jurisdictionis ordinaria poteſt delegari, ùt conſtat ex *L. More. ff. de Jurisdict. omn. Judicum.* Qui verò poteſtatem habet purè delegatam, non poteſt eam ſubdelegare; quia delegatus non accipit eam

po-

poteſtatem ùt dominus ſeu ùt principalis cauſa, ſed potiùs ùt Miniſter, & executor ejus, qui poteſtatem habet ordinariam; excipitur delegatus Papæ aut cujuscunque ſupremi Principis, qui poteſt talem facultatem ſubdelegare in his, quæ ſibi non expreſsè prohibentur. *cap. Quoniam 43. §. 1. de Offic. delegat.* quia talis habet eam poteſtatem quaſi ordinariam; quodipſum dicendum eſt de delegato ab alio inferiore ad univerſalitatem cauſarum, qui ſaltem unam vel alteram cauſam committere poteſt alteri, cùm æquiparetur Ordinario. Utraque poteſtas diſpenſandi tam delegata quàm ordinaria latè interpretanda eſt, cùm ſit favor ac beneficium Principis nemini nocivum, quod proinde ampliandum eſt, licèt ipſa diſpenſatio, utpote exorbitans à Jure, & ſic ejus vulneratio ac proinde odioſa limitanda ſit. *arg. cap. 1. de fil. Presbyt. in 6.* Poteſtas porrò ordinaria diſpenſandi in votis reſidet primariò in S. Pontifice, qui eandem habet de Jure divino, ùt patet ex verbis Chriſti hanc poteſtatem D. Petro concedentis, & quidem in ſupremo gradu perfectionis, quia in illo reperitur tanquam in capite, quod à nullo alio in terris pendet, & à quo omnes cæteri pendent: unde ſit, quòd S. Pontifex poſſit ſibi quorumdam votorum diſpenſationem reſervare. Præter S. Pontificem eandem poteſtatem habent diſpenſandi in votis Papæ non ſpecialiter reſervatis Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & omnes illi, quibus eam S. Pontifex conceſſit vel ex Jure ſpeciali vel ex privilegio, quos inter cùm meritò numerentur Prælati Regulares præſertim Canonicorum, hinc inquirendum nobis hoc loco eſt 1mò. An & in quibus votis poſſint diſpenſare? 2dò. An in voto tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem? 3tiò. An etiá in voto ingrediendi ſtrictiorem Ordinem, ad hoc ut Canonicum aut laxiorem ingredi poſſit? 4tò. An commutare quoque poſſint vota ſuorum Religioſorum non tantùm in melius aut æquale, ſed etiam in minus bonum? Ad hæc ut ordine reſpondeam

Dico 1mò. *Poſſunt Prælati Canonicorum aliorúmque Regularium in omnibus eorum votis diſpenſare, quæ non ſunt ſubſtantialia Religionis, aut S. Pontifici ſpecialiter reſervata.* 19

Ita deducitur ex Bulla Sixti IV. *Dum ad univerſos. 10. Cal. Septembr. Anno 1477.* in qua Prælatis & Abbatibus Congr. Lateranenſ. concedit, ut cum Canonicis diſpenſatione indigentibus ſive priusquam intraverint Congregationem & Ordinem hujusmodi, ſive poſt, in omnibus caſibus diſpenſare poſſint juxta caſuum exigentiam. Idem concedit Innocentius VIII. Prælatis Cann. Regg.

Regg. Congreg. Windeſemenſis in Bulla: *Sacra Religionis honeſtas. 3tio. Idus April. Anno 1486.* data. Julius II. quoque in Bulla: *Inter cæteros. 4to. Nonas April. Anno 1512.* concedit Prælatis Cann. Regg. Congreg. Bononienſis, ut valeant in omnibus caſibus, in quibus de Jure communi, authoritas ſive licentia ſeu diſpenſatio Ordinariorum, ſi ab eis exempti non eſſent, foret neceſſaria, cum Canonicis ſuis auctoritate Apoſtolica diſpenſare, eiſque diſpenſandi licentiam & authoritatem concedere; quodipſum indulſit etiam Eugenius IV. in Bulla: *Regularem vitam. 30. Junii Anno 1436.* Prælatis & Abbatibus Congreg. S. Juſtinæ, nunc Caſſinenſis. Julius II. Prælatis Congregat. Montis Oliveti in Bulla: *Etſi ad univerſos. 4. Junii Anno 1507.* & Leo X. Camaldulenſibus in Bulla: *Etſi à ſummo. 4. Julii Anno 1513.* Ex quibus hoc formo argumentum: juxta prædicta privilegia poſſunt Prælati Canonicorum aliorúmque Regularium hactenus relatorum in omnibus caſibus, in quibus de Jure communi poſſent Ordinarii, ſi ab eis exempti non eſſent: ſed Ordinarii poſſent cum Regularibus in omnibus votis diſpenſare, quæ non ſunt ſubſtantialia Religionis, aut S. Pontifici ſpecialiter reſervata: ergò etiam Prælati poſſunt in omnibus iſtis votis diſpenſare cum Regularibus ac Canonicis ſuis; & ratio ulterior eſt, quia Prælati non ſolùm habent poteſtatem dominativam, vi cujus poſſunt ſuorum irritare vota Religioſorum, ſed obtinent etiam jurisdictionem ſpiritualem quaſi Epiſcopalem & ordinariam à S. Pontifice ſibi communicatam, vi cujus eos poſſunt dirigere non tantùm cùm id eorum ſaluti neceſſarium eſt, ſed etiam cùm id videbitur expediens, ac ipſis utile: hæc autem poteſtas & jurisdictio includit in ſe ac comprehendit poteſtatem diſpenſandi velut partem in toto: ergò hanc habent Prælati. Quæ poteſtas diſpenſativa extenditur etiam ad vota emiſſa de licentia Prælati; quia hæc tam parùm limitare poteſt jurisdictionem ac poteſtatem ſpiritualem diſpenſandi, cùm id poſtulat neceſſitas aut animarum ſalus & utilitas, quàm parùm poteſt impedire poteſtatem dominativam irritandi vota ſuorum ſubditorum; & licèt etiam non poſſent Prælati irritare vota de ſua licentia à ſubditis emiſſa, contra quam ſupra ſtatuimus, poſſent tamen poſt datam licentiam & vota emiſſa diſpenſare; quia remanet adhuc integra ſpiritualis jurisdictio, quæ pro tali diſpenſatione eſt totale fundamentum, prout etiam docent Sylveſter *V. Votum. 4. quæſt. 3. diſtinct. 9.* Fagundez *L. 2. cap. 45. n. 6.* Suarez *L. 6. de voto. cap. 10. n. 17.* Sanch. *L. 4. cap. 42. n. 4.* Andreas à Matre Dei *cap. 3. punct. 11. n. 90.* Similiter quamvis Prælatus inferior non poſſit irritare votum emiſſum de licentia Superioris, ùt ſupra diximus, poteſt nihilominus

in

in illo diſpenſare; quia Superioris licentia non eximit Religioſum à jurisdictione Prælati inferioris, licèt eximat à dominativa illius poteſtate. Suarez *n. 18.* Sanchez *n. 5.* Fagundez *n. 7.* Poſſunt etiam Prælati diſpenſare in votis non peccandi, & in votis adimplendi divina præcepta; quia licèt ſubditi ad hæc Dei lege teneantur, nihilominus tamen ſubduntur Prælatis quoad novam voti obligationem. Sanchez *n. 6.*

20 Ut autem Prælati Regulares tam licitè, quàm validè diſpenſent in votis ſuorum Religioſorum, requiritur juſta & rationabilis cauſa, qua deficiente non tantùm illicita eſt, ſed etiam irrita ac invalida talis diſpenſatio, ùt certum eſt ex communi Doctorum ſententia: & ratio eſt; tum quia inferior non poteſt neque licitè neque validè diſpenſare in lege Superioris ſine juſta ac rationabili cauſa: cùm inferior non recipiat poteſtatem diſpenſandi in lege Superioris ad beneplacitum ſuum, ſed ſolùm juxta rationabilem ac juſtam cauſam: ſed diſpenſare in votis, eſt diſpenſare in lege Superioris divina ſcilicet vel naturali: ergò ſine juſta ac rationabili cauſa non poſſunt diſpenſare Prælati; cùm talis diſpenſatio irrationabilis foret ac imprudens, utpote facta contra mentem Superioris: tum etiam, quia poteſtas diſpenſandi data eſt Eccleſiæ ac Prælato ad ædificationem, non ad deſtructionem: ſed eſſet ad deſtructionem & non ad ædificationem, ſi Prælatus absque juſta & rationabili cauſa poſſet diſpenſare vota, ùt habet D. Bernardus L. *3. de conſiderat. ad Eugen. cap. 23.* & S. Thom. *2. 2. quæſt. 88. art. 12.* ergò ſine juſta cauſa diſpenſare non poteſt; limitant tamen hanc doctrinam plures Authores in caſu, quo bona fide procedit inferior Prælatus, putans juſtam adeſſe cauſam, quæ tamen revera non ſubſiſtit; eſt enim incredibile aliam eſſe mentem Superioris etiam Dei circa ſuas leges, cùm taliter evitentur plures ſcrupuli, conſcientiæ tranquillentur, & geſta à Prælatis permaneant firma, quæ ad rectam Eccleſiæ & inferiorum gubernationem maximè videntur eſſe neceſſaria. Ex quo ſequitur, poſſe manere ſubditum in conſcientia tutum, etiamſi poſtea certò cognoſcat, cauſam non adfuiſſe, vel non fuiſſe ſufficientem, quia jam ſubſiſtit valida diſpenſatio, quod maximè procedit, ſi ſubditus noluit decipere Superiorem. (*Adde*; non eſſe veroſimile, Deum etiam in futurum relaxare velle obligationem poſt ſemel agnitam inſufficientiam manifeſtam cauſæ, & nullitatem diſpenſationis.) Ex dictis itidem ſequitur, graviter peccare Prælatum ſine cauſa diſpenſandi in votis: tum quia uſurpat ſibi jurisdictionem, quam non habet: tum etiam quia præbet ſubdito anſam frangendi votum, quo obligatur. Quænam autem cauſa cenſeatur eſſe juſta & ratio-

Digitized by Google

tionabilis ad diſpenſandum in votis? vix poteſt univerſaliter determinari, ſed relinquitur prudentis Prælati arbitrio, qui ſpectatis circumſtantiis diſpiciet ac conſiderabit quid liceat ſecundùm æquitatem, quid deceat ſecundùm honeſtatem, quid expediat ſecundùm utilitatem, ùt monet Innocentius III. *in cap. Magna. 7. de vot.* Pro majori tamen hujus materiæ dilucidatione aſſignat Tamburinus *to. 2. Diſp. 19. quaſ. 4.* ſequentes regulas: prima eſt, ſi ex indiſcreto vovendi modo, nempe ex metu, calore iracundiæ, vel ſubita paſſione deliberationem impediente quis voverit. 2da. ex parte materiæ, ùt ſi materia ſit occaſio ruinæ vel peccati. 3tia. ex conditione perſonæ, ſi impediat majus bonum ſpirituale, & ex diſpenſatione ſperetur major fructus & utilitas. 4ta. ex comparatione materiæ ad talem perſonam, ſi materia mutata ſit, quoad magnitudinem difficultatis & incommoditatis. 5ta. ex neceſſitate extrinſeca, ut ſi ſit neceſſitas vel utilitas ad publicum bonum Monaſterii pertinens. 6ta. ſi ita prudens arbitretur, poteſt enim evenire, ut ſingulæ non ſufficiant, ſed plures requirantur. Inſuper requiritur proportio agnoſcenda inter qualitatem cauſæ & votum: qua de re fuſiùs Suarez *cap. 20.* ſi dubium ſit, an adſit ſufficiens cauſa diſpenſandi, inclinandum eſt in benigniorem partem, quòd poſſit Prælatus & licitè & validè diſpenſare; quia frequenter occurrunt tales dubitationes de ſufficientia & proportione cauſæ: & petere majorem certitudinem, ſtrictiſſimum regimen eſſet pluribus ſcrupulis expoſitum. Secùs dicendum eſt, ſi dubium foret, an exiſteret cauſa diſpenſandi; quia in diſpenſatione neceſſariò requiritur cauſa, proinde fieri nequit, quando dubitatur an ea adſit. Ex quibus patet, quòd ſi Prælatus propoſita ſibi cauſa diſpenſat, licèt dubitetur, an ſufficiens ſit nec ne, ſubditus utendo diſpenſatione, tutus erit in conſcientia; quia in hoc dubio Prælati ſtandum eſt judicio; qua in re tamen ſuadent Authores, ut ſi dubium de ſufficientia cauſæ vinci non poſſit, diſpenſationi admiſceatur commutatio pro qualitate dubii, ſicque ſuppleatur, quod deeſt cauſæ. Solùm difficultas adhuc remanet, an diſpenſans debeat etiam cognoſcere adeſſe juſtam diſpenſandi cauſam? ad quam ℞. quòd etſi diſpenſans mala fide procedat abſque cauſæ cognitione, probabiliùs valida ſit talis diſpenſatio, modò illa verè ſubſiſtat, ita ut diſpenſatus tuta conſcientia eâ uti poſſit donec revocetur; quamvis diſpenſans per ſe mortaliter peccet; ratio eſt, tum quia quando Jus poſitivum poſtulat præmitti cognitionem cauſæ diſpenſationi, non ad valorem illius & tanquam formam, illam requirit, ſed ut licitè fiat; tum quia quando diſpenſatio dependet in ſui valore à cauſa, ùt eſt diſpenſatio, quæ impenditur ab inferiore in lege Superio-

rioris, non dependet à cauſæ cognitione, ſed ab ipſa exiſtentia cauſæ: ſicut electio capacis & digni ad beneficium eſt valida, quamvis non cognoſcatur capacitas & dignitas ab electore *arg. cap. Nihil eſt. 44. de Elect. V.* Andreas à Matre Dei *cap. 5. punct. 6. §. 3.*

21 Cæterùm dixi in concluſione imò. *quæ non ſunt ſubſtantialia Religionis*, qualia ſunt vota paupertatis ſeu abdicationis proprii, caſtitatis, & obedientiæ, quibus annumerantur etiam illa, quæ in quibusdam Religionibus tribus prioribus annectuntur, quale apud Canoniſſas Regulares B. Petri Forerii eſt votum inſtruendi gratis puellas: apud Canoniſſas Regulares Hoſpitalarias, & apud Fratres de Miſericordia votum inſerviendi infirmis: apud Trinitarios & Religioſos de Mercede votum redimendi captivos: apud Minimos votum abſtinentiæ quadrageſimalis: apud Jeſuitas votum non ambiendi &c. quia hæc etiam ſuo modo pertinent ad ſubſtantiam talis ſtatûs ac Religionis peculiaris, cùm ſint votis ſubſtantialibus annexa, & illum ſtatum ſubſtantialiter adintegrent & perficiant: ût expreſsè ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 1. de reform.* cujus hanc reddit rationem, inquiens: etenim ſi illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius Religionis, ac regularis diſciplinæ exactè non fuerint obſervata & cuſtodita, totum corruat ædificium neceſſe eſt; & de voto non ambiendi, quod in quibusdam Religionibus cum ſubſtantialibus tribus fieri ſolet, inquit Paulus V. in Conſtitutione, quæ incipit: *Quæ piè & ſanctè. 10. Febr. Anno 1610.* data: ſuper hujusmodi voto diſpenſari minimè poſſe nec illud commutari, non ſecùs ac cætera ſubſtantialia vota Religionis; atque ita etiam communiter docent Authores, quos inter Suarez *to. 4. tr. 8. L. 2. cap. 12.* Diana *part. 6. tr. 8. Reſol. 34.* Aſc. Tamburin. *to. 3. Diſp. 4. qu. 8.* Sanchez *L. 4. cap. 33. n. 5.* Lezana *to. 1. cap. 18. n. 54* & *to. 4. V. tranſeuntes Regulares n. 14.* & *V. Votum n. 10* ubi refert motum proprium Urbani VIII. qui incipit: *Honorum 24. Febr. Anno 1643.* ubi declarat: quòd ſolus Papa diſpenſare poſſit cum Regularibus ſuper voto de non procuranda nec acceptanda dignitate extra Religionem: & ideò quæcunque facultates generales diſpenſandi ſuper quibuscunque votis ſeu illa relaxandi aut commutandi vel adversùs illa præcipiendi, aut aliàs quomodolibet voventes habilitandi, nullatenus ad præmiſſa ſe extendunt. Dixi 2dò. *niſi S. Pontifici ſint ſpecialiter reſervata*; qualiter eidem reſervatum eſt votum ingrediendi Religionem: licèt enim non detur textus expreſſus talis reſervationis, ex conſuetudine tamen & ſtylo curiæ ſic habetur, & ſic ſemper excipitur in quibusvis privilegiis, Bullis, aut Jubilæis concedentibus facultatem ad quæcunque vota diſpenſanda vel

commutanda; ad hoc verò requiritur, ut votum ingrediendi Religionem ſit abſolutè, liberè, & ſimpliciter factum, aliàs non cenſetur eſſe reſervatum, ùt ſi fuerit ex levi metu emiſſum (ſi autem ex gravi metu fuerit factum, eſt omninò nullum); quia reſervatio hujus voti intelligenda eſt de omninò libero; ſimiliter reſervatum non eſt, ſi fuerit emiſſum ſub obligatione peccati venialis tantùm; quia hoc non eſt votum ſimpliciter: vel ſi fuerit pœnale, aut conditionatum adimpleta etiam conditione aut disjunctivum, vel Religionis non approbatæ; hæc enim & ſimilia poſſunt à Prælatis diſpenſari, ſicut alia non reſervata, cùm non ſint abſolutè facta; ſic pariter diſpenſari poteſt votum perſeverandi in Religione, quia eſt diverſum à voto Religionis: & hoc ipſum etiam ad hoc ut differri poſſit ex juſta cauſa in tempus opportunius, dumodò nullum ſit periculum, illud prætermittendi, quia hoc non eſt in voto Religionis diſpenſare ſimpliciter. An verò Prælati poſſint diſpenſare cum eo, qui habens votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem, ut poſſit ingredi laxiorem, dubium facit *cap. Qui poſt votum 5. de Regularib. in 6.* ubi Bonifacius VIII. præcipit, hujuſmodi pro voto non completo pœnitentiam eſſe imponendam: non eſſet autem imponenda, ſi Prælati poſſent cum talibus diſpenſare. Verùm hæc ratio tantùm probat, Prælatos non poſſe de Jure ordinario diſpenſare cum talibus, ut laxiorem poſſint ingredi Religionem ſecluſo ſpeciali privilegio, quod tamen ſi habeant, id licitè poterunt. Unde

Dico 2dò. *Poſſunt Prælati Canonicorum aliorumque Regularium diſpenſare cum illis, qui voverunt ſtrictiorem ingredi Religionem, ad hoc ut Canonicum aut laxiorem ingrediantur.* 22 Ita Sixtus IV. Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium Congreg. Lateranenſis in Bulla: *Dum ad Univerſos. 10. Cal. Sept. Anno 1477.* in qua ſtatuit, ut omnes, qui votum ſimpliciter ingrediendi aliquam aliam Religionem, etiam arctiorem, emiſerint, ad Congregationem Lateranenſem & Ordinem Canonicum, illorúmque profeſſionem liberè & licitè ingredi, inibi recipi, & admitti valeant. Id quod repetit Innocentius VIII. in Bulla: *Sacra Religionis honeſtas. 3tio Idus April. Anno 1486.* Prælatis Cann. Regg. Congreg. Windeſemenſis conceſſa. Sic etiam Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Prælatis Cann. Regularium Congreg. Bononienſis data ſtatuit, ut omnes, qui Religionem, locum, vel Ordinem alium quemcunque arctiorem etiam ingredi voviſſent, tali voto nonobſtante ad Congregationem prædictam & Ordinem Canonicum, illorumque profeſſionem liberè & licitè ingre-

ingredi, & inibi recipi, & admitti valeant, ſuperque omnibus aliis votis (præfato Religionis duntaxat excepto) cum illis & cum omnibus aliis ipſam Congregationem Altiſſimo famulaturis ingredi volentibus etiam diſpenſari poſſit. Idem conceſſit Eugenius IV. Congregationi Caſſinenſi in Bulla: *Etſi quaslibet. prid. Cal. Julii. Anno 1436.* Julius II. Congregationi Olivetanæ in Bulla: *Etſi univerſos. 4. Junii Anno 1507.* Leo X. Camaldulenſibus in Bulla: *Etſi à ſummo 2. Julii. Anno 1513.* Et ratio eſt; quia SS. Pontifices hujusmodi privilegia concedentes in beneficium Religionis, vel commutant tale votum, vel certè concedunt Prælatis facultatem diſpenſandi aut commutandi illud in ingreſſum Religionis laxioris, idque in illius favorem. Licèt autem in privilegio Eugenii IV. addatur expreſsè limitatio: quòd ſi tamen ante profeſſionem emiſſam ab ipſa Religione laxiori diſceſſerint, diſpenſatio nullius ſit roboris ac momenti, nullam tamen habent ſaltem tam expreſsè cæteri Pontifices, quam tamen in hujusmodi privilegiis ſubintelligi putant Sanchez *L. 4. cap. 16. n. 94.* Palao *tr. 16. Diſp. 1. punct. 3. n. 8.* & alii. Ad hoc autem, ut tales diſpenſari poſſint, manifeſtare debent Prælato tale votum; quòd ſi quis absque diſpenſatione prævia ingrediatur Religionem laxiorem, ac in ea profiteatur, omninò manet liber à voto ingrediendi ſtrictiorem, ùt habetur *cap. Qui poſt votum. 5. De Regularib. in 6.* ubi tamen ſimul ſtatuit S. Pontifex, quòd *pro voto non completo ſit eidem pœnitentia imponenda.* & ratio eſt, quòd talis licitè maneat in eadem Religione, nec teneatur tranſire ampliùs ad ſtrictiorem; quia ſcilicet, ùt ait D. Thomas *2. 2. quæſt. 189. art. 8. ad 3. votum ſolemne, quo quis obligatur minori Religioni, eſt fortius quàm votum ſimplex, quo quis adſtringitur Religioni majori*, ſeu ſtrictiori; *poſt votum enim ſimplex ſi contraheret aliquis matrimonium, non dirimitur ſicut poſt votum ſolemne: & ideò ille, qui jam profeſſus eſt in minori Religione, non tenetur implere votum ſimplex, quod emiſit de intrando Religionem majorem.* Ex quo inferunt Palao *tr. 16. D. 1. punct. 3. n. 7.* Pelizarius *tr. 4. cap. 1. n. 43.* Layman *L. 4. tr. 5. cap. 6. n. 7.* & alii, votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem poſſe propria auctoritate commutari in votum perſeverandi in laxiori; quia hoc votum nobilius & perfectius eſt voto ſolúm intrandi ſtrictiorem (*Adde*; ſed mala eſt hæc illatio, ubi enim actuali ingreſſui ad Religionem laxiorem ſtatuitur pœnitentia, prout ſupra dictum eſt, non datur licentia, propria auctoritate commutandi hoc votum.) Notandum tamen hìc quòd ad hoc, ut diſpenſatio ingrediendi Ordinem laxiorem valida ſit, debeat diſpenſatus ingredi Religionem aut Congregationem vel Monaſterium ipſius diſpenſantis, cùm hic tantùm acceperit à S. Pontifice poteſtatem diſpenſandi relatè ad ſuum Ordinem vel Monaſterium: & ad hoc erit ſufficiens cauſa, ſi ille, qui vult diſpen-

ſpen-

ſpenſari, exiſtimet ſe meliùs in iſta Religione laxiori Deo ſerviturum. An verò Prælati Regulares ſicut poſſunt diſpenſare in voto ingrediendi Religionem ſtrictiorem, ad hoc ut poſſint ingredi laxiorem, ita pariter poſſint diſpenſare in voto tranſeundi ad ſtrictiorem, ad hoc ut poſſint manere in laxiori? nova difficultas eſt, pro cujus meliori intelligentia ſciendum, tum de Jure naturæ, ùt vult Cajetanus *2. 2. quæſt. 88. art. 1. ad 2.* tum Jure Canonico licitum eſſe cuivis Religioſo de ſua Religione laxiori tranſire ad ſtrictiorem, & ad id ſe voto adſtringere abſque ullo Prælati ſui conſenſu, pro quo ſufficit, quòd ab eo humiliter fuerit poſtulata tranſeundi licentia, & quamvis non fuerit obtenta, licebit nihilominus tranſire non obſtante proterva indiſcreti contradictione Prælati, ùt loquitur Innocentius III. *in cap. Licèt. 18. de Regular.* Ex hoc autem oritur quæſtio propoſita, an Prælati Regulares poſſint in ejusmodi voto tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem à Religioſo facto diſpenſare, ita ut eo non obſtante permanere valeat in laxiori? ad quam

23 Dico 3tiò. ***Poſſunt Prælati Canonicorum, aliorumque Regularium diſpenſare in voto tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem, ita ut eo non obſtante permanere liceat in laxiori.***

Ita Navarrus *Comment. 4. de Regul. n. 22. in fin.* & *L. 3. Conſil. de voto. Conſil. 40. in Edit. 2. n. 3.* Leſſius *L. 2. de juſt. cap. 40. dub. 13.* Rodriq. *to. 1. QQ. Regul. qu. 25. art. 5.* Azor *part. 1. L. 11. cap. 18. q. 8.* Henriquez *L. 7. de indulg. cap. 22. n. 7.* Fagundez *L. 2. cap. 45. n. 5.* Sayrus L. *6. cap. 11. n. 73.* Sanchez *de matr.* L. *8. D. 9.* & *in Decalog.* L. *4. cap. 40. n. 74.* Bonacina *in Decal. Diſp. 4. qu. 2. punct. 7. §. 4. n. 21.* Reginald. *in praxi* L. *18. n. 331.* & *335.* Tamburin. *to. 2. Diſp. 19. quæſt. 5.* Diana *part. 3. tr. 2. Reſol. 91.* Lezana *to. 1. cap. 18. n. 50.* Andreas à Matre Dei *cap. 3. punct. 11. n. 91.* & alii communiter. Ratio eſt; tum quia nullo Jure legimus talem diſpenſationem reſervatam eſſe S. Pontifici, nec reſervatio cùm odioſa ſit, aſſignanda eſt absque manifeſto textu: tum quia Prælati Canonicorum aliorumque Regularium diſpenſare poſſunt in votis ſuorum Religioſorum, ſicuti Epiſcopi cum ſubditis ſuis: ſed Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in voto tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem; quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis, ſed tantùm in aliqua circumſtantia, remanente illius obligatione: ergò etiam Prælati poſſunt diſpenſare cum ſuis Religioſis in voto tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem, antequam tranſeant; quia habent in ſuos jurisdictionem ac poteſtatem ordinariam ac quaſi Epiſcopalem. Nec obeſt, quòd Prælati non poſſint irritare votum tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem: nam diſpar eſt ratio; quia

quia poteſtas irritandi votum tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem ablata eſt Prælatis per *cap. licèt. 18. de Regular.* ubi libera conceditur facultas etiam absque illorum conſenſu tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem: & hoc ideò, quia Religioſus quoad illum tranſitum non ſubditur Prælato út domino & ſubjectione propriè dicta, cùm non ſit de iis, quæ ad obedientiæ votum pertinent, utpote qui per dictum cap. eſt omninò independens à voluntate Prælati: nulla talis Juris diſpoſitio habetur, vi cujus per votum tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem Religioſus eximatur à jurisdictione Prælati antequam actu fuerit tranſgreſſus, ſed eidem qua tali manet ſubjectus: ergò ſicut Epiſcopi, licèt non poſſint irritare ſuorum vota ſubditorum, poſſunt tamen diſpenſare in voto tranſeundi ad Ordinem ſtrictiorem, cùm in eos habeant jurisdictionem, ita etiam Prælati poſſunt in tali voto diſpenſare cum ſubditis Religioſis, licèt illud non poſſint irritare, cùm non obſtante hoc voto integra illis maneat jurisdictio. Notant autem Authores cum Lezana l. c & Antonio à Spiritu S. *tr. 2. D. 1. ſect. 2. §. 2. n. 101.* quòd licèt rationabilis cauſa ad talem diſpenſationem requiratur, ſufficiat, ſi quis verè & prudenter judicet, ſe melius ſervire poſſe Deo in illa Religione utut laxiori, quàm in altera ſtrictiori, ad quam ſe transferre promiſerat. Videndum nunc, an ſicut Prælati diſpenſare poſſunt in votis ſuorum Religioſorum, ita & eadem commutare poſſint? ad quod

Dico 4tò. *Poſſunt etiam Prælati Canonicorum aliorumque Regularium commutare ſuorum vota Religioſorum non tantùm in melius aut æquale, ſed etiam in minus bonum.* 24

Sequitur ex hactenus dictis; quia Prælati habent poteſtatem ordinariam diſpenſandi in votis ſuorum Religioſorum: ergo etiam habent poteſtatem ordinariam ea commutandi; utraque enim pertinet ad jurisdictionem ſpiritualem in foro exteriori exercendam, eſtque pars illius, utpote quæ juxta diverſas exigentias & circumſtantias vota fidelium nomine Dei prudenter remittit vel totaliter, quando diſpenſatur, vel partialiter quando commutatur votum, ùt adeò hìc maximè locum habeat Regula Juris *53 in 6.* cui licet plus, licet utique quod eſt minus: eſt autem plus diſpenſare, quàm commutare, cùm per diſpenſationem voti obligatio omninò tollatur, non item per commutationem: ergò poſſunt etiam commutare vota, & quidem non tantùm in melius, ùt per ſe patet, cùm ea quæ ſunt meliora, ſemper magis placeant Deo, ſed etiam in æquale vel etiam minus bonum, utpote quod conſequitur ad poteſtatem diſpenſandi

ſandi, atque re ipſa nihil aliud eſt quàm partialis diſpenſatio. Ad hoc tamen requiritur cauſa aliqua rationabilis; quia commutatio voti fit nomine Dei, cui per votum Jus ad rem promiſſam eſt acquiſitum: atqui Deus in remiſſionem obligationis erga ſe contractæ ſine juſta cauſa etiam bono fine factam tanquam irrationabilem & rectæ gubernationi præjudicantem non cenſetur conſentire: & ſic commutans vota in minus aut etiam æquale bonum ſine rationabili cauſa, excederet limites conceſſæ poteſtatis; minor tamen requiritur cauſa ad comutationem in æquale, quin etiam ſufficere levem docent Authores communiter, quia in hac revera debitum non extinquitur nec remittitur ſed præcisè transfertur in aliam ſpeciem ſolutionis; major veró requiritur cauſa ad commutationem in minus bonum, tantáque cum proportione, ut quo magis receditur ab æqualitate rei promiſſæ, ea major ſemper ac gravior exigatur cauſa; minor tamen requiritur ad commutationem hanc etiam in minus bonum, quàm ad abſolutam diſpenſationem ſine onere; quia in hac totaliter, in illa verò partialiter tantùm tollitur obligatio voti.

25 Dico denique 5tò. *Poſſunt quoque Prælati Canonicorum aliorumque Regularium diſpenſare ac commutare Religioſorum ſuorum vota juramento firmata facta in honorem Dei.*

Ita communiter Authores, & deſumitur ex privilegio Gregorii XIII. quod incipit: *Decet Romanum. 3. Maj Anno 1575.* dato, in quo facultatem commutandi vota etiam ad jurata ſeu juramento firmata extendit. Ratio eſt; quia votum etiam juramento firmatum eandem naturam retinet, quam priùs habuerat, & juramentum tanquam acceſſorium ſequitur principale ſcilicet votum, ejusque naturam induit ac conditiones: ergò cùm votum tanquam principale juxta hactenus dicta ſit diſpenſabile, etiam erit diſpenſabile juramentum tanquam acceſſorium. Id quod etiam extenditur ad juramenta ſine voto quidem, ſed tamen principaliter in honorem Dei facta; nam hujusmodi juramentum & votum in Jure & apud Doctores æquiparantur quoad vinculum & obligationem paſſivam, eandemque pariunt erga Deum ex virtute Religionis obligationem, quam contrahit vovens per hoc, quòd fidem ſuam obliget Deo ad aliquid in ejus obſequium faciendum, jurans verò per hoc, quòd Deum ſponſorem faciat ac teſtem ſuæ promiſſionis principaliter ad ejus honorem factæ, & conſequenter diſpoſitum de uno, cenſetur etiam diſpoſitum de altero. Idem quoque dicendum eſt, ſi vota vel juramenta

Digitized by Google

vel vota jurata fuerint emiſſa in favorem tertii in iis rebus, in quibus Religioſi ſunt ſubjecti Prælatis; nam cùm tales res ſint ſub dominio Religionis aut Monaſterii, non poſſunt illas promittere inferiores, ac proinde juramenta illa promiſſoria poterunt à Prælatis tolli vel irritatione, aut diſpenſatione, vel etiam commutatione, ùt pluribus relatis docet Lezana *to. 1. cap. 18. n. 53.* Si tamen fuerint de rebus, de quibus poſſunt diſponere, aut ſunt ſui Juris, communis ſententia tenet, quòd non cadant in illa nec irritatio, nec diſpenſatio, vel commutatio, ſi fuerint à tertio acceptata, nam Prælatus non poteſt tollere Jus alterius.

Sectio III.

De poteſtate Prælatorum diſpenſandi in horis Canonicis recitandis.

26 INter præcipuas Regularium obligationes meritò numeratur illa, qua tenentur ad Laudes divinas in Choro decantandas per diſtinctas horas, à quibus etiam velut antonomaſticè dictæ ſunt horæ Canonicæ, quarum uſum antiquiſſimum eſſe & à SS. Apoſtolis profectum, communis eſt Doctorum Catholicorum ſententia, habetque fundamentum in S. Scriptura & SS. Patribus, ùt probat S. Auguſtinus *Epiſt. 129. ad Januarium*, & *L. 1. Retract. cap. 19.* ſic enim legimus *Exod. 15.* & *Deuteron. 32.* quòd à tempore Moyſis fuerit conſuetudo canendi Cantica: & à tempore Davidis invaluerit uſus canendi Pſalmos, & laudes divinas in Cithara, ùt habetur *2. Regum. cap. 7.* & *1. Paralipom. cap. 5. & 6.* & notavit S. P. Auguſtinus *de Civit. Dei cap. 14.* Iſidorus *de divin. Offic. cap. 12.* ac Innocentius III. *Libr. 1. Myſter. Evangel. Legis.* in nova etiam lege habetur *Matth. 26.* in nocte Paſſionis poſt Cœnam Chriſtum dixiſſe hymnum cum Apoſtolis: eſt autem juxta D. Auguſtinum *in Pſalm. 72.* hymnus, laus Dei cum cantu; unde S. Chryſoſtomus *hom. 83. in Matth.* dicit: hymnum cecinit, ut nos ſimiliter faciamus: accedit D. Paulus *ad Epheſ. 5.* & *ad Coloſſenſes 3.* ubi hortatur fideles, ad decantandos Pſalmos, Hymnos, & Cantica ſpiritualia: ex quibus Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 18.* confirmat & declarat traditionem & conſuetudinem canendi divinas laudes in Eccleſia. Hæc porro conſuetudo fuit tam in Oriente, quàm in Occidente ab initio naſcentis Eccleſiæ; fit enim mentio hujus ritus *in Canon. 43.* & *69. Apoſtol.* & hujus meminit Clemens *L. 8. Conſtit. cap. 34.* & D. Dionyſius. *cap. 3. de Cœleſti Hierarch.* ait:

ait: ſanctam Pſalmorum modulationem omnibus ſacris myſteriis conjungi: & S. Hieronymus *Ep. 4. ad Ruſticum*, & 17. *ad Marcellam* inquit: tot ferè pſallentium Chori, quot gentium diverſitas. Finis autem principalis inſtituendi in Eccleſia Chori ad divinas laudes decantandas eſt Deum laudare & glorificare nomine totius Eccleſiæ, eumque deprecari pro omni populo & illum excitare ac provocare ad devotionem conſimilem exemplo Cleri Deum laudantis. Teneri Regulares præſertim Canonicos ad Chorum tanquam unam ex principalibus eorum functionibus tenent Authores Canonici communiſſimè, in quantum nempe permittunt aliæ ac præcipuè cura animarum, ad quam primariò & ex inſtituto Ordinis ſunt ordinati: his verò præpediti obligantur ad eas extra Chorum privatim recitandas ſaltem ſi ſint in ſacris Ordinibus conſtituti, niſi vel diſpenſatione Prælati ſui, vel privilegiis SS. Pontificum ab illis excuſentur. Quænam verò ſint illa privilegia, quæ Prælatis concedunt facultatem diſpenſandi cum Regularibus ſibi ſubditis in perſolvendis horis Canonicis, vel quæ eosdem omninò abſolvunt aut ſaltem excuſant ab integra illarum recitatione, hic pro inſtituti noſtri ratione diſquirendum eſt, ac 1mo. quidem indagandum: An Prælati Canonicorum, aliorumque Regularium diſpenſare poſſint cum ſubditis ſuis occupatis Monaſteriorum ſuorum officiis, habendis præſertim concionibus, audiendis confeſſionibus, ſtudio SS. litterarum, aliiſque charitatis operibus? 2dò. An & quomodo iidem poſſint diſpenſare cum infirmis ac valetudinariis, eorumque curam gerentibus, ut non teneantur recitare horas Canonicas? 3tio. An & quomodo diſpenſare poſſint cum non valentibus benè recitare horas Canonicas ob defectum viſûs, vel auditûs, aut ob impedimentum linguæ, ſi quam partem non omninò notabilem ommittant? 4tò. An poſſint cum Canonicis ſuis profeſſis needum tamen in ſacris Ordinibus conſtitutis, qui ad officium divinum dicendum vel non ita docti vel minus experti ſunt, ita diſpenſare ut ad illud integrum non teneantur? 5tò. An poſſint Regulares in Choro ea quæ ſecretò dicenda ſunt, recitare mentaliter: extra Chorum verò, quando ſoli & privatim recitant, an totum officium mentaliter dicere valeant? 6tò. An poſſint Regulares officia feriarum anticipare diebus quibus ſunt otioſi: & officia feſtiva reſervare in illos dies, quibus ſe credunt fore occupatos? 7mò. An iidem poſſint juſta de cauſa horas Canonicas ante- vel poſtponere, etiam ſacrificio Miſſæ, easdemque ſimul omnes dicere? & quæ ſunt alia, ad quæ

27 Dico 1mo. *Poſſunt Prælati Canonicorum aliorumque*

que

que Regularium cum iis, Monaſteriorum ſuorum officiis aliiſque charitatis operibus occupatis, ita diſpenſare, ut aliquid aliud juxta Prælati arbitrium recitando ſatisfaciant officio divino.

Ita Julius II. conceſſit Prælatis & Abbatibus Canonicorum Regularium in Bulla: *Inter Cæteros. Romæ 4. Non. April. Anno 1512. Pont. 9.* ubi ſic loquitur: volumuſque, quòd qui ex præfatis Canonicis adeò Monaſteriorum ſuorum officiis occupati, ut in Choro intereſſe & officium divinum vix ſine labore & tædio dicere, ac ipſa eis ratione officiorum hujuſmodi incumbentia charitatis opera implere nequeant, ad perſolvendum divinum officium integrum minimè teneantur; ſed eorum Prælati habita ſuorum conſideratione juxta diſpenſationem eis creditam, ſi eorum animabus expedire videbitur, aliquid dicendum injungant, quòd cum animi alacritate valeant adimplere. Idipſum iiſdem omninò verbis indulſit præfatus Julius II. Prælatis Olivetanis in Bulla: *Etſi ad univerſos 4tò. Junii Anno 1507. Pont. 4.* & Leo X. Camaldulenſibus in Bulla: *Etſi à ſummo 4. Julii. Anno 1513.* Simile privilegium dedit etiam Clericis Regularibus, Theatinis dictis, Clemens VII. in Bulla: *Dudum 7. Martii Anno 1533.* in qua conceſſit, ut Superiores, Præpoſiti nuncupati, pro tempore exiſtentes cum Clericis & ſociis ſuis, qui in ſupradictis pietatis operibus, prædicationis ſcilicet verbi Dei, audientiæ confeſſionum, aut ſtudio ſacrarum litterarum occupantur, ſuper recitatione divinorum officiorum diſpenſare poſſint ad hoc, ut ipſi occupati certum Pſalmorum per ipſos Superiores eis aſſignandorum, non minus ſeptem aut ſex cum diviſione, ac orationem Dominicam ſepties, ſymbolum Apoſtolorum bis, ſeptem horis Canonicis, & toti divino officio ſatisfeciſſe cenſerentur. Hujus igitur privilegii (nam tria priora relinquunt illud arbitrio & diſcretioni Prælatorum) poſſunt iidem ſubditos ſuos prædictis occupationibus gravatos diſpenſare, commutando onus officii divini in ſex vel ſeptem Pſalmos ab ipſis Prælatis aſſignandos cum ſeptena recitatione orationis Dominicalis & bina recitatione ſymboli Apoſtolorum. Atque hoc privilegio tuta conſcientia uti poſſe Prælatos defendunt ac tenent Laur. *de Peyrinis to. 1. ad Conſtit. 28. Leonis X. n. 9.* & *to. 3. in Additam. cap. 4. n. 57.* Tamburinus *to. 2. Diſp. 10. quaſ. 1. n. 8.* Petrus de Murga *ad Conſtit. 1. Alexandri IV. §. 1. à n. 14.* & pluribus citatis Giribaldus *tr. 5. in 1. Decal. præc. cap. 3. n. 255.* circa quæ privilegia notandum monet Andreas à Matre Dei *tr. 16. cap. 3. punct. 7. n. 52* (idemque ſervata proportione tenendum eſt pro aliis ſimilibus privilegiis referendis) quoad occupatos

Digitized by Google

in prædicatione verbi Dei, audientia confeſſionum, & ſtudiis SS. litterarum, ea non eſſe reſtringenda ad caſum illum particularem, quo occupatio gravis eſt, honeſta & neceſſaria, quæ commodè non poſſit differri aut omitti ſine ſcandalo aut peccato, vel notabili damno ſui aut proximi, in hoc enim vel ſimili caſu per ſe quis excuſatur à recitatione divini officii ſecluſo etiam ſpeciali privilegio ac diſpenſatione, ſed ita eſſe intelligenda, quando occupationes dictæ non ſint nimis urgentes & ex ſe non ſufficientes ad excuſandum à recitatione; quare cùm occupatio concionandi, audiendi confeſſiones, & ſtudendi SS. litteris poſſit eſſe talis, ut de ſe non excuſet à recitatione horarum Canonicarum, præfata privilegia operantur hoc, ut licitum ſit in ea diſpenſare, etiam quando dictæ occupationes de ſe non ſufficerent ad excuſandum; tum quia privilegia debent aliquid operari ultra id, quod conceditur Jure communi, ne ſint inutilia: tum quia diſpenſatio non habet locum, ubi in caſu particulari lex deſinit obligare. Ex quo infert prædictus Author l. c. poſſe Confeſſarios diſpenſari in recitandis horis Canonicis diebus illis, quibus aſſiduè vacant confeſſionibus, ùt in diebus Indulgentiarum, Jubilæorum, Feſtivitatum, quibus adeſt magnus pœnitentium concurſus. Infert 2dò poſſe pariter in iis recitandis diſpenſari Concionatores, in Quadrageſima vel in Adventu quotidie concionantes, modò conciones non ita memoriâ retineant, ut ſine ullo ferè ſtudio concionari valeant. Infert denique 3tiò quòd ſimiliter diſpenſari poſſit cum Lectoribus ſeu Profeſſoribus, Theologiæ, S. ſcripturæ, SS. Canonum, & caſuum conſcientiæ tempore lectionum pro illis diebus, quibus in ſtudiis adeò ſunt occupati, ut iis per totum diem aut ſaltem pro majori parte vacent: quod procedit proportionaliter etiam de ſcholaſticis, qui talibus ſtudent facultatibus: & idem dicendum eſt de illis, qui ſcribunt libros edendos, modò ſint de rebus ſacris, & toto ferè die vel majori parte in hoc ſtudio occupantur.

Dico 2dò. *Poſſunt Prælati Canonicorum aliorumque Regularium in horis Canonicis diſpenſare cum infirmis & valetudinariis, eorumque curam gerentibus, ut aliquid aliud juxta Prælati arbitrium recitando ſatisfaciant officio divino.* 28

Ita Eugenius IV. conceſſit Congregationi Vallisoletanæ, ùt refert Tamburin. *to. 2. D. 10. quaſ. 12. n. 2.* Miranda *to. 1. quæſt. 37. art. 16.* Lezana *to. 1. part. 1. cap. 12. n. 28.* & Petrus de Murga *ad Conſtitut. 1. Alexandri IV. §. 1. n. 7.* ex compendio *privil,*

Digitized by Google

V. Infirmi Fratres n. 8. ubi habetur: quod quilibet Abbas, Prior, ſeu Prælatus quorumlibet Monaſteriorum præfatorum liberè poſſint diſpenſare cum omnibus & ſingulis, ut tempore infirmitatis vel poſtquam convaluerint, qui ſine tædio non poſſunt dicere horas Canonicas, loco horarum ac officiorum, ad quæ aliàs tenebantur, dicant aliquid certum ad arbitrium ipſorum Superiorum, & non teneantur ad illud officium Canonicum; & cum Prælatis ipſis ſimili modo quilibet Presbyter per quemvis illorum eligendus, etiam diſpenſare poſſit. Aliud ſimile privilegium referunt citati Authores ex eodem privilegiorum compendio conceſſum Hieronymitanis per Martinum V. in hæc verba: dum fuerint infirmi, & etiam ſenes & valetudinarii, qui tenentur ad horas Canonicas, ſatisfaciant recitando aliquas, vel id, quod ſuis confeſſoribus viſum fuerit; ubi notat Tamburinus l. c. quòd etſi confeſſor hic tantùm nominetur, tamen Abbas cenſendus ſit, penes quem primò & principaliter attendenda eſt diſpenſatio ſi non expreſsè ſaltem tacitè, ùt ex ſimili privilegio eidem Religioni ab Eugenio IV. conceſſo colligitur, prout videre eſt in compendio privil. *V. Infirmi fratres §. 12. & 13.* ibi enim primò & principaliter pro hac diſpenſatione nominantur Superior, & Vicarius, & deinde Confeſſor. Tametſi verò hæc privilegia fuerint vivæ vocis oraculo conceſſa, non tamen fuerunt revocata; tum quia fuerunt per Bullas multorum Pontificum confirmata, tum quia in nullius cedunt præjudicium ac merè ſunt favorabilia, ùt poſt plures alios obſervat de Murga *l. c. n. 8.* & ideò vim habere ſupponunt Tamburin. l. c. Martinus à S. Joſeph *L. 2. tr. 4. n. 4.* Emman. Rodriquez *to. 1. qu. 24. art. 7.* Andreas à Matre Dei *l. c. n. 58.* Verùm non deſunt hujuſmodi privilegia diſpenſandi in horis Canonicis etiam bullata; quale eſt illud quod conceſſit Clemens VII. Clericis Regularibus Theatinis in Bulla: *Dudum. 7. Martii Anno 1533.* hiſce verbis: ùt Superiores, Præpoſiti nuncupati, cum Clericis & ſociis ſuis, qui infirmitate aut infirmorum curatione & miniſterio pro tempore præpedirentur, ſuper recitatione divinorum officiorum diſpenſare poſſint, ad hoc ùt ipſi impediti certum Pſalmorum per ipſos Superiores eis aſſignandorum non minus ſeptem aut ſex cum diviſione, ac orationem Dominicam ſepties, ſymbolum Apoſtolorum bis: graviter autem ægrotantes orationem Dominicam ſemel: & ſalutationem Angelicam ſepties in die recitando, ſeptem horis Canonicis & toti officio divino ſatisfeciſſe cenſerentur. Ejuſmodi etiam privilegium conceſſit Paulus III. Clericis Regularibus S. Pauli in Bulla: *Dudum 25. Julii Anno 1535.* ubi ſic ait: nec non ùt dictus Superior veſter pro tempore exiſtens cum Clericis & ſociis veſtris, qui infirmitate gravati, aut circa infirmorum in domibus veſtris morantium

tium curationem adeò impediti fuerint, ut congruum eis tempus ad divinorum Officiorum recitationem non ſuperſit, diſpenſare valeat, ut infirmitate aut circa infirmos occupatione hujusmodi durante certum Pſalmorum per ipſum Superiorem eis aſſignandorum numerum, non minus ſeptem aut ſex cum diviſione, & orationem Dominicam ſepties, & ſymbolum Apoſtolorum bis: graviter autem ægrotantes orationem Dominicam ſemel, & ſalutationem Angelicam ſepties in die recitando, ſeptem horis Canonicis & toti Officio divino ſatisfeciſſe cenſeantur. Quibus privilegiis ait Lezana *to. 1. cap. 12. n. 25.* uti poſſunt Regulares illi, qui habent communicationem privilegiorum cum prædictis Clericis Regularibus, qualem habent Canonici Regulares tum ex conceſſione Benedicti XIII. in Bulla: *In ſede. 7. Calend. April. Anno 1729.* tum ex aliis Tr. 1. D. 3. S. 4. relatis.

29 Ubi tamen notandum quoad infirmos & ægrotos non requiri tantam infirmitatem, quæ de ſe ſufficiat ad excuſandum de Jure communi, ſed ſufficere quoque longè minorem ad hoc, ut Prælati vi dictorum privilegiorum poſſint cum talibus diſpenſare, quia nempe, ut ſupra diximus, privilegium debet aliquid operari ultra id, quod conceditur Jure communi, ne ſit inutile: ſed nihil operaretur privilegium diſpenſandi cum infirmis, ſi vi illius liceret tantùm diſpenſare cum illis, quos notabiliter offendit vel aggravat recitatio divini officii, cùm hi Jure communi jam excuſentur ab eo perſolvendo, ita ut nulla Prælati diſpenſatione vel Papæ privilegio indigeant, quemadmodum docet communis cum D. Thoma *Opuſc. 65. de Hor. Canon. n. 2.* ubi dicit: quòd ſi eſt certum infirmitatem eſſe gravem, poteſt infirmus propria authoritate diſpenſare: ergò ut privilegium diſpenſandi cum infirmis in officio divino aliquid operetur, non requiritur tanta infirmitas, quæ Jure communi excuſat ab eo perſolvendo, ſed ſufficit longè minor. Advertit tamen Tamburinus *to. 2. Diſp. 10. quæſ. 12. n. 2.* Medicum in dubio de gravitate vel levitate infirmitatis conſulendum eſſe, non quia ad Medicum ſpectat, à lege recitandi Officium divinum ſolvere, cùm nullam habeat juriſdictionem, ſed quia ratione officii & peritiæ in arte ad eum ſpectat judicare de morbi gravitate vel levitate, quo gravem morbum eſſe dicente, homines corporis valetudini conſulere oportet, præſertim cùm non habeant aliam regulam, qua in ejusmodi dubio ſe regere valeant; & hinc ſufficit, addit de Peyrinis *to. 3. privil. cap. 4. n. 57.* ad hoc ut non teneantur Officium divinum recitare, quòd Medicus illis dicat, ut non recitent absque alia licentia Superioris, ſicut ad non jejunandum ſufficit eadem Medici licentia; nam infirmus quoad ſanitatem recupe-

ran-

randam Medico ſubjectus eſt, & illi obedire tenetur quoad ea, quæ præcipit, independenter à voluntate Prælati, cui ſolùm obedire tenetur quoad ea, quæ ad regularem diſciplinam ſpectant. Quæ doctrina valet pro Prælatis timidis & ſcrupuloſis, qui ſemper timent, ubi timendum non eſt: nam ubi dubius eſſet Medicus, an infirmitas ſit talis, quæ ægrotum excuſet ab Officio, hoc ipſo poteſt Prælatus vi privilegiorum diſpenſare ac declarare, quòd non teneatur. Quæ doctrina de excuſatione à penſo divini Officii, ùt ait de Murga *l. c. n. 20.* præcedit etiam abſque omni Medici & Prælati diſpenſatione ac licentia, & illis etiam inconſultis, in infirmitatibus gravibus occultis, quales ſunt graves dolores capitis, ſtomachi & hujuſmodi; in his enim nec Medicus nec Prælatus judicium de gravitate vel levitate doloris facere poſſunt, etiamſi conſulantur, ſed patiens ipſe ſolus judicare meliùs poteſt: & ſi ipſemet, maximè ſi aliàs ſit timoratæ conſcientiæ, ſentiat non poſſe Officium perſolvere, niſi cum gravi doloris augmento, poteſt abſque ullo ſcrupulo non recitare. Expedit tamen ad majorem humilitatem & meritum, ut conſulatur Prælatus, ſi opportunè id fieri poſſit.

30 Dico 3tiò. *Poſſunt quoque Prælati diſpenſare cum Religioſis ſibi ſubditis non valentibus benè recitare in Choro horas Canonicas ob defectum viſûs vel auditûs aut ob impedimentum linguæ, ſi quam partem non omninò notabilem omittant, injungendo illis unum Pſalmum vel Pater & Ave pro omiſſis in fine recitandum.*

Ita teſte Joanne à Cruce *L. 2. cap. 8. dub. 2. concl. 2.* Portel. *V. Horæ Canonicæ n. 10.* Donato *to. 4. tr. 18. qu. 65.* Antonio à Spiritu S. *tr. 2. D. 2. ſect. 3. n. 159.* Martino à S. Joſeph.. *tr. 8. n. 4.* Andrea à Matre Dei *to. 4. tr. 16. cap. 3. punct. 7. n. 60.* conceſſit Sixtus IV. Innocentius VIII. ac Leo X. prout refertur *in Compend. privil. Mendic. V. Officium divinum 1. § 8.* & *in Monument. Ord. Minor.* ubi legitur Innocentium VIII. conceſſiſſe Minoribus, ut non valentes benè recitare in Choro ob defectum viſûs vel auditûs, ſi quid horarum ſic omittant, ſatisfaciant dicendo in fine horarum aliquem Pſalmum vel Pater noſter & Ave Maria: Leonem verò X. quòd recitantes cum malè pronuntiantibus, aut ſenibus, qui ita pronuntiant, ut plura non intelligantur, vel non audiunt rectè, quæ ab alio dicuntur vel ob diſtantiam loci, vel ob ſtrepitum, vel ob quamcunque aliam cauſam, ut

non teneantur repetere, quæ non intellexerunt, ſed quòd quomodolibet audiant, ſuæ obligationi ſatisfaciant & hoc maximè in Choro. Similiter & illi, qui non integrè verba proferendo ùt ſcripta ſunt, propter negligentiam aut imperitiam, vel malam pronuntiationem aut defectum linguæ ſeu qualitercunque ore imperfectè dicant cum mentis diſtractione aut ſenſuum divagatione, dummodo id non fiat ex malitia, id eſt, cum plena advertentia, non teneantur quidquam repetere, ſicut nec ſocii, qui cum talibus malè proferentibus vel incurrentibus alios ſupradictos defectus Officium recitant. Licèt autem Navarrus *to. 4. cap. 19. de Orat. n. 84.* putet, hæc non eſſe privilegia, ſed Jus commune, atque adeò nec eſſe neceſſe pro ſupplemento recitare Pſalmum, vel Pater noſter & Ave Maria: id tamen procedit tantùm, quando illud, quod fuit omiſſum, eſt abſque culpa & in modica quantitate, aut propter naturalem impotentiam: at verò quando interceſſit aliqua culpabilis negligentia, & quantitas non adeò modica eſt, tunc enimverò privilegium ejuſmodi erit perutile, Religioſis præſertim timoratæ conſcientiæ, qui ob ejuſmodi defectus facilè anxiantur: non autem illis, qui plerumque cogitationibus ſuis aliorſum divagantur, atque adeò ſunt diſtracti, ut nec ſciant quid dixerint ipſi, neque quid dicant alii, & nec dimidiam eorum partem, quæ tenentur ipſi recitare, pronuntient, quos nemo facilè à peccato excuſabit.

Dico 4tò. *Poſſunt Prælati Canonicorum aliorúmque Regularium cum iis actu jam profeſſis, & necdum in SS. Ordinibus conſtitutis, qui ad divinum Officium dicendum adeò vel non docti, vel minùs experti pro tempore exiſtunt, ita diſpenſare, ut ad illud integrum minimè teneantur, ſed eiſdem poſſint ultra Officium B. Mariæ Virginis, ad quod obligati remanent, aliquid aliud juxta diſpenſationem ſibi creditam, injungere.* 31

Ita fermè in terminis Julius II. Prælatis Canonicorum Regularium in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Id quod jam prius conceſſerat Prælatis Olivetanis in Bulla: *Etſi ad univerſos. 4to. Junii Anno 1507.* Eugenius IV. Prælatis Congregat. Caſſinenſis in Bulla: *Regularem vitam. 30. Junii Anno 1436.* & Leo X. Camaldulenſibus in Bulla: *Etſi à ſummo. 4. Julii Anno 1513.*

Quam

Quam diſpenſandi facultatem extendit Leſſius *L. 2. de J. & J. cap. 37. n. 51.* & Bonacina *D. 1. qu. 2. punct. 2.* aliique plures ad eos Religioſos, qui in ſtudiis aut Academiis verſantur: & meritò; cùm enim juxta valdè probabilem ſententiam ejuſdem Leſſii *in Reſol. Caſuum V. Hora Canonica Caſ. 14.* Vidal. in Arca Theol. *tit. de Horis Canonic.* Bordoni *part. 1. Reſol. 30. n. 3.* Petri Marchantii *to. 2. part. 2. tit. 3. ſect. 19.* aliorúmque Religioſi profeſſi necdum SS. Ordinibus initiati ad dicendum privatim Officium divinum extra Chorum neque obligentur Jure communi, utpote in quo nullum extat præceptum obligans Religioſos Profeſſos ad illud privatim recitandum; *in cap. enim Dolentes 9. de celebr. Miſſar.* & *Clement. 1. eodem.* eſt tantùm ſermo de modo illud recitandi in Choro devotè & attentè, quantùm Deus dederit, nec ulla fit ibi alibive mentio de eo privatim dicendo: neque etiam obligentur à Regula, utpote quæ pariter ſolùm loquitur de Officio ritè in Choro perſolvendo, & licèt loqueretur etiam de eo privatim extra Chorum recitando, haud tamen obligaret ſub peccato, cùm ſub hoc communiter non ſoleant obligare Regulæ Religioſorum: ſequitur ergò, quòd hæc obligatio ad ſummum proveniat ex conſuetudine: ſed hæc ipſa conſuetudo privatim recitandi horas Canonicas in Religioſis Profeſſis quidem nondum tamen SS. Ordinibus initiatis ſupponitur quidem ab adverſæ ſententiæ Patronis, nunquam verò probatur; & licèt probaretur, non obligaret ſub peccato præſertim mortali, cùm majorem vim habere non poſſet, quàm ipſa Regula, quæ ut diximus non obligat ſub peccato: nam obligatio ſub mortali eſt adeò gravis & odioſa, ut nunquam ſit præſumenda, niſi neceſſitas cogat, nec imponenda ſine expreſſo præcepto vel titulo convincenti: unde Cajetanus *V. Hora Canon. c. 1.* dicit, ſe nihil ſcire de hac conſuetudine ſub mortali obligante, quem hac in re ſequuntur Armilla *eodem V. n. 4.* Medina *de Orat. q. 7.* Alphonſus à Caſtro *L. 1. de Leg. pœnal. cap. 8.* ac præſertim Caramuel *Theol. Regul. d. 100.* Alviſet. *S. 4. dub. 23.* & alii ab hoc citati. Tametſi autem hæc conſuetudo obligaret ſub peccato mortali, relaxari tamen poterit à Prælatis, ſicut enim diſpenſare poſſunt in aliis Religionis legibus; ita etiam in hac conſuetudine poterunt: neque enim hæc majoris eſt roboris, quàm illæ, & eſt conveniens, ut obligatio Superiorum conſenſu introducta, per ſe etiam tolli poſſit eorum diſpenſatione; nam omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. *Reg. Jur. 1ma.* præſertim cùm aliunde privilegio diſpenſandi in ſimilibus caſibus gaudeant. Neque obſtat: quòd non ſoleant diſpenſare in hoc caſu, atque adeò per non uſum videatur hæc poteſtas ceſſâſſe, id

id enim factum eſt vel ob ignorantiam privilegiorum ſuorum, qua ſæpiùs, ſicut & rerum Ordinis ſui, ſupinè laborant; aut ex defectu ſufficientis cauſæ Deinde poteſtas aliquid faciendi abſque aliorum gravamine non ceſſat per non uſum: ſed talis eſt poteſtas diſpenſandi circa recitationem horarum Canonicarum: ergò per non uſum haud ceſſat.

32 Dico 5tò. *Poſſunt Regulares in Choro ea, quæ ſecretò dici præſcribuntur, recitare mentaliter, extra Chorum verò, quando ſoli & privatim recitant, etiam totum Officium dicere mentaliter.*

Ita Leo X. Fratribus Minoribus, & conſequenter aliis etiam Regularibus eorum privilegia participantibus, ùt ſunt Canonici Regulares, conceſſit, quòd illa, quæ in Ordinario jubentur dici ſecretò ſub ſilentio in horis Canonicis, non teneantur proferre vocaliter, ſed ſatisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra ſe per librum: quia aliqui devotiùs ſic dicunt, & abſque impedimento & faſtidio aliorum: & quòd eodem modo poſſit facere, qui dicit Officium per ſe ſolus, cùm prolatio verbalis ſit præcipuè, ut ab aliis intelligatur; ſic atteſtatur Eminentiſſimus D. Laurentius Presbyter Cardinalis SS. 4tuor Coronatorum *die 15. Aprilis Anno 1516.* quibus verbis ùt patet duo privilegia conceduntur, primum, quòd poſſint Regulares ea, quæ juxta rubricas in Choro aut cum aliis recitando, debent ſecretò dici, mente dicere; ſecundum eſt, quòd non ſolùm antedicta, ſed etiam omnia alia ejusdem Officii divini, dum privatim & ſoli recitant, poſſint etiam mentaliter dicere ex ratione, eò quòd prolatio verbalis ſit præcipuè, ut ab aliis intelligatur: ad quæ verba immediatè præcedentia referenda ſunt: & quòd eodem modo poſſit facere, qui dicit Officium per ſe ſolus, ùt attentè legenti per ſe patere videtur; aliàs enim priora verba eſſent omninò fruſtranea & otioſa. Atque ſic ſentiunt Navarrus noſter *cap. 19. de Orat. n. 88.* Caſſarub. *V. Hora Canonica.* Corduba *in Annotation.* Sorbo *in Compend. V. Officium divinum. n. 1. §. 8.* Rodriquez *to. 1. Quæſt. 42. art. 4.* Joan. à Cruce *L. 2. de ſtat. Relig. cap. 8. n. 2.* Henriquez *de Miſſ. L. 9. cap. 31.* Martinus à S. Joſeph. *L. 2. de Orat. L. 2. tr. 4. n. 16.* Sanctorus *in Comment. Conſtit. Minor. ſtatuto 2. dub. 3.* Villalob. *to. 1. tr. 24. diff. 10. n. 11.* Thomas Hurtado *to. 1. tr. 4. cap. 1. Reſol. 9.* Thom. Tamburinus *de Sacrific. Miſſ. L. 2. cap. 9. §. 3.* Leander à SS. Sacrament. *tr. 6. D. 13. quæſt. 19.* Miranda *quæſt. 37. art. 17.* quos ex parte refert & abſolutè ſequi-

quitur Andreas à Matre Dei *to. 4. tr. 16. cap. 3. punct. 7. n. 54.* Bruno Chaſſaing *part. 2. tr. 8. cap. 4. propoſ. 5.* qui putat privilegium hoc, utut magnum ſit, poſſe tamen aliquo modo dici non eſſe privilegium, ſed Juris communis explicationem, ex ratione, quia præceptum de recitando Officio, eſt tantùm de illo dicendo: ſed ille qui mente dicit, verè dicit Officium, verba enim mentalia ſunt verba veriſſima: alioquin Filius Dei non eſſet Verbum Patris; & certè videtur S. Thomas ejusdem eſſe ſententiæ, cùm *2. 2. quæſt. 88. art. 12.* ait: quòd *vocalis oratio non ſit neceſſaria, niſi quando illa debet innoteſcere toti populo*: conſtat autem horas privatas non debere toti populo innoteſcere. 2dò. cùm dicit, *hominem ſolo corde dicere poſſe ex illo Pſalmi 261. Tibi dixit cor meum.*

33 Verùm contra hanc ſententiam & privilegium inſurgunt Authores cæteri communiter & opponunt 1. conceſſio Leonis X. fuit vivæ vocis oraculum, ùt omnes fatentur: ſed ſingulæ facultates, licentiæ, gratiæ, & privilegia Regularibus vivæ vocis oraculo conceſſa, ſunt revocata tam à Gregorio XV. quàm ab Urbano VIII. in generali vivæ vocis oraculorum revocatione, ùt ex eorun. Conſtitutionibus clarum eſt: ergò & illud Leonis X. oraculum revocatum eſt, & conſequenter nil ampliùs valet. 2dò. hoc privilegium ad ſummum concedit, ut mentaliter recitentur, quæ in Ordinario præcipiuntur dici ſecretò, uti Pater noſter, Ave Maria, & Credo, ùt conſtat ex verbis privilegii; nam ùt ait Card. de Lugo *Reſponſ. moral. L. 3. dub. 7.* extenſio facta illius conceſſionis ad eos qui extra Chorum privatim recitant, non ampliavit materiam, ſed perſonas & loca; cùm enim poſtulatio eſſet ad ſola verba illa, *quæ in Ordinario jubentur dici ſecretò*; & poſtea ſubdatur extenſio ad recitantes extra Chorum illis verbis: *Et eodem modo poſſit facere, qui dicit Officium per ſe ſolus*; debet eodem modo intelligi de eadem materia, circa quam petita fuerat diſpenſatio pro recitantibus in Choro cum aliis, ne ſe invicem impedirent. 3tiò. quia ſublata obligatione recitandi Officium divinum vocaliter, aufertur eoipſo tota obligatio illud recitandi, & ſic Regulares nec mentaliter tenerentur recitare; quia hoc præceptum recitandi eſſet Eccleſiaſticum: præceptum autem Eccleſiaſticum de ſolo actu mentali puró non aſſociato vocali eſſe non poteſt; quia Eccleſia ſicut nequit de actibus purè internis judicare, ſic nec illi cadere poſſunt ſub præcepto Eccleſiæ: ergò ſublata obligatione rerecitandi vocaliter divinum Officium, eoipſo tota auſſeretur obligatio illud recitandi etiam mentaliter tantùm; ſed hæc tanta non ſunt, ut poſſint priorem ſententiam & conceſſum à Leone X. privilegium ſubvertere. Unde ℟. ad

 1mum.

1mum. quòd etſi illud vivæ vocis oraculum ſit, confirmatum tamen ſit à pluribus SS. Pontificibus præſertim à Paulo IV. in Bulla: *Ex Clementi.* 1. *Julii Anno* 1555. S. Pio V. in Bulla: *Etſi Mendicantium.* 16. *Maji Anno* 1567. Gregorio XIII. in Bulla: *Ex benigna.* 21. *Martii Anno* 1575. Sixto V. in Bulla: *Etſi Mendicantium* 3. *Oct. Anno* 1587. & Clemente VIII in Bulla: *Ratio. Anno* 1597. & ſic tranſierit in privilegium Bullatum, proindéque revocatum non ſit in generali vivæ vocis oraculorum revocatione; hæc enim revocatio tenet ſolùm reſpectu illorum, quæ poſt S. Pium V. vel etiam Clementem VIII. fuêre conceſſa, aut quæ non ſunt ſatis authentica, ùt latè probavimus tr. 1. de vivæ vocis oraculis. Poteſt deinde etiam dici, hujuſmodi vivæ vocis oraculum eſſe declaratio Juris communis *cap. Dolentes.* 9. *de celebrat. Miſſar.* ſed vivæ vocis oracula, quæ ſunt declarationes Juris communis aut alicujus Bullæ, non fuerunt revocata, ùt ferè concedunt omnes: ergò &c. Deniquè quod caput eſt, hoc oraculum fuit factum ad inſtantiam Cardinalis Laurentii Protectoris Ordinis, idque de eo authenticum teſtimonium tulit: hujuſmodi autem oracula non ſunt revocata, ùt conſtat ex Bulla II Urbani VIII. hac de re edita, ubi hujuſmodi oracula excipit ipſe Pontifex: ergò oraculum hoc, de quo loquimur, non fuit revocatum. Ad 2dum. negatur ſuppoſitum, quòd verba illa; & *eodem modo poſſit facere, qui dicit Officium per ſe ſolus*, referri debeant ad præcedentia tantùm, nimirum illa, *quæ in Ordinario dici debent ſecretò*, uti Pater noſter, Ave Maria, & Credo, ſed ea potiùs referenda ſunt ad ſequentia: *cùm prolatio verbalis ſit præcipuè, ut ab aliis intelligatur*, ne ſint fruſtranea, ac otioſa; ex his enim potiùs probatur, verba illa poſteriora ad totum Officium extendi, ita ut hic ſit genuinus eorum ſenſus, quòd id, quod conceſſum fuerat pro recitatione publica in his, quæ ſecretò dicenda erant, extendatur quoad totum ad privatam recitationem ob rationem illam, quia *prolatio verbalis præcipuè eſt, ut ab aliis intelligatur*; nam cùm nihil ita in privata recitatione dicatur, ut ab aliis intelligi poſſit, fit inde, quòd totum dici poſſit mentaliter ex vi hujus indulti, ſicut ex vi illius dici poſſunt eodem modo in publica recitatione, quæ ab aliis intelligi non eſt neceſſarium. Ad 3tium. argumentum ℟. illud tantùm probare, ut nihil probet: probat enim hoc indultum non potuiſſe concedi à S. Pontifice, manente obligatione recitationis, quod falſum eſſe patet ex eo, cùm defacto conceſſum fuerit à Leone X. & vim habuiſſe & habere ante revocationem, nullus ambigit. Dicimus ergò, quòd licèt Eccleſia non poſſit ſolum actum internum præcipere, poteſt tamen committere arbitrio recitantis optionem, ut vel externè recitet, vel ſi hoc noluerit, commutet

in internam recitationem, & quòd ſi hanc ſubroget, locò illius, authoritate à S. Pontifice conceſſa, ſub eadem obligatione eam adimplere teneatur. Ex quibus omnibus ſatis apparet, ſententiam aſſerentem poſſe Regulares uti dicto privilegio mentaliter recitandi totum Officium divinum, eſſe valdè probabilem, non tamen conſulendam omnibus, ſed iis tantùm, qui majoris attentionis & devotionis gratia ſic recitandum duxerint: illis verò diſſuadendam, qui id ita recitare volunt, ut citiùs percurrant, celeriùſque abſolvant, non ſine maximo periculo magnam partem omittendi, ac plura transvolandi, prout facere ſolent laxioris conſcientiæ Fratres, qui parùm ſolliciti, quomodo horas Canonicas dicant, contenti ſunt eas abſolviſſe. Id quod longè aliter facere ſolent viri docti, prudentes, ac pii, qui contemplationi aſſueti & attentiùs & devotiùs eas mentaliter dicunt ſine ullo periculo aliquid omittendi; & ſic practicatum fuiſſe à quibuſdam piis ac doctis viris, teſtatur Sporer *de Hor. Canon. cap. 2. n. 111.* (*Adde*; hinc quia iſtud privilegium facilè vergeret in abuſus, ſi intelligatur eſſe datum *ſingulis*, mens Pontificis & intentio legalis, ùt ſubſtans legibus prudentiæ legiſlativæ ſic exponenda eſt, ut dicatur hoc privilegium datum eſſe *Ordini*, non *ſingulis*. Quod enim confertur *Ordini*, confertur à Papa ùt prudenter diſpenſandum à Superioribus in ſubditos; ſicut & poteſtas abſolvendi à caſibus reſervatis indiget deſignatione Confeſſariorum facienda à Superioribus. Pari ergò modo hoc privilegio uti non poſſunt ſubditi ſine applicatione à Superioribus facienda; in qua re, num expediat in particulari caſu pro cultu divino, eorum gravatur conſcientia.)

Dico 6tò. *Poſſunt Regulares Officia feriarum, quæ ſunt prolixiora, anticipare diebus, quibus ſunt otioſi, & Officia feſtiva, quæ ſunt breviora, reſervare in illos dies, quibus credunt ſe fore occupatos concionibus, & confeſſionibus audiendis, modò id non faciant in fraudem, ſed ad commodiùs ſtudendum, prædicandum, & confeſſiones audiendum.* 34

Ita conceſſit Leo X. Minoribus, ùt refert & teſtatur Rodriquez *art. 5.* Lezana *to. 1. cap. 12. n. 30.* & Antonius à Spiritu S. *tr. 2. D. 2. ſect. 3. n. 154.* Nec obſtat, quod ait Lezana l. c. hoc privilegium in præſentiarum nihil valere, eò quòd non conſtet, an ſit vivæ vocis oraculo conceſſum; quia ſufficit, quòd ſæpiùs fuerit confirmatum à pluribus

bus SS. Pontificibus, ùt diximus n. præc. tum quia DD. communiter tradunt, in dubio, an privilegium revocatum ſit, præſumendum eſt, non eſſe revocatum, & in ſuo robore perſiſtere, quia poſſeſſio ſtat pro privilegio, & ſic ſemper eſt melior illius conditio: quare de illo ut modo perſiſtenti loquuntur Rodriquez l c. Pellizarius *tr. 5. cap. 8. n. 121.* Aſcan. Tamburin. *Diſp. 10. Quæſ. 8.* Antonius à Spiritu S. *tr. 2. Diſp. 2. ſect. 3. n. 153.* Andreas à Matre Dei *tr. 16. cap. 3. n. 59.* & alii communiter. Ad uſum autem hujus privilegii, ùt in ſimili jam diximus ſupra, non requiritur tanta neceſſitas ad transferendas aut permutandas horas Canonicas ratione occupationis ſupervenientis, ſed ſufficit major commoditas, facilitas, & utilitas ſtudii, prædicationis, vel cujusvis miniſterii; nam hujusmodi privilegia ita intelligi debent, ut aliquid operentur, quando occupationes non ſunt nimis urgentes. An autem Regulares, qui ſine juſta cauſa locô Officii de feria recitant Officium brevius de aliquo Sancto peccent mortaliter? ℞. negativè, ſed tantùm peccare venialiter, licèt hoc de induſtria faciant, modò tamen abſit contemptus. Ita Cajetanus, Layman, Zerola, Leſſius, Valentia, Vega, Binsfeldius, Sylveſter, Sotus, Medina, Armilla, Azor, Rodriquez, Filliuccius, quos refert & ſequitur Diana *part. 2. tr. 12. Reſol. 3.* Ratio eſt; quia ſubſtantia præcepti tantùm eſt, ut recitentur ſeptem horæ Canonicæ, quòd autem Officium ſit de feria vel de Sancto, eſt quid accidentale, unde per Officii mutationem non violatur ſubſtantia præcepti, ſed tantùm modus, quod non ſufficit ad mortale. Ex quo tamen inferre non licet, poſſe locô Officii dici Officium Paſchatis aut Pentecoſtes ſubſtitui, ùt docuit Caramuel *in Theol. Regul. D. 108. n. 1387.* & *in Theol. Fundament. fundam. 3. §. 12.* quia formula illa recitandi Officium cum uno tantùm Nocturno tres Pſalmos continente eſt extraordinaria & notabiliter diverſa à comuni & ordinario ritu: ergò variatio iſtorum Officiorum eſt ſubſtantialiter diverſa: ut proinde citra mortale nequeat Officium unius Nocturni ſubrogari Officio trium Nocturnorum: ſicut Veſperæ, quæ die ſabbathi ſancti recitantur cum uno tantùm breviſſimo Pſalmo, habent ritum extraordinarium affixum illi diei, adeò ut nemo ſomniàrit poſſe citra mortale ſatisfieri præcepto recitandi Veſperas, per recitationem illarum Veſperarum. Id agnoſcens ipſe Caramuel priorem ſuam ſententiam rejecit & mutavit in 2da. editione Theologiæ ſuæ fundamentalis, ùt notat Antonius à Spiritu S. *n. 155.* (*Adde*; videri majorem inconvenientiam, ſi Officium feſti transferatur in diem de feria, quàm ſi totum Officium de feria dicatur mentaliter. Hinc miror, quòd Leo X. ſimul utrumque conceſſerit; niſi fortè illud pri-

vi-

vilegium dicendi horas mentaliter, utpote majus, ſit poſterius; utpote conceſſum 1516. Anno regiminis quarto. Aſſentior Lezanæ, hoc privilegium, per non uſum, fuiſſe abrogatum; diſtinguendum enim eſt inter *non uſum abrogatorium*, & *non uſum conſervatorium.* Ille eſt admittendus, quando uſus præjudicat tertio, aut recto ordini, dum inconvenientiæ primum monſtrantur per experientiam. Non uſus autem conſervatorius eſt, dum non datur occaſio vel notitia privilegii.)

35 Dico 7mo. *Poſſunt Regulares juſta de cauſa horas Canonicas anteponere, vel poſtponere, etiam ſacrificio Miſſæ, easdemque ſimul omnes dicere manè, aut quando videbitur ipſis commodiùs.*

Ita quoad 1mum Clemens VII. Clericis Regularibus Theatinis in Bulla: *Dudum. 7. Martii. Anno 1533.* indulſit, quòd diſpenſare poſſint in præveniendo vel poſtponendo, uniendo vel dividendo in communi vel ſpeciali horas Canonicas, ac in breviandis & protelandis lectionibus. Similiter Paulus III. conceſſit Clericis Regularibus S. Pauli in Bulla: *Dudum. 25. Julii Anno 1535.* quòd poſſint ſuper præventione, vel poſtpoſitione temporis recitationis horarum Canonicarum, aliqua ſubſiſtente cauſa legitima diſpenſare. Julius quoque III. in Bulla: *Sacrà Religionis. 22. Octobr. Anno 1552.* confirmat Clericis Regularibus Societ. JEſu facultatem anteponendi vel poſtponendi officium divinum eisdem aliàs conceſſam: ac præterea indulſit, ut poſſint illius Religioſi ex legitimis & juſtis cauſis officium ipſum celebrationi Miſſæ liberè & abſque conſcientiæ ſcrupulo poſtponere. S. Pius V. conceſſit vivæ vocis oraculo, prout teſtatur Rodriquez *fol. 456. n. 7.* quòd Regulares ratione itineris vel alterius juſtæ cauſæ aut occupationis poſſint dicere totum officium manè, aut quando videbitur ipſis cum majore devotione poſſe recitare. Qua in re docet de Murga *ad Conſtitut. 1mam Alexandri IV. n. 23.* quód itinerantes, qui recitare non poſſunt absque incommodo gravi prudentis arbitrio, vel quia eis tempus opportunum moraliter ad horas legendas deeſt, vel quia ita labore itineris fracti aut gravati ſunt, ut illarum penſum ſolvere absque gravi ſalutis nocumento, vel maxima nauſea, ac difficultate nequeant, ad eas recitandas non teneri; non enim obligare intendit Eccleſia ad officii divini recitationem cum tanto diſpendio, quod certè moralem ſecum habet impoſſibilitatem. In caſu tamen, quo adſit proprii Prælati copia, conſultius erit illius diſpenſatione ſeu commutatione uti. Nam poſſe Prælatos Regulares cum itinerantibus juſta interveniente cau-

ſa in vim privilegiorum ſupra recenſitorum ſuper recitatione divini officii diſpenſare, illud ſcilicet commutando, vix dubium eſſe poteſt; ſi enim Prælati Canonicorum Regularium vigore conceſſionis Julii II. de qua ſuperius, diſpenſare poſſunt cum Canonicis adeò officiis Monaſteriorum ſuorum occupatis, ut vix ſine labore & tædio officium dicere valeant: & ſi Prælati poſſunt tempore infirmitatis & convaleſcentiæ cum his, qui ſine tædio horas Canonicas dicere non poſſunt, diſpenſare ut aliquid illarum loco dicant: ſi denique iidem Prælati in vim privilegiorum Clementis VII. & Pauli III. ſupra relatorum poſſunt diſpenſare cum ſociis adeò impeditis circa curationem infirmorum, ut congruum eis tempus ad divinorum officiorum recitationem non ſuperſit, quare diſpenſare non valeant Regulares Prælati cum itinerantibus, qui ita gravati & fracti labore itineris ſentiuntur, ut vix poſſint horas Canonicas perſolvere ſine gravi ſanitatis nocumento aut periculo, vel absque maxima nauſea aut difficultate, & quando eis congruum tempus ad perſolvendum officii penſum non ſupereſt? comparatur enim itinerans in caſu præſenti non ſolùm ſociis circa infirmorum curam occupatis, ſed etiam ipſis infirmis.

36 Conceſſit denique Leo X. omnibus officium Canonicum recitantibus remiſſionem omnium defectuum & culparum, quæ ex humana fragilitate illud recitando contraxerunt, ſi devotè dicant illam orationem: *Sacroſancta & individua Trinitati* cum ℣. *Beata viſcera* & ſuo ℟. *Beata ubera* & inſuper unum Pater & Ave, quæ habentur initio Breviarii; atque hoc demùm privilegium Navarrus *to. 4. cap. 19. de Orat. n. 84.* vocat verum privilegium, cùm non ſit declaratio Juris communis, ùt putat eſſe plura privilegia in hac materia conceſſa. Id autem non eſt pro Regularibus tantùm, ſed pro omnibus etiam ſæcularibus Clericis ad recitationem officii divini obligatis. Etſi verò Donatus *to. 4. tr. 18. qu. 61. n. 4.* exiſtimet, ad obtinendam hanc plenariam omnium defectuum remiſſionem requiri, ut hæc oratio dicatur poſt quamlibet horam divini officii, & illud Pater & Ave recitetur pro felici ſtatu ſuæ ſanctitatis & Eccleſiæ; quia tamen de hoc nil habet Breviarium Romanum, hinc id cum pleriſque cæteris Authoribus haud putamus eſſe neceſſarium: illud tamen requiri dicimus, ùt hæc oratio moraliter conjungatur cum recitatione divini officii, ſeu ut dicatur, antequam recitans ſe divertat ad actiones extraneas: quod tamen non eſt neceſſe caſu quo quis uti vellet alio conſimili privilegio conceſſo à Gregorio XV. Indulgentiis quinque Sanctorum, recitando Pſalmum: *Laudate Dominum omnes gentes*; quia in eo privilegio habetur, quòd recitantes prædictum Pſalmum ſuppleant omnes defectus inadvertentes commiſſos in recitando officio, celebranda Miſſa, aut aliis operibus ſpiritualibus eo die per-

peractis; & ſic ſufficit, quòd in fine diei recitetur prædictus Pſalmus ad fructum hujus indulti conſequendum; ubi tamen obſervat Bordonus *to. 1. Reſol. 27.* ad obtinendam prædictam remiſſionem tria requiri: 1mum. ut tales defectus ſint ſolùm veniales; nam illa oratio vel Pſalmus non poteſt etiam ex conceſſione Papæ remittere culpam mortalem. 2dum ut qui talem vult obtinere remiſſionem non ſit in culpa mortali, ſed curet per contritionem vel confeſſionem ſe in gratia conſtituere; quia venialia non remittuntur manentibus mortalibus; 3tium quod etiamſi ſit abſque conſcientia peccati mortalis, ſe diſponat ad obtinendam talem remiſſionem per actum amoris Dei, contritionis vel ſaltem attritionis ſufficientem ad deſtruendum peccatum veniale, ſiquidem prædicta oratio remittit defectus veniales commiſſos in recitatione per modum cujusdam ſacramentalis, non per modum indulgentiæ, quæ nunquam remittit culpam commiſſam, ſed pœnam ob illam jam remiſſam contractam; ſacramentalia enim non delent venialia ex opere operato, ſed ex opere operantis, idque mediante ſaltem actu attritionis excitato per ſacramentalia, ùt tenet communior Doctorum ſententia apud Andream à Matre Dei hic *n. 64.*

37. Præter relata hactenus privilegia poſſent adhuc alia recenſeri, ùt eſt illud à Leone X. Minoribus conceſſum & relatum in Compend privileg. *tit. officium divinum 1. §. 8.* quo conceditur, ut ſatisfaciant præcepto *cap. Dolentes* recitandi horas Canonicas ſtudioſè pariter & devotè, etiamſi propter aliquam defatigationem aut aliam cauſam dicant ſedendo aut deambulando: vel non integrè verba proferendo propter defectum linguæ. Ejusmodi privilegium eſt etiam illud Minoribus conceſſum ab Innocentio VIII. & relatum à Donato ex compend. privil. Mendic. quo conceditur, ùt eorum Profeſſi, qui ignorant per ſe plenè perſolvere divinum officium, non teneantur ad illud ſub pœna peccati mortalis, donec illud recitare ſciant, dummodo faciant, quod in ſe eſt, ut diſcant. Item illud pariter conceſſum Minoribus ab Innocentio IV. ut cum ratione itineris vel alia de cauſa reperiuntur extra Monaſteria, poſſint Fratres cum Fratribus aut ſimul cum aliis Regularibus vel quilibet ſeparatim officium recitare alio quam Romano Ordine, & quòd id ſufficiat ad perſolvendum debitum, neque iterum officium proprium dicere teneantur. Hoc enim & alia ſimilia privilegia non tam privilegia dicenda ſunt, quam explicatio Juris communis, utpote quo hæc omnia conceduntur, quemadmodum Authores agendo de horis Canonicis communiter tradunt, accedente præſertim conſuetudine ferè univerſali, quæ eſt optima legum interpres. Unde non eſt, quòd iis multùm immoremur.

TRACTATUS IV.

De
Privilegiis Canonicorum aliorumque Regularium tum ad abſolvendum, tum ad diſpenſandum tam Regulares quàm ſæculares.

TAnta fuit SS. Pontificum in Regulares munificentia, tanta in conferendis eisdem privilegiis liberalitas, ut non contenti plurima contuliſſe eorum Prælatis in ordine ad felicem ſuorum ſubditorum directionem, quemadmodum hactenus pluribus demonſtravimus, non minora contulerint his ipſis eorum ſubditis, eorum in Eccleſiam merita & obſequia compenſaturi. Nam ut plura alia prætermittam, ſic ſe in Sacerdotes Regulares ad audiendas Confeſſiones deputatos effudit tum ad abſolvendum à cenſuris & caſibus ſibi reſervatis, tum etiam ad diſpenſandum in irregularitatibus aliiſque pœnis Eccleſiaſticis, in votis & juramentis, ac denique in impedimentis matrimonii, ut omnem ferè poteſtatem ſuam in eos transtuliſſe, & ex eorum omnium ingenti numero paucas ſuæ eminentis ac ſupremæ jurisdictionis prærogativas reſerváſſe videatur: cujus rei veritatem ſatis ſuperque demonſtrabit præſens Tractatus, quem in tres diſputationes dividimus, quarum 1ma. aget de poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium tum ad confitendum tum ad abſolvendum. 2da. de poteſtate eorundem audiendi ſæcularium confeſſiones, eosque abſolvendi à caſibus & cenſuris reſervatis. 3tia. de poteſtate illorum diſpenſandi cum ſæcularibus in irregularitatibus: in votis ac juramentis, & in impedimentis matrimonii.

Diſpu-

Digitized by Google

DISPUTATIO I.

De

Poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium in ordine ad confitendum & abſolvendum.

DIſputationem aggredimur magnis involutam difficultatibus, nec minùs ſcitu neceſſariam, tum ut ſuæ tum ut aliorum ſatisfaciant conſcientiæ Regulares: unde plura hìc occurrunt examinanda. & 1mò. quidem de poteſtate Prælatorum audiendi ſuorum confeſſiones Regularium & utendi ſcientia ex confeſſione acquiſita ad externam gubernationem. 2dò. de poteſtate Canonicorum aliorúmque Regularium eligendi ſibi Confeſſarium. 3tiò. de neceſſitate deputandi aliquos in quovis Monaſterio Confeſſarios. 4tò. de poteſtate abſolvendi à caſibus Prælato reſervatis. 5tò. de poteſtate Confeſſarii aud audiendas Regularium confeſſiones deputati abſolvendi à caſibus & cenſuris S. Pontifici tam intra quàm extra Bullam Cœnæ reſervatis. 6tò denique de poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium eligendi ſibi Confeſſarium, qui eos abſolvat plenariè ſemel in vita, & in articulo mortis ab omnibus omninò peccatis & cenſuris nullo excepto. Ad quæ omnia pluribus reſpondere conabimur concluſionibus, quibus & innexas ſimul difficultates applanare, & motas ab Authoribus controverſias diſſolvere omnimodis ſtudebimus.

Sectio I.

De poteſtate Prælatorum audiendi ſuorum confeſſiones Regularium, & utendi ſcientia ex confeſſione acquiſita ad externam gubernationem.

1 CErtum eſt, quòd Prælati per ſe poſſint ſuorum audire confeſſiones Regularium; cùm enim ordinariam in ſuos ſubditos habeant juriſdictionem, & tanquam Paſtores vi muneris proprii eorum gerere debeant curam animarum, non ſecùs ac Epiſcopi Diæceſanorum, & Parochi ſuorum Parochianorum, hinc dubitari nequit, quin ipſi per

ſe poſſint eorum quoque excipere confeſſiones: quin imò ſi Jus commune inſpiciatur, tenerentur Religioſi quicunque ſuis confiteri Prælatis, ùt deſumitur *ex cap. omnis utriusque. 12. de Pœnitent. & remiſſ.* ubi ſtatuitur, *ut quivis proprio confiteatur Sacerdoti*, quo nomine ſolus ille venit, qui ordinariam habet poteſtatem: hanc autem reſpectu ſuorum Religioſorum ſolus habet Prælatus, adeóque illi ſoli tenerentur de Jure communi confiteri; & ratio eſt, quia nemo poteſt abſolvi aut ligari, niſi à proprio Judice, qualis eſt ſolus Prælatus. Verùm quia non videbatur expediens aut conſultum adſtringere Religioſos præſertim renitentes aut invitos, ut ſuis confiterentur Prælatis ac Superioribus ob ingentia, quæ poterant exinde ſequi, incommoda aliáque indecentia; cùm ex una parte Religioſi ex verecundia & timore reverentiali facilè tetraherentur à fideli & ſincera confeſſione, quo caſu plurimis confeſſionibus ſacrilegis panderetur via: ex altera verò parte periculum eſſet graviſſimum, ne Prælati revelarent ſigillum, aut certè uterentur notitia ex confeſſione acquiſita ad exteriorem gubernationem, quod licere Prælatis multi jamjam docuerant, eòque invaleſcebat hæc doctrina, ut eam paſſim etiam ſine ſcrupulo practicarent, per quam confeſſio Sacramentalis plurimùm reddebatur odioſa & formidabilis: hinc ea Prælatorum poteſtas audiendi ſuorum confeſſiones Regularium plurimùm circumſcripta fuit à SS. Pontificibus, præſertim Clemente VIII. Quî verò & quomodo, nunc ante omnia ſtatuendum eſt. Unde

Dico 1mò. *Non licet Prælatis ac Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte ac proprio motu id ab eis petierint.* 2

Ita in terminis Clemens VIII. in ſuo ſuper caſuum reſervatione edito Decreto *26. Maji Anno 1593.* quod incipit: *Sanctiſſimus Dominus noſter.* Id quod poſteà approbavit, confirmavit, ac innovavit Urbanus VIII. *26. Octobr. Anno 1624.* idque ſecuti ſunt Authores communiſſimè, qui ſimul etiam docent, quòd cùm S. P. Clemens dicat: *non liceat*, ſub hisce particulis grave præceptum contineri, ut adeò nullum ſit dubium, peccare Prælatum mortaliter, ſi cogat ſubditos ſuos, ut confiteantur ſibi aut alteri Superiori, cùm violaret præceptum Pontificium in materia gravi, quod reſpicit uſum debitum Sacramenti tam neceſſarii, quale eſt Sacramentum pœnitentiæ, idque contra expreſſam S. Pontificis prohibitionem redderet

deret longè difficilius. Excipit tamen Clemens VIII. *Niſi ipſi ſubditi ſpontè ac motu proprio id ab ipſis petierint*: quibus verbis cùm plenam intendat libertatem concedere ſubditis proprio Prælato ac Superiori confiteri volentibus, non debent ea accipi disjunctivè, ſed copulativè, magna etenim inter eas particulas intercedit differentia; nam *motu proprio* petere à Prælato ſuo, ut ſuam audiat confeſſionem, excludit omne conſilium, ſuaſionem & inductionem, ſive verbis fiat, ſive factis; unde ſi quis ſuo confiteri petat Superiori vel Prælato ex motu proprio, id fieri debet Prælato neque conſulente, neque ſuadente, multo minus inducente; quare ſi hoc faceret Prælatus aut Superior, non excuſaretur à peccato mortali, cùm ejusmodi conſilia, ſuaſiones aut inductiones æquivaleant præcepto, & timor reverentialis plurimùm minuat libertatem in Religioſis, præſertim verecundis & timoratis. Econtra verò particula *ſpontè* ſecundùm ſe non excludit conſilium, ſuaſionem, aut inductionem, factam ſaltem ſine minis, utpote quæ relinquunt libertatem faciendi vel non faciendi. Licèt autem fortè Superior vel Prælatus poſſit illius audire confeſſionem, quem ad eam apud ſe inſtituendam ſimpliciter hortatus eſt, ſecurius tamen ac melius eſſe monet Suarez, ut non audiat, niſi accedentem motu proprio, nulla præcedente hortatione aut conſilio: quare particulam illam: *motu proprio* non fruſtrà à S. Pontifice additam fuiſſe cenſendum eſt, ſed ad explicandam ac declarandam præcedentem *ſpontè*, quæ cùm fortè latiùs accipi poſſet, reſtrinxit per particulam *motu proprio*, ut adeò utriusque hic ſit ſenſus: non liceat Superioribus audire ſuorum confeſſines ſubditorum, niſi ipſi ſine ulla ſuaſione, conſilio aut inductione id petierint.

Qua in re permulti ſanè graviſſimè peccant Superiores, præſertim clauſtrales, qui Religioſos ſi non aperta vi ſaltem tacita adigunt, ut ſibi confiteantur, eósque qui id faciunt, benè habent, dilaudant, promovent, & ubique commendant, qui verò id facere detrectant, perſequuntur, vituperant, pro diſcolis habent ac indiſciplinatis, ab omnibus excludi volunt officiis, ac identidem malè de iis loquuntur, quòd ſæpiùs factum eſſe ſcio, & etiamnum fieri conquerentes audivi Religioſos. Qua verò conſcientia id faciant, non video, præſertim cùm maximum ſit periculum, ne plurimæ fiant ab iis ſacrilegæ confeſſiones, qui ut ſatisfaciant Superiori & bonam apud eum obtineant opinionem, videantúrq; innocentes, aut aliquod acquirant officiolum, nonniſi levia confitentur, ac graviſſima reticent peccata. Nec audent alteri etſi poteſtatem habenti confiteri, ne ſi advertat Superior, ejusdem incurrant offenſionem

nem aut ſuam deperdat exiſtimationem, ex quibus quanta poſſint oriri mala, nemo non videt, quæ in Superioris hujuſmodi redundant conſcientiam: vel enim ſciunt hanc Clementis VIII. Conſtitutionem ac Decretum? & graviſſimè peccant, ac omnium rei ſunt quæ exinde ſequuntur, malorum, dum contra expreſſam ejuſdem prohibitionem tacitè vel expreſsè Religioſos adigunt ad ſibi confitendum in graviſſimum Sacramenti pœnitentiæ præjudicium: vel eandem neſciunt, & fateri debent ſuam in rebus moralibus ignorantiam prorsùs ſupinam ac craſſiſſimam, ob quam vel ipſo, quod obtinent, officio ſunt indigni.

4 Quòd ſi tamen Religioſi quippiam ſponte ſua ac motu proprio abſque ulla inductione petierint confiteri Superiori ac Prælato, præcipit nihilominus Clemens VIII. in ſupramemorato Decreto, ac interdicit, *ut tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi ſunt, obſervari mandavit; non obſtantibus &c.* Quibus verbis etſi uſus notitiæ ex confeſſione acquiſitæ penitùs prohibeatur, non defuêre tamen Authores iique multi ac graves, qui docuerunt licere Superiori ac Confeſſario uti ſcientia ex confeſſione hauſta cum aliquo gravamine pœnitentis, quando multo majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur, modò ne indirectè quidem violetur ſigillum, nec anſa detur ſuſpicandi prudenter, quòd aliquid fiat ob hujusmodi notitiam, quod facilè fieri poteſt in collatione gratuitorum, in quibus nulla requiritur cauſa, cur denegentur; ſic enim docuêre, poſſe Prælatum amovere aliquem ab officio ad nutum amovibili, quod ex confeſſione noſcit eidem occaſionem eſſe peccandi: & Confeſſarium poſſe ſuum illi denegare votum ad Prælaturam, quem ad eam ex confeſſione cognovit indignum: poſſe itidem occludere fores & obſtruere feneſtram, per quam illum ex Monaſterio furtivè egredi ſcit ex audita confeſſione. Verùm cùm iſthæc ſententia confeſſionem plurimùm reddat odioſam, Hinc

Dico 2dò. *In nullo unquam caſu licet Prælatis ac Confeſſariis Regularium uti notitia ex confeſſione acquiſita cum aliquo gravamine pœnitentis, etſi ne indirectè quidem violetur ſigillum, nec ulla detur anſa prudenter ſuſpicandi, quòd aliquid fiat ob* 5

Digitized by Google

ob hujusmodi notitiam, & licèt etiam multò majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur.

Ita certa hodie ſententia contra quamplures olim Doctores, ex quibus plus quàm quadraginta refert Sanchez *L. 3. de matr. Diſp. 16. n. 2.* Mendo *differt. 10. qu. 8.* Stoz *n. 244.* quorum doctrina jam non eſt ampliùs probabilis poſt relatum ſupra Decretum Clementis VIII. & factam Anno 1682. 18. Novembr. in generali Congregatione S. Romanæ & univerſalis Inquiſitionis habita coram Eminentiſſimis DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republ. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à ſede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis prohibitionem ſequentis propoſitionis: *ſcientia ex conſeſſione acquiſita uti licet, modò fiat ſine directa aut indirecta revelatione & gravamine pœnitentis, niſi aliud multò majus ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur.* Addita deinde explicatione ſive limitatione, quòd ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis ſecluſa quacunque revelatione, atque in caſu, quo multò majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur: ſtatuerunt dictam prohibitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis omninò prohibendam eſſe etiam cum dicta explicatione ſive limitatione: & præſenti decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publicè aut privatim docere aut defendere ſub pœnis arbitrio S. Congregationis infligendis; mandantes etiam univerſis Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorsùs abſtineant. Itaque certum jam nunc eſt, in nullo unquam caſu licitum eſſe uti ſcientia ex confeſſione acquiſita cum aliquo gravamine pœnitentis, ùt proinde Card. de Lugo Diſp. 23. de pœnit. n. 93. benè dicat: ſe neſcire, quo pacto poſt Decretum Clementis VIII. (& multò magis poſt editam à S. Congregatione propoſitionis primùm relatæ prohibitionem) ſententia illa poſſit ſuſtineri; quod pariter docent communiter Recentiores apud Dicaſtillum *Diſp. 12. de Pœnit. n. 140.* Neque dicas cum Thoma Hurtado *L. 2. Reſ. Moral. tr. 6. cap. 11. Reſ. 32. & tr. 12. cap. 1. Reſ. 23.* quòd Decretum Clementis VIII. dirigatur ſolùm ad Superiores Regulares, & ſic quòd adhuc Epiſcopi & alii Sacerdotes non Regulares poſſint uti ſcientia ex confeſſione acquiſita, cùm de his nihil habeat aut dicat Decretum; ſed contra eſt, quòd motivum illius fuerit, ipſo Hurtado non diffitente, ne ex uſu ſcientiæ ex confeſſione hauſtæ odioſa redderetur & formidabilis confeſſio: atqui hoc ipſum eſt motivum præcepti naturalis & divini de ſigillo cuſtodiendo:

do: ergò utriusque eſt idem motivum; ſed ſi utriusque idem eſt motivum, hoc ipſo quòd Regularibus inhibeat uſum notitiæ ex confeſſione hauſtæ, eundem etiam prohibet reliquis tam Epiſcopis quàm Sacerdotibus non Regularibus, cùm non minùs reddatur odioſa confeſſio in iſtis, quàm in illis, & conſequenter Pontifex ſuo illo decreto non induxit novam aliquam obligationem pro Regularibus, ſed antiquam præcepti naturalis & divini in memoriam revocavit ad exterminandas opiniones, quæ uſum licitum notitiæ confeſſionis pœnitentibus moleſtum concedebant, quasque præcipuè Regulares & docebant & defendebant: atque adeò ex hoc decreto pro ſolis Superioribus Regularibus lato infertur præceptum naturale & divinum de ſigillo cuſtodiendo ſe extendente ad prohibendum hujusmodi uſum, & proinde omnibus omninò Confeſſariis tam ſæcularibus quàm Regularibus id vetatur, prout evidenter patet ex propoſitione à S Congregatione poſtmodùm prohibita, nullo facto inter utrosque diſcrimine. Verùm quô idipſum adhuc magis pateat, ac eluceſcat

6 Probatur concluſio noſtra etiam ratione: Jus naturale, divinum, & Eccleſiaſticum obligat ad ea omnia quàm ſtrictiſſimè cavenda & omittenda, ex quibus confeſſio Sacramentalis reddi poſſet odioſa & formidabilis: atqui redderetur quàm maximè odioſa ac formidabilis, ſi liceret uti notitia ex confeſſione hauſta cum aliquo gravamine pœnitentis: ergò obligat ad non utendum ea notitia. maj. patet. Ideò enim Jus naturale, divinum, & Eccleſiaſticum obligat quàm ſtrictiſſimè ad ſervandum ſigillum confeſſionale, ita ut in nullo excogitabili caſu iſtud revelari liceat, ne ſcilicet unquam confeſſio ex metu revelationis fieret odioſa aut formidabilis: atqui non minùs fieret confeſſio maximè odioſa & formidabilis, ſi in aliquo excogitabili caſu liceret uti notitia ex confeſſione hauſta cum aliquo gravamine pœnitentis; ergò non minùs obligat Jus naturale, divinum, & Eccleſiaſticum ad non utendum notitia ex confeſſione hauſta cum aliquo gravamine pœnitentis pro quocunque caſu, quàm obligat ad ſervandum ſtrictiſſimè ſigillum confeſſionale. Et certè ſi confitentes ſcirent, poſſe Superiorem aut alium Confeſſarium uti notitia ex confeſſione acquiſita in præjudicium pœnitentis, facilè retraherentur à ſincera peccatorum confeſſione, ſibique perſuaderent, ſe hìc & nunc non teneri ad integram confeſſionem, utpote à qua timere poſſent gravia incommoda, per quod ingens Sacramento Pœnitentiæ irrogaretur injuria, & plurimis via panderetur ſacrilegiis non minùs quàm ſi ſcirent homines in aliquo caſu licere revelari ſigillum. Accedit, quòd ſi ſemel liceret uti ſcientia ex confeſ-

feſſione acquiſita cum aliquali gravamine pœnitentis ſub hoc prætextu, quod deſerviat ad impediendum majus illius damnum ac gravamen, eoipſo daretur anſa utendi hac ſcientia pro quocunque fermè caſu; cùm enim Superiores & Confeſſarii facilè ſibi poſſint perſuadere ex proprio affectu, ex zelo regularis obſervantiæ, aut titulo boni publici ex non uſu ſecuturum longè majus pœnitentis gravamen, periculum imminere ſalutis æternæ, ac magnum toti communitati damnum aut ſcandalum, & econtra gravamen, quod pœnitens ex hujusmodi uſu pateretur, eſſe leviſſimum ac meritò contemnendum in comparatione illius, quod ex non uſu ſequeretur, hinc fermè ſemper etiam credere poſſent, hìc & nunc licere uti notitia confeſſionali. Ex quo nemo non videt, quàm odioſa ac formidabilis redderetur confeſſio Sacramentalis, ac fortaſſe magis, quàm ſi in aliquo caſu liceret revelare ſigillum. Unde ſicut pro nullo unquam caſu licita fieri poteſt revelatio ſigilli, ita pro nullo unquam caſu licitus eſſe poteſt uſus notitiæ confeſſionalis cum aliquali pœnitentis gravamine, ſicut pro nullo unquam caſu licita eſt pollutio aut fornicatio ne ad vitam quidem conſervandam, aut graviſſimum malum avertendum; quia ſi in aliquo ejusmodi caſu eſſet licita, facilè ſibi fingerent homines præ nimia paſſione, hìc & nunc adeſſe talem, atque eam ſibi licere, unde neceſſe fuit, ut Jure naturali & divino ejusmodi uſus pro omni caſu prohiberetur. Ex quibus patet, Decretum Clementis VIII. ac S. Congregationis prohibens uſum ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ non inducere novam obligationem, ſed antiquam Juris naturalis & divini ſolùm renovare, ac veluti in memoriam revocare ad eliminandam plurium Authorum ſententiam, & exinde receptam non ſine plauſu à quibusdam Prælatis ac Superioribus & Confeſſariis opinionem, quæ ejusmodi uſum permittebat, quibus longè magis profuiſſet, ſi ſæpiùs ſibi ob oculos poſuiſſent dictum illud Claudii Aquavivæ Præpoſiti Generalis Soc. Jeſu, qui poſtquam Anno 1590. omnibus ſuis prohibuiſſet, ne eam doctrinam uſpiam introducant, aut privatim publicéve doceant, vel ea unquam utantur, prudentiſſimè ſcripſit: perſuadeant ſibi Superiores, ſicut humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longiſſimè diſtat, ita debere nullatenus ab eo pendere. (*Adde*; à me in dictionario Pontaſii Auguſtanæ editionis additam fuiſſe hanc explicationem; Superiorem videlicet aut alium Confeſſarium non poſſe uti notitia ſacramentali niſi ad ea, ad quæ ipſe pœnitens *expreſſè* vel *tacitè* dat licentiam. Tacitè autem cenſetur dare licentiam ad ea, ad quæ tenetur evidenter dare licentiam ex obligatione juſtitiæ vel charitatis v. g. ad præſcindendas occaſiones proxi-

mas peccati, ſi aliis remediis non ſperari poſſint prudenter convertendæ in remotas, vel ad avertendam ſpiritualem aliorum ruinam, quæ alio modo prudenter non ſperari poteſt præcavenda. Ad hujusmodi enim pœnitens tenetur, adeoque etiam cenſetur dare conſenſum.)

7 Neque dicas: leve gravamen pœnitentis, quod ſervit ad impediendum longè majus illius gravamen, à quo pendet ſalus illius æterna, cenſeri debet nullius eſſe momenti, adeóque prius illud in comparatione hujus meritò negligi poteſt ac contemni, neque haberi debet pro gravamine, ſed pro levamine potiùs pœnitentis: ergò per hoc non redditur confeſſio odioſa: quòd ſi non redditur odioſa, uſus notitiæ ex confeſſione hauſtæ non erit illicitus. ℞. falſum eſſe, quòd gravamen pœnitentis leve aut leviſſimum cenſeri poſſit nullius eſſe momenti, cùm id ſerviat ad abſterrendos homines à ſincera atque integra confeſſione; deinde licèt gravamen pœnitentis de ſe ſit leve aut leviſſimum, grave tamen eſt ac permagni momenti gravamen publicum, quod in omnes redundaret, ſi ſcirent, uſum notitiæ ex confeſſione hauſtæ ſemel licitum eſſe pro aliquo caſu etiam cum leviſſimo gravamine pœnitentis; facilè enim poſſent timere, ne Confeſſarius ac Superior hic & nunc judicarent, leviſſimum tantùm eſſe gravamen pœnitentis, longéque majus quod impedire conantur: ídque revera communiter fieret, cùm Superior aut Confeſſarius ex nimio zelo, aut ex proprio affectu & inordinatis animi paſſionibus, quæ judicium ſemper perturbant, identidem ſibi perſuadere poſſent, leve pœnitentis gravamen nullius eſſe momenti, atque uſum notitiæ ex confeſſione acquiſitæ deſervire hìc & nunc ad impediendum longè majus illius gravamen, quod ex non uſu ſequeretur; per quod utique confeſſio redderetur plusquam odioſa ac formidabilis, & quivis rationabiliter abſterreri poſſet à confeſſione integrè peragenda, ſi ſciret ſe poſſe propterea à Superiore ab officio removeri, aut à Confeſſario ſibi denegari votum ad Prælaturam, & quæ ſunt alia hujusmodi.

Neque dicas iterum: Confeſſio non poteſt Confeſſario aut Superiori adimere Jus quod ante confeſſionem habebant: ſed ante confeſſionem habebant Jus, Confeſſarius quidem talem non eligendi ad Prælaturam, & Prælatus eum amovendi ab officio: ergò etiam poſt auditam confeſſionem habent Jus & hunc amovendi ab officio, & alterum non eligendi ad Prælaturam; aliàs enim ſequeretur, quòd Prælatus & Confeſſarius ex auditis confeſſionibus magnum cogerentur ſubire incommodum, multúmque deperderent ex priſtina libertate & Jure, quod 8

an-

antea habebant, ut exinde pœnitens non gravetur, ſed maximum inde referat commodum. ℟. negando, quòd tam Confeſſarius quam Prælatus habeant Jus aliquod ille quidem denegandi votum, hic verò amovendi ab officio, ſi ex ſola confeſſione noſcant, pœnitentem eſſe indignum Prælaturâ aut officio; unde diſtingui etiam poteſt ant.: Confeſſio nullum auffert Jus, quod antecedenter ad confeſſionem habebant, C. quod antecedenter ad confeſſionem & independenter ab ea non habebant N. ant.; vi enim notitiæ ex confeſſione hauſtæ neuter habet Jus ſive repellendi indignum à Prælatura, ſive amovendi ab officio; quamvis enim aliis de cauſis id poſſint, haud tamen hoc poſſunt facere dependenter à notitia ſacramentali, neque etiam ſi darent anſam ſuſpicandi rationabilem, quòd id fiat ex notitia confeſſionali. Sicut enim, qui peccatum pœnitentis ante confeſſionem noverat, non amittit Jus illud manifeſtandi poſt auditum peccatum in confeſſione, quatenus extra illam fuerat cognitum, ſed tantùm ne illud manifeſtet, quatenus eſt cognitum in confeſſione, neque ex illa cognitione moveatur: ita etiam Confeſſarius vel Prælatus non amittit Jus, quod prius habebant ad denegandum votum, aut amovendum ab officio, ſed tamen non poteſt illum amovere ab officio, aut ei denegare votum poſt auditam confeſſionem, ſi ab hac ad id faciendum moveantur. Hinc autem patet Prælatum aut Confeſſarium nequidquam priſtini Juris vel libertatis amittere ex eo, quòd non poſſint uti notitia ex confeſſione acquiſita, neque pœnitentem ullum exinde referre commodum aut emolumentum.

Ex quibus proin omnibus planum, eſt atque manifeſtum non poſſe Prælatum vi notitiæ ex confeſſione acquiſitæ aliquem removere ab officio etiam ad nutum amovibili: nec poſſe ſeris occludere fores aut abſtruere feneſtras, per quas ex confeſſione ſcit Religioſum furtivè noctu egredi è Monaſterio: neque poſſe propterea diligentius viſitare, multò minùs parare inſidias ad deprehendendum delinquentem: nec ei ſeveriorem vultum oſtendere, aut ſeſe difficiliorem reddere; ſed nec Confeſſarius poteſt alicui negare ſuffragium pro admiſſione ad S. Ordinem, ad S. Profeſſionem, ad Prælaturam, quem ex confeſſione cognoſcit indignum; quia per hæc omnia confeſſio redditur maximè odioſa, oneroſa, & formidabilis, & nemo jam auderet integrè confiteri, ſi ſcirent pœnitentes, hæc licere. (*Adde*; denuò, niſi ad aliqua horum procuranda, admittenda, vel recuſanda pœnitens evidenter obligetur, ita ut non ſit diſpoſitus ad abſolutionem, niſi ea procuret, admittat, vel recuſet; quod contigeret, ſi v.g. officium, vel feneſtra eſſet occaſio proxima ad peccatum. Verùm quidem eſt, pœnitentem tamdiù non

obligari ad recuſandum officium vel Prælaturam, quamdiu apparet prudens ſpes, eum aliis remediis ſe redditurum idoneum, & emendaturum delicta, ſed non ſemper ſunt ejuſmodi circumſtantiæ. Hinc ad ea, quæ pœnitens evidenter obligatur permittere Confeſſario, poteſt Confeſſarius licitè cooperari, quamvis petere convenienter non potuerit aut oblitus ſit expreſſam licentiam) Sed hìc iterum multi graviſſimè peccant Prælati & Superiores non modò illi, qui Religioſos adſtringunt, ut ſibi confiteantur non alio fine, quàm ut exinde dirigere diſciplinam regularem, & uti poſſint notitia ex confeſſione hauſta ad externam gubernationem, ſed etiam ii, qui non niſi tales conſtituunt ac Regularibus obtrudunt Confeſſarios, quos omnia ſibi prodituros nôrunt, quorum unicè utuntur conſiliis, qui in ira aut crapula nullo habito diſcrimine omnia effutiunt, qui neque morum probitate, neque ulla ſcientia commendantur, vix ſemicaſuiſtæ, ut propterea non uno in loco ad Ordinarios recurri debuerit pro medela. Et verò quid mirum, ſi queruloſos ſæpiùs audias Religioſos, præſertim ubi regnat ſtabilitas, ſibi omnia quæ confitentur iterum exprobrari in Capitulo, mox à confeſſione inſtitui viſitationes, inquiſitiones &c., ex quibus quivis facillimè devenire poteſt in notitiam confeſſi delinquentis, & admiſſi delicti: quæ ſanè omnia in maximam cedunt Sacramenti Pœnitentiæ injuriam, & plurimis dant anſam ſacrilegis confeſſionibus, quarum ſe reos ac participes faciunt ejuſmodi Superiores ac Prælati, dum ſive per ſe, ſive per alios quos conſtituunt Confeſſarios, ſic abutuntur notitia ex confeſſione acquiſita ad externum regimen. Verùm inquies: Eccleſia conceſſit Superioribus reſervare peccata, non alio utique fine, quàm ut eorum cognitione dirigantur ad bonam gubernationem: ergò hoc ipſo conceſſit uti notitia ex confeſſione hauſta ad externum regimen. Sed hoc ipſum eſt, quod abſolutè negatur; tametſi enim reſervatio caſuum juxta Tridentinum *ſeſſ. 14 cap. 7.* ſit convenientiſſima, non quidem ut poſſint Superiores uti notitia illa ſacramentali ad externam gubernationem, ſed ut abſterreantur homines à peccatis gravioribus, dum vident difficiliorem ſibi reddi abſolutionem. Sed de hoc poſtea.

Ex hoc autem, quòd prohibitum ſit uti notitia in confeſſione acquiſita, quando cedit in aliquod utut leve gravamen pœnitentis, non prohibetur, quin Confeſſarii & Superiores poſſint uti notitia confeſſionis ad ea, quæ in nullum cedunt pœnitentis gravamen: & ſic poſſunt benignius ſe gerere erga pœnitentem, illique favorem aliquem exhibere, qui tamen non ſit tacita objurgatio culpæ confeſſæ: rigorem temperare, aut ſeſe benevolum illi exhibere; ſic etiam non prohibentur Superiores & Confeſſarii, quin illam, 10

Digitized by Google

quam ex auditis multoties confeſſionibus acquirunt prudentiam poſſint adhibere ad externam gubernationem aliorum, ad quos nullo modo ſe extendit obligatio ſigilli ſacramentalis, quia ſcilicet non ſunt perſona ipſa pœnitentis, vel complicis, aut alterius, qui ſit objectum peccati pœnitentis, ita ùt rationabiliter pœnitenti diſplicere haud poſſit uſus talis ſcientiæ; nam licèt de facto communis ſit Doctorum ſententia, quòd Confeſſarii & Superiores non poſſint uti notitia confeſſionis ad exteriorem gubernationem cum aliquo gravamine pœnitentis, etiamſi nulla daretur confeſſionis revelatio: nemo tamen negat, quòd poſſint illi uti tali notitia, quando nullum ſequitur gravamen pœnitentis. A tque hinc poteſt Concionator aut Profeſſor Theologiæ moralis uti notitia confeſſionis ad meliùs componendas conciones vel lectiones, ſi ita prudenter fiat, ut nullum inde ſcandalum puſillorum aut aliud incommodum ſequatur. Ubi tamen notandum, quòd pro licito uſu notitiæ ex confeſſione hauſtæ non ſufficiat quælibet probabilitas, quòd non adſit in pœnitente periculum alicujus gravaminis, ſed requiritur, quòd id ſit moraliter certum, vel ſaltem probabiliſſimum; tunc autem cenſetur eſſe moraliter certum, quando communiter non gravantur homines ex uſu talis notitiæ.

Sectio II.

De poteſtate Regularium præſertim Canonicorum eligendi Confeſſarium.

11 CUm non liceat Prælatis ſuorum audire Regularium confeſſiones niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte ac motu proprio id ab eis petierint, ùt ex Decreto Clementino conſtat, & nos ſupra pluribus expoſuimus, hinc neceſſariò conſequitur, Regularibus permiſſum eſſe confiteri aliis, quàm Superioribus ac Prælatis ſuis: ex hoc ipſo verò multæ oriuntur difficultates, eæque graves, an cuivis Sacerdoti, an verò deſtinatis tantùm à Prælato ſuo confiteri poſſint ac debeant: atque hinc inquirendum hìc nobis eſt 1mò. An Regulares univerſim atque etiam Canonici in Monaſterio ſuo conſtituti poſſint abſque licentia Prælati ſui eligere ſibi pro libitu Confeſſarium ſive proprii ſive alterius Ordinis Regularem vel ſæcularem, qui eos abſolvat à peccatis mortalibus? 2dò. An id poſſint vi Bullæ Cruciatæ, aut aliarum ſimilium Indulgentiarum parti-

particularium ? aut Indultorum ? 3tiò. An poſſint vigore Jubilæi univerſalis, eligere ſibi Confeſſarium quemcunque ſive Regularem ſive ſæcularem, qui eos abſolvat à peccatis tam reſervatis quàm non reſervatis? 4tò. An iidem poſſint, dum ſunt extra Monaſterium aut in itinere conſtituti ubique locorum eligere ſibi Confeſſarium ſive Regularem ſive ſæcularem etiam ab Epiſcopo non approbatum, qui eos abſolvat à peccatis tam mortalibus quàm venialibus? 5tò. An iidem poſſint tam intra quàm extra Monaſterium conſtituti de Prælatorum ſuorum licentia tam pro venialibus quàm pro mortalibus eligere ſibi pro libitu quemcunque idoneum Confeſſarium ſive Regularem ſive ſæcularem & quidem ab Epiſcopo non approbatum? 6tò. denique: An iidem etiam in Monaſterio conſtituti poſſint absque licentia Prælati eligere ſibi Confeſſarium ſive proprii ſive alterius Ordinis Regularem vel ſæcularem pro confeſſione & abſolutione venialium aut mortalium aliàs ritè confeſſorum? Pro quorum omnium Reſolutione

32 Dico 1mo. *Regulares univerſim atque etiam Canonici, dum ſunt in Monaſterio ſuo conſtituti, non poſſunt ſibi absque Prælati ſui licentia eligere Confeſſarium ſive proprii ſive alterius Ordinis Regularem ſive ſæcularem, qui eos abſolvat à peccatis mortalibus.*

Ita Leo X. pro Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis ſtatuit in Bulla: *Cùm aliàs. 19. Martii Anno 1516. Pont. 4.* & Clemens VII. pro iisdem in Bulla: *Cùm ſicut. 3. April. Anno 1531. Pont. 8.* præfatus Leo X. pro Canonicis Regularibus Congregationis Windeſemenſis in Bulla: *Exponi nobis. 28. Januar. Anno 1520. Pont 7.* S. Pius V. pro Ordine Prædicatorum in Bulla: *Romani Pontificis. 21. Junii Anno 1571.* Clemens VIII. pro Carmelitis & aliis omnibus cujuscunque Ordinis, Congregationis, ac Inſtituti tam Mendicantium quàm non Mendicantium Religioſis in Bulla: *Romani Pontificis. 23. Novembr. Anno 1599. Pont. 8.* & univerſim etiam Urbanus VIII. in Bulla: *In ſpecula. 19. Junii Anno 1630. Pont. 7.* qui expreſsè aſſerit, ſuam eſſe intentionem, ut Regulares omnes quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ ſeu Confeſſionis adminiſtrationem ſint diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubjecti, atque adeò non poſſint absque licentia eorum ſibi pro libitu eligere Confeſſarium. Idque præcipuè intelligendum eſt in Ordine ad confeſſionem peccatorum mortalium, ad quorum abſolutionem ſpecialis requiritur & approbatio & jurisdictio; quod ipſum omninò conforme eſt Juri communi: ſic

ſic enim cap. *Omnis utriusque. 12. de Pœnitent. & Remiſſ. ſtatuitur* : ut *omnis Chriſti fidelis cùm ad annos diſcretionis pervenerit, confiteatur proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia* ; ſed Prælatus eſt proprius Sacerdos : ergò vel huic confitendum, vel alteri de ejus licentia tantùm. *Can. adjicimus 19. §. Ecce in hoc. cauſ. 16, Q. 1.* dicitur : quòd *nulli liceat alterius Parochianum ligare vel abſolvere* : liceret autem, ſi poſſent Regulares pro libitu ſuo eligere ſibi Confeſſarium : ergò non licet. Denique *Can. placuit. 3. de Pœnitent. diſt. 6.* habetur : *nulli Sacerdoti liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere ſine ejus conſenſu, cui prius ſe commiſit, quia oves propria paſcenda ſunt à proprio Paſtore* : ſed proprius Regularium Paſtor eſt eorum Prælatus, eique ſeſe commiſerunt : ergò non licet eos ad pœnitentiam ſuſcipere ſine illius conſenſu. Quibus Juris textibus planum fit non licere Regularibus ſecluſo ſpeciali privilegio ſibi ipſis eligere Confeſſarium, ſed in hoc dependere à Prælato ; & ratio clara eſt, quia ut Confeſſarius poſſit aliquem abſolvere à peccato mortali, requiritur ut in illum habeat jurisdictionem : ſed Confeſſarius à Religioſo ſine Prælati ſui licentia electus nullam habet jurisdictionem ; non enim illam habet à Prælato Religioſi aut ejus Superiore, cùm confeſſio ſine illius licentia fiat, atque adeò potius credendus ſit invitus : neque à SS. Pontificibus, utpote qui reclamant & volunt, quòd Religioſi quoad Sacramentum Pœnitentiæ ſubjecti ſint ſuis Prælatis, & ob id omnia priùs conceſſa privilegia revocârunt : nec eam habet ab Ordinario, utpote à cujus jurisdictione exemptus eſſe ponitur : nec denique ab ipſo Religioſo eligente, cùm hic nullam habeat, quam poſſit delegare : ergò non poteſt illum abſolvere. Accedit, quòd ſi hoc liceret, daretur Religioſis anſa vagandi, & diſſolvendi regularem diſciplinam, ac quibuscunque vitiis laxandi fræna in maximum vitæ religioſæ diſpendium.

13 Neque dicas : quivis Sacerdos accipit in Ordinatione poteſtatem abſolvendi atque adeò jurisdictionem in omnes Chriſti fideles per verba illa : *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, docetque ipſum Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5. Chriſtum è terris aſcenſurum in Cœlos Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquiſſe tanquam Præſides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur* ; quibus ſanè verbis apertè innuit, cuilibet Sacerdoti in ordinatione conferri jurisdictionem, cùm ſine illa nemo poſſit conſtitui Judex. Atque hinc etiam à principio naſcentis Eccleſiæ quilibet ſibi pro libitu ſuo Confeſſarium eligere poterat. Verùm ℞. poteſtatem, quam Sacerdotes accipiunt in Ordinatione, non eſſe abſolutam & completam aut proximè expeditam ut exeat in actum, ſed ad hoc prætereà opus eſſe jurisdictione, quam Sacerdotes neutiquam accipiunt vi ſuæ Ordinationis, cùm per illam nullos

Digitized by Google

nullos ſubditos accipiat, ſine quibus non poteſt eſſe aut conſiſtere jurisdictio: quando verò Sacerdotes dicuntur judices, ad quos omnia crimina deferri debent, id intelligendum eſt quoad actum primum & ſecundùm aptitudinem tantùm, ſic nempe quòd poteſtas abſolvendi & judicandi non aliis competat quàm Sacerdotibus: non autem accipienda ſunt ea Concilii verba in actu ſecundo & completè, quaſi poſſent exercere officium Judicis antequam ab Eccleſia ſeu Eccleſiæ Prælatis deputentur, vel ab eis jurisdictionem accipiant & ſubditos, in quos judicium exerceant. Quòd ſi quis tamen contendat cum Vaſquez, Hurtado, Navarro & aliis jurisdictionem conferri cuilibet Sacerdoti in ipſa Ordinatione cum poteſtate remittendi peccata, non equidem multùm repugno, ſed dico, eam ipſam jurisdictionem dependere ab Eccleſia, ita ut per ſuam prohibitionem impedire poſſit, ne validè in actum exeat, neque Sacerdos illam jurisdictionem exercere valeat, antequam ei aſſignentur ſubditi, in quos illam exerceat, prout defacto reipſa prohibet, ne quis Sacerdos audiat confeſſiones ſine approbatione & actuali jurisdictione: quæ quidem neceſſaria non erat à principio naſcentis Eccleſiæ ob Sacerdotum paucitatem, & Fidelium diſperſionem à continuis perſecutionibus profectam; poſtquam verò non nihil adolevit Eccleſia, & Fidelium ac Sacerdotum numerus creſcere cæpit, inſtitutæ ſunt Parochiæ aſſignato cuique certo diſtrictu, intra cujus fines deſignatus tantùm Sacerdos jurisdictionem in ſubditos fideles exercere poterat, prout Dionyſius anno 261. in Pontificem electus jam feciſſe refertur *Can. Eccleſias. un. cauſ. 13. q. 1.* & cap. *Paſtoralis. 9. de his quæ fiunt à Prælato*; & Caliſtus Papa, qui ab anno 221. usque ad annum 227, quo Martyrio coronatus eſt, regnavit, ſcripta ad Epiſcopos Galliæ Epiſtola: *Nullus alterius terminos uſurpet, nec alterius Parochianum judicare præſumat*; quamvis autem hæ Epiſtolæ Decretales ſint ſuppoſititiæ, nihilominus idem ex Conciliis & Actis primitivæ Eccleſiæ patet, quòd ad validam adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ non ſufficiat poteſtas Ordinis, ſed requiratur etiam poteſtas jurisdictionis & quidem completa & in actu ſecundo, eaque vel ordinaria vel delegata, nec poſſe quemquam eligere Confeſſarium, qui alterutra caret, atque adeò nec Regulares cuiquam confiteri poſſunt, niſi qui alterutram habet vel à Prælato vel ab ejus Superiore, aut ab ipſo S. Pontifice, quales cenſentur eſſe ejusdem Pœnitentiarii, quibus confiteri licet etiam absque licentia Prælati ex ſpeciali S. Pontificis conceſſione, idque uſu receptum eſſe Romæ teſtantur Tamburinus *to. 2. Diſp. 6. quæſt. 6. n. 6.* Lezana *in ſum. QQ. regul. cap. 18. n. 26.* Boſſius *de Jubil. ſect. 3. caſ. 4. n. 4.* ubi paſſim etiam videntur Regulares cujuscunque Ordinis ad eos pro confeſſione accedere. Di-

14. Dico 2dò. *Regulares, etiam Canonici, nequidem poſſunt vi Bullæ Cruciatæ aut aliorum ſimilium Indultorum ac Indulgentiarum particularium ſine Prælati ſui licentia eligere ſibi Confeſſarium, qui eos abſolvat à peccatis mortalibus non reſervatis, & multò minùs à reſervatis.*

Ita ſtatuit Leo X. in Bulla: *Cùm aliàs. 19. Martii Anno 1516.* in qua Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis revocat omnes conceſſiones & indulta eligendi ſibi Confeſſarium, ac talem impoſterùm ſine Prælatorum Ordinis licentia prohibet eligere, non obſtantibus quibuscunque indultis Apoſtolicis; & Clemens VII. in Bulla: *Cùm ſicut. 3. April. Anno 1531.* iisdem Canonicis pariter revocat omnia & quæcunque indulta eligendi ſibi Confeſſarium absque Prælatorum licentia, etiam in favorem fidei Apoſtolicæ & S. Cruciatæ conceſſa. Idem decernit præfatus Leo X. pro Canonicis Regularibus Congregationis Windeſemenſis in Bulla: *Exponi nobis. 28. Januar. Anno 1520.* ubi declarat, ſuæ ac Prædeceſſorum ſuorum mentis ac intentionis non fuiſſe nec eſſe, quòd aliquis ex præfatis Canonicis conceſſione ac facultatibus hujusmodi uti poſſit ac debeat absque Superiorum ſuorum expreſſa licentia; atque ita declarárunt alii SS. Pontifices pro aliis Ordinibus: ſic enim ſtatuit Clemens VII. pro Caſſinenſibus in Bulla: *Exponi. 27. Novembr. Anno 1531.* Alexander VI. pro Ciſtercienſibus in Bulla: *Romanus Pontifex. Anno 1498.* S. Pius V. pro Prædicatoribus in Bulla: *Romani Pontificis. 21. Junii Anno 1571.* Innocentius VIII. in Bulla: *Curaſti Anno 1485.* & Leo X. in Bulla: *Non ſine mentis. 29. Julii Anno 1519.* pro Minoribus. Innocentius VIII. pro Eremitis S. Auguſtini in Bulla: *Pia deſideria. Anno 1491.* Gregorius XIII. pro Jeſuitis in Bulla: *Decet Romanum. 3. Maji Anno 1575.* Clemens VIII. in Bulla: *Romani Pontificis. 23. Novembr. Anno 1599.* pro Carmelitis, & omnibus omninò Regularibus aliis, quam poſtea innovavit & ampliavit Urbanus VIII. ampliſſima Conſtitutione, quæ incipit: *in ſpecula militantis Eccleſiæ. 19. Junii Anno 1630. Pont. 7.* edita, in qua motu proprio & ex certa ſcientia ac matura deliberatione, deque poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine perpetuò declarat, conceſſionem S. Cruciatæ, aliorúmque hujusmodi indultorum quantum ad articulum eligendi Confeſſarium & abſolvendi à caſibus reſervatis cum Regularibus quorúmcunque Ordinum & Congregationum, ſocietatisque & inſtituti, Mendicantium & non Mendicantium locum minimè habere ne-

que habuiſſe, nec illis ullo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe, ſed noſtræ intentionis fuiſſe & eſſe, quòd iidem quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ ſeu confeſſionis adminiſtrationem ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & ſedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſervata ſubjecti ſint. Ex quibus jam certum eſt, neque vi Bullæ Cruciatæ, neque vi aliorum indultorum aut indulgentiarum particularium licere ampliùs Regularibus eligere Confeſſarium ſine Prælati licentia: nec ullus jam datur locus interpretationibus & explicationibus, quæ frequenter fiebant, antequam iſthæ Clementis VIII. & Urbani VIII. Conſtitutiones emanârunt; & ratio ita ſtatuendi perquàm erat neceſſaria; tum quia facultas iſta eligendi Confeſſarium cedebat in graviſſimum SS. Religionum diſpendium, cùm per eam diſſolveretur vita Religioſa & laxaretur diſciplina regularis: tum quia maximam cauſabat vel ipſis Religioſis perniciem & ruinam; cùm facilitas veniæ ſit incentivum delinquendi, & præbeat anſã peccandi liberiùs: tum quia denique vergebat in pernitioſum Superiorum contemptum, & ludibrium juriſdictionis Prælatorum, cùm ab eorum obedientia in graviſſimo Religionis puncto eximerentur, & conſequenter etiam poteſtatem reſervandi caſus facilè poſſent irridere. Unde omninò neceſſe fuit iſtam Confeſſarium eligendi poteſtatem prohibere non tantùm pro caſibus non reſervatis, ſed multo magis etiam pro reſervatis, tum quòd eorum abſolutio ſpecialiori modo ad Prælatum pertineat, tum quòd aliàs facilè eluderetur eorum reſervatio.

Verùm inquies: Urbanus VIII. 15
poſtquam ſtatuit, quòd Bulla Cruciata aliæque hujusmodi facultates ac indulta non proſint Regularibus quoad articulum eligendi Confeſſarium & abſolvendi à caſibus reſervatis, ſubdit: *ſuam intentionem eſſe, ut quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ & Confeſſionis adminiſtrationem ordinariæ diſpoſitioni Prælatorum, & ſedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſervata ſubjecti ſint*: quibus poſterioribus verbis S. Pontifex apertè videtur innuere, mentem ſuam haud eſſe, Regulares quoad caſus non reſervatos ſubjicere ordinariæ Prælatorum diſpoſitioni, ſed tantùm quoad reſervatos, utpote quorum ſolummodò facit mentionem: conſequenter quoad hos tantùm reſtricta eſt facultas eligendi Confeſſarium, non autem quoad illos. ℞. particulas illas *quoad ſibi reſervata* non eſſe vagè accipiendas, neque referendas eſſe ad Prælatos, ſed ad verba immediatè præcedentia, nempe *ad ſedem Apoſtolicam*, cui ſubjunguntur, ut adeò ſenſus ſit, Religioſos eſſe ſubjectos ordinariæ Prælatorum diſpoſitioni, & ſimul ſedi Apoſtolicæ quoad caſus eidem ſedi reſervatos, quod ideò neceſſe fuerat addere, ne daretur errandi cauſa,

&

& putaret quiſpiam, quòd ſicut Religioſi ſine Prælatorum licentia & conſenſu non poſſunt abſolvi à peccatis mortalibus, ita cum eorum licentia poſſint abſolvi ab omnibus peccatis etiam S. Pontifici reſervatis, quod utique de Jure communi falſum eſt, cùm nullus Prælatus ab iis abſolvendi poſſit facultatem concedere, niſi qui ſpeciale à S. Pontifice privilegium ad id habet. Atque ob hanc cauſam & ad tollendam omnem errandi occaſionem addita fuerunt ea verba: *& ſedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſervata ſubjecti ſint*, quæ omiſſa fuerant in Decreto Clementis VIII. atque exinde præbuerant anſam putandi, quòd Religioſi ſubjecti ſint ordinationi Prælatorum etiam quoad reſervata ſedi Apoſtolicæ, quorum antecedenter facta fuerat mentio.

16 Cæterùm ſcire hìc fors quiſpiam cupiet, quid ſit Bulla Cruciata, & in quo conſiſtat? cui ℞deo. Bullam Cruciatam ſic dictam eſſe, quòd in favorem militiæ Chriſtianæ concedatur, ac fideles eandem ſuſcipientes rubra cruce in dextra ſcapula inſigniantur, reipſa verò eſſe indulgentiam plenariam, quæ duos Regales in belli ſacri contra infideles pro fide ſuſcepti ſubſidium conferentibus conceditur cum certis quibuſdam facultatibus, quas inter non minima eſt, quòd per eam omnibus illam recipientibus detur facultas eligendi pro libitu Confeſſarium ab Ordinario loci approbatum, qui eos abſolvat ab omnibus peccatis & cenſuris non reſervatis toties quoties: à reſervatis autem, etiam in Bulla Cœnæ contentis ſemel in vita & ſemel in morte. Atque hæc eſt famoſa illa Bulla, favore cujus quamplures Religioſi eligebant ſibi Confeſſarium invitis etiam Superioribus, & quam SS. Pontifices quoad hoc punctum reſtrinxêre per ſupramemoratas Conſtitutiones, quas eâ occaſione ad omnes alias extenderunt ejusmodi conceſſiones, indulta & indulgentias particulares, quæ non minùs amplas nonnunquam continent facultates, quales ſunt, quæ cuidam particulari Eccleſiæ vel Altari, aut medalliis, numiſmatis, & imaginibus ab ipſo S. Pontifice benedictis cum conceſſione indulgentiæ per modum Jubilæi, aut quibusdam Confraternitatibus indulgentur, & quæ ſunt aliæ hujusmodi conceſſiones perpetuæ & ad longum tempus atque ad ordinarium uſum confeſſionis durantes, per quas datur hæc facultas eligendi Confeſſarium permanens & generalis; eædem enim rationes militant contra has, quæ contra Bullam Cruciatam, prout Leo X. in Bulla: *Exponi nobis*. Windeſemenſibus conceſſa ac ſupralata, Clemens item VIII. & Urbanus VIII. in præcitatis Bullis ſuis idipſum manifeſtè indicant, dum dicunt: *talem conceſſionem S. Cruciatæ, & NB. aliorum hujusmodi indultorum ac indulgentiarum particularium quoad articulum eligendi Confeſſarium locum mi-*

nimè habere: qua in re id quoque notandum, quòd hi SS. Pontifices, atque etiam cæteri omnes pro diverſis Ordinibus ſuperius relati, excepto ſolo Gregorio XIII. pro Jeſuitis, in ſuis Conſtitutionibus loquantur tantummodo de indultis & indulgentiis particularibus & S. Cruciata, non verò de univerſalibus, quales ſunt, quæ tempore Jubilæi univerſalis conceduntur, quæque ſicut raró contingunt, & pro uno actu conceduntur, ita nullum afferunt SS. Religionibus præjudicium, ſed potiùs pro Religioſorum bono ac conſcientiæ tranquillitate deſerviunt, & ſæpè plurimùm proſunt. Unde

17 Dico 3tiò. *Poſſunt tamen Canonici aliique Regulares etiam in Monaſterio ſuo conſtituti, vi Jubilæi univerſalis eligere ſibi Confeſſarium quemcunque ſive Regularem ſive ſæcularem ab Epiſcopo tamen approbatum, qui eos invitis etiam Prælatis & absque eorum licentia abſolvat tam à reſervatis, quàm à non reſervatis.*

Ita Navarrus noſter *L. 5. Conſil. Titul. de Pœnit. & remiſſ. antiq. edit. conſil.* 19. multis id probans. Suarez *to. 4. de Relig. tr. 8. L. 2. cap. 12.* Lugo *to. 3. Diſp. 20. S. 9. n. 186.* Laurent. de Peyrinis *de Privil. Regul. to. 3. cap. 4. n. 3.* Filliuccius *tr. 8. n. 276.* Sanctarellus *cap. 7. dub. 1.* Bordonus *to. 1. Reſol. 34. n. 45.* Alloza *in Florib. V. Indulgentia ſect. 4. n. 31.* Palaus *to. 4. tr. 25. Diſp. un. punct. 15. §. 2. n. 11.* Pellizarius *in Manual. Regul. tr. 8. cap. 2. n. 7.* Portel. *in additionib. ad dub. Regul. V. Confeſſor. n. 6.* Boſſius *ſect. 3. caſ. 4.* Paſqualigo *de Jubilæo quæſt. 210.* Coriolanus *de caſ. reſerv. p. 1. ſect. 3. art. 15.* Quintanadven. *de Jubil. c. 19.* Mendo *D. 24. c. 14.* Leander *to. 1. tr. 5. D. 14. q. 85. & 86.* Andreas à Matre Dei *to. 4. tr. 18. cap. 4. n. 19.* Bonacina *D. 5. q. 7. p. 4. n. 22.* Paſſerinus *to. 2. n. 841. & ſeq.* Geſvaldus *p. 2. Theolog. moral. de Jubilæo cap. 2. n. 43.* Antonius à Spiritu S. *tr. 2. Director. Regul. Diſp. 2. ſect. 1. n. 11.* Diana *part. 9. tr. 8. Reſol. 55.* Franc. Bellegambe *de Jubil. p. 3. ſect. 9. quæſt. 1.* Manſuetus Kochius *de Jubil. quæſt. 3. ſect. 2. dub. 8. n. 42.* La Croix *L. 6. part. 2. quæſt. 210. n. 1464.* Kerckhove *in commentar. ad ſtatut. General. Minor. cap. 6. §. 22. n. 109.* Kazenberger *in ſupplement. Theol. Sacram. P.* *Sporer cap. 3. ſect. 4. n. 199.* in eandem ſententiam plurimùm propendet Gobat *in tr. de Jubilæo cap. 31.* eique admodùm favet Fragoſ. *part. 2. Libr. 2. Diſp. 6. §. 5. n. 43.* eamque expreſsè defendit Aſcan. Tamburinus *to. 2. de Jur. Abb. Diſp. 6. quæſ. 7.* malè pro adverſa parte allegatus, ubi poſtquam multis probaſſet, non licere Regularibus vi Bullæ Cruciatæ & aliorum ſimilium indultorum particula-

cularium eligere ſibi Confeſſarium ſine Prælatorum licentia, deinde ſubdit *n. 5.* tempore autem Jubilæi ſolemnis, quod pro uno actu conceditur, poſſunt Religioſi eligere ſibi Confeſſarium quem voluerint; & hoc non ſolùm ſine præjudicio Religionum, verùm etiam cum fructu aliquando fieri poteſt, ad ſubveniendum fortè alicui, qui ob nimiam verecundiam aut pravam conſuetudinem oneratam habet conſcientiam. Ita ille; omitto plures referre Authores, cùm res hæc ſit ſatis clara.

18 Probatur autem concluſio 1mò. ex ipſis SS. Pontificum Bullis Jubilæum univerſale promulgantium, in quibus univerſis & ſingulis utriusque ſexûs Chriſti fidelibus tam laicis quàm Eccleſiaſticis, ſæcularibus & Regularibus NB. cujusvis Ordinis, Congregationis & Inſtituti &c. ubique locorum degentibus licentiam concedunt & facultatem dant, ut ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcunque PresbyterumConfeſſarium tam ſæcularem, quàm cujusvis Ordinis Regularem ex approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationibus, nec non ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis quomodocunque reſervatis &c. in foro conſcientiæ & hac vice tantùm abſolvere & liberare valeant. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quorumcunque Ordinum & Congregationum ſive inſtitutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, & quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis eisdem Ordinibus & Congregationibus atq; inſtitutis quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, etiamſi de eorum tenoribus ſpecialis, ſpecifica, ſeu quævis alia mentio facienda eſſet, atque aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret; cujusmodi clauſulas & formulas in ſuis Jubilæorum Bullis habuêre SS. Pontifices Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. & cæteri ſubſequentes Pontifices usque ad modernum Clementem XII. & ubique eodem ferè tenore verborum loquuntur; quod ipſum confirmari poteſt ex reſponſo Româ dato, quod ſe vidiſſe teſtatur Gobat loc. cit. in quo reſcriptum eſt, ſtandum eſſe verbis Bullæ: verba autem Bullæ faciunt omnibus & ſingulis Regularibus cujusvis Ordinis & inſtituti &c. poteſtatem eligendi quemlibet Confeſſarium tam ſæcularem, quàm Regularem, & hanc ipſam poteſtatem conferunt, non obſtantibus quibuscunque privilegiis, iisdem Ordinibus conceſſis, etiamſi de illis ſpecialis aut ſpecifica mentio facienda eſſet, quæ clauſulæ operantur, ut derogatoriæ derogatoriarum in privilegiis poſitæ nullam habeant vim, atque adeò ut tollatur neceſſitas citationis, & intimationis, ſine quibus cavetur, quòd privilegium non

non cenſeatur revocatum: ergò non eſt ratio, cur facultas eligendi Confeſſarium ita univerſaliter & cum clauſulis tam prægnantibus, ac quibuſcunque privilegiis Regularium derogantibus conceſſa ad ſolos ſæculares reſtringatur, & non etiam ad omnes Regulares extendi debeat.

19 Sed inquies: etiam in Bulla Cruciatæ, & aliis hujuſmodi indultis conceditur tam ſæcularibus quàm Regularibus cujuſvis Ordinis & inſtituti, ut ſibi poſſint eligere Confeſſarium cum clauſulis derogantibus quibuſcunque Regularium privilegiis: & tamen non licet illis vi Bullæ Cruciatæ, aut ſimilium indultorum eligere Confeſſarium ſine Prælatorum ſuorum licentia: ergò neque licebit vi Jubilæi univerſalis eligere ſibi Confeſſarium ſine horum licentia, etiamſi in illius Bulla id ipſis concedatur cum prægnantibus clauſulis derogatoriis omnium privilegiorum in contrarium facientium. Ad hoc reſponderi poſſet 1mò. quòd in Bulla Jubilæi diverſis longè formulis, & multò efficacioribus revocentur privilegia Regularium, quàm in Bulla Cruciatæ aut ſimilium indultorum particularium, ùt notat Card. de Lugo loc. ſuprà cit. unde quamvis Regulares non poſſint vi Bullæ Cruciatæ eligere ſibi Confeſſarium, poſſunt tamen vi Jubilæi univerſalis. Verum ℞. 2dò. nullam omninò paritatem eſſe inter Jubilæum univerſale & Bullam Cruciatam; quia quoad hanc extant clariſſimæ Conſtitutiones Pontificiæ pro diverſis Ordinibus in particulari factæ, quæ Regularibus illam reſtringunt quoad articulum eligendi Confeſſarium, idque motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis extendunt Clemens VIII. ac Urbanus VIII. ad omnium Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Religioſos: nulla talis extat Conſtitutio Pontificia univerſalis ſe extendens ad omnes Religioſos quoad Jubilæum, ſed contrarium potiùs habetur ex diverſis Decretis & Declarationibus SS. Pontificum, atque ex illis ipſis etiam Conſtitutionibus, quibus prohibent uti facultatibus Bullæ Cruciatæ, & aliorum ſimilium indultorum ac indulgentiarum NB. particularium, quàm particulam certè non addidiſſent, niſi ab illis exceptum voluiſſent Jubilæum univerſale. Accedit quòd Bulla Cruciata ſit permanens, & ſi paſſim permitteretur etiam Religioſis, gravia SS. Ordinibus inferret damna & diſſolutiones, ac fræna laxaret vitiis, quorum nullum eſt periculum in Jubilæis univerſalibus utpote raro occurrentibus, & quorum facultas cum ipſis tranſit; quamvis igitur Regulares Canonici & alii Religioſi non poſſint vi Bullæ Cruciatæ & aliorum indultorum ac indulgentiarum particularium eligere ſibi Confeſſarium, poterunt tamen vi Jubilæi univerſalis. Id quod ulterius

Pro-

20 Probatur 2dò. ex declaratione Gregorii XIII. *19. Novembr. Anno 1581.* factâ in hæc verba: Congregatio pro majori parte ſenſit pro negativa ſententia (videlicet quòd Regulares non poſſint Confeſſarium extra Religionem eligere) dixit tamen, dubium eſſe referendum ſanctiſſimo Domino, qui poſtea die 19. Decembr. anno 1581. in Conſiſtorio reſpondit: tempore Jubilæi poſſe omnes Regulares confiteri peccata Sacerdotibus, etiam ſæcularibus, approbatis ad confeſſiones; nam in Bulla non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones, non de Ordinario pœnitentis. Idipſum declaravit etiam Alexander VII. in Bulla, quæ incipit: *Unigenitus. 14. Maji. Anno 1655.* data hisce verbis: tempore Jubilæi poſſunt Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus ab Ordinario approbatis tam ſæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus; in Bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audiunt confeſſiones, non autem de Ordinario pœnitentium: & poſſunt abſolvi à caſibus ſuo Superiori Regulari reſervatis; ùt refert Hieronymus Nicolius in Floſcul. V. Jubilæum n. 6. Reſpondet equidem, Dominicus Viva de Jubilæo Q. 9. art 1. priorem Gregorii XIII declarationem (nam poſteriorem Alexandri VII. ignoràſſe videtur) non eſſe authenticam, vel certè revocatam anno 1584., quo idem Pontifex vivæ vocis oraculo declaràſſe dicitur: mentis ſuæ non eſſe, ut per Bullas Cruciatæ, vel Jubilæorum aut ſimiles privilegio ſuo, quod Jeſuitis anno 1575. conceſſerat, derogetur, etiamſi Bullis apponantur derogatoriæ privilegiorum, & addatur clauſula illa: *quacunque prohibitione ſublata.* Sed contra eſt: quòd gratis omninò & ſine ullo fundamento ea Gregorii XIII. declaratio dicatur non eſſe authentica cùm tamen facta ſit in publico Conſiſtorio præſentibus Cardinalibus, eamque pro tali agnoſcant & referant graviſſimi Authores Rodriquez, Coriolanus, Filliuccius, Aſcan. Tamburinus, Laur. de Peyrinis, Paſqualigo, Antonius à Spiritu S. locis ſupra citatis, item Donatus to. 3. tr. 5. quæſt. 26. n. 2. De Murga tract. de Benefic. Eccleſ. quæſt. 2. n. 121. & alii plures præſertim pro noſtra concluſione relati; certè longè magis authentica eſt, quàm ſua illa, quam anno 1584. ab eodem Gregorio XIII. factam prætendit ſolo nixus compendio ſuo privilegiorum; ſed demus etiam hanc eſſe authenticam, nequidquam tamen contra nos probat, multò minùs per eam revocatur prior illa Gregorii XIII. declaratio año 1581. facta, cùm hæc ſit univerſalis & pro omnibus Religioſis, altera verò illa pro ſolis Jeſuitis ad inſtantiam Generalis ſit facta: ſtat autem quòd cæteri Religioſi Ordines poſſint uti Bullâ Jubilæi quoad facultatem eligendi Confeſſarium, ùt cæteri concedunt Pontifices, & declaravit in ſpecie Alexander VII. quin tamen

id poſſint Jeſuitæ, utpote qui in plurimis ab aliis diſcrepant Ordinibus, ſicut enim ea, quæ ab eodem Gregorio XIII. in Bulla: *Decet. 3. Maji Anno 1575.* facta eſt prohibitio eligendi Confeſſarium etiam tempore Jubilæi, ſolos afficit Jeſuitas, ita & declaratio anno 1584. ab eodem Gregorio facta ad eoſdem tantùm reſtringi debet, utpote ad quam refertur, & cujus occaſione facta fuit; eam verò Bullam de ſolis agere Jeſuitis, ex illius verbis apertè conſtat, quibus poſtquam S. Pontifex eiſdem interdixerat facultatem eligendi Confeſſarium ſine Superiorum ſuorum licentia, eam prohibitionem eouſque extendit, ut eam facultatem neque permiſſam velit etiam tempore Jubilæi, etiamſi in illo expreſsè indulgeatur, ut omnes Regulares etiam Mendicantes facultatibus hujuſmodi uti poſſint: quibus utique verbis ſpecialem legem quoad hoc conſtituit Gregorius pro ſolis Jeſuitis, neutiquam extendendam ad Canonicos Regulares aut aliorum Ordinum Religioſos, præſertim cùm Jeſuitæ cæteroquin multa habeant ſingularia, quæ aliis Ordinibus ineptè obtruderentur. Neque dici poteſt, alias Religiones participare hoc privilegium per communicationem; nam ad hanc requiritur acceptatio: nemo autem cogitur ad privilegium acceptandum, nec conſtat ab ulla hactenus Religione fuiſſe acceptatum, ùt colligitur ex diverſorum Ordinum Authoribus, qui noſtræ adſtipulantur ſententiæ, & contrariæ adverſantur, præſertim cùm illud reſpectu particularium Religioſorum ſit valdè odioſum utpote reſtringens libertatem, & animarum utilitati oppoſitum, quam tamen unicè in promulgandis Jubilæis intendunt SS. Pontifices; mirandum ſanè, quòd Jeſuitæ in tam odioſo privilegio aliis Ordinibus obtrudendo tam liberales ſint, qui tamen in favorabilibus tam difficiles ſunt, ut etiam clauſulam eorum communicationem prohibentem ab ipſo Gregorio XIII. impetrârint. Cæterùm etſi Gregorius XIII. relatam ſuperiùs Bullam, ac ſubſequentem declarationem pro Jeſuitis ediderit, quibus illis prohibet, ne tempore Jubilæi eligere poſſint Confeſſarium ſine licentia ſuorum Superiorum, id tamen ita demùm intelligendum eſt, ùt cum aliis notant Filliuccius & La Croix ll. ſupra cc. niſi ſequens aliquis Pontifex id permittat. An autem aliquis permittat, néc ne, ſpectanda ſunt verba Bullarum, quæ in Jubilæis promulgantur, quibus ſtandum eſt, ùt monet Reſcriptum Romanum à Gobat relatum; quivis enim Pontifex habet poteſtatem, qualem habuerunt Anteceſſores ſui, & conceſſis pro libitu ſuo poteſt derogare privilegiis, nec tenetur certam ſervare formulam derogandi, dummodo ſufficienter manifeſtet voluntatem ſuam, dicendo ſe illis derogare, etiamſi de illorum tenoribus ſpecialis, aut expreſſa &c. mentio eſſet facienda, aut alia exquiſita forma

ſervanda foret: per talia enim verba derogari ejusmodi antecedenti privilegio, præſertim ſi poſteriùs ſcriptum datum ſit motu proprio, docent expreſsè Sanchez L. 6. cap. 9. dub. 8. Barboſa de Clauſul. Clauſ. 43. n. 17. & 18. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gl. 36. à n. 13. Illſung tr. 1. d. 3. n. 58. & alii communiter; atqui SS. Pontifices hisce formulis derogatoriis in promulganda Jubilæorum Bulla uſi ſunt: ergò &c.

21 Objicies forſan: *Can. inter cunctas 1. Extravag. comm. de privil.* prohibet Benedictus XI. *ne Religioſos, qui ſecundùm ſtatuta ſuorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, & ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur, quisquam abſolvat*: ergò Religioſi non poſſunt confiteri aliis quàm deputatis à Prælatis, nec eligere ſibi Confeſſarium etiam tempore Jubilæi. Id quod etiam confirmari poteſt ex utraque Conſtitutione Clementis VIII. & Urbani VIII. quibus ſtatuunt, quòd Regulares quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubjecti ſint: ergò neque facultas eligendi Confeſſarium per indultum Jubilæi conceſſa in Regularibus locum habet, niſi Superiorum accedat voluntas. ℟. argumentum hoc tantum probare, ut nihil omninò probet; probat enim ne S. Pontificem quidem concedere poſſe facultatem Regularibus, ut aliis confiteantur invitis Superioribus: quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt; unde Conſtitutio illa Benedicti limitanda eſt ad caſum, quo Superior talium Superiorum invitorum dat poteſtatem aliis abſolvendi etiam eorum ſubditos; etenim ut alia Jura ſilentio prætercam, *dignum eſt, ut majori minor, & Superiori inferior deferat*, inquit idem Benedictus *ibidem* loquens de horâ Prædicationis: atqui Superior talium Superiorum invitorum eſt S. Pontifex, isque dat poteſtatem in Bullis Jubilæi omnibus Confeſſariis ab Ordinario approbatis abſolvendi omnes & quoscunque etiam *Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis & inſtituti*, & ſimul derogant non ſolùm omnibus ſtatutis & privilegiis Regularium, ſed etiam *Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis*, quas inter meritò numeratur etiam illa extravagans, utpote quæ vera eſt Conſtitutio Apoſtolica: ergo ad hunc caſum Jubilæi limitanda eſt. Ex quibus diſtingui quoque poteſt conſ.; ergo Religioſi non poſſunt confiteri aliis de Jure communi & Ordinario C. de Jure ſpeciali & extraordinario Jubilæi, ſpectatis præſertim Bullis hucusque emanatis. N. c. Ad confirmationem ℟. juxta jam ſæpiùs dicta, neutram harum Conſtitutionum noſtræ obeſſe ſententiæ: nam Clemens ſolùm loquitur de conceſſione S. Cruciatæ, & aliorum NB. Indultorum particularium, & conſequenter iſta exceptio, quam circa Regulares fecit, quòd non poſſint ſibi eligere Confeſſarium, locum non habet in Jubilæo, quod non eſt Indultum particulare ſed univerſale, ùt ex ipſa rubrica

brica liquet: ergo Regulares pro Jubilæo vi Conſtitutionis Clementinæ non excluduntur à facultate eligendi ſibi Confeſſarium. Cùm autem Urbanus ſolùm confirmet, magisque declaret id, quod Clemens conſtituerat, & ne verbulo illam clauſulam *Indultorum* ampliet, Conſtitutionis Clementis juxta intentionem ejusdem ſub hac ipſa clauſula *Indultorum particularium* reliquiſſe, adeóque Regularibus pro Jubilæo univerſali non præjudicâſſe cenſendus eſt, præſertim cùm hi ipſi Pontifices eodem modo Jubilæum promulgârint ac ſub iisdem formulis, quibus illud ſolent moderni promulgare.

22 Ex quibus omnibus ſatis patere videtur, contrariam opinionem vixdum probabilem eſſe, utpote omni fundamento deſtitutam, cùm illi quoad Jubilæum univerſale neque faveat citata extravagans, neque Bullæ Clementis VIII. & Urbani VIII., ac multò minùs Bulla Gregorii XIII. ejusque prætenſa declaratio pro ſolis Jeſuitis facta: noſtram econtra ſententiam longè probabiliorem eſſe non tantùm ſpectata authoritate Doctorum; ſed etiam perpenſis Bullis Pontificiis hactenus emanatis, additisque declarationibus SS. Pontificum; atque adeò invitos eſſe non poſſe Prælatos, ſi Religioſi tempore Jubilæi petant alium Confeſſarium, quàm ordinarium, atque etiam extraneum, neque hunc illis absque peccato mortali denegare poſſe, ſed vel eundem accerſere, vel Religioſo ad eum eundi licentiam concedere debere, cùm enim Religioſi ex conceſſione S. Pontificis habeant Jus confitendi cuicunque voluerint, tenetur etiam Prælatus tum ex charitate tum ex juſtitia illis de mediis providere neceſſariis quibus poſſint conſcientiæ ſuæ conſulere. Quod autem hactenus diximus de viris Religioſis, idem dicendum nobis videtur de Monialibus, quòd & ipſæ ſcilicet ſibi poſſint pro Jubilæo qualemcunque Confeſſarium eligere ab Ordinariis locorum approbatum, cùm illis Urbanus VIII. anno 1625. & Innocentius X. anno 1650. Clemens itidem IX. & X atque Innocentius XI. hanc illis poteſtatem expreſſiſſimè fecerint: & licèt alii Pontifices tam expreſsè non loquantur, permittunt tamen omnes abſolutè quibuscunque utriusque ſexûs fidelibus, etiam Regularibus, atque adeò Monialibus etiam, quòd poſſint eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinariis locorum: non eſt igitur cur ab hoc beneficio excludantur Moniales. Accedit quod Jubilæum ſit gratia ampliſſima totum mundum exhilarans, quam Papa theſaurum Eccleſiæ aperiens exhibet omnibus Chriſti fidelibus pro conſolatione animarum ſuarum: cùm ergo inter Chriſti fideles & Regulares utriusque ſexûs perſonas meritò connumerari debeant etiam Moniales & Papa nullibi excludat illas, incluſæ cenſeri debent quoad hunc favorem Jubilæi, maximè cùm privilegium & gra-

gratia Principis non ſit reſtringenda ſed amplianda, & ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debeamus, & maſculinum includat fœmininum. Nec obſtat Conſtitutio Gregorii XV. & aliorum SS. Pontificum, nec Declarationes S. Congreg. pro Monialibus editæ, quæ in contrarium adducuntur: nam loquuntur tantùm in caſibus ordinariis & Juris communis, non autem in caſu extraordinario Jubilæi, quod æquè conceditur pro Monialibus, quàm pro aliis Chriſti fidelibus, atque adeò iisdem etiam favoribus, quibus cæteri fruuntur, uti poſſunt, quas inter eſt facultas eligendi Confeſſarium; atque ita ſentiunt Laurent. de Peyrinis to. 3. de privil. cap. 4. n. 4. cum Molfeſio to. 2. tr. 7. cap. 16. n. 28. & 29. Alphonſ. Leo de Jubil. p. 2. q. 19. n. 230. Portel. in addit. ad dub. Reg. V. Confeſſor. n. 4. Bonacina de Sacram. D. 5. quæſt. 7. p. 4. §. 1. Pasqualigo quæſt. 210. Antonius à Spiritu S. in Director. Confeſſar. de Sacram. Pœnit. tr. 5. Diſp. 15. ſect. 4. & in Direct. Regul. tr. 2. Diſp. 2 ſect. 1. n. 11. & Paſſerinus l. c. in cujus ſententiam ſe multùm inclinare ſcribit Gobat de Jubil. cap. 31. in Append. n. 227. & alii plures ſupra citati. (*Adde tamen*; iſta tantùm eſſe intelligenda de veris Jubilæis, non de Bullis, quæ conceduntur per *modum* Jubilæi, v. g. in Confraternitate SS. Nominis &c. cùm ejusmodi *quaſi* Jubilæa recurrant annis ſingulis, imò ſæpiùs, eadem eſt de illis ratio, quæ circa Cruciatas, in quibus conſimiles conceduntur expreſſiones.)

23 A quonam autem Epiſcopo approbatus eſſe debeat Confeſſarius eligibilis vi Jubilæi? dubium hìc eſt; ad quod ℞. quòd Confeſſarius tam Regularis quàm ſæcularis tempore Jubilæi à Religioſo pro confeſſione electus debeat eſſe approbatus ab Ordinario ſeu Epiſcopo loci, vel Confeſſarii, aut etiam pœnitentis, nec ſufficiat, quòd ſit approbatus à Prælato proprio tantùm, utpote qui hìc non veniunt nomine Ordinarii loci, ùt contra Sanctarellum, Coriolanum, & alios docent Suarez, Boſſius, Lezana, Viba & alii communiter; quia nomine Ordinarii loci propriè veniunt tantùm illi, qui vel ſunt Epiſcopi, vel in certum territorium exercent Jura Epiſcopalia, & quidem etiam ſupra ſæculares, ùt ſæpiùs declaravit Rota, & S. Congregatio Concilii: ſed Prælati Regularium ſaltem communiter neque ſunt Epiſcopi ùt patet, neque Jura Epiſcopalia exercent in certum territorium, ſupra ſæculares: ergò non veniunt nomine ordinarii loci: atque adeò Regularis, ut indulgentias & favores Jubilæi aſſequatur, non poteſt eligere approbatum tantùm à proprio Prælato Regulari, niſi approbatus quoque ſit ab Epiſcopo, vel à Prælato tali, qui in certum territorium exercet Jura Epiſcopalia, & aliàs pro cu-

cura animarum approbare poteſt, quales in noſtra Bavaria ſunt Prælatus & Archidiaconus Garſenſis, Baumburgenſis, Chiemenſis, in Styria & Carinthia Gurcenſis, Lavantinus, Seccovienſis &c. Quæ ſanè non tantùm intelligenda ſunt in caſu, quo Regularis in Confeſſarium eligit Sacerdotem ſæcularem, ſed etiam quando eligit Regularem; quia Bulla Jubilæi utrobique requirit in Confeſſario approbationem ab Epiſcopo, ſeu Ordinario loci per verba illa: *à locorum Ordinariis factam*: per quod tamen haud debet cenſeri limitata talis approbatio ad ſolos ſubditos, nec ad exteros extendi, qui ad effectum lucrandi Jubilæum ad talem Confeſſarium confluunt, ùt aliqui ſentiunt; nam tempore Jubilæi approbatio Epiſcopi non requiritur ùt dans jurisdictionem, ſed ſolùm tanquam conditio requiſita, ut à S. Pontifice jurisdictio conferatur, & conſequenter non eſt coarctata ad ullos terminos ſive loci ſive perſonarum. Præter approbationem ab Ordinario loci factam ſufficit etiam approbatio ab Epiſcopo Confeſſarii facta; id enim expreſsè afferunt Gregorius XIII. in declaratione ſuperiùs relata, & Alexander VII. in Bulla: Unigenitus. Anno 1655. edita, ubi cùm dixiſſet, poſſe Regulares tempore Jubilæi confiteri peccata ſua Sacerdotibus ab Ordinario approbatis tam ſæcularibus quàm Regularibus, ſubjicit: in Bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audiunt confeſſiones. Idque etiam ſuadet ratio; ab eo enim Epiſcopo facienda eſt approbatio Confeſſarii, qui in eum habet jurisdictionem; quia cùm approbatio ſit authenticum teſtimonium de idoneitate Confeſſarii ad audiendas confeſſiones, videtur eſſe actus jurisdictionis: ſed Epiſcopus Confeſſarii habet in eum jurisdictionem, nullúsque alius cenſendus eſt habere magis quoad hoc jurisdictionem in Confeſſarium, quàm ejus Epiſcopus: ergò ab hoc fieri poteſt approbatio; quia tamen conſtat Epiſcopos eos etiam approbare ad confeſſiones in ſua Diœceſi audiendas, qui in aliena commorantur, alterutrum dicendum eſt: vel Confeſſarium petentem approbationem ab Epiſcopo alterius Diœceſis, quàm ſuæ, fieri per hanc petitionem velut tranſeunter & in ordine ad illam approbationem iſtius Epiſcopi ſubditum, à quo illam petit, in quantum nempe per iſtam petitionem ſe illi ſubjicit tantùm ſuo quoad hoc Epiſcopo; vel certè etiam ſufficere approbationem Epiſcopi pœnitentium dicendum eſt, quando pœnitentes alterius ſunt Diœceſis, quàm Confeſſarius, & in propria Diœceſi audiri debent, ùt etiam docent cum Sylveſtro, Gutierez, Molfeſio, Ledeſma, Reginaldo Suarez Diſp. 28. ſect. 6. Sanchez L. 3. Diſp. 34. Layman L. 5. tr. 7. n. 11. Ratio eſt: tum quia approbatus ab Epiſcopó pœnitentis habet in illum jurisdictionem in quo-

quocunque loco: tum quia juriſdictio voluntaria etiam in foro externo exerceri poteſt extra territorium: ergò multò magis in foro interno, præſertim cùm tempore Jubilæi juriſdictio conferatur à S. Pontifice, & approbatio Epiſcopi ſe habeat hoc tempore tanquam conditio ſine qua non. Cæterùm quæ hic dicta ſunt de electione Confeſſarii ab Ordinario approbati quoad Regulares in particulari, intelligenda ſunt etiam de ipſis Prælatis, qui licèt cæteroquin pro libitu ſibi poſſint eligere Confeſſarium qualemcunque ſive Regularem ſive ſæcularem etiam non approbatum ab Epiſcopo, tenentur tamen tempore Jubilæi eligere approbatum ab Epiſcopo, non ſecùs ac alii; nam per Bullam Jubilæi præcipitur omnibus ſine diſcrimine illud lucrari volentibus, ut quisque ſibi Confeſſarium eligat approbatum ab Epiſcopo: ergò ſi Prælati Jubilæum lucrari velint, debent pro eo lucrando confiteri Confeſſario ab Epiſcopo approbato; forma enim Jubilæi ad unguem obſervari debet. Excipe tamen illos Prælatos, qui aliàs approbare poſſunt Confeſſarios more Epiſcoporum; hi enim quamvis tempore Jubilæi eligant non approbatum, cenſentur illi hoc ipſo conferre approbationem, atque adeò illi quoque confiteri poſſunt ad effectum lucrandi Jubilæum.

24 Dico 4tò. *Poſſunt quoque Canonici Regulares, dum ſunt extra Monaſterium aut in itinere conſtituti ubique locorum eligere ſibi Confeſſarium ſive Regularem ſive ſæcularem, qui eos à peccatis abſolvat.*

Ita Innocentius VII. in Bulla: *Provenit. Anno 1405.* data, ubi concedit Prædicatoribus: ut *ſi aliquem Presbyterum idoneum ex Profeſſoribus Ordinis habere non poſſint, quemcunque alium idoneum & diſcretum, Religioſum vel ſæcularem in eorum Confeſſorem eligere valeant, qui eorum confeſſiones audire, & eorum confeſſionibus diligenter auditis pro commiſſis debitam eis abſolutionem impendat, ac pœnitentiam ſalutarem injungere liberè & licitè poſſit*, ùt ex Rodriquez & Confetio refert Auguſtinus à Virgine Maria *V. abſolutio Fratrum.* addit Author Compendii Fulienſium eodem *V. §. 2.* Perſonæ Congregationis noſtræ cum debita licentia abſentes à Monaſterio, quoties voluerint, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium Religioſum vel ſæcularem, & electum mutare, qui eos abſolvat ab omnibus caſibus, à quibus exiſtentes in Monaſterio abſolvi poſſunt: & gaudere omnibus gratiis, privilegiis & indulgentiis, quibus gauderent in Monaſterio. Similiter indulſit Martinus V. ut exiſtentes extra Conventum poſſint eligere Confeſſorem Regularem vel ſæcularem, qui eos abſolvat in omnibus caſibus, à qui-

quibus abſolvi poſſunt exiſtentes in Monaſterio, ùt refert Portel. *V. Confeſſor. erga Religioſos.* Idipſum conceſſit Sixtus IV. in Bulla: *Supplicari. 11. Auguſti Anno 1479.* ut Regulares, cùm itineraverint, vel de licentia ſuorum Superiorum extra Conventum fuerint, poſſint confiteri Sacerdotibus quibuscunque Regularibus vel ſæcularibus, ùt ex Confet. & Peyrinis *to. 1. Conſtit. 6. Sixti IV.* refert Pittonus; quodipſum permiſiſſe Clementem VII. Clericis Regularibus Theatinis teſtatur prædictus Author Compendii Fulienſis ex illorum *manuſcriptis. f. 4.* & ex Compendio impreſſo *V. abſolutio quoad Fratres.* Idque etiam poſtulat recta ratio; quia Regulares in itinere vel extra Monaſterium conſtituti non debent privari ſubſidio abſolutionis Sacramentalis non minùs utili, quàm ſæpiùs etiam neceſſario, ſive quis eo ex humana fragilitate indigeat, ſive quis velit uti devotionis causâ; & ratio ulterior eſt; quia Prælatus dando licentiam Religioſo itinerandi aut extra Monaſterium manendi, cenſetur etiam conceſſiſſe ea omnia, quæ ad tale iter peragendum, aut extra manendum ſunt neceſſaria; nam qui unum concedit, virtualiter ac implicitè concedere cenſetur alterum, quod ad prius illud ritè obeundum eſt moraliter neceſſarium arg. cap. *Præterea 5. de Officio Judic. deleg.* atque adeò conceſſa facultate manendi extra Monaſterium aut iter agendi, conceſſa etiam cenſetur tacitè & implicitè facultas ſibi pro eo tempore eligendi Confeſſarium, prout hoc ipſum confirmant tum SS. Pontificum Conſtitutiones ſuprarelatæ, tum communis diverſarum Religionum praxis & conſuetudo: tum denique ingens auctoritas Doctorum, qui idipſum vel omninò ſupponunt, vel expreſsè docent, quos inter Navarrus noſter *Manual. cap. 4. n. 7.* Rodriquez *to. 1. QQ. Regular. quæſt. 62. art. 5.* Suarez *de Relig. to. 4. tr. 8. L. 2. cap. 15.* Diana *part. 3. tr. 2. Reſol. 2.* Laur. de Peyrinis *to. 1. de ſubdit. quæſt. 1. cap. 21. dic. 7.* Aſcan. Tamburinus *to. 2. Diſp. 6. quæſ. 6. n. 7.* Reginaldus *in praxi L. 1. n. 175. & L. 8. n. 36.* Bonacina *de Pænitent. quæſt. 7. punct. 7. §. 2.* Bordon. *to. 1. Reſol. 34. n. 2.* Portel. *in dub. Regul. V. Confeſſor. erga fratres. n. 14.* Antonius à Spiritu S. *in Director. Regul. tr. 2. Diſp. 2. ſect. 1. n. 12.* Urbanus ab Aſcenſ. *in Theolog. Moral. & Canon. tr. 2. part. 2. diſt. 2. cap. 2. Reg. 3.* Lezana *to. 1. cap. 18. n. 27.* Rotarius *to. 3. L. 1. cap. 1. punct. 2. n. 8.* Petrus Brencola *in Reſol. Miſcell. cap. 1. à n. 5.* qui communis Doctorum ſenſus maximum confert huic ſententiæ pondus.

25 Ex quo etiam & allatis ſupra SS. Pontificum privilegiis illud quoque colligitur, neceſſarium haud eſſe, ſeclusis ſpecialibus ſtatutis, ut talis Confeſſarius ab itinerante electus ſit approbatus ab Epiſcopo, tum quia prædicta privilegia ſolùm re-

requirunt Sacerdotem idoneum & diſcretum ſive Regularem ſive ſæcularem nulla facta mentione approbationis Epiſcopalis: tum etiam quia quando SS. Pontifices requirunt Sacerdotem approbatum ab Epiſcopo, id exprimunt, prout faciunt in Bullis Jubilæi, & S. Cruciatæ ac aliis: igitur cùm iſtud hic non exprimant, ſignum eſt quòd id non requirant: tum denique etiam, quia talis Confeſſarius approbationem & jurisdictionem accipit à Prælato per electionem ab itinerante factam, qui eam cæteroquin pro ſuis Religioſis confert, vel certè à SS. Pontificibus, qui talia privilegia Regularibus conceſſerunt. Dixi tamen, *ſeclusis ſpecialibus ſtatutis cujuslibet Religionis*, quæ ſi quid aliud ordinent, iis ſtandum erit, ùt pluribus citatis probat Antonius à Spiritu S *l. c. n. 14.* atque ſic ſtatuunt (ut alias Religiones ſilentio prætercam) Conſtitutiones Congregationis Lateranenſis *p. 1. cap. 16, Iter agentes ſi ob ſacrum faciendum confiteri voluerint, & Sacerdotem noſtri Ordinis non habuerint, cuivis Sacerdoti honeſto confiteri valebunt, approbato tamen à ſuo Ordinario.* Per accidens etiam quandoque fieri poteſt, ut quis teneatur eligere approbatum, & quidem ſi ſæcularis ſit ab Epiſcopo, ſi Regularis à ſuis Prælatis, ſi nempe aliàs conſtare non poteſt, an alius Confeſſarius idoneus ſit ac diſcretus; hæc enim duo prædicata in ſpecie requirunt SS. Pontifices in ſuis privilegiis, ad quæ ſi non reſpiciat pœnitens, malè ſibi providebit & graviter peccare poterit, præſertim ſi ex induſtria eligat imperitum Confeſſarium. Per idoneum autem Sacerdotem intelligitur hic quilibet Sacerdos ſimplex, etiam non approbatus ab Epiſcopo, vel à Prælatis Religionum, modò non ſit ſuſpenſus aut excommunicatus, & cætera ſciat ad impertiendam abſolutionem neceſſaria: per diſcretum verò, qui ſaltem ſciat diſcernere inter peccata mortalia ac venialia eorúmque ſpecies, & qui ſalutarem ac proportionatam poſſit injungere pœnitentiam; verbo talis requiritur qualem petit capitulum *omnis utriusque. 12. de Pœnit. & Remiſſ.* Integrum cæteroquin eſt tali itineranti aut extra Monaſterium moranti in concurſu Sacerdotis Regularis & ſæcularis, quem maluerit eligere, niſi tamen expreſſa aliqua Prælati prohibitio extet non eligendi ſæcularem præſente Regulari. Quin imò etiamſi contingat in eodem loco ejusdem Ordinis Religioſum concurrere cum ſæculari aut alterius Ordinis Regulari, liberum nihilominus remanebit tali itineranti, quem velit eligere; licèt enim convenientiùs ſit, magìſque commendet Religionis unitatem, ſi præ ſæculari eligatur Regularis, ac propterea id etiam conſultum ſit, niſi tamen idipſum fuerit expreſsè præſcriptum à ſtatutis, aut à Prælato præceptum, haud videtur eſſe neceſſarium, cùm id SS. Pontifices non requirant in ſuis pri-

vilegiis, & omnis hæc limitatio nimis onerosa ſit ac ſcrupuloſa, & conſequenter non præſumenda, niſi expreſsè de ea conſtiterit, ùt docet Suarez *l. c. cap. 17. n. 8.* & ex eo Tamburinus dicta *Diſp. 6. quaſ. 6. n. 7.*

26 Hactenus porrò dicta intelligenda ſunt præcipuè de itinerante aut extra Monaſterium morante ſine ſocio ejusdem Ordinis aut Monaſterii Sacerdote; ſi enim talem quis ſecum habeat, aliter videtur diſcurrendum, ac dicendum, quòd tunc itinerans ſeu extra Monaſterium habitans confiteri poſſit atque etiam debeat ſocio Sacerdoti ad audiendas confeſſiones idoneo ac ſufficienti, quamvis ad eas nec ab Epiſcopo, nec à Prælato expreſsè deputatus fuerit, ùt docent Authores communiùs cum Suarez cit. *cap. 17.* Laurent. de Peyrinis *cit. cap. 8. dic. 8.* Graff. *de pœnit. L. 5. conſ. 2. diſſ. 2. num. 1.* Bordono *Reſol. 34.* Boſſio *de Jubil. ſect. 3. caſ. 4.* Tamburin. *cit. quaſ. 6.* Id quod etiam privilegia Pontificia ſupra allata inſinuant, dum itinerantibus quidem concedunt facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, cum hac tamen limitatione: *Si aliquem Presbyterum idoneum ex Profeſſoribus Ordinis non habeant*; idque confirmat communis obſervantia & conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, taliſque cenſetur eſſe voluntas Prælatorum licentiam itinerandi aut extra Monaſterium manendi concedentium, quæ licèt non ſit expreſſa, ſufficienter tamen intelligitur eſſe talis attenta recta ratione & conſuetudine, quamquam hæc, ut verum fatear, non ſit univerſalis, ſed diverſa pro diverſis Religioſorum Ordinum Conſtitutionibus: ſic enim teſte Gobath Carthuſiani, & juxta Bonagratiam Capucini itinerantes, cùm celebrandum eſt, aut confiteri debent ſocio ſi quem habent, aut ſi deſit talis, ita ſe gerere, ac ſi non haberent copiam Confeſſarii, præſentibus etiam aliorum Ordinum Religioſis, quod mihi aliiſque admodùm durum videtur, cùm tamen præceptum de præmittenda Miſſæ ſacrificio confeſſione ſit Juris divini, ſiquidem celebraturus ſe peccati mortalis reum advertat. Minoribus prohibuit Clemens IV. in Bulla: *Virtute conſpicuos 21. Julii Anno 1265.* confiteri aliis, quàm Prælatis ſuis ac dictæ Religionis Sacerdotibus, niſi urgente neceſſitatis articulo. Idem etiam prohibuerat Prædicatoribus Gregorius XI. in ſimili Bulla eodem modo incipiente *Anno 1374.* & Sixtus IV. in Bulla: *Regimini*, quam Mare magnum vocant, *Anno 1474.* data, quam tamen ad eorum ſupplicationem poſtea moderatus eſt idem S. Pontifex *Anno 1479.* conceſſa eisdem facultate confitendi extraneo ſive Regulari ſive ſæculari, quandocunque itineraverint, aut extra Conventus fuerint; Jeſuitæ in itinere conſtituti, ſi non habeant ex ſuis ſocium, poſſunt teſte Stoz confiteri

Digitized by Google

teri cuivis externo Sacerdoti & per eum abſolvi à non reſervatis quidem directè, à reſervatis verò indirectè cum onere ſub mortali obligante, ſeſe poſtea ſiſtendi ſuo Superiori: & ſic de aliis loquendo ſacris Ordinibus, qui facultatem iſtam itinerantibus ac extra Monaſterium conſtitutis diverſimodè concedere ac modificare ſolent juxta ſpecialia cujusque Religionis ſtatuta: à quibus tamen præſcindendo, cenſeo regulariter loquendo, itinerantibus & extra clauſtrum morantibus ita eſſe univerſim conceſſam facultatem confitendi inprimis quidem ſocio ſibi adjuncto, ſi idoneum ac ſufficientem habeat, aut ſi talem non habuerit, vel juſtam habeat cauſam eum recuſandi, etiam cuicunque alteri Regulari vel ſæculari, modò debitis inſtructus ſit qualitatibus. ſicque tutò procedet Canonicus Regularis, ac licitè confiteri poterit & abſolvi à peccatis. (*Adde*; hæc intelligenda eſſe de verè itinerantibus; qui enim tantùm manè excurrunt ad parochias, & eodem die ad prandium vel ad cœnam iterum revertuntur, non poſſunt dici itinerantes. Conſimiliter ii, qui manent quidem in parochia, ſed unâ ſolùm horâ à Monaſterio diſtant, ad quod faciliùs accedunt, quàm ad alios Confeſſarios ſæculares, utpote remotiores aut difficilioris acceſſus, non eximuntur à jurisdictione ſui Prælati quoad hoc Sacramentum, eò quòd æquè commodè Confeſſarium ſui Ordinis vel Monaſterii habere poſſint.)

Quodipſum tamen intelligendum eſt de peccatis non reſervatis; 27 nam quoad reſervata ſpecialis eſt difficultas, cujus deciſio maximè pendet à voluntate reſervantis peccata, qui ſi ea ſibi pro omni caſu reſervet, ita ut aliis non facilè eorum concedat abſolutionem, niſi petita priùs ad hanc expreſſa licentia, non poterit itinerans aut extra clauſtra manens ab iis per quemcunque Confeſſarium abſolvi, niſi indirectè tantùm & cum onere ſe ſiſtendi pro eorum abſolutione Prælato ſuo, idque verum eſt, etſi quis ab eo licentiam habeat generalem confitendi cui voluerit, & in ea concedenda nullam neque implicitè neque explicitè fecerit de reſervatis mentionem: tum quia juxta *Reg. Jur. 81. in 6.* in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus: atqui de tali Prælato non eſt praſumendum, quòd in generali conceſſione confitendi cui voluerit, conceſſerit in ſpecie facultatem abſolvendi à reſervatis: tum quia ſi Epiſcopus alicui det facultatem, ut ſibi poſſit idoneum eligere Confeſſarium, ille, quem is elegerit, per hoc in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur, nullam penitùs habet poteſtatem, ùt in terminis reſolvitur & habetur cap. *Si Epiſcopus 2. de pœnit. & Remiſſ. in 6.* ergò etiam, ſi Prælatus ſuo Religioſo conceſſerit ſa-

facultatem ſibi eligendi Confeſſarium idoneum, nullam is penitùs habet poteſtatem abſolvendi à caſibus eidem Prælato ſpecialiter reſervatis: tum quia denique non poteſt præſumi, quòd Prælatus concedere velit majorem poteſtatem Confeſſario ab itinerante electo, quàm tribuat Ordinario Monaſterii, utpote in cujus defectum permittit itineranti alium eligendi idoneum: ſed Prælatus non concedit Ordinario Monaſterii poteſtatem abſolvendi à reſervatis, ut ponitur: ergò neque eandem tribuit Confeſſario electo ab itinerante. Ex quo ſequitur, quòd ſi itinerans committat in itinere caſum reſervatum, ac celebrare oporteat, illud cum cæteris, quæ forſan commiſit peccatis, confiteri debeat, ut ab his quidem abſolvatur directè, ab illo autem indirectè, ita tamen ut poſt ſuum ad Monaſterium reditum teneatur ſe ſiſtere Prælato, aut alteri ab eodem deputato & facultatem habente abſolvendi à reſervatis, ut ab illo quoque abſolvatur directè, quemadmodum docet communior Doctorum, mihique probabilior ſententia: quamvis non deſint, qui probabiliter exiſtimant, quòd in tali caſu ſufficiat elicere actum contritionis; in illo enim ſtatu, cùm deſit copia Confeſſarii habentis juriſdictionem ſufficientem, videtur ſufficere, quòd contritionem præmittat cum onere tamen confitendi, quamprimùm Confeſſarii ſufficientis copiam acquiſierit, prout habet Diana *part. 3. tr. 4. Reſol. 104.* & *tr. 5. Reſol. 68.* & *in additione 2da. Reſol. 4.* Quodipſum etiam cum proportione dicendum videtur de eo, qui caſum reſervatum habet, cui annexa eſt cenſura vel excommunicatio & quidem reſervata, nec habeat copiam Superioris, aut alterius habentis poteſtatem abſolvendi: tenetur enim & tunc urgente celebrandi neceſſitate aut caſum ejusmodi reſervatum cum annexa cenſura confiteri juxta priorem ſententiam; quia in caſu neceſſitatis urgentis ceſſet lex excommunicationis, ùt conſtat *ex Rubric. Miſſal. de defectib. diſpoſ. anima n. 5.* & plurimis citatis probat Cardenas in 2da. Criſi *differt. 2. cap. 6. art. 10. à n. 436.* & Sbogar *in Theol. Radical. tr. 2. cap. 3. n. 50.* aut certè debet elicere actum contritionis ſecundùm poſteriorem ſententiam, ſi neceſſariò celebrare debeat v. g. ad evitandum ſcandalum, infamiam, aut aliud grave malum, modò tamen hæc verè immineant; quia ſic exigente neceſſitate præſumitur rationabiliter, Eccleſiam non eſſe invitam, hujusque præceptum cedere præcepto naturali. Quòd ſi tamen Prælatus (omnibus) ordinariis Monaſterii Confeſſariis ſoleat concedere licentiam abſolvendi à reſervatis, eadem quoque conceſſa cenſetur Confeſſario ab itinerante electo; cùm enim hic in defectum Ordinarii concedatur, eadem illi, quæ huic conceſſa rationabiliter præſumitur eſſe poteſtas: cùm

cùm igitur huic conceſſa ponatur abſolvendi à reſervatis, eadem erit conceſſa priori. Verùm circa hæc inſpicienda quoque ſunt propria cujusque Ordinis ſtatuta, & vel maximè exploranda Prælatorum voluntas ac intentio; quidam enim ſunt difficillimi in concedenda hac facultate abſolvendi à reſervatis, præſertim ſi annexam habeant cenſuram & ipſam quoque reſervatam, & tunc non facilè præſumi poteſt, quòd eam velint cuipiam concedere præcipuè extraneo: aliqui verò eam paſſim concedunt, certis tamen adhibitis cautelis & certis præſcriptis remediis ac pœnitentiis neceſſariò obſervandis, & tunc eam quoque pro itinerantibus ac extra Monaſterium morantibus vel expoſitis conceſſam eſſe præſumi poteſt ſub iisdem tamen conditionibus; alii denique poteſtatem iſtam neque reſtringunt, nec quidquam præſcribunt, & tunc omnis poteſtas translata cenſebitur in Confeſſarium. (*Add.*; in his tamen non ſufficere voluntatem Prælati primùm futuram ac merè præſumptam de futuro, ſi conveniretur, ſed requiri voluntatem actualem de præterito vel præſenti, ſaltem generalem aut implicitam, qua actu ſaltem implicitè conceſſit jurisdictionem, aut eam actu conceſſiſſe prudenter præſumitur.)

28 Dubitabis adhuc: an Religioſus iter arripiens eo fine, ut ea occaſione poſſit eligere ſibi Confeſſarium pro libitu, gaudeat hisce itinerantium privilegiis? ℞. ſiquidem talis Religioſus cum licentia Prælati ſui ex juſto titulo iter ineat, omninò gaudere prædictis privilegiis, etiamſi ex confidentia hujusmodi licentiæ brevì impetrandæ graviter peccâſſet; quia SS. Pontifices abſolutè & ſine ulla reſtrictione concedunt Regularibus facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, modò quis habeat licentiam itinerandi à ſuo Prælato aut extra clauſtrum manendi: ergò hac facultate præhabita licebit illis eligere ſibi Confeſſarium, etiamſi in ſpem hujus licentiæ confeſſionem differant aut omninò peccent; & hinc ſi quis ſciens à Prælato ſibi brevì concedendam fore vacationem, differat confeſſionem, aut omninò ex confidentia talis occaſionis brevì eventuræ graviter peccet, poterit nihilominus & eligere Confeſſarium & ab eo abſolvi; quia ùt habet communis Authorum, qui differt confeſſionem ad tempus Jubilæi proximè indicendi, atque etiam ſub ſpe veniæ, & ex confidentia talis occaſionis brevì eventuræ & abſolutionis vigore illius faciliùs obtinendæ graviter delinquit aut caſum reſervatum committit, poteſt & debet abſolvi: ergò etiam qui ſub ſpe licentiæ itinerandi proximè impetrandæ eousque differt confeſſionem, aut omninò ſub ea ſpe graviter peccet, poteſt & debet abſolvi, quamvis interim celebrando toties quoties grave de novo committat peccatum. Quòd ſi verò quispiam iter

Digitized by Google

ingrediatur animo vagandi aut ſubterfugiendi judicium ſui Prælati, aut ejuſdem eludendi authoritatem, vel etiam extra clauſtra ſine illius licentia moretur, nullo modo gaudet iſtis itinerantium privilegiis; quia SS. Pontifices requirunt expreſsè licentiam itinerandi aut extra Monaſterium manendi, ad hoc ùt quis gaudeat facultate eligendi ſibi Confeſſarium: ergò ubi hæc non adeſt, non habet locum iſtud privilegium, utpote quod eſt quodammodò conditionatum, ac conceſſum ſub conditione præhabitæ itinerandi licentiæ: & conſequenter iſtud vagabundis & profugis aut ſine licentia itinerantibus prodeſſe non poteſt.

29 Dico 5tò. *Poſſunt Canonici, aliique Regulares tam intra, quàm extra Monaſterium conſtituti, de Prælatorum ſuorum licentia eligere ſibi pro libitu quemcunque idoneum Confeſſarium ſive Regularem ſive ſæcularem etiam ab Epiſcopo non approbatum, qui eos ab omnibus abſolvat peccatis tam mortalibus quàm venialibus.*

Ita colligitur ex ipſis SS. Pontificum Conſtitutionibus, quæ dum prohibent, ne Regulares cuiquam confiteantur, niſi de ſuorum licentia Prælatorum, eo ipſo ſupponunt ac concedunt, poſſe Regulares confiteri cuicunque idoneo Sacerdoti cum licentia ſuorum Prælatorum: idque etiam tradunt Doctores communiſſimè, & evincit ratio; quia qui habet juriſdictionem ordinariam, poteſt illam aliis delegare: ſed Prælati Regulares habent in Religioſos ſuos juriſdictionem ordinariam, præſertim in foro Pœnitentiæ: ergò poſſunt illam delegare aliis, ac quibuscunque idoneis Sacerdotibus tam Regularibus quàm ſæcularibus, & quidem etiam non approbatis ab Epiſcopo, ùt iterum tenent Authores communiter cum Navarro *Manual. cap. 4. n. 7.* Rodriquez *to. 1 QQ. Regul. q. 62. art. 4.* Suarez *to. 4. Diſp. 28. ſect. 3. & tr. 8. L 2. cap. 17. n. 6. & ſeq.* Fagundez *præcept. 2. L. 7. cap. 2.* Reginald. *to. 1. L. 1. cap. 5. & L 8. cap. 3.* Villalobos *to. 1. tr. 9. differ. 55.* Vaſquez *in 3. part. to. 4. quæſt. 93. art. 3. dub. 3.* Ledesma *to. 1. tr. 13. differ. 4.* Tamburin. *to. 2. Diſp. 6. quæſ. 6. n. 8. & quæſ. 8. n. 8.* Bruro Chaſſaing *tr. 5. cap. 6. propoſ. 1.* & ratio eſt, quia de Jure novo ad audiendas Regularium confeſſiones nihil aliud requiritur, quàm quod requirebatur de Jure antiquo: ſed de Jure antiquo non requirebatur approbatio Epiſcopi, ſed tantùm Prælati Regularis; nam etſi Jure novo Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15.* ad audiendas confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum requiratur appro-

batio

batio Epiſcopi, reſpectu tamen Regularium nihil illud innovavit, ſed Superiorum Religioſorum ac Prælatorum reliquit diſpoſitioni, qui proinde poſſunt cuicunque dare facultatem audiendi ſuorum Regularium confeſſiones Sacerdotibus etiam ſæcularibus nec approbatis ab Epiſcopo, quod tamen extendi non debet ad Moniales etiam immediatè ſubjectas Prælatis Regularibus, propter Conſtitutionem Gregorii XV. quæ incipit: *Inſcrutabili. 5. Februar. Anno 1622.* in qua ſtatuitur, quòd Confeſſores ſive Regulares ſive ſæculares quomodocunque exempti tam Ordinarii, quàm extraordinarii ad confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, niſi priùs ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur & approbationem obtineant. Cæterùm advertere debent Confeſſarii à Religioſo cum licentia Prælati electi, quòd non poſſint eum abſolvere a peccatis aliis, quàm à quibus ipſimet poſſunt abſolvere Prælati, quia hi non poſſunt ampliorem juriſdictionem delegare, quàm habent ipſi. Advertendum pariter, nec poſſe talem Confeſſarium abſolvere à peccatis Prælato reſervatis, niſi in conceſſa licentia id in ſpecie exprimatur argumento *cap. ſi Epiſcopus. 2. de pœnitent. in 6.* quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus *Reg. Jur. 81. in 6.* qua in re tamen juvabit attendere, quid Prælatus in ſimilibus occaſionibus agat: an ſoleat licentiam confitendi extendere ad caſus etiam ſibi reſervatos, an verò hanc ſoleat reſtringere, ſicque ſecundùm illas ſe regulare ac conformare poterit tum Confeſſarius tum pœnitens. Verùm ſcire cupies, an expediat hanc Religioſis concedere licentiam confitendi extra Monaſterium vel Ordinem? ℞. id ſæpiùs non tantùm expedire, ſed etiam neceſſarium eſſe tum ad tranquillandas conſcientias tum ad tollendos ſcrupulos, præſertim verò ſi Confeſſarii ad audiendas Religioſorum confeſſiones deputati vel ſuſpecti ſunt, ne ſigillum frangant, aut utantur ſcientia ex confeſſione hauſta in graviſſimum pœnitentis præjudicium ac damnum: vel ſi malè affecti ſunt aut omninò inimici pœnitenti: vel quando debita non ſunt inſtructi ſcientia ad alios dirigendos, aut carent prudentia ad hunc finem maximè neceſſaria, aut aſceticis deſtituuntur principiis, quorum frequenter nullam habent curam, & quæ ſunt aliæ ejusmodi rationes & cauſæ recuſandi deputatos ac petendi licentiam, ut alteri etiam extraneo confiteri poſſit, in qua concedenda, ut ſe Prælati benignos ac faciles ſubditis ſuis exhibeant præcipit Clemens VIII in Conſtitutione ſua, quæ incipit: *Romani Pontificis 23. Novembr. Anno 1599.* edita, & S. Thomas *in 4. diſt. 21. q. 3. art. 3.* quem ſequuntur alii communiter, docet: Prælatos debere faciles eſſe ad concedendas ſubditis licen-

Digitized by Google

licentias, ùt aliis confiteantur, ne multis & ſibi ipſis damnationis laqueum injiciant; quod bene ſibi notent Prælati illi moroſi ac difficiles in concedenda hac licentia, qui ut ſuorum torqueant conſcientias, Religioſorum nunquam volunt etiam rogati eam concedere, ſicque plurimarum confeſſionum ſacrilegarum fiunt cauſa, de quibus ſeveram aliquando reddere debebunt rationem ſupremo Judici. Cæterùm dixi in Concluſione: *poſſe Regulares cum licentia Prælati eligere ſibi Confeſſarium quemcunque qui eos abſolvat tam à mortalibus quàm venialibus*: ex quibus ultimis verbis nova exurgit quæſtio, an ad confeſſionem venialium aut mortalium etiam ſed jam ſemel ritè confeſſorum requiratur licentia Prælati? ad quam

30 Dico denique 6tò. *Poſſunt Canonici aliique Regulares tam intra, quàm extra Monaſterium conſtituti etiam absque licentia Prælati eligere ſibi Confeſſarium quemcunque ſive Regularem ſive ſæcularem, qui eos à peccatis venialibus aut etiam à mortalibus jam ſemel ritè confeſſis abſolvat.* Concluſio hæc videtur eſſe certa, & probatur etiam: ad abſolvendum à peccatis venialibus aut mortalibus jam ſemel ritè confeſſis ſufficit jurisdictio univerſalis, quam quivis Sacerdos in omnes fideles recipit in ipſa ordinatione ſive Jure divino ùt contendit Vaſquez *to. 4. in 3. quæſt. 39. art. 1.* Kelliſonius *qu. 8. art. 5. dub. 3.* Molſeſius *tr. 7. cap. 15.* & alii apud ipſos: ſive ex conceſſione Eccleſiæ, ùt Authores cæteri communiter docent cum Navarro, Suarez, Coninck, Henriquez, Palao, Bonacina, quos refert & ſequitur Card. de Lugo *Diſp. 18. ſect. 3. n. 44.* ſed hanc habet quivis Sacerdos in quoscunque: ergò quivis Sacerdos poteſt à peccatis venialibus aut mortalibus jam ſemel confeſſis abſolvere quoscunque, etiam Regulares; minor videtur eſſe extra controverſiam; major tanquam certa communiter reputatur à Doctoribus, tum antiquis quàm recentioribus, eámque tenet S. Thomas *in 4. diſt. 18. qu. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3.* ubi expreſsè docet, *quòd remiſſio venialium ſequitur poteſtatem Ordinis*, unde opus non eſt nova jurisdictione ad remittenda & abſolvenda venialia; D. Thomam ſequuntur Cajetanus *V. abſolutio 2. §. libertas.* & *to. 1. Opuſculor. tr. 7.* Paludanus *in 4. diſt. 19. qu. 2.* Capreolus *ibidem ad 3.* Joan. de Medina *de Confeſſ. q. 40. §. ne tamen.* Sotus *in 4. diſt. 18. qu. 4. art. 2. ad 3.* Ruardus *art. 3. contra Luther.* Joan. Major *in 4. diſt. 19. quæſt. 1.* Sylveſter *V. Confeſſor. 1. fin.* Canus *de Pœnit. part. 5.* Suarez *to. 4. in 3. part.*

Digitized by Google

part. Diſp. 26. ſect. 9. n. 8. Th. Sanchez *L.* 1. *ſumm. cap. 9. n. 35.* Arriaga *to. 8. de Pœnit. Diſp. 39. ſect. 3. n. 26.* Card. de Lugo *Diſp. 19. de Pœnit. ſect. 2. n. 30. & Diſp. 18. ſect. 3.* Palao *to. 4. tr. 23. Diſp. un. punct. 14. n. 25.* Diana *part. 2. tr. 13. Reſol. 2. & part. 4. Reſol. 4.* Moya *to. 1. ſelect. tr. 3. Diſp. 8. qu. 7. n. 3.* Granado *1. 2. controv. 2. tr. 22. Diſp. 4. ſect. 4. n. 38.* Raymund. Lumbier *3. part. ſumm. n. 805.* Ægydius Coninck. *Diſp. 8. de Pœnit. dub. 6. n. 41.* Joan Sanchez *in ſelect. Diſp. 44. n. 24.* Filliuccius *to. 1. tr. 7. cap. 8. q. 10. n. 227.* Fagundez *in 2. Eccl. prac. L. 7. n. 15.* Bonacina *to. 2. Diſp. 2. de peccat. quaſt. 4. punct. 9. n. 19.* Valentia *to. 4. Diſp. 7. de Pœnit. qu. 10. punct. 2.* Caſpar Hurtado *Diſp. 10. de Pœnit. diffic. 10.* Mendo *in Bull. Cruciat. Diſp. 22. cap. 1. n. 2.* qui omnes tanquam certum ſupponunt, vel expreſſis verbis docent, quòd omnes Sacerdotes etiam ſimplices habeant ſufficientem & completam jurisdictionem in mortalia jam legitimè confeſſa, & in venialia quamvis non confeſſa, quos adductis eorum locis refert & ſequitur Cardenas *in 1. part. Criſ. Theolog. Diſp. 15. cap. 4. art. 11. & cap. 15. art. 4. n. 641. & in 2. Criſ. Theol. diſſert. 2. cap. 6. art. 8. & 9.* quibus addi poſſunt Henriquez *L. 3. de Pœnit. cap. 5. n. 4.* Joan. Præpoſitus *part. 3. quaſt. 7. dub. 5. n. 37.* Tannerus *to. 4. Diſp. 6. quaſt. 9. dub. 3. n. 59.* Averſa *quaſt. 16. de Miniſt. Sacram. Pœnit. ſect. 3.* Antonius à Spiritu S. in Direct. Regular. *tr. 2. Diſp. 2. ſect. 1. n. 24.* Salmanticenſes *to. 1. tr. 6. cap. 11. punct. 2.* & alii ſine numero, quorum omnium communis ſententia facit certitudinem moralem; nam in quæſtione facti ſit probatio plena & moraliter certa per ingentem numerum teſtium, quamvis uno vel altero refragante: conſuetudo autem univerſalis eſt res facti: ergo ingens numerus Authorum illam affirmantium, uno licèt vel altero refragante, facit probationem plenam & moraliter certam; cùmque Authores hi fundentur in univerſali conſuetudine Eccleſiæ, certumque ſit, quòd conſuetudo ex diſpoſitione Juris det jurisdictionem, certum pariter debet eſſe, quòd quilibet Sacerdos etiam ſimplex habeat hanc jurisdictionem in venialia, & mortalia jam ſemel ritè confeſſa, & ab iis poſſit abſolvere quoscunque etiam Regulares, cùm ad hoc nulla requiratur approbatio, qualis requiritur ad confeſſionem mortalium nunquam confeſſorum.

Objicies: SS. Pontifices præſertim Clemens VIII. & Urbanus VIII. in Conſtitutionibus ſupra relatis ſubjiciunt Regulares quoad Sacramentum Pœnitentiæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, neque volunt, ut quisquam alteri confiteatur ſine illorum licentia, quàm deputatis & ab ipſis approbatis: ſed confeſſio venialium aut mortalium jam ſemel ritè confeſſorum eſt Sacramentum Pœnitentiæ: ergo quoad hanc etiam ſubſunt diſpoſitioni ſuorum Præ- 31

latorum, nec aliis poſſunt confiteri, quàm deputatis *Confirmatur*: Innocentius XI. in Decreto de quotidiana Communione 15. Februar. anno 1679. publicato ſtatuit, ne permittant Epiſcopi, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo vel Ordinario: ergò verum non eſt nedum certum, quòd quilibet Sacerdos etiam non approbatus gaudeat univerſali jurisdictione in venialia, aut ſi aliquando habuit illam, jam per dictum Decretum ſublatam eſſe dicendum eſt. ℟. diſt. maj. SS. Pontifices ſubjiciunt Regulares quoad Sacramentum Pœnitentiæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum in ordine ad confeſſionem peccatorum mortalium nunquam clavibus ſubjectorum, ſeu quoad materiam confeſſionis neceſſariam Conc. in ordine ad confeſſionem venialium aut mortalium jam ſemel clavibus ſubjectorum ſive quoad materiam confeſſionis liberam Neg. maj & conceſſa minore ſub eadem diſtinctione con. & neg. conſequentiam; hoc ipſo enim, quòd confeſſio venialium non cadat ſub præcepto, ſed multis aliis mediis poſſint deleri, atque adeò ſint materia confeſſionis libera, ſicut & mortalia jam ſemel ritè confeſſa, & inſuper quivis Sacerdos etiam ſimplex in ea ſufficientem ac completam habeat jurisdictionem, noluerunt SS. Pontifices adſtringere Regulares, ut ea confiteantur certo ac determinato Confeſſario, cùm eos ad hæc confitenda non poſſint obligare, multò minus cogere; ac proinde etiam inutile fuiſſet, illos quoad confeſſionem venialium ac mortalium ritè confeſſorum ſubjicere diſpoſitioni Prælatorum, cùm mandatum iſtud facilè poſſent eludere non confitendo illa peccata. Nec juvat dicere cum Roſſignolo *de Pœnit. qu. 7. art. 8.* quòd cum venialia in Sacramento Pœnitentiæ remittantur authoritativè & per modum Judicii per ſententiam abſolutivam, hinc ſuppoſito, quòd quis velit frui hoc beneficio & voluntariè ſe huic judicio ſubmittat, neceſſariò requiratur jurisdictio ab eo, qui aliàs eam poteſt concedere: ſed quoad Regulares eam tantùm concedit Prælatus: ergo ad hoc, ut Regulares poſſint confiteri venialia aut mortalia jam confeſſa requiritur, ut ea confiteantur habenti jurisdictionem à Prælato conceſſam, & conſequenter ſine illius licentia non poſſunt ſibi eligere quemcunque Sacerdotem, ut ab illis abſolvantur. ℟. enim Conceſsâ maj. Negando min. nam jurisdictionem ad abſolvendum à venialibus aut mortalibus jam confeſſis non tantùm concedere poteſt Prælatus, ſed etiam S. Pontifex & Eccleſia & quidem eminenter: atqui S. Pontifex & Eccleſia concedit in ipſa Ordinatione cuivis Sacerdoti jurisdictionem abſolvendi à venialibus univerſalem, ùt nos docet conſuetudo in continuo uſu fundata, de qua teſtantur Doctores ferè omnes ab omni retro ætate, qui faciunt certitudinem moralem, accedente præ-

ſertim

ſertim omnium aut ferè omnium fidelium perſuaſione: data autem hac univerſali conſuetudine ac jurisdictione ſuperflua eſt omnis alia jurisdictio Prælati, utpote qui univerſalem non poteſt reſtringere, quidquid ſibi fingant aliqui rerum harum haud ſatis gnari. Ad confirmat.

32 ℞. Decretum illud de communione quotidiana latum & editum eſſe in ordine ad Perſonas ſæculares, non verò in ordine ad Regulares, utpote quibus non tantùm non prohibetur, ſed potiùs commendatur quotidiana communio: & ita etiam dum ſtatuit, ne permittant Epiſcopi, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, ſæculares ſolummodo ſpectat, idque meritò decretum fuit, non quòd illi non habeant poteſtatem ac jurisdictionem ab iis abſolvendi ſufficientem, ſed ob multa alia, quæ ſequi exinde poterant inconvenientia: ſic enim ſi indoctus ſit Sacerdos, ſeque ingerat publicè audiendis confeſſionibus, neſciet diſcernere inter mortalia & venialia, & fortè exiſtimabit eſſe venialia, quæ ſunt mortalia; præterea id juſtè interdicitur, ne prætextu abſolvendi à venialibus, auſu temerario aggrediantur abſolvere à mortalibus: & quæ ſunt alia hujusmodi inconvenientia, quæ facilè ſequerentur, ſi paſſim permitterentur ſimplices Sacerdotes ſeſe exponere audiendis confeſſionibus venialium præſertim ſi quibusdam opinionibus improbabilibus ſint imbuti; ubi ſimul notandum, quòd S. Pontifex neutiquam prohibeat, aut invalidet confeſſiones ſimplicibus Sacerdotibus factas, ſed tantùm hortetur Epiſcopos, ne permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, ob plura nempe quæ exinde provenire poterant abſurda; verbo: S. Pontifex tollere voluit hoc ſuo decreto abuſum confitendi ſimplicibus Sacerdotibus ſub prætextu, quòd ſolùm habeant venialia peccata, qui multis in locis jam egerat radices, non item legitimum uſum univerſali Eccleſiæ conſuetudine approbatum, & communi omnium ferè Authorum conſenſu firmatum, qui ſententiam hanc tanquam certam proclamant. Neque dicas: ſententia, cui refragantur Authores aliqui, non poteſt dici certa, licet eam plerique teneant Doctores: ſed ſententiæ docenti, quòd ſimplices Sacerdotes poſſint abſolvere à venialibus, refragantur quidam Authores, fulti Tridentino, quod ad abſolutionem peccatorum requirit in abſolvente jurisdictionem: ergo contraria ſententia non poteſt dici certa, licèt eam plerique teneant Doctores. ℞. Nego maj. nam ubi ferè omnes prudentes communi judicio aliquid teſtantur maximè in quæſtione facti, etiamſi unus vel alter refragetur, imprudenter procedit atque adeò eorum refragatio non poteſt eſſe probabilis, & in comparatione reliquorum omnium, pauco-

rum aliquorum authoritas levis eſt, & ubi authoritas levis eſt, deficit probabilitas: & hinc ea ſententia habenda eſt pro certa, quam omnes aut ferè omnes Theologi unanimi conſenſu affirmant, ùt oſtendit Cardenas *in* 1. *Criſ. Diſp.* 12. *n.* 75. ſed omnes aut ferè omnes Theologi affirmant conſuetudinem & delegatam cuilibet Sacerdoti poteſtatem abſolvendi à venialibus; ergo hæc ſententia habenda eſt pro certa, quidquid aliqui dicant.

Sectio III.

De neceſſitate deputandi in quovis Monaſterio Confeſſarios.

33 CUm ex dictis Regulares per ſe loquendo non poſſint ſibi pro libitu eligere Confeſſarium pro confeſſione mortalium ſine licentia Prælati, niſi in quibusdam caſibus particularibus: neque tamen teneantur confiteri Prælato, niſi ſpontè velint, ſequitur neceſſariò aliquos illis deputandos eſſe Confeſſarios, qui eorum confeſſiones audiant, & à peccatis abſolvant. Sed ex hoc ipſo naſcitur dubium, à quo deputari debeant? communis ſententia tenet, id ſpectare ad Prælatos cujusque Religionis ac Monaſterii, cùm ſint Religioſorum ſuorum Ordinarii; quo ſuppoſito inquirendum hìc eſt 1mò. An etiam teneantur Prælati in quovis Collegio vel Monaſterio deputare Confeſſarios, qui Religioſorum ſuorum confeſſiones poſſint audire & à peccatis abſolvere? 2dò. Quotnam teneantur in quovis Collegio vel Monaſterio deputare Confeſſarios. 3tiò. An poſſint deputare Confeſſarios non tantùm Ordinis ac Monaſterii proprii Sacerdotes, ſed etiam Ordinis alterius ſive Regulares ſive ſæculares. 4tò. An Confeſſarii à Prælato ad audiendas Religioſorum ſuorum confeſſiones deputati ſive Regulares ſive ſæculares debeant eſſe approbati ab Epiſcopo, vel an ſufficiat, quòd à Prælato ad hoc ſint deſignati? 5tò. Quibus dotibus debeant eſſe inſtructi Confeſſarii ad audiendas Religioſorum confeſſiones deputati? 6tò. denique: An poſſint Prælati pœnitentias à Confeſſario deputato ſuis Religioſis imponendas taxare ac præſcribere, etiam pro peccatis non reſervatis? pro quorum reſolutione

Dico 1mò. *Tenentur Prælati in quovis Collegio ac Monaſterio aliquos deputare* 34

tare

tare Confeſſarios, qui Religioſorum ſuorum confeſſiones poſſint audire, & à peccatis abſolvere.

Ita Clemens VIII. in ſuo de caſibus reſervatis Decreto, in quo præcipit, ut Superiores in ſingulis domibus deputent Confeſſarios: & ſequitur ex hactenus dictis, idque poſtulat recta ratio; quia Prælati tanquam Religioſorum ſuorum Paſtores quoad hoc æquiparantur Parochis animarum curam habentibus: ſed Parochi tenentur quoad Sacramentorum adminiſtrationem Parochianis ſuis providere vel per ſeipſos, vel ſi hoc non poſſint, per alios idoneos Sacerdotes: ergò etiam Prælati tenentur ſuis Religioſis providere quoad adminiſtrationem Sacramentorum præſertim Pœnitentiæ vel per ſeipſum, ſi hoc ſpontè ac motu proprio petierint, vel ſi hoc non petant, per alios idoneos Confeſſarios; quamvis cæteroquin inter Prælatum & Parochum aliqua ſit differentia in eo, quòd Parochus etſi poſſit delegare poteſtatem excipiendi confeſſiones ſuorum ſubditorum Sacerdoti idoneo & approbato, non tamen tenetur, ſi velit per ſeipſum id facere: econtra verò Prælatus, etſi velit per ſe ſuorum audire confeſſiones Religioſorum, non tamen poteſt, niſi ipſimet id ſpontè ac motu proprio petierint, ſed tenetur ſemper habere aliquos à ſe deputatos, eóſque idoneos pro excipiendis confeſſionibus Sacerdotes. Quotnam verò? major eſt difficultas, ad quam

Dico 2dò. *Tenentur Præ-* 35
lati in quolibet Collegio, ac Monaſterio duos vel tres aut etiam plures, pro majori vel minori numero Religioſorum, deputare Confeſſarios.

Ita rursùs Clemens VIII. in ſupradicto Decreto, ubi expreſsè ſtatuit, ut *Superiores in ſingulis domibus deputent duos vel tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero majori vel minori.* In quibus tamen verbis explicandis etſi per ſe & primo intuitu valdè claris non conveniunt Authores; nam Suarez cum quibuſdam aliis exiſtimat, non videri S. Pontificis fuiſſe mentem, quòd Prælati debeant deputare Confeſſarios ad minimum duos in Conventu etiam parvo, ſed in hoc ſufficere etiam unum; Pontifex enim ſtatuit, ut duo vel tres Confeſſarii in unoquoque Monaſterio deputentur pro numero ſubditorum: ergò videtur intellexiſſe, quòd ſi numerus ſubditorum ſit adeò exiguus, ut pro illo ſufficiat unus tantum Confeſſarius, non ſint neceſſariò conſtituendi duo aut plures Confeſſarii, idque confirmat ex praxi & conſuetudine, qua in Monaſteriis

Digitized by Google

Monialium, quibus dicti Decreti proviſio non minùs eſt neceſſaria, unus tantùm conſtituitur Confeſſarius ordinarius, præſertim quando ipſarum numerus eſt exiguus. Verùm hæc explicatio videtur plerisque Authoribus nimiùm detorta & apertè repugnare menti S. Pontificis; nam verba illa: *pro ſubditorum numero majori vel minori* non tam referri debent ad *duos vel tres*, quàm ad τὸ *plures*, ita ut ſenſus eorum verborum ſit, quòd Superiores in ſingulis domibus deputare teneantur duos vel tres Confeſſarios, & ſi major fuerit numerus Religioſorum, etiam plures. Paritas à Monialibus petita planè incongrua eſt, & per ſe ipſam corruit; nam ut alia prætercam, apud Moniales conſtitui ſolet unicus tantùm Confeſſarius ordinarius etiam ubi magnus eſt Conventus, ídque multis de cauſis, quæ non pugnant pro viris; deinde apud illas non urget quotidie præceptum communicandi, paratúmque ſemper habent, qui conſtituta quotidie hora confeſſiones earum & audire, & à peccatis abſolvere poteſt, ut adeò ipſis hac in re ſatis proviſum ſit per unicum Confeſſarium ordinarium, præſertim cùm adjunctum habeant unum vel alterum Confeſſarium extraordinarium, etiam ubi parvus eſt Conventus. Econtra in Monaſteriis Religioſorum, qui quotidie & ſæpiùs etiam ex improviſo atque inopinato celebrare debent, peſſimè proviſum illis eſſet de remedio hoc ſacramentali, ſi unum tantùm haberent deputatum Confeſſarium; nam cùm is vel abeſſe poſſit, aut aliis detineri negotiis, ſequeretur quòd quis celebrare deberet absque prævia confeſſione, aut tunc primùm accedere Prælatum, ut alium ſibi concedat pro ea vice Confeſſarium, quod certè ſine ſcandalo ac infamia ſui fieri haud poſſet: quæ ſanè abſurda cùm ſæpiſſimè contingere poſſint in Monaſteriis virorum, raró verò aut nunquam in Monaſteriis Monialium, evincunt omninò, quòd in illis ſufficere haud poſſit unicus à Prælato deputatus Confeſſarius, quamvis apud has forte ſufficiat, ſed quòd duo ad minimum deputari debeant Confeſſarii, etiam ubi minor eſt Religioſorum numerus. (*Adde*; etiam hanc eſſe diſparitatem inter Confeſſarios virorum, & Monialium. Nam Confeſſarii virorum ſunt membra ejusdem Capituli, & Monaſterii, ut facilè poſſit aliunde cum iis & pœnitentibus intercedere diſſidium aut metus præjudicii in actis Capitularibus, Econtra Confeſſarii Monialium non ſunt pars communitatis.) Atque hæc fuit S. Pontificis intentio, hic genuinus verborum illius ſenſus, isque longè conformior fini ab eo intento, quo voluit providere Religioſorum ſaluti, ne fortè aliquis ob verecundiam vel ob diffidentiam cum deputato Confeſſario non integras confeſſiones adeóque nullas & ſacrilegas faceret, ob quam ipſam rationem priùs decreverat, ne

tene-

tenerentur confiteri Superiori ac Prælato, prout de Jure communi debuiſſent facere; & certè ſi non intendiſſet S. Pontifex, ut in unoquoque Monaſterio etiam parvo deputarentur duo vel tres Confeſſarii, & ſi in aliquo major foret numerus Religioſorum, etiam plures, quemadmodum hunc ſenſum proferunt verba, haud dubiè id expreſſiſſet ac dixiſſet: Superiores in ſingulis domibus deputent unum vel duos Confeſſarios, quod cùm non fecerit, ſed contrarium potiùs expreſſerit, certum nobis eſſe debet, quòd voluerit, ut in quovis Monaſterio deputent duos ad minimùm Confeſſarios, ut ſibi quilibet quem maluerit, poſſit eligere.

36 Atque hoc ipſum probat in Monaſteriis Regularium communior praxis, & recepta conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, poteſtque confirmari ex Conſtitutionibus Lateranenſibus p. 1. c. 16. ubi præſcribitur, ut *ſtatuatur à quolibet Prælato certus numerus Sacerdotum, qui ſufficiant ad ſubditorum confeſſiones commodè audiendas.* Ut autem ſit numerus debent eſſe ſaltem duo; quibus ſuppoſitis ſequitur, quòd Religioſus poſſit confiteri modo uni modo alteri ex Confeſſariis à ſuo Superiore in Monaſterio deputatis, quia quilibet ex illis eſt Confeſſarius aptus, & Clemens VIII. in Decreto de Caſuum reſervatione intendit conſulere facilitati & quieti pœnitentium; hinc clauſula illa in Conſtitutionibus Lateranenſibus addita: *non liceat eum ſæpiùs mutare*, eſt per modum directionis, & praxis habet apud Canonicos Lateranenſes, teſte Brencola cap 1. n. 3. ut modò uni, modò alteri confiteantur: quamvis, ut verum fatear, plurimùm interſit, quòd quisque ſemper eidem confiteatur Confeſſario, eligendo illum, qui melior ſibi in Domino videbitur juxta illud Italicum: *Un Medico, & un Confeſſore*; ſed hoc conſilium eſt, non autem præceptum. Ex dictis etiam & ex Decreto Innocentii X. de parvis Conventibus infert prædictus Brencola cap. 1. n. 4 quòd in parvis Monaſteriis, Superioratibus, domibus &c. ubi non ſunt ſaltem quatuor Sacerdotes graves & maturæ ætatis cum Superiore incluſivè, ùt ibi præſcribit Innocentius X & ſic non ſint ſaltem duo Confeſſarii deputati, debeat Superior aſſignare alterum Confeſſarium extra Monaſterium, ſivè extra Ordinem: ſicque ſibi conſuluiſſe P. Vivam ſcribit præfatus Author.

Dico 3tiò. *Poſſunt Prælati pro ſuis Religioſis ſubditis deputare Confeſſarios non tantùm Ordinis ac Monaſterii proprii, ſed etiam alterius Ordinis Sacerdotes Regulares vel etiam ſæculares.* 37

Ita

Ita colligitur & deſumitur ex pluribus SS. Pontificum Bullis, qui dum prohibent, ne Regulares confiteantur Confeſſariis extraneis ſine Prælatorum ſuorum licentia, eoipſo ſupponunt, quòd poſſint cum eorum licentia confiteri extraneis, atque adeò ſupponunt etiam, quòd id poſſint concedere Prælati. Accedit, quòd Regulares quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendum ſint ſubjecti Prælatis propriis, ùt iterum habent plures Conſtitutiones Pontificiæ præſertim Clementis VIII. & Urbani VIII. eſt ergò in poteſtate Prælatorum illos ſubjicere huic vel illi Sacerdoti ſive proprii Ordinis ac Monaſterii ſive alterius Ordinis Regulari vel ſæculari quoad abſolutionem ab illis peccatis recipiendam, à quibus poſſunt ipſi abſolvere; & ratio eſt, quia Prælati Regulares conceſſam habent à Jure & ex privilegiis SS. Pontificum poteſtatem, ut poſſint ſine ulla reſtrictione inſtituere Confeſſarios delegatos pro Religioſis ſibi ſubditis: idque conſequitur ex ordinaria qua gaudent in ſuos jurisdictione: ergò poſſunt hanc poteſtatem & jurisdictionem delegare cuicunque idoneo Sacerdoti ſive proprii Ordinis ac Monaſterii, ſive alterius Ordinis, Regulari vel ſæculari; jurisdictio enim gratioſa & voluntaria, qualis eſt iſta, conferri poteſt in non ſubditum, ſi hic velit acceptare; & quoad hoc nullam eſſe difficultatem docet Bordonus *Reſol.* 34. ex Molina *de J. & J. to.* 4. *Diſp.* 6. idque Sanchez dicit eſſe manifeſtum *in ſum. L.* 4. *cap.* 39. *n.* 28. & Boſſius *de tripl. Jubil. ſect.* 3. *caſ.* 4. *n.* 1. hoc ſupponit tanquam certum: idque confirmat praxis multorum non tantùm Monaſteriorum ſed etiam Ordinum ſaltem non Mendicantium, quorum Prælati, viri ſanè docti ac timoratæ conſcientiæ, ſolent pro extraordinariis Confeſſariis aliquoties per annum, aut etiam ſingulis quibusque menſibus accerſere alterius Ordinis ac Monaſterii Sacerdotes, eósque probatæ vitæ, ac rerum ſpiritualium peritos, quibus ſi velint Religioſi ſubditi, poſſint confiteri, eósque conſulere de rebus ad conſcientiam & animæ ſalutem pertinentibus: id quod ſapientiſſimè aliquando fieri in Monaſteriis, præſertim in quibus regnat perpetua ſtabilitas, nullus credo expertus inficiabitur. (*Adde tamen*; ſi ex alio Ordine aut è Clero ſæculari ſolùm advocentur laxi, indocti, ſuis commodis aut gulæ dediti, nullo imbuti ſpiritu, erunt poſteriora deteriora prioribus.)

Sicut autem Prælati poſſunt atque etiam neceſſitate exigente debent ex aliis Monaſteriis ac SS. Ordinibus Confeſſarios pro ſuorum Religioſorum audiendis confeſſionibus accerſere, eisque ſuam delegare poteſtatem, ita eandem quoque poſſunt conferre Sacerdotibus ſæcularibus, eósque deputare ſuorum ſubditorum Confeſſarios, cùm ratio- 38

tiones ſupra allatæ æquè procedant pro his, quàm pro illis, nec ulla ſit ratio, cur hos non poſſint æquè deputare quàm illos; quamvis enim Sacerdotes ſæculares Regularis vitæ communiter non ita ſint periti, uti Regulares alii, nec ſciant leges & ſtatuta propria cujusque Ordinis & Monaſterii, neque etiam aſſumi tam facilè ſoleant in Confeſſarios Religioſorum, ſunt tamen inter eos non pauci, qui & probitate vitæ, & aſceticarum rerum ſcientia, atque virtutibus eminent, quíque cùm multùm inter diverſos hominum ſtatus ſint verſati, magna ſæpiùs prudentia pollent, plurimúmque ſuis & conſiliis & inſtructionibus valent, ùt patet in multis Monialium Confeſſariis, atque etiam præ ipſis nonnunquam excellunt Regularibus, præſertim illis, qui multa quidem ſecum piè ſanctéque ſunt meditati, modicam tamen in regendis animabus habent experientiam, ac multò minore inſtructi ſunt prudentia, qua tamen Confeſſarius in animarum regimine quàm maximè habet opus. Unde non eſt, cur ſæculares Sacerdotes præſertim docti, pii, ac experti cæteríſque inſtructi qualitatibus infra referendis excludantur univerſim ab audiendis Religioſorum confeſſionibus, præſertim ſi alii commodè haberi non poſſint Regulares. Verùm ex hactenus dictis nova exurgit difficultas, an ejusmodi Sacerdotes ſæculares aut etiam Regulares ſive proprii ſive alterius Ordinis à Prælato pro Religioſorum ſuorum Confeſſariis ſive Ordinariis ſive extraordinariis deputati debeant eſſe ab Epiſcopo approbati? an verò ſufficiat delegatos eſſe à Prælato? ad quam

39 Dico 4tò. *Confeſſarii à Prælato ad audiendas Religioſorum ſuorum confeſſiones deputati ſive Regulares ſive ſæculares non debent eſſe neceſſariò approbati ab Epiſcopo, ſed ſufficit, quòd à Prælato ad hoc ſint delegati.* Ita Doctores communiter Navarrus *Manual. cap. 4. n. 7.* Eman. Rodriquez *to. 1. QQ. Regul. quæſt. 62. art. 4.* Hieron. Rodriquez *in compend. QQ. Reg. Reſol. 31. n. 21.* Suarez *to. 4. de Pœnit. Diſp. 28. & tr. 8. L. 2. cap. 17. n. 6. & ſeq.* Vasquez *3. part. to. 4. Q. 93. art. 3. dub. 3.* Aſcan. Tamburin. *to. 2. Diſp. 6. quaſ. 6. & 5.* Miranda *to. 1. Man. quaſt. 45. art. 11. concl. 2.* Molſeſius *in ſum. Theol. tr. 7. cap. 14.* Fagundez *in prac. Decal. prac. 2. L. 7. cap. 2.* Reginald. *to. 1. L. 1. cap. 5. & L. 8. cap. 3.* Palao *tr. 23. Diſp. un. punct. 17. §. 2.* Dicaſtillo *Diſp. 10. dub. 9. n. 237.* Barboſa *Alleg. 25. n. 45. & in Collect. ad cap. 15. ſeſſ. 23. Trident. n. 9.* Donatus *to. 3. tr. 5. quaſt. 2.* Franciſcus à JEſu Maria *to. 1. tr. 6.* *cap.*

cap. 9. punct. 7. n. 87. Chaſſaing. *tr. 5. cap. 6. Propoſ. 1.* Platelius *part. 5. cap. 6. §. 8. n. 865.* Lugo *hic. n. 2.* Averſa *quæſt. 16.* Sporer *de Pœnitent. n. 666.* Rotarius *to. 3. L. 1. cap. 1. punct. 2. n. 3. & 4.* & alii plures ab his citati; & ratio eſt: quia de Jure novo ad audiendas Regularium confeſſiones nihil aliud requiritur, quàm quod requirebatur de Jure antiquo: ſed de Jure antiquo non requirebatur approbatio Epiſcopi ad audiendas Religioſorum confeſſiones, ſed ſufficiebat ſola deputatio ac licentia Prælati, quacum eligi poterat quilibet Sacerdos Jure divino idoneus abſque alia conditione aut approbatione Jure humano requiſita; certè nihil quoad hoc Jure aliquo præſcriptum oſtendi poteſt: ergò neque Jure novo requiritur approbatio Epiſcopi ad audiendas Regularium confeſſiones, cùm neque hoc Jure quidquam oſtendi poſſit ſpecialiter hac in re conſtitutum, & conſequenter ſufficit ſola deputatio vel licentia Prælati: atque hoc ſolùm etiam requirunt Conſtitutiones Pontificiæ. Id quod etiam confirmari poteſt ex ipſo Tridentino, quòd etſi quoad confeſſiones ſæcularium audiendas Jus antiquum correxerit, & *ſeſſ. 23. cap. 15.* ſtatuerit, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium eſſe, aut aliàs idoneus judicetur & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, nihil tamen quoad Regularium confeſſiones audiendas innovavit, ſed omnia in antiquo ſtatu reliquit, manifeſto ſanè indicio, quòd non requirat approbationem Epiſcopi ad audiendas Regularium confeſſiones. Neque dicas: Confeſſarii Monialium debent eſſe ab Epiſcopo approbati, ut audire poſſint earum confeſſiones, etſi Tridentinum etiam circa illas nihil innovaverit: ergò idem dicendum etiam de Confeſſariis Religioſorum. ℞. Etſi Tridentinum nihil immutârit quoad confeſſiones Monialium, neque Jus antiquum correxerit, correxit illud tamen Gregorius XV. S. Pontifex in Bulla, quæ incipit: *Inſcrutabili Dei Providentia. Non. Februar. Anno 1622.* data, quam poſtea renovavit Clemens X. in Bulla: *Superna Magni.* data *Romæ 21. Junii* & publicata *2. Auguſti Anno 1670.* ubi hi Pontifices ad audiendas ſive ordinariè ſive extraordinariè confeſſiones Monialium etiam exemptarum à juriſdictione Epiſcopi, requirunt ejusdem approbationem: nulla talis extat Conſtitutio Pontificia, quæ requirat approbationem Epiſcopi pro Confeſſariis Religioſorum, unde neque talis requiritur ad audiendas Religioſorum confeſſiones: atque adeò ſufficit, quòd illorum Confeſſarii ſint deputati & approbati à Prælatis. Verùm ex hoc ipſo nova exurgit quæſtio, quales Prælati debeant deputa-

tare pro Religioſis ſuis Confeſſarios, quibúsque hi dotibus inſtructi ſint ad obeundum legitimè officium ſuum? ad quod

40 Dico 5tò. *Confeſſarii ad excipiendas Religioſorum confeſſiones deputati debent eſſe docti, prudentes & charitate præditi.*

Ita Clemens VIII. in ſæpè citato Decreto ſuo in terminis; nec dubium eſt, quòd ſi tales eſſent Confeſſarii, meliores etiam evaderent pœnitentes, ſicque poſſent in dies reformari Religiones, ſed quia communiter his dotibus deſtituti deputantur Confeſſarii, mirum non eſt, quòd & Monaſteria in dies etiam in pejus deficiant: *dentur Confeſſarii doctrina & animarum zelo pollentes, & ecce omnium Chriſti fidelium plena reformatio*, dicere ſolebat S. Pius V. teſte Conrado in Epiſt. ad Lectorem, quod & ipſa conſtat experientia; quales enim ſunt Confeſſarii, tales eſſe ſolent eorum aſſidui pœnitentes; & primò quidem debent eſſe docti, id eſt, debita ſcientia inſtructi: neque putes, quòd in Confeſſariis Religioſorum non requiratur tanta ſcientia; id enim verum eſt quantum ad tractatus de rebus ſpeculativis &c. non autem de aliis; nam Confeſſarius Religioſorum debet eſſe peritus de legibus & peccatis, de virtutibus Theologicis & moralibus, de virtute Religionis, & ſtatu Religioſo, de officio divino & Sacramentis, de Cenſuris & Irregularitatibus, circa Regulam & Conſtitutiones ſuæ Religionis, & circa plura decreta & Canones pro Regularibus noviter editos. (*Adde*; etiam de obligatione Superioris & Parochi, & de omnibus materiis, in quibus peccare poſſunt Prælati, Superiores, aut Parochi, aut Officiales, præſertim in Ordine Canonico, ubi plerique applicantur ad ejusmodi munia. Falſum enim eſt, quòd omnia poſſint relinqui judicio pœnitentium, præſertim in materiis periculoſis, ubi verſatur intereſſe proprium, occaſio peccati, excuſatio à votis v. g. obedientiæ, paupertatis, ſcrupulis.) ſed & cùm Religioſus ſub mortali juxta communem teneatur ad perfectionem tendere, debet Confeſſarius illum ad perfectionem dirigere: hæc autem directio ex Gerſone eſt *ars artium*: quæ tamen non ſolo ſtudio, ſed magis ſanctis meditationibus acquiritur. Atque hinc ex Decreto Clementis VIII. pro reformatione Regularium &c. etiam Confeſſarii Religioſorum debent à tribus ſaltem Patribus gravibus & peritis diligenter examinari, priusquam approbentur; ubi autem hoc fortè non fit, debet Superior localis tale examen cum duobus Patribus gravibus & peritis inſtituere quoad ſcientiam præcipuè moralem, quia ad ipſum ſpectat circa ſuorum ſubditorum; quòd ſi quis certus ſit, ſe ad tale munus non eſſe habilem, il-

illud acceptare non poteſt, aliàs peccaret mortaliter, ùt poſt D. Antoninum, Paludanum, Sylveſtrum, Navarrum, Medinam, Suarez docent Lezana *to. 1. cap. 19.* Peyrinis *to. 1. qu. 1. cap. 10.* Brencola *cap. 1. n. 3.* Cæterùm tali ſcientia inſtructum eſſe oportet Confeſſarium Religioſorum, qua officium Judicis, Medici, ac Doctoris, quod in hoc Sacramento gerunt, ritè exerceat ac exequatur; & hinc qua Judex dijudicare debet conſcientiam pœnitentis, & inter peccata mortalia & venialia eorúmque ſpecies diſcernere, ac diſtinguere inter caſus reſervatos ac non reſervatos, & inter eos, qui annexam habent cenſuram vel excommunicationem, ac quemadmodum dici ſolet, ut diſcernere poſſit inter lepram & lepram. Qua Medicus verò præſcribere debet ſpiritualia medicamenta curandis vitiis & ſuperandis tentationibus idonea, & ùt dicitur cap. *Omnis utriusque. 12. de Pœnitent. & Remiſſ.* ut more periti Medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujusmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. Quà Doctor inſtruere debet pœnitentem non tantùm in rebus neceſſariis, ſed etiam & vel maximè ad profectum animæ pertinentibus, quo pœnitentem ſuum à peccatis etiam venialibus retrahat, & ad virtutem manuducat, ac illius inſtillet amorem. Ex quibus ſequitur Confeſſarium pro Religioſorum confeſſionibus audiendis deputatum triplici doctrina inſtructum eſſe debere, nempe Theologia practica ad faciendam peccatorum diſcretionem: Jure Canonico, ad leges canonicas & Eccleſiaſticas dignoſcendas, & impoſitas pro earum transgreſſionibus pœnitentias ac ſtatutas in certos caſus cenſuras cognoſcendas: tandem etiam ſpiritualium rerum peritia pro remediis vitiorum ac tentationum præſcribendis & ad excitandos Religioſos Pœnitentes ad virtutum ſtudium.

Nec minus prudentia inſtructos 41 oportet eſſe Confeſſarios ad audiendas Regularium confeſſiones à Prælato deputatos, quàm ſcientiâ, ne quis ea abutatur: cùm enim hæc ſolùm tradat principia generalia, & iſta debeant à prudentia moderari & ad caſus particulares pro diverſitate circumſtantiarum applicari, perſpicuum eſt, prudentiam maximé hac in re neceſſariam eſſe: tribus equidem dotatum qualitatibus optabat Confeſſarium S. Thereſia, ut ſcilicet eſſet ſanctus, doctus, & practicus: ſi tamen non omnes in uno poſſent reperiri, volebat ut is ſaltem practicus eſſet, per practicum autem intelligebat prudentem, quia prudentia circa ſingularia verſatur, & acquiritur experientia ac eruditione & exemplo ſeniorum ſapien-

pientum, qui cùm experientiam habeant, ex caſibus præteritis, ſupplent, ſi audiantur, prudentiæ defectum & experientiæ, ùt docet Peyrinis *to. 2. quaſt. 2. cap. 3. §. 6.* ſicut ergò in eodem genere ſine doctrina ſeu ſcientia non datur prudentia, quia prudentia ex D. Auguſtino *L. 1. de Lib. arbit. cap. 3. eſt ſcientia rerum appetendarum vel fugiendarum*: ita ſcientia parùm inſervit ſine prudentia, ita quidem ut ipſæmet *cætera virtutes, niſi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes eſſe nequaquam poſſint* ex D. Gregorio M. *L. 2. Moral. cap. 25.* Unde ſi ulla in re opus eſt prudentia, ea vel maximè in audiendis confeſſionibus requiritur; nam ſi regimen animarum eſt ars artium, talis eſt maximè in ſacro Pœnitentiæ tribunali, in quo niſi prudentia dirigat Confeſſarium, in alteram facilè partem declinabit, & animabus perniciem accerſet; præcipuè verò opus eſt illa, tum ut ritè omnia perpendant ac veluti ad trutinam revocent; neque ſint nimis præcipites in ferendo judicio, & imponendis gravibus obligationibus, aut ab iis deobligando: tum ne ſuæ opinioni nimis ſtrictè adhæreant, ubi plures dantur ſententiæ verè probabiles & oppoſita videatur pœnitenti alioquin docto probabilior aut æquè probabilis. Conandum pariter, ut erroneis conſcientiis ſaniori inſtructione eripiant errores, præſertim cùm grave peccatum apprehendunt, ubi nullum eſt, aut leve tantùm. Aliter quoque agendum cum anxiis ac ſcrupuloſis, qui ubique timent peccare, aliter cum duris & laxis, qui omnia ſibi licitum putant, hos nempe abſterrendo, & à laxitatibus revocando, illos verò conſolando, ac vim eorum imaginativam corrigendo; maxima denique opus eſt prudentia in injungendis pœnitentiis, ne leves pro gravibus nec graves pro levibus peccatis imponant pœnitentias, & cùm quantitas & qualitas juſtæ pœnitentiæ prudentis Confeſſarii arbitrio relinquatur à cap *Deus qui. 8. de Pœnit. & Remiſſ.* & à Can. *Tempora. 2. cauſ. 26. quæſt. 7. Can. Menſuram. 86. de pœnit. diſtinct. 1.* Ideò in hujusmodi quantitate & qualitate pœnitentiæ injungendæ inſpicienda eſt præcipuè gravitas & levitas peccatorum ac qualitas perſonæ confitentis, an parata ad magnas ipſa peragendas pœnitentias, an verò magnam recuſatura, aut non impletura: an huic proſint mortificationes corporis ac ſenſuum, an illi preces multæ & quotidianæ, an verò futuræ ſint graves & omittendæ de facili? atque hinc imprudenter ageret Confeſſarius, ſi cuipiam ad horarum Canonicarum omittendam recitationem prono, aut in iis perſolvendis negligenti multas alias pro pœnitentia imponeret ac ſuperadderet preces; cùm enim horas Canonicas facilè ſoleat omittere, multò majus periculum foret, ne & ſuperadditas pro pœnitentia preces omittat. Ex quibus ſanè ſatis ſuperque patet, quàm rectè S. Pontifex requiſiverit, ut Confeſſarii à Prælato

pro Regularibus deputandi ſint, viri prudentes, quámque neceſſaria ſit ipſis prudentia ad dirigendas eorum conſcientias, & ſalvandas eorum animas.

42 Nec ſcientia tantùm ac prudentia, ſed etiam charitate præditos eſſe vult S. Pontifex tales Confeſſarios à Prælatis deputandos, qua nempe erga pœnitentes ſuos Patris exerceant officium, eorum defectus benignè ſupportent, ac importunitatem patienter ſufferant, nec indulgentiores ſint in corrigendis eorum culpis, neque ſeveriores quàm oporteat. Eſt præterea charitas eiſdem maximè neceſſaria tum ut ſeriò & indefeſsè quærant emendare pœnitentes, ad perfectionem Religioſam excitent & eis ubique prodeſſe quærant, præſertim in æternæ ſalutis negotio. Ex quibus ſanè perſpicuum eſt, quantum interſit bonos in Monaſterio deputatos eſſe Confeſſarios, qui præclarè ſuo fungantur officio, quámque malè agant Prælati, qui tales pro Religioſis ſuis conſtituunt Confeſſarios, quos nulla inflammat charitas, quibus modica ineſt prudentia, nec alia quàm ſuperficialis ſcientia, quique ſi forte difficilior occurrat caſus aut hærent ſenſuspræ inſcitia, aut coguntur alios primùm conſulere cum maximo periculo & frangendi ſigillum, & propalandi cum delicto ipſum delinquentem, quod ſæpè in parvis Collegiis evenire poteſt & ſolet. Multo pejus verò eſt, ſi tales deſignentur, quos nulla vitæ probitas, nec ulla rerum ſpiritualium peritia commendat, ſed ſolus Prælati favor ac inordinatus affectus, quem ſibi aut morum ſimulatione aut adulatione pepererunt, & quis dubitet ejusmodi Prælatum peccare graviſſimè, dum tales conſtituit ineptos Confeſſarios pro audiendis Religioſorum ſuorum confeſſionibus; nam quomodo hi poſſunt inſtruere alios ipſimet in rebus moralibus inſcii? quomodo alios in via ſalutis dirigere, ipſimet directione indigentes? quomodo alios ad perfectionem manuducere, cui nunquam ſtuduerunt ipſi? quomodo alios ad procurandam animæ ſuæ ſalutem æternam excitare, ſuæ prorſus incurii? nil aliud profectò ab hujusmodi Confeſſariis ſperandum eſt, quàm Religioſæ vitæ relaxatio: diſciplinæ Regularis ruina, ac vitiorum omnium effrœnis licentia, cùm neque medelam vitiis afferre ſciant, nec pœnitentes ab his audeant dehortari, ac denique ne eosdem offendant ac contriſtentur leves pro graviſſimis peccatis pœnitentias injungant, qua nulla re magis vitiis & ſceleribus laxantur frœna. Ex hoc ipſo verò ſuboritur dubium, an ſi Prælatus advertat Confeſſarium à ſe deputatum nimis eſſe indulgentem & in injungendis pœnitentiis plusquam benignum, atque inde majorem peccandi licentiam naſci inter Religioſos ſuos, pro certis peccatis poſſit taxare & præſcribere pœnitentias à Confeſſario deputato

pœni-

pœnitentibus ſuis injungendas? Ad quod reſpondeo & ulterius

43 Dico denique 6tò. *Poſſunt Prælati Pœnitentias à Confeſſario ſuis Religioſis imponendas taxare & præſcribere etiam pro peccatis non reſervatis.*

Ita expreſſis verbis ſtatuit Clemens VIII. in ſuo ſæpiùs jam citato de caſibus reſervatis decreto pro Regularibus, cùm ait: *licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reſervatis à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab hujuſmodi perpetrandis cohibere poſſint*; & ratio eſt, quia Prælatus ad hoc habet Jus & poteſtatem, cùm in hac cauſa ſit judex ordinarius: unde ſicut eam poteſt non committere, ita poteſt etiam, ſi eam committit, certum præſcribere modum, & taxare pœnam pro meritis ferendam; atque ſic priſcis temporibus præſcripti erant in Eccleſia Canones pœnitentiales, in quibus erant taxatæ pœnitentiæ pro gravioribus quibusdam delictis, prout plures referuntur paſſim in Decreto Gratiani præſertim Can. *Latorem. 15. & ſeq. cauſ. 33. quæſt. 2.* ſicut etiam à Burchardo *L. 12. cap. 21.* & à S. Ivone Carnotenſi noſtro *part. 12. cap. 78.* Monet autem Aſcan. Tamburinus *to. 2. Diſp. 6. quæſt. 5.* Prælatos, ut in uſu hujusmodi poteſtatis moderatè & prudenter ſe gerant; quamvis enim taliter poſſint pro certis ac gravioribus peccatis determinare Confeſſariis pœnitentias etiam ſub præcepto imponendas, id tamen ſine magna & extraordinaria cauſa fieri haud debet, & non niſi caſu, quo id neceſſarium videtur ad abſterrendos ſubditos à quibusdam peccatis ad ea perpetranda cæteroquin pronos, aut quando revera timetur, ne ex nimia Confeſſarii benignitate ac indulgentia major in ſubditis oriatur peccandi licentia. Cavendum autem vel maximè in hoc caſu tam Prælatis quàm Confeſſariis, ne pro peccatis occultis quantumvis gravibus talem imponant pœnitentiam, ex qua manifeſtetur delictum aliàs occultum, ùt etiam ex Rituali Romano obſervat Campioni *in Inſtruct. Confeſſar. part. 1. cap. 7. n. 25.*; ſuppoſito autem, quòd Prælatus ſub præcepto præſcribat Confeſſario ac determinet pœnitentias, pro certis peccatis pœnitenti imponendas, tenetur is illas imponere, nec eſt in ejus poteſtate ab illis eximere ac diſpenſare pœnitentem ſuum, cùm ſit præceptum in re gravi: niſi fortè graves pœnitentias imponeret pro peccatis levioribus, pro his enim tales non poſſe præſcribere, colligitur ex verbis S. Pontificis id concedentis pro peccatis tantùm gravioribus, quæ cùm ſint odioſa, ſtrictè interpretanda ſunt, nec extendenda ultra verborum proprietatem.

Sectio

Sectio IV.

De poteſtate abſolvendi à caſibus Prælato reſervatis.

44 STatuimus hactenus, teneri Prælatos in quovis Monaſterio aliquos deputare Confeſſarios ad audiendas Religioſorum ſuorum confeſſiones & ad eos à peccatis abſolvendos: modò poſtulat doctrinæ ordo, ut & inquiramus, quousque ſe extendat in hujusmodi Confeſſariis deputatis poteſtas abſolvendi, an ea ſit abſoluta, an verò reſtricta: & an ab omnibus poſſint abſolvere peccatis, an verò a quibusdam tantùm? Qua in re certum eſt, poſſe Prælatum Confeſſario à ſe deputato abſolutam concedere poteſtatem abſolvendi Religioſos ſibi ſubditos ab omnibus peccatis, à quibus ipſe poteſt abſolvere: à quibus verò ipſe non poteſt abſolvere, neque poteſt facultatem ab iis abſolvendi concedere Confeſſario à ſe conſtituto; quia non poteſt ampliorem jurisdictionem conferre ac delegare aliis, quàm habet ipſe. Difficultas proinde ſolummodo hic eſt, quoad caſus à Prælato reſervatos, an ab his abſolvere poſſint Confeſſarii ad audiendas Religioſorum confeſſiones deputati, an autem ad hoc ſpeciali indigeant licentia ac poteſtate, præſertim ſi generalem habeant facultatem abſolvendi à peccatis, ita tamen, ut in ea concedenda neque implicitè neque explicitè facta fuerit mentio reſervatorum, quæ difficultas plures alias poſt ſe trahit, pro quibus ritè reſolvendis recolenda ſunt dicta à nobis ſuperius *tr. 3. Diſp. 1. ſect. 2.* de poteſtate Prælatorum reſervandi caſus & ab iis abſolvendi, & exinde ſcitu neceſſaria huc transferenda, quibus ſuppoſitis examinandum hìc venit 1mò. An Confeſſarii à Prælato ad audiendas Religioſorum ſuorum confeſſiones deputati poſſint abſolvere à caſibus eidem reſervatis? 2dò. Quinam poſſint ab illis abſolvere? 3tiò. An Prælati Confeſſariis à ſe deputatis poteſtatem abſolvendi à reſervatis pro aliquo caſu petentibus teneantur eam concedere? 4tò. An Confeſſarii ejusmodi deputati poſt petitam à Prælato licentiam abſolvendi à reſervatis, licèt non obtentam, poſſint Religioſos nihilominus illa vice ab illis abſolvere, & quidem directè? Unde

Dico 1mo. *Confeſſarii à Prælato ad audiendas Confeſſiones Religioſorum ſuorum deputati per ſe non poſſunt eos abſolvere à caſibus eidem reſervatis.* 45

Ita

Ita communis tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia: & deſumitur ex Decreto Bonifacii IX. relato in *cap. ſi Epiſcopus. 2. de Pœnit. & Remiſſ. in 6.* ubi ſtatuitur: ſi Epiſcopus ſuo ſubdito conceſſerit, ut ſibi poſſit idoneum eligere Confeſſorem, ille quem is elegerit, in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur, nullam habet penitùs poteſtatem: ergò à pari, etſi Prælatus alicui conceſſerit idoneo Sacerdoti facultatem abſolvendi Religioſos ſuos, nullam tamen concedere cenſetur facultatem abſolvendi à reſervatis; & ratio eſt, quia in conceſſione generali non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter non eſſet conceſſurus in ſpecie: ſed poteſtatem abſolvendi à reſervatis veriſimiliter Prælatus non concederet in ſpecie; hoc ipſo, quòd ea peccata ſibi velit ſpecialiter eſſe reſervata: ergo in conceſſione generali audiendi confeſſiones ſuorum Religioſorum non veniunt peccata reſervata, conſequenter ab iis non poſſunt abſolvere Confeſſarii, etſi generaliter deputati ſint ad audiendas Religioſorum confeſſiones, adeò quidem, ut ſi ab iis abſolvant, invalida ſit eorum abſolutio ex defectu jurisdictionis ad eam requiſitæ, idque verum eſſe putant Coninck, Henriquez, Bonacina, Suarez, Lezana, Roſſignolus & alii, tametſi pœnitens exiſtimet ſe non habere reſervata, aut ignoret peccata ſua eſſe reſervata: quamvis quoad hoc contrarius ſit Andreas à Matre Dei to. 4. tr- 18. cap. 4. punct. 2. cum aliis multis, qui putant, quòd ad hoc, ut caſus ſit revera reſervatus, requiratur notitia reſervationis, quòdque illius ignorantia excuſet à reſervatione, atque adeò, quòd pœnitens bona fide exiſtimans caſum non eſſe reſervatum, aut ignorans illius reſervationem abſolvi poſſit à quolibet Confeſſario etiam non habente poteſtatem in caſus reſervatos; quia talis reſervatio vel eſt purè pœnalis, & hoc ipſo excuſat ab illa arg. *cap. 2. de Conſtit. in 6.* vel etiam eſt medicinalis, & tunc non incurritur, cùm univerſim pœnæ medicinales non incurrantur ab ignorantibus; deinde notitia reſervationis ſe habet tanquam conditio ſine qua non incurritur, cùm aliàs obtineri non poſſit finis reſervationis, qui eſt ut abſterreantur homines à ſimilibus peccatis committendis, tum ut timore adeundi Superiorem pro abſolutione difficiliùs perpetrentur, quod obtineri haudquaquam poteſt ſine notitia reſervationis. Suppoſita autem notitia reſervationis certum eſt, quòd non poſſit abſolvi pœnitens à reſervatis, niſi fortè in caſu urgentis neceſſitatis, qua celebrandum eſt, & non poteſt adiri Prælatus, nec adeſt Confeſſarius potens abſolvere à reſervatis, tunc enim præmiſſa integra confeſſione tam de reſervatis quàm non reſervatis poterit abſolvere Confeſſarius aut alius quicunque idoneus, ab his quidem directè, ab illis verò indirectè, & cum one-

re ſe poſtea ſiſtendi Prælato, qui in tali caſu meritò præſumitur non eſſe rationabiliter invitus, aut certè Eccleſia ipſa, utpote pia Mater, juriſdictionem ſupplet ac tali annuit abſolutioni, ùt docent Authores. Quòd ſi tamen Religioſus præter caſum reſervatum non habeat alia peccata mortalia non reſervata, non tenetur per ſe loquendo confiteri, ùt cum Nunno *p. 3. q. 9. a. 2. dub. 3.* docent Petrus Ledeſina *in ſum. de Sacr. Euch. cap. 11.* Suarez *Diſp. 66. ſect. 4.* Coninck *q. 80. art. 4.* Card. de Lugo *Diſp. 14. ſect. 5.* Reginald. *L. 29. quaſt. 4. ſect. 2.* Salmanticenſ. *to. 1. tr. 4. cap. 7. n. 37.* Brencola *cap. 3. de Caſ. reſerv. n. 65.* & teſte Tamburin. *to. 2. de Caſ. reſervat.* tenent omnes; ratio eſt, quia tunc idem eſt, ac ſi deeſſet copia Confeſſarii, cùm Confeſſarius præſens non habeat poteſtatem abſolvendi à reſervatis, ùt ponitur, & nulla ſit obligatio confitendi venialia; ſufficit ergo tunc actus contritionis; licet etiam poſſit ea confiteri, ſi velit, ſi talia habeat præter reſervatum, atque etiam per accidens teneatur, ſi non poſſit elicere contritionem, ut ſic per Sacramentum Pœnitentiæ procuret ſtatum gratiæ.

46 Dico 2dò. *A caſibus Prælato reſervatis illi ſoli poſſunt abſolvere, qui ab eodem ſpecialem habent licentiam, & poteſtatem delegatam.*

Ita indubitata ſententia & fluit ex dictis, ac probatur; nam illi ſoli poſſunt abſolvere à caſibus Prælato reſervatis, qui in eos habent juriſdictionem: ſed eam habent illi ſoli, qui ſpecialem à Prælato habent licentiam & poteſtatem delegatam ab iis abſolvendi: ergo illi ſoli poſſunt abſolvere à peccatis ſeu caſibus Prælato reſervatis; major patet, minor probatur: ad eum enim ſpectat dare juriſdictionem in certa peccata, qui eam reſtrinxit: ſed Prælatus reſtrinxit Confeſſariis juriſdictionem in certa peccata: ergo ad eum ſpectat illam iterum concedere ac reſtituere. Præterea: qui habet juriſdictionem ordinariam abſolvendi à caſibus reſervatis, poteſt eam aliis delegare: atqui Prælatus habet juriſdictionem ordinariam abſolvendi à caſibus ſibi reſervatis, ùt per ſe patet: ergo poteſt eam delegare cuicunque voluerit idoneo Sacerdoti, & conſequenter illi ſoli, qui hanc habent juriſdictionem ac poteſtatem delegatam, poſſunt abſolvere à caſibus Prælato reſervatis. An verò Prælatus quandoque etiam teneatur hanc poteſtatem abſolvendi à reſervatis delegare Confeſſariis eam petentibus pro aliquo caſu, quo pœnitens vel ex verecundia, vel aliis de cauſis non vult accedere Prælatum pro confeſſione eidem facienda aut impetranda abſolutione, major eſt difficultas, in qua quidem videtur, quòd non teneatur, hoc ipſo, quòd plenam habeat ſibi ſoli caſus reſervandi poteſtatem, quæ ſane

ſanè foret inutilis, ſi deberet eam aliis concedere Confeſſariis, atque ita rueret finis per reſervationem caſuum ab Eccleſia intentus. Verùm hoc non obſtante

47 Dico 3tiò. *Confeſſariis à Prælato deputatis poteſtatem abſolvendi à reſervatis pro aliquo caſu petentibus tenetur per ſe loquendo Prælatus eam pro eo caſu concedere, ita quidem, ut ſi neget eam, quando Confeſſarii dandam eſſe judicaverint, peccet mortaliter.* Ita fermé in terminis Clemens VIII. in ſuo illo de caſibus reſervatis Decreto, ubi expreſsè præcipit: ut *Superiores deputent Confeſſarios, quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe Confeſſarius judicaverit.* Ex quo graviter peccare Prælatum, qui petitam taliter facultatem abſolvendi denegat, deducunt Authores communiſſimè ſecuti hac in re D. Thomam *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. ad 6.* ubi ait: peccare Superiorem, qui ſe præbet difficilem in danda hac facultate, quia mult ſunt adeò infirmi, ut potiùs ſine confeſſione moriantur, quàm peccatum aliquod tali Confeſſario confiteantur. Unde Superiores illi, qui ſunt nimis ſolliciti, ut conſcientias ſubditorum per confeſſiones ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & conſequenter ſibi ipſis; multis autem modis graviter peccant ejuſmodi Superiores ac Prælati, ac primò quidem contra juſtitiam, quia ſubdito auxilium non præſtant, quod tamen poſſunt, & ratione officii præſtare tenentur, ùt cum aliis pluribus probat Lugo. 2dò. contra Religionem, quia reddit Sacramentum Pœnitentiæ longè magis difficile, oneroſum & odioſum, ac ſimul exponit periculo irreverenter illud & ſacrilegè tractandi. 3tiò. contra charitatem, eo quòd proximum afficiant gravi onere & incommodo ſine ſufficienti cauſa, eúmque contra expreſſum S. Pontificis præceptum jugo ſubjiciant inſupportabili; atque hinc tales Superiores, ùt teſtatur Fagundez *præcept. 3. L. 3. cap. 9. n. 17.* ab aliis vocantur crudeles & tyranni, idque etiam Suarez apud eundem dicit eſſe crudele, tyrannicum & periculoſum.

Ex quibus ſequitur, concedendam eſſe Confeſſario petitam à caſibus reſervatis abſolvendi poteſtatem non tantùm quando nullam Prælatus habet cauſam denegandi, ſed etiam quando dubia illa eſt, aut non omninò certa; præterquam enim, quòd hac in re plus ſit periculi in negatione, quàm in conceſſione, ùt paſſim monent Authores, in dubio ſtandum eſt judicio Confeſſarii, qui 48

meliorem habet notitiam pœnitentis, quàm Prælatus. Nec minùs concedenda eſt, cùm pœnitens timet, præſertim rationabiliter, ſi Prælato confiteatur aut manifeſtetur, indè ſibi grave damnum evenire poſſe confeſſioni extrinſecum, út grave odium, vilipenſionem, abuſum notitiæ Sacramentalis ad externam gubernationem, aut alia mala cum gravi ſuo incommodo; multo magis autem ea concedi debet, quando ex negatione petitæ facultatis prudenter timeri poteſt grave damnum ſpirituale pœnitentis, ne fortè ex inordinata verecundia Prælato non confiteatur integrè, vel omninò abſque prævia confeſſione communicet aut ſacrificet, vel etiam, ne cum minori fructu confiteatur Prælato, quàm ordinario Confeſſario ſuo: quorum omnium ratio eſt; quia reſervatio caſuum, ſicut & Sacramentum Pœnitentiæ, introducta eſt unicè in bonum pœnitentis, ad quod proinde in omni caſu reſpiciendum eſt.

49 Quamvìs autem Prælatus per ſe loquendo communiter teneatur concedere petitam tum à Confeſſario tum à pœnitente poteſtatem abſolvendi à reſervatis, nec in ea concedenda debeat eſſe difficilis, non deſunt tamen caſus, in quibus etiam juſte poteſt eam denegare, nempe cùm periculum eſt, ne tale peccatum cedat in grave communitatis damnum, aut in aliorum perniciem vel in ipſius pœnitentis ruinam, quamvis tale periculum rarius ſubeſſe ſoleat, & ſi quandoque foret, aliis haud dubiè mediis, iiſque fortè magis accomodatis caveri poſſit; ne gravius ſequatur malum, quàm ſit bonum, quod exinde ſperatur; eam pariter denegare poteſt Prælatus, ſi nemo alius præter ipſum ſciat conveniens adhibere medium, aut ſi advertat ex nimia facilitate concedendi hanc poteſtatem accipere pœnitentes anſam frequentius delinquendi: verùm utrique huic malo occurri poteſt unico medio, ſi nempe Prælatus conveniens præſcribat remedium pœnitenti applicandum, talemque taxet & injungat pœnitentem, quæ potens ſit eundem à frequentiori lapſu abſterrere: unde raró eveniet caſus, in quo neceſſe ſit petitam à Confeſſario licentiam abſolvendi à caſibus reſervatis denegare. Quòd ſi tamen indiſcretus quiſpiam Prælatus non tantùm in his, ſed etiam in prioribus caſibus præfractè neget hanc abſolvendi poteſtatem à reſervatis, tametſi Confeſſarius petat ac cenſeat, eam eſſe hìc & nunc concedendam, tunc

Dico 4tò. *Poſſunt Confeſſarii ad excipiendas Religioſorum confeſſiones deputati poſt petitam à Prælato poteſtatem abſolvendi à caſibus eidem reſervatis, licèt non obtentam, eoſdem* 50

dem

dem nihilominus illa vice ab illis abſolvere, & quidem directè.

Ita rursùs Clemens VIII. in ſæpè citato Decreto ſuo de caſibus reſervatis, ubi Sanctitas ſua n. 19. deinceps *declaravit & declarat, ut ſi hujusmodi Regularium Confeſſariis caſûs alicujus reſervati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate abſolvere.* additúrque in prædicto Decreto Clementino ampliſſima clauſula derogatoria: non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac cujusvis Concilii etiam Generalis decretis, nec non conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore obſervatis, aut regulis in Generalibus ſeu Provincialibus Capitulis editis, ſtatutis & Conſtitutionibus etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis: privilegiis, indultis & conceſſionibus quibuscunque, quorum tenores pro expreſſis haberi voluit &c. quam ipſam declarationem cum ipſo decreto innovavit, confirmavit, & publicavit Urbanus VIII. *Anno 1624. die 26. Octobr.* Quòd autem ejusmodi Confeſſarii in tali caſu abſolvere poſſint, directè tradunt Authores communiſſimè, quos citat & ſequitur Dicaſtil. *de Pœnitent. Diſp. 10. n. 184.* & *Diſp. 11. n. 339.* Pellizarius *to. 2. tr. 8. cap. 2. n. 60.* Diana *part. 3. tr. 2. Reſol. 126.* provenitque taliter abſolvendi poteſtas ab ipſo S. Pontifice, qui tum ad corrigendam imprudentiam ac indiſcretionem Prælatorum facultatem hanc abſolvendi concedere recuſantium, tum ad præcavenda gravia animarum damna illam Confeſſariis ita abſolutè conceſſit, ut in virtute ſupremæ illius poteſtatis, quam S. Pontifex ampliſſimam habet, abſolvere poſſint, cui haudquaquam obſtare poteſt hujusmodi Prælatorum indiſcreta negatio, & protervа conceſſæ poteſtatis abuſio, utpote, quæ priori illi pleniſſimè ſubjecta eſt, & ab ea dependet unicè, quæque ſemper à Papa aut omninò tolli, aut pro libitu circumſcribi & modificari poteſt.

Quamvis autem S. Pontifex tribuat Confeſſariis in ejusmodi caſu poteſtatem & jurisdictionem abſolvendi à caſibus reſervatis, eam tamen reſtringit pro *illa vice*, qua nempe petitur licentia, & ea à Prælato denegatur: quæ tamen ipſæ particulæ non modicam ingerunt difficultatem, & Authores in diverſas trahunt ſententias; nam aliqui accipiunt eas reſtrictivè ad unum præcisè caſum, ita ut facultas illa cenſeatur tantùm conceſſa pro ſemel in vita, prout ſentire videtur Tamburin. de Jur. Abb. *to. 2. Diſp. 13. quæſ. 8. n. 7.* alii verò easdem ſumunt ampliativè pro omni caſu occurrente, ita ut petita ſemel & non obtenta poſſit Confeſſarius, toties quoties contigerit caſus, ab eo abſolvere, quin teneatur unquam 51

Digitized by Google

de novo accedere Superiorem & ab eo licentiam petere, idque deſumunt ex declaratione Congregat. Viſit. Apoſtol. de mandato Clement. VIII. facta, quæ incipit: *Sanctiſſimus. Anno 1601. die 13. Martii*, ubi præcipitur: ut Regularium Superiores etiam delegati à Confeſſariis requiſiti promptè facultatem concedant abſolvendi ſubditos à ſibi reſervatis, alioquin Confeſſarius poſſit abſolvere ab illo caſu absque facultate, ùt eſt apud Margarin. *in Bullar. Caſſin. to. 1. Conſtit. 246.* & refetunt etiam Biſſus *in Hierurg. to. 2. Lit. P. n. 189.* §. 4. ac Matthæuc. in Offic. Cur. Regul. *to. 1. cap. 23. n. 57.* in qua declaratione nulla fit reſtrictio ad unam tantùm vicem, neque etiam S. Pontifex in ſuo decreto addidit particulam reſtrictivam *tantùm*: unde cenſeri debet, quòd Confeſſarius per illam ipſam denegationem ſemel factam acquirat Jurisdictionem abſolvendi toties quoties occurrerit caſus absque eo, quòd de novo debeat accedere Superiorem; atque ita ſentiunt cum aliis Alphonſus Leo *tr. de Offic. & poteſt. Confeſſ. to. 2. Recoll. 6. n. 178.* & Ludovic à Cruce *in Expoſ. Bull. Cruciat. Diſp. 1. cap. 3. dub. 3.* Inter extremas hasce ſententias media mihi videtur longè probabilior, quæ docet, quòd ſi Confeſſarius judicet facultatem abſolvendi à reſervatis hìc & nunc eſſe concedendam, eámque petat à Prælato, hicque nolit eam concedere, poſſit pro illa vice abſolvere pœnitentem à caſibus eidem reſervatis: ſique ſæpiùs pro diverſis temporibus & caſibus id eveniat, tunc etiam ſæpiùs poterit petita priùs licentia etſi non obtenta, ab illis abſolvere, & hoc toties quoties: acquirit ergò Confeſſarius per hoc poteſtatem abſolvendi à reſervatis non ſtabilem & habitualem, ſed tantùm actualem pro qualibet vice, & cum qualibet tranſeuntem: quæ ſanè particularum illarum explicatio & naturali verborum ſignificationi & intentioni S. Pontificis conformior eſſe videtur, eámque amplectuntur Authores communiùs cum P. Stoz in appendice de Caſib. reſervat. cum quo

Obſervandum eſt præterea circa decretum Clementinum, quòd licèt in eodem dicatur ſimpliciter, poſſe Confeſſarium abſolvere à reſervatis, ſi eidem petenti dare noluerit Superior facultatem, id tamen intelligi debeat juxta id, quod jam ante in ipſo decreto fuerat expreſſum, nimirum quando caſus occurrerit, in quo ipſe inprimis Confeſſarius judicaverit facultatem debere concedi: cúmque Confeſſarii Regularium juxta idem decretum debeant eſſe viri docti, prudentes, ac charitate præditi, credendum eſt eos non facilè judicaturos, concedendam eſſe facultatem abſolvendi, niſi quando juxta Doctorum placita poſſunt ita prudenter judicare: quando autem Confeſſarius poteſt prudenter judicare facultatem eſſe concedendam, ſicuti ſemper cùm rationa- 52

bi-

Digitized by Google

biliter nullum timet pœnitentis periculum, aut aliorum damnum, tum etiam tenetur ita judicare. Notandum inſuper, quòd Confeſſarius dicto modo poſſit abſolvere Religiòſum, etiamſi nulla comunicandi aut celebrandi neceſſitas urgeat, nec ullum immineat periculum ſcandali vel infamiæ, quia verba declarationis loquuntur generaliter & independenter à tali neceſſitate vel periculo. Hæc ipſa tamen potiſſimùm intelligenda ſunt de Confeſſariis ordinariis, & à Prælato deputatis; de his enim tantùm loqui videtur decretum Clementinum: quamquam ſi alius quiſpiá è Canonicis vel aliis Confeſſariis, iſque cæteroquin ſufficiens, vir doctus & prudens ac ad aliorum confeſſiones Religioſorum excipiendas idoneus eandem facultatem pro aliquo petat à Prælato, atque expedire judicet, ut illi concedatur, hæc illi non facilè ſit deneganda, cùm & talis perſonam pœnitentis magis perſpectam, & pœnitens ipſe juſtam alios recuſandi cauſam habere poſſit.

53 Neque hìc mihi quiſpiam objiciat: ſi ita eſt, & Confeſſarius poteſt poſt petitam à Prælato facultatem abſolvendi, etſi non obtentam nihilominus ſemper abſolvere, tunc penitùs relaxatur diſciplina Eccleſiaſtica per reſervationem caſuum intenta, & omnis enervatur vis reſervationis, hæcque planè inutilis erit ad abſterrendos homines à gravioribus peccatis, cùm nullum ex ea pœnitens perciperet onus, ſed omne redundaret in Confeſſarium, qui & Prælatum accedere, & ab eo veniam abſolvendi petere, atque hujus quodammodo rationem reddere teneretur: pœnitens econtra neque deberet ſe ſiſtere Prælato nec ab eo facultatem alteri confitendi rogare, nec ullum gravius ſubire incommodum in obtinenda abſolutione à reſervatis, quàm à non reſervatis. ℞. ſat magnum onus eſſe atque incommodum pœnitentis etiam in noſtro caſu, quòd & ſciat peccatum ſuum difficilius abſolvi poſſe, & quòd pro illius abſolutione mittendus ſit Confeſſarius ad Prælatum, quódque hic expectandus, donec illius impertiendæ licentiam impetraverit, atque inſuper timere debeat, ne Prælatus ipſe præſcribat pœnitentiam vindicando crimini accomodatam, & talia adhibeat media, quæ ad illud impoſterùm præcavendum opportuna creduntur; per hoc ipſum autem Prælatus ſatis præcavere poteſt ac providere, ne vis reſervationis enervetur, aut relaxetur diſciplina Eccleſiaſtica per illam intenta, ſimúlque pœnitentes abſterreantur à gravioribus delictis, quibus tali modo tantundem præcavere poteſt, quàm ſi deberent ſibi ipſi confiteri; quod enim hoc caſu Prælatus per ſeipſum intendit facere, id omne per deputatum facere poteſt Confeſſarium. Metuere præterea debet ejusmodi pœnitens

tens, ne ſi ſæpiùs redeat cum iisdem reſervatis peccatis, Confeſſarius judicet, non ampliùs expedire, ut ab alio, quàm Prælato abſolvatur, atque hoc ipſo ad illum remittat. (*Adde*; hanc explicationem, utut miram videri tamen decreto Clementis VIII. conformem. Nam etiam in editione decretorum Pontificiorum Regularibus ad menſam prælegendorum, quæ facta eſt Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ cum facultate S. Palatii Magiſtri Anno 1706. omiſſa eſt illa reſtrictio, *pro illa vice*; ſic enim ſonat: *Superiores deputent duos, aut tres Confeſſarios, quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe inprimis Confeſſarius judicaverit.*)

14 Cæterùm caveant ejusmodi Confeſſarii, ne dum facultatem petunt à Prælato abſolvendi à reſervatis, manifeſtent perſonam pœnitentis, atque tali modo Prælatus veniat in illius notitiam, talitérque revelent ſigillum confeſſionale: atque hinc Confeſſarii perſonam & caſum celare debent in ſpecie, ſi periculum ſit, ne pœnitens manifeſtetur Prælato, neque enim neceſſe eſt caſum eidem in ſpecie manifeſtare, idque plerumque periculoſum eſt; licèt autem Prælatus poſſit inquirere in ſpeciem peccati, ut poſſit eidem inſtructionem dare, ac pœnitentiam taxare, atque Confeſſarius debeat ei ſpeciem peccati fateri, id tamen ita intelligendum eſt, ſi id fieri poſſit ſine periculo frangendi ſigillum: ſecùs non licere docet Layman *de Sacram. Pœnit. tr. 6. cap. 12. qu. 4.* Porrò Confeſſarius petens licentiam abſolvendi à reſervatis ad tria debet attendere: ad intentionem petentis, ad verba petentis, & ad verba concedentis; & quidem attendere debet ad intentionem petentis, ipſius ſcilicet Confeſſarii; nam petens licentiam pro uno, & in ſua mente intendens pro Petro, non poteſt illa licentia uti pro Paulo, relicto Petro, quia Prælatus concedit licentiam juxta mentem petentis; ſi autem petat pro uno pœnitente vagè & indeterminatè, & ſic etiam Prælatus concedat facultatem, poteſt illa Confeſſarius uti pro Petro, vel pro Paulo, vel etiam pro ſeipſo, ut abſolvatur ab alio, modò tamen Prælatus non dicat: do tibi licentiam, ut illum abſolvas; tunc enim non poterit idem Confeſſarius facere ſe ab alio abſolvi, ùt benè advertit Averſa *quæſt. 17. ſect. 7.* quia Prælatus in tali caſu contulit authoritatem abſolvendi determinatè ipſi Confeſſario, qui proinde non poſſet hanc authoritatem transferre in alium Confeſſarium ad abſolvendum alterum pœnitentem: ergò nec poterit transferre ut faciat ſeipſum abſolvi, Franciſcus à JEſu Maria *tr. 6. cap. 13. n. 37.* Brencola *cap. 3. n. 69.* Debet præterea attendere Confeſſarius ad verba petentis, & ad verba concedentis; unde ſi Confeſſarius petat facultatem abſolvendi

di ab uno reſervato, & Prælatus concedat, & addat hæc vel ſimilia verba: *do tibi omnes vices meas*, dat facultatem abſolvendi etiam ab aliis; ſic etiam poteſt Confeſſarius abſolvere à peccatis reſervatis poſt obtentam licentiam commiſſis, licèt dicatur, *pro hac vice*, ſi licentia detur indefinitè pro caſibus reſervatis, dummodo non nimis differatur, ùt cum aliis docent Franciſcus à JEſu Maria *to. 1. tr. 6. cap. 13. n. 39.* & Brencola *cap. 3. n. 69. ad fin.* Nec obſtat, quòd quis fortaſſè ſumat occaſionem peccandi videns, quòd poſſit faciliùs obtinere abſolutionem; quia id eſt per accidens, nec proptèreà redditur illicita vel conceſſio facultatis vel illius petitio, ſive petatur à Confeſſario ſive à pœnitente, ſicut non redditur illicita licentia conceſſa per Jubilæum, aut per eundem Confeſſarium impetrata & pœnitenti notificata: etiamſi per accidens poſſit ex illa ſumere anſam peccandi, videns quòd poſſit faciliùs obtinere abſolutionem. Quòd ſi licentia concedatur ſpecificè pro certo genere peccatorum & interim committantur alia reſervata diverſi generis, utique ea licentia non valebit pro his aliis, ùt cum Averſa benè advertit citatus Franciſcus à JEſu Maria. Denique cùm licentia intelligenda ſit juxta verba petentis, ſi hic petat ad abſolvendum a peccato commiſſo, non videtur extendi poſſe ad nondum commiſſum, cùm talis licentia petita non ſit. Cæterùm conceſſa facultate abſolvendi à caſibus reſervatis cenſetur etiam conceſſa facultas abſolvendi à cenſuris reſervatis, quia non poſſunt abſolvi peccata, niſi priùs abſolvantur cenſuræ. In dubio ſive Juris ſive facti, an peccatum aut cenſura ſit reſervata à quocunque Prælato etiam à Papa vel etiam in Bulla Cœnæ, aut hæreſis, poteſt ſimplex Sacerdos poſt adhibitam debitam diligentiam ad aſſequendam veritatem, quæ poteſt moraliter fieri, & non inventa, abſolvere pœnitentem, quia odia ſunt reſtringenda, & reſervationis obligatio cadit ſuper certa non ſuper dubia, prout ex communi teſtatur Viva in propoſit. 3. Alexandri VII. An verò qui ſic ab inferiore Confeſſario abſolutus eſt à peccato dubio in materia reſervata, liberetur à reſervatione, licèt poſtea peccatum certò conſtet? difficultas major eſt, ad quam ℟. cum Lugo *Diſp. 20. n. 22. & 23.* Dicaſtil. *Diſp. 11. dub. 6. n. 99.* Averſa *quæſt. 17. ſect.* Anton. à Spiritu S. *in Direct. Confeſſ. tr. 5. Diſp. 14. n. 946.* Franciſc. à JEſu Maria *to. 1. tr. 6. cap. 13. n. 16.* nullam ampliùs eſſe reſervationem, poſtquam quis v. g. fuit abſolutus à peccato hæreſis dubio, de quo ſcilicet non erat certus an commiſiſſet, etiamſi poſt acceptam abſolutionem certò conſtet peccatum fuiſſe commiſſum; quia tale peccatum (idem à pari dicendum de cenſura reſervata) fuit directè abſolutum, etſi fortè fuerit reſervatum:

ergò non tenetur pœnitens illud iterum confiteri, ut abſolvatur.

55 Sicut autem Confeſſarii cavere tenentur, ne petendo abſolvendi licentiam manifeſtent perſonam pœnitentis, ita neque debent Prælati curioſiùs inquirere in delinquentem aut in circumſtantias delicti non neceſſarias, quibus devenire poſſint in illius cognitionem; hoc ipſo enim, quòd pœnitens nolit confiteri Prælato, vult illi delictum ſuum haberi ſecretum, neminique alteri, niſi ſoli Confeſſario, fieri cognitum. Quòdſi tamen Prælatus ſive ex imprudentia Confeſſarii perſonam ac delictum propalantis, ſive ex aliis circumſtantiis ad confeſſionem pertinentibus deveniat in notitiam pœnitentis, ſciat ſe obligari ad ſigillum ſtrictè ſervandum; quia ad iſtud non ſolùm Con- confeſſarius, cui pœnitens peccata in confeſſione detexit, ſed etiam omnes illi, ad quos notitia confeſſionis quoquomodo mediatè vel immediatè, juſtè vel injuſtè pervenit, obligantur, ùt docet S. Thomas *in 4. diſt. 2. Q. 3. art. 1. quæſtiunc. 3.* Suarez *Diſp. 33. ſect. 4. n. 3.* Lugò *Diſp. 23. n. 34.* Diana *p. 2. tr. 15. Reſ. 14.* Palao *punct. 19. §. 4.* Coninck. *Diſp. 9. dub. 3. n. 52.* Dicaſtil. *Diſp. 11. n. 323.* Averſa *quæſt. 18. ſect. 5.* Roſſignol. *de Pœnit. part. 1. qu. 7. art. 22. S. 2.* Franciſcus à JEſu Maria *to. 1. tr. 6. cap. 14. n. 66.* & alii communiſſimè; & ratio eſt, tum quia aliàs non ſatis cautum foret pœnitentibus peccata ſua confitentibus, ſi ſigillo Sacramentali non etiam adſtringerentur illi, ad quos notitia dicto modo pervenit: tum quia peccata in confeſſione audita ad quemcunque tranſeant, ſemper tranſeunt cum onere ſigilli Sacramentalis eo modo ſervandi, quo res alteri hypothecata ſemper tranſit cum onere hypothecæ: idque præcipuè locum habet in Superioribus ac Prælatis, qui dum concedunt Confeſſariis poteſtatem abſolvendi à reſervatis, vices gerunt Confeſſarii, cùm exerceant jurisdictionem in ordine ad pœnitentem abſolvendum & alia remedia præſcribant ad ſolum cæteroquin Confeſſarium pertinentia: hinc dubium non eſt, quin & ipſi ad ſigillum teneantur non minùs quàm Confeſſarii, neque poſſint uti notitia taliter ex Confeſſarii relatione hauſta ad politicam gubernationem, cùm eam non obtinuerint ùt homo, ſed ùt Deus ſeu ùt Director animarum in foro ſolùm conſcientiæ, non autem in foro externo, ad quod ea notitia nullatenus transferri debet, neque etiam neceſſaria eſt. Quæ tamen non obſtant, quo minus determinare poſſint pœnitentiam à Confeſſario pro caſu reſervato imponendam & quidem de præcepto; cùm enim Prælatus in tali caſu ſit ordinarius Judex, poteſt illum non ſimpliciter committere, ſed præſcribendo modum ſeu taxando pœnam ferendam: & aliunde hoc poteſt expedire ad bonum pœnitentis; ſic olim in Eccleſia erant

Digitized by Google

erant Canones pœnitentiales, qui pro diverſis peccatis diverſas pœnitentias præſcribebant; præſertim cùm id fieri poſſit ſine ulla fractione ſigilli, aut manifeſtatione perſonæ. Cæterùm cùm juxta occurrentes circumſtantias augeri vel minui debeat pœnitentia, conſultiùs hac in re communiter videtur eſſe, ſi ea relinquatur prudentiæ Confeſſarii determinanda, qui ex circumſtantiis meliùs perſpiciet, quid expediat: aſſignationémque pœnitentiæ à Prælato fieri per modum cujusdam directionis & ordinationis & non per modum præcepti, uti prudenter advertunt Suarez *Diſp. 30. ſect. 5.* Coninck. *Diſp. 8. de pœnit. dub. 14. in fin.* Palao *punct. 15. §. 5. n. 11.*

56 Sed quæri adhuc poteſt 1. An ceſſet reſervatio, quando confeſſio facta Prælato vel Confeſſario ab eo delegato fuit invalida? ℟. conceſſa per Superiorem vel illius delegatum abſolutione à caſibus ſibi in confeſſione delegatis, tametſi abſolutio nulla ſit, vel quia confeſſio non fuit integra, vel non fuit cum dolore requiſito, reſervationem tolli reſpectu peccatorum in confeſſione manifeſtatorum, nec ampliùs manere obligationem recurrendi ad Prælatum, cui erant reſervata, ita ut quamvis ſint neceſſariò confitenda, non maneant tamen ampliùs reſervata. Ita ex communi ſententia tradunt Sylveſter, Cajetanus, Suarez, Coninck, quos citat & ſequitur Palaus *tract. 23. Diſp. un. punct. 15. §. 6.* item Dicaſtil. *n. 124.* Averſ. *Quæſt. 17. ſect. 8.* Bonacina *Diſp. 5. qu. 7. punct. 5. §. 5.* Franciſc. à JEſu Maria *to. 1. tr. 6. cap. 13. n. 41.* ratio eſt, quia reſervatio tantùm ordinatur, ut peccata reſervata in confeſſione dicantur habenti jurisdictionem in illa, & ipſe judicet ea pœnitentiam imponendo, & impendendo abſolutionem, quod totum factum fuit in dicta confeſſione invalida. Neque obſtat, delegatum Confeſſarium non poſſe tollere reſervationem peccati, niſi mediante abſolutione Sacramentali, qualis non eſt, in qua pœnitens eſt indiſpoſitus, vel quia confeſſio non fuit integra, vel non fuit cum dolore requiſito: nam ℟. quòd licèt delegatus per ſe reſervationem peccati non auferat in propoſitis caſibus, Prælatus tamen ex recepta conſuetudine, communi authoritate firmata, eam tollit eo ipſo, quòd à ſuo delegato pœnitens abſolvatur, ùt cum Palao benè docet Franciſc. à JEſu l. c. Quid ſi verò quis committat peccata reſervata ob confidentiam, quòd ſperet ſe haud difficulter abſolvendum eſſe à delegato habente à Prælato licentiam ab illis abſolvendi generalem? ℟. cum Lugo *Diſp. 20. n. 130.* Averſa *quæſt. 17. ſect. 7.* Leandro *Diſp. 12. qu. 48.* & aliis ab his citatis, poſſe nihilominus & debere abſolvi; ratio eſt, quia in ipſa conceſſione licentiæ nec explicitè nec implicitè continetur talis limitatio,

& exceptio, vi cujus non debeat extendi ad talem ex confidentia peccantem; & quamvis mens concedentis ſit, ut peccatores à præteritis reſurgant, ne nova committant, per hoc tamen non excludit, quo minus etiam illi, qui hac ſpe ac confidentia peccant, poſſint abſolvi, dummodo in actu confeſſionis verè & ex animo reſipiſcant, ſicut oportet ad valorem & fructum Sacramenti.

57 Quæri poteſt 2dò. An etiam ceſſet reſervatio reſpectu caſuum, quos pœnitens fuit invincibiliter in confeſſione oblitus? ℞. ceſſare reſervationem ac tolli per confeſſionem factam apud legitimum Confeſſarium habentem facultatem ab his abſolvendi, & abſolutionem ab eo datam validam eſſe, ita ut pœnitens de his poſtea in memoriam redeuntibus poſſit liberè confiteri & directè abſolvi à quocunque communi Confeſſario, ùt cum communi docet Palao *punct. 15. §. 6. n 3.* Averſa *quæſt. 17. ſect. 8.* Franciſc. à JEſu *cit. cap. 13. n. 43.* tum quia habens poteſtatem abſolvendi à reſervatis cenſetur velle pœnitentem legitimè diſpoſitum à peccatis liberare quantum poteſt: cùm autem poſſit à peccatis oblitis pœnitentem liberare quoad reſervationem, tametſi non quoad obligationem ea directè confitendi, cenſetur idipſum velle: tum etiam, quia quando pœnitens expreſsè petit, & Miniſter intendit dare abſolutionem adæquate juxta omnem poteſtatem, quam habet, verè tollitur omnis cenſura & reſervatio: atqui ſemper cenſetur pœnitens ſaltem tacitè id petere, & Sacerdos idem intendere, niſi expreſsè oppoſitum determinet: ergò ſemper per conſuetam abſolutionem tollitur omnis cenſura & reſervatio, quæ à tali Miniſtro tolli poteſt; & hoc ſive caſus reſervati habeant annexam cenſuram ſive non: & quidem quando peccata ob cenſuram reſervantur, clarum eſt, ſiquidem Confeſſarius abſolvens à peccatis, priùs intendit, ſi licitè poteſt, pœnitentem abſolvere à cenſura, qua ligatus eſt, quia cenſuræ abſolutio præmittitur abſolutioni Sacramentali: ſublata verò cenſura tollitur quoque reſervatio peccati, cui erat annexa: ab illis autem caſibus, quibus non erat annexa cenſura, tollitur reſervatio, quæ eos afficiebat, quia cenſetur velle facere quantum poteſt.

Sectio

Sectio V.

De poteſtate Confeſſarii ad audiendas Regularium confeſſiones deputati abſolvendi a caſibus S. Pontifici reſervatis.

58 NOtandum nulla defacto S. Pontifici peccata eſſe reſervata, niſi quibus annexa eſt cenſura Eccleſiaſtica, eidem quoque reſervata, ſive dein illa etiam reſerventur ratione ſui, ùt probabiliùs judicamus, ſive ratione cenſuræ tantùm eiſdem annexæ, ùt multi exiſtimant. Ad hoc autem, ut quis poſſit ab hujusmodi peccatis & annexis cenſuris abſolvere, requiritur, ut à S. Pontifice ſive mediatè ſive immediatè ad hoc licentiam habeat, ſine qua abſolutio irrita eſt ac invalida; talem verò reſpectu Religioſorum ſuorum obtinere Prælatos Regulares conſtat ex dictis *tr. 3. Diſp. 1. ſect. 3. 4. & 5ta.* ubi latè materiam hanc pertractavimus. An autem eandem etiam habeant cæteri Canonici ac Confeſſarii ad audiendas Regularium confeſſiones deputati, quæſtio eſt hìc ventilanda, pro cujus meliori intelligentia ulterius notandum, per cenſuram intelligi pœnam Eccleſiaſticam ac medicinalem, qua Chriſti fidelès delinquentes & contumaces bonorum ſpiritualium uſu privantur ad eorum correctionem; propriè ſumpta triplex tantummodo eſt, ſcilicet excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. Excommunicatio eſt cenſura, per quam privatur quis Eccleſiaſtica communione ſeu communicatione fidelium; alia dicitur major, alia minor: hæc privat participatione paſſiva Sacramentorum, & nunc tantùm incurritur ob culpabilem communicationem cum excommunicato non tollerato. *Major* (quæ ſola venit nomine excommunicationis ſimpliciter per *cap. penult. de ſent. excom.*) privat omni communicatione Eccleſiaſtica fidelium, ùt divinis officiis, Sacramentis, converſatione &c. Suſpenſio eſt cenſura, qua Clericus privatur uſu poteſtatis, quæ ei competit ratione officii clericalis vel beneficii; hinc alia eſt ſuſpenſio ab officio tantùm, alia à beneficio tantùm: alia à beneficio & officio ſimul. Interdictum eſt cenſura, qua prohibentur divina officia, quædam Sacramenta activè & paſſivè, & Eccleſiaſtica ſepultura: eſt triplex; *locale*, quòd immediatè afficit locum, prohibendo ne ſupradicta in eo exerceantur. *Perſonale*, quod afficit perſonam, ei prohibendo iſtorum participationem, ubicunque locorum exiſtat: & *mixtum*, quod & perſonam & locum immediatè afficit. Ad incurrendam porrò

Digitized by Google

rò aliquam ex his cenſuris requiritur peccatum mortale & quidem contra præceptum Eccleſiaſticum commiſſum cum aliqua contumacia, qua quis cenſetur Eccleſiæ monentis aut præcipientis authoritatem contemnere: requiritur præterea, ut peccatum illud mortale ſit externum; quia poteſtas ferendi cenſuras inſtituta eſt pro foro externo: ergò requirit etiam peccatum mortale externum; de internis enim non judicat Prætor, nec Eccleſia de occultis arg. *Can. Conſuluiſti. 20. cauſ. 2. Q. 5.* requiritur denique etiam, ut peccatum ſit in ſua ſpecie completum ac conſummatum, niſi aliud in Jure exprimatur; hinc qui animo occidendi, alterum graviter vulneravit, non incurrit cenſuras contra homicidam latas. Dixi tamen, *niſi aliud in Jure exprimatur*; quia mandans aliquem occidi per aſſaſſinos excommunicatur, quamvis mors non fuerit ſecuta. *cap. 1. de homicid. in 6.* ab incurrendis autem cenſuris excuſat 1mò. gravis neceſſitas agendi contra præceptum Eccleſiaſticum; quia Eccleſia non ſolet in tali neceſſitate obligare, præſertim cum magno incommodo conjuncta. 2dò. excuſat metus gravis cadens in virum conſtantem; quia hoc minuit voluntarium, & plenam tollit libertatem. excuſat 3tiò. ignorantia cenſuræ etiam vincibilis, modò non fuerit craſſa & ſupina, ùt habetur *cap. fin. de Conſtitut. in 6.* 4tò. denique excuſat innocentia verè talis; qui enim excuſatur à culpa, excuſatur etiam à cenſura, quæ tantùm ferri poteſt propter culpam: ex quibus ſi aliquid interveniat in caſu quodam cenſura notato ac S. Pontifici reſervato, eo ipſo ſublata eſt cenſura ac reſervatio, atque adeò talis caſus abſolvi poteſt à quocunque Confeſſario nullam cæteroquin habente poteſtatem in reſervatos.

Cæterùm caſus, qui annexam habent cenſuram excommunicationis, aut ſuſpenſionis, vel interdicti, enumerantur quamplurimi, ſúntque in triplici differentia; nam aliqui ex his nemini ſunt reſervati, qui referuntur in Jure Canonico, Concilio Tridentino, ac variis Conſtitutionibus Pontificiis, de quibus conveniunt Doctores, quòd Canonici aliive Regulares audiendis confeſſionibus deputati poſſint abſolvere abſque ulla alia licentia, dummodo in illis non fiat ſpecialis exceptio aut reſervatio; ùt enim dicitur *cap. Nuper. 29. de ſent. excommunic.* quando conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſervavit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi. Alii ſunt caſus S. Pontifici reſervati, qui ſimul habent annexam aliquam cenſuram eidem pariter reſervatam, ex quibus pluſquam centum refert Tamburinus *to. 2. Diſp. 13. quaſ. 13.* quique fiunt quotidie plures per ſpeciales SS. Pontificum Conſtitutiones, quæ identidem emanant: ex quibus ſunt ſequentes, 1mò. Dan- 59

tes

tes vel accipientes aliquid ex pacto pro ingreſſu in Religionem. 2dò. Committentes ſimoniam confidentialem, aut realem circa beneficia obtinenda vel Ordines. 3tiò. Malè promoti ad Ordines. 4tò. Percuſſores Religioſorum ac Clericorum, aut violentas in eos manus injicientes. 5tò. Mulieres ingredientes Monaſteria virorum, & hi ingredientes Monaſteria Monialium. 6tò. Procurantes abortum aut ſterilitatem: de quibus omnibus quæſtio eſt, an ab iis Canonici ac Confeſſarii ad audiendas Regularium confeſſiones deputati poſſint abſolvere? in tertia differentia ac claſſe caſuum conſtituuntur, qui referuntur in Bulla Cœnæ, ſic dicti, quòd ſingulis annis in die Cœnæ Domini ſolenniter à S. Pontifice promulgari ſoleant, qui omnes eidem ſunt reſervati & adjunctam habent excommunicationem pariter reſervatam, à qua nemo præter S. Pontificem, ùt ibi dicitur, poteſt abſolvere, niſi in articulo mortis; horum viginti numerantur, ſaltem prout hodie ſunt in uſu; *quos tr. 3. Diſp. 1. ſect. 4.* recenſemus, quos inter tamen eminet primus caſus hæreſis, quæ quo majoris cenſetur eſſe malitiæ, eo quoque difficilioris eſt abſolutionis, ita ùt licèt cæterorum caſuum in Bulla Cœnæ contentorum abſolutio fuerit à S. Pontifice conceſſa, ſemper tamen excepta cenſeatur hæreſis, niſi in ſpecie exprimatur, ùt multi contendunt. Unde hìc nobis diſcutiendum eſt 1mò. An poſſint Canonici aliique Confeſſarii ad audiendas Regularium confeſſiones à Prælato deputati eosdem abſolvere ab omnibus & quibuscunque caſibus, & cenſuris S. Pontifici reſervatis, ſaltem extra Bullam Cœnæ contentis? 2dò. An iidem poſſint etiam abſolvere Regulares à caſibus & cenſuris S. Pontifici reſervatis in Bulla Cœnæ? 3tiò. An poſſint quoque eosdem abſolvere ab hæreſi & excommunicatione exinde contracta S. Pontifici reſervata? Pro quorum faciliori reſolutione

Suppono 1. ex Jure Canonico, quòd delegatus à ſupremo Principe ac præcipuè à S. Pontifice poſſit conceſſam ab eo poteſtatem iterum aliis ſubdelegare, ùt expreſsè habetur deciſum *cap. ſi pro debilitate 3. & cap. Paſtoralis 28. de Offic. & poteſtat. Judic. delegat.* quibus concordat Jus Civile *Leg. à Judice. Cod. de judic. & Leg. un. v. hac teneant. Cod. qui pro ſua jurisdict.* idque ab utroque Jure conceſſum eſt ob eminentiam poteſtatis ſupremi Principis, quem ad hoc delegatus repræſentat. Idem dicendum, ſi quis ſit delegatus ad univerſalitatem cauſarum ſeu caſuum, quod tunc fieri cenſetur, quando delegatio eſt indefinita ac univerſalis vel quoad caſus, vel quoad perſonas, vel quoad utrosque ſimul, licèt quoad locum cæteroquin eſſet ſpecialis. Delegatus autem ad univerſalitatem cauſarum ſeu caſuum, ſicut & delegatus à ſupremo Principe, æquiparatur Ordinario, atque adeò quemadmodum iſte delegare, ita 63

&

& ille ſubdelegare poteſt, prout etiam docent cum Civiliſtis Canoniſtæ communiſſimè, quos citat & ſequitur Hiacynthus Donatus *to. 3. tract. 5. Q. 44.* atque hinc ſuppono 2dò. poſſe Canonicorum Regularium Prælatos, ut quos poteſtatem abſolvendi à caſibus S. Pontifici tam intra quàm extra Bullam Cœnæ reſervatis habere fusè demonſtravimus *tr. 3. Diſp. 1. S. 3. 4. & 5.* eandem quoque concedere ac ſubdelegare ſuis Canonicis, etiamſi fortè id in eorum privilegiis expreſsè non contineretur; quia cùm Prælati in hoc caſu ſint delegati à S. Pontifice, & conſequenter æquiparentur Ordinariis, hoc ipſo ſuam quam à Papa habent poteſtatem delegare aut ſubdelegare poterunt Canonicis ſuis Regularibus, quos conſtituunt Collegiorum ſuorum ac Monaſteriorum Confeſſarios, qui ſicut vigore Conſtitutionis Clementis VIII. & Urbani VIII. dependent à ſuis Prælatis quoad approbationem & jurisdictionem, ita etiam quoad uſum Privilegiorum & abſolutionem à caſibus S. Pontifici reſervatis: & hinc quilibet Confeſſarius Regularium maximè debet attendere ad ſtatuta & ordinationes ſui Prælati, cùm modum & limites ab ipſo præſcriptos omninò ſervare teneatur, & ſecundùm illos privilegiis uti, prout etiam advertunt Lezana *to. 1. cap. 18. n. 26.* Suarez *to. 4. de Relig. tr. 10. L. 9. cap. 2.* Pelizarius *to. 2. tr. 8. cap. 2.* & alii; & ſanè ejusmodi uſus à Prælato independens illorum privilegiorum, quæ pro confeſſionali ſerviunt, omninò foret inutilis, cùm ſine Prælati licentia nullus Regularium neque licitè neque validè poſſit abſolvere Confratres ſuos. Si autem hos ſine licentia Prælati non poſſunt abſolvere neque licitè neque validè, hoc ipſo neque poſſunt hujusmodi privilegiis uti, utpote quæ ſupponunt poteſtatem abſolvendi. His ita ſuppoſitis

Dico 1mò. *Poſſunt Canonici aliique Confeſſarii ad audiendas Regularium confeſſiones à Prælato deputati eosdem abſolvere à quibuscunque peccatis, criminibus, & delictis quantumcunque gravibus ac enormibus ante vel poſt emiſſam Profeſſionem commiſſis, & ab omnibus cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti illis annexis, etiam S. Pontifici qualitercunque generaliter vel ſpecialiter reſervatis, ſaltem extra Bullam Cœnæ contentis.* 61

Ita deſumitur ex litteris Eugenii IV. Congregationi Lateranenſi per Sig-

na-

naturam conceſſis Florentiæ *10. Calend. Auguſt. Anno 1439.* Pontif. 9. Item ex Bulla Sixti IV. quæ incipit: *Dum ad univerſos. 10. Calend. Sept. Anno 1477.* eidem Congregationi datâ: ex Bulla Innocentii VIII. inchoante: *Sacra Religionis honeſtas. 3. Idus April. Anno 1486.* in favorem Congregationis Windeſemenſis editâ: ac denique ex Bulla Julii II. incipiente: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Congregationi Bononienſi conceſſa, in quibus (ut plures alias hujusmodi litteras ac Bullas prætermittam) dum Pontifices iſti Prælatis concedunt poteſtatem ab his caſibus abſolvendi, eandem implicitè concedunt etiam illis, quibus dicti Prælati ſuas hac in re vices commiſerint: ſed illi quibus hi vices ſuas hac in re concedunt, ſunt Canonici ac Confeſſarii ad audiendas ſuorum confeſſiones deputati: ergo his quoque concedunt implicitè poteſtatem abſolvendi à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis. Id quod maximè locum habet poſt Conſtitutiones Clementis VIII. & Urbani VIII. quibus prohibetur Prælatis Religioſorum ſuorum audire confeſſiones, niſi quando peccatum aliquod iisdem Prælatis reſervatum habuerint, aut ipſimet id ſpontè ab eis petierint, ſed potiùs præcipitur, ut aliquos in quovis Monaſterio deputent Confeſſarios, qui ſubditos poſſint abſolvere à peccatis omnibus, à quibus poſſunt ipſi abſolvere: cùm igitur poſſint ipſi abſolvere ab omnibus peccatis S. Pontifici reſervatis ſaltem extra Bullam Cœnæ contentis, debent hanc ipſam facultatem etiam concedere Confeſſariis à ſe deputatis pro audiendis ſuorum confeſſionibus; idque tanto magis, quòd indulta à SS. Pontificibus privilegia, ſint conceſſa non tam in favorem Prælatorum quam ſubditorum Religioſorum, & conſequenter etiam in majus eorum commodum interpretanda: ſed cedit in majus Religioſorum commodum, ſi poſſint à deputatis à Prælato Confeſſariis abſolvi: ergo &c. Quæ omnia longè clarius patent ex Bulla Pauli III. quæ incipit: *Licet debitum 18. Octob. Anno 1549.* ubi expreſſis verbis poteſtatem concedit Prælatis, ut per ſe vel per alios ad id pro tempore deputatos omnes & ſingulos ab omnibus peccatis & cenſuris etiam S. Pontifici reſervatis abſolvere poſſint. Item ex Bulla Julii III. *Sacra Religionis 22. Octob. Anno 1552.* ubi pariter dat poteſtatem Prælatis ab omnibus peccatis & conſequentibus cenſuris per ſe vel per alios ad id idoneos aut deputandos abſolvendi. Idem pariter conſtat ex Bulla Gregorii XIV. *Illius qui.* incipiente *21. Sept. Anno 1591.* data, in qua dictus Pontifex ſimiliter concedit Prælatis, ut per ſe vel per alios ad id deputatos abſolvere valeant ab omnibus peccatis & annexis cenſuris etiam S. Pontifici reſervatis: ex quibus aliisque pluribus SS. Pontificum Bullis, quas referre ſuperſedeo, manifeſtum eſt non ſolùm Prælatis competere poteſtatem abſolvendi à prædi-

ctis caſibus, ſed etiam deputatis ab his ac deputandis Confeſſariis, idque etiam neceſſariò fluit ex dictis; quia ex una parte poſſunt Canonicorum Regularium Prælati ex conceſſione SS. Pontificum abſolvere à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, ùt pluribus oſtenſum eſt *tr. 3. D. 1. S. 3.* ex altera parte poſſunt iſti hanc ſuam poteſtatem delegare aliis ac ſuis Canonicis in Confeſſarios deputatis, ùt conſtat ex ſupradictis hac ſectione, & apertè colligitur ex Bullis Pontificiis primùm relatis, in quibus facultas abſolvendi à dictis caſibus conceditur omnibus à Prælato deputatis ac deputandis Confeſſariis: ergo Canonici Regulares aliique Confeſſarii à Prælatis conſtituti ac deputati ad audiendas Religioſorum ſuorum confeſſiones poſſunt abſolvere à caſibus S Pontifici reſervatis ſaltem extra Bullam Cœnæ contentis.

62 Ex quibus omnibus ſequitur poſſe Canonicos ac Confeſſarios ad audiendas Religioſorum confeſſiones à Prælato deputatos abſolvere illos à peccatis & cenſuris ac excommunicatione ob commiſſam ſimoniam contracta; ſic enim in ſpecie conceſſit Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. 10. Cal. Sept. Anno 1477.* ubi dat poteſtatem Canonicos abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris, etiam ex cauſa cujuscunque ſimoniæ qualitercunque generaliter vel ſpecialiter ſedi Apoſtolicæ reſervatis; & in alia Bulla, quæ incipit: *Regimini. 31. Auguſti. Anno 1474.* idem Sixtus declarans caſus, propter quos fratres ad ſedem Apoſtolicam pro abſolutione ſint deſtinandi, addit expreſsè: Reliquis verò omnibus, etiam ſimoniæ pravitate qualitercunque irretitis poſſe beneficium abſolutionis juxta caſuum exigentiam impertiri. Idem conceſſit Innocentius VIII. in Bulla: *Sacra Religionis. 3. Idus April. Anno 1486.* iisdem omninò verbis, quibus Sixtus IV. in priori ſua Bulla. Idemque Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Sequitur 2dò. poſſe ſimiliter Canonicos ac Confeſſarios à Prælato deputatos pro audiendis Religioſorum ſuorum confeſſionibus eos abſolvere à peccatis & cenſuris ob Ordines malè ſuſceptos incurſis atque etiam in irregularitate, ſi in iisdem miniſtraverint, exinde contracta diſpenſare, quemadmodum iterum deducitur ex ſupra relatis SS. Pontificum Bullis & privilegiis, in quibus concedunt, ut poſſint Religioſos abſolvere ab omnibus caſibus & ſententiis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti S. Pontifici qualitercunque reſervatis: & ſi hujusmodi ſententiis innodati divina officia celebrando, aut Ordinem ſuſcipiendo ſic ligati notam irregularitatis incurriſſent, cum illis etiam diſpenſare. Neque dicas; Sixtus V. hæc ipſa privilegia revocâſſe in Bulla: *Sanctum & ſalutare. Non. Jan. Anno 1588.* edita; ſed contra eſt, quòd Clemens VIII. in Bulla: *Romanum Pontificem. prid. Calend. Mart. Anno 1595.* datâ hanc ipſam

Sixti

Sixti V. Conſtitutionem quoad hoc poſtea revocaverit & ad terminos SS. Canonum, ac Conſtitutionis Pii II. *Cùm ex ſacrorum. 15. Cal. Decembr. Anno 1461.* edita, & ad diſpoſitionem Decretorum Concilii Tridentini reſtrinxerit, ac reduxerit: nec non cenſuras & pœnas in eiſdem Sixti litteris contentas moderatus fuerit ac aboluerit, & conſequenter omnia in antiquum ſtatum, quo res hæc fuerat ante dictam Sixti Conſtitutionem reſtituerit. Sequitur 3tiò poſſe eoſdem Canonicos & Confeſſarios abſolvere Religioſos ab excommunicatione Canonis: *Si quis ſuadente*, S. Pontifici reſervata, etiamſi percuſſio foret gravis & enormis, prout deſumitur ex Bulla Bonifacii IX. quæ incipit: *Sacra Religionis 27. April. Anno 1402.* data, in qua concedit, ut eos, qui manus violentas in confratres, vel alios quoſcunque Clericos etiam uſque ad ſanguinis effuſionem & enormem læſionem injecerint, à prædictis excommunicationum ſententiis & pœnis, quas propterea incurrerint, abſolvere poſſint, & cum eis ſuper irregularitate, ſi quam hujuſmodi ſententiis ligati celebrando divina vel immiſcendo ſe illis, aut aliàs præmiſſorum occaſione qualitercunque contraxerint, diſpenſare, eoſque quoad hoc in priſtinum ſtatum reſtituere poſſint. Sequitur 4tò eoſdem poſſe abſolvere Religioſos à cenſuris excommunicationis & ſuſpenſionis etiam S. Pontifici reſervatis in facientes aut permittentes ingredi mulieres in Monaſteria Religioſorum, aut viros in Monaſteria Monialium ſtatutis, ùt etiam docent Authores communiter, & fluit ex dictis, ex quibus conſtat, quòd liceat abſolvere Religioſos ab omnibus caſibus & cenſuris quomodocunque & qualitercunque S. Pontifici reſervatis: ergo cùm præſens caſus in illis contineatur tanquam ſpecies in genere, licebit etiam ab eo abſolvere; quamvis enim ille ſit S. Pontifici ſpecialiter, non tamen cum derogatione privilegiorum ab anteceſſoribus Pontificibus ſuprà à nobis allegatis conceſſorum, ut adeò ea maneant integra & illibata. Sequitur denique 5tò. poſſe eoſdem abſolvere Religioſos ab excommunicatione in procurantes abortum ſtatuta, ùt certa eſt apud Doctores ſententia & clarè deducitur ex dictis. Nec refert Sixtum V. per Conſtitutionem ſuam quæ incipit: *effrænatum. 28. Novembr.* editam Anno *1588.* contra abortum procurantes ſive Clericos ſæculares vel Regulares tuliſſe excommunicationis ſententiam S. Pontifici reſervatam cum derogatione quorumcunque privilegiorum. Nam Gregorius XIV. dictam Sixti V. Conſtitutionem per aliam quæ incipit: *ſedes Apoſtolica. 31. Maji Anno 1591.* editam correxit, atque ita moderatus fuit, ut procurantes directè abortum fœtûs animati incurrant quidem ipſo facto excommunicationem, non item reſervationem, utpote quam penitus ſuſtulit, relicta Epiſcopis & aliis Con-

feſſariis ad hoc ſpecialiter deputatis omnimoda facultate ab iſta excommunicatione abſolvendi; plura qui de his omnibus caſibus ſcire cupit, videre poteſt dicta *tr. 3. Diſp. 1. ſect. 3.* per tot. Videndum nunc an dicti Canonici & Confeſſarii abſolvere poſſint à caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis? Unde

63 Dico 2dò. *Poſſunt Canonici aliique Confeſſarii ad audiendas Regularium confeſſiones à Prælato deputati illos abſolvere à caſibus & cenſuris S. Pontifici reſervatis etiam in Bulla Cœnæ contentis, hæreſi ſaltem excepta.*

Ita Authores communiſſimè, quos maximo numero recenſuimus *tr. prac. Diſp. 1. S. 4.* & deducitur ex iiſdem SS. Pontificum litteris ac Bullis præſertim Sixti IV. Innocentii VIII. Julii II., in quibus concedunt poteſtatem abſolvendi Canonicos ab omnibus caſibus & cenſuris ſedi Apoſtolicæ quomodocunque reſervatis, quatuor tantummodo exceptis, ſcilicet relapſis in hæreſin, ſchiſmaticis, deferentibus prohibita ad infideles, & falſificantibus litteras Apoſtolicas: qui quatuor caſus, cùm inter alios in Bulla Cœnæ contineantur, indeque excipiantur, ſequitur neceſſariò, quòd à cæteris in Bulla Cœnæ contentis caſibus poſſint abſolvere; exceptio enim firmat regulam in caſibus non exceptis: & exceptio unius eſt incluſio alterius: & ſanè inutilis, ne dicam, ridicula fuiſſet horum quatuor caſuum exceptio, niſi voluiſſent concedere facultatem abſolvendi à caſibus cæteris non exceptis, qui in Bulla Cœnæ continentur. Tametſi verò relati SS. Pontifices, ſicut & cæteri communiter, recenſitos 4tuor caſus excipiant, nullam tamen exceptionem facit Pius V., ſed abſolutè facultatem concedit in Bulla: *Dum ad Congregationem. Idib. Junii Anno 1571.* abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris ſedi Apoſtolicæ reſervatis, etiamſi de comprehenſis fuerint in Bulla, quæ die Cœnæ Domini ſingulis annis legi conſuevit, nullo uſpiam excepto; atque adeò vi hujus Pianæ conceſſionis licebit abſolvere deputatis à Prælato Confeſſariis Canonicos aliosque Regulares ab omnibus omninò caſibus in Bulla Cœnæ contentis etiam quatuor illis, quos communiter excipiunt alii SS. Pontifices. Nec refert, quòd tum Pius V. tum alii Pontifices communiter tribuant Prælatis tantùm facultatem abſolvendi Religioſos ſuos à caſibus Bullæ Cœnæ, non autem aliis ac deputatis ab ipſis Confeſſariis: tum quia quidquid conceditur quoad hoc Prælatis explicitè, id etiam conceditur implicitè deputatis ab ipſis Confeſſariis, ut ſatis explicant Paulus III. Julius III. & Gregorius XIV. in Bullis

lis ſupra relatis, in quibus expreſsè concedunt, ut per ſe vel per alios ad id deputatos abſolvere poſſint ab omnibus caſibus & cenſuris S. Pontifici reſervatis &c. tum quia Prælati poteſtatem habent illis delegandi facultates ſibi conceſſas, quos ex ſuis ad id muneris idoneos judicaverint, aut ad audiendas ſuorum confeſſiones deputaverint.

64 Neque dicas: ejusmodi privilegia per annuam Bullæ Cœnæ promulgationem revocari per ampliſſimas clauſulas omnium privilegiorum derogatorias: & S. Congregationem de mandato Urbani VIII. anno 1628. prohibuiſſe, ne Regulares abſolvant à caſibus Bullæ Cœnæ, idemque interdixiſſe Alexandrum VII. in propoſitione 4ta. à ſe damnata. Sed contra eſt, quod oppoſitum ipſi SS. Pontifices atteſtentur, ſic enim S. Pius V. poſtquam in ſupradicta Bulla: *Dum ad Congregationem.* conceſſiſſet facultatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ nullo excepto, addit: eam ſub ullis revocationibus etiam in dicta Bullâ Cœnæ pro tempore contentis minimè comprehenſam eſſe aut comprehendi debere, ſed ſemper ab illis exceptam eſſe & cenſeri; cúmque dubitaretur, an facultas abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ à Sixto IV. conceſſa, per clauſulas derogatorias Bullæ Cœnæ adjectas eſſet adempta, reſpondit Julius II. in Bulla: *exponi Nobis. 27. Febr.* Anno 1510. data, ac declaravit, quòd poſſint Regulares à prædictis Bullæ Cœnæ caſibus abſolvere non ſecùs ac ſi dicta Bulla Cœnæ non eſſet facta nec fieret. Idipſum declaravit Leo X. Julii II. ſucceſſor vivæ vocis oraculo facto Laurentio S. R. E. Cardinali ac Minimorum Protectori, quòd abſolvi poſſint ab omnibus caſibus & cenſuris etiam de contentis in Bulla Cœnæ Domini, prout idem teſtatur Cardinalis; exorto poſtmodum dubio, an eadem facultas eſſet ſublata per Concilium Lateranenſe ſub eodem Leone X. habitum & abſolutum, idem Pontifex ſequenti Bulla, quæ incipit: *exponi Nobis 8. Maji. Anno 1517.* ſatisfecit, ac non eſſe ſublatam declaravit, prout refert Felicianus *cap. 15.* Idem quoque declaravit Clemens VII. per vivæ vocis oraculum factum Cardinali Campegio pro Ordine Minorum, ùt habet Rodriquez in Clemente VII. Paulus IV. pro Congregatione Clericorum Regularium, ùt refert Peregrinus *p. 2. V. Bulla. §. 1.* Gregorius XIII. pro Societate JEſu, ùt refert Suarez *to. 4. de Relig. tr. 8. L. 2. cap. 21.* Præterea Sixtus V. & Clemens VIII. in publicatione Bullæ Cœnæ expreſsè addiderunt hanc clauſulam: *niſi in eis* privilegiis *etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur,* quæ haud dubiè à ſucceſſoribus Pontificibus ſubintelligitur, dum ab ipſis omittitur, ùt ſatis patere videtur ex Bulla Benedicti XIII. quæ incipit: *Pretioſus. 7. Calend. Junii Anno 1727.* edita in favorem Prædicatorum, in qua licèt conceſſerit

Digitized by Google

ſerit horum caſuum abſolutionem eo modo, quo eam conceſſerat Sixtus IV., nullam tamen in publicatione Bullæ Cœnæ exceptionem fecit, eamque ſub iisdem clauſulis derogatoriis promulgavit, quibus eam alii Pontifices promulgare ſolent, ſuperfluum ratus, hujusmodi privilegiorum exceptionem addere, quæ tot SS. Pontifices declarârunt eſſe excepta. Quod attinet Decretum S. Congregationis ſub Urbano VIII. editum ℞. hoc, aliaque ſimilia intelligenda tantùm eſſe de abſolutione ſæcularium, non autem Regularium, atque ita declaratum etiam fuiſſe à ſacra Congregatione Regularium facto verbo cum S. D. Clemente VIII. & ejus vivæ vocis oraculo deſuper habito, ex Peregrino & Naldo refert Peyrinis in Conſtit. 4. Sixti IV. n. 16. Idem cum proportione dicendum ad propoſitionem 4tam ab Alexandro VII. damnatam; ea enim expreſsè loquitur de abſolutione ſæcularium tantùm, nulla omninò mentione facta Regularium, ùt adeò exinde potiùs confirmetur noſtra concluſio, quàm impugnetur. Verùm plura de his videri poſſunt *tr. 3. Diſp. 1. ſect. 4.*

65 Dico 3tiò. *Poſſunt Canonici aliique Confeſſarii ad audiendas Regularium confeſſiones à Prælato deputati illos abſolvere ab hæreſi & excommunicatione S. Pontifici reſervata.*

Ita rursùs deſumitur ex ſupra relatis SS. Pontificum Bullis præſertim Sixti IV. Innocentii VIII. & Julii II. pro Canonicis Regularibus expeditis, in quibus iidem concedunt ampliſſimam facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris ſedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, quatuor tantummodò exceptis, & inter hos ſolis hæreticis relapſis: cùm igitur exceptio firmet Regulam in contrarium, & in caſibus non exceptis, atque unius exceptio ſit incluſio alterius, hoc ipſo conceſſerunt poteſtatem abſolvendi eos, qui in hæreſin primò fuêre lapſi; haud enim excepiſſent hi Pontifices relapſos in individuo, niſi voluiſſent abſolutè concedere abſolutionem non relapſorum. Deducitur eadem concluſio 2do. ex Bulla S. Pii V. quæ incipit: *Dum ad Congregationem 13. Junii Anno 1571.* edita, in qua ampliſſimam tribuit facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris etiam Bullæ Cœnæ, nulla uspiam facta exceptione alicujus caſus, aut hæreſis: ſicut igitur in tali facultate incluſi cenſentur omnes caſus Bullæ Cœnæ, ita etiam incluſa cenſeri debet eſſe hæreſis; non enim major eſt ratio hanc potiùs excipiendi, quàm alios Bullæ Cœnæ caſus, cùm eodem modo loquatur de omnibus, & in conceſſione indefinita caſuum Bullæ Cœnæ veniat etiam hæreſis, niſi ſpecia-

ſpecialiter excipiatur, atque inſuper tametſi cæteri Pontifices communiter aliquos ex caſibus Bullæ Cœnæ ab iſta facultate exceperint, nunquam tamen exceperunt hæreſin, ergo multò minùs eam excipere voluit S. Pius V. præſertim cùm is ipſe in alia Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis.* eodem anno 1571. ac paucis poſt datam ſuperiorem diebus nempe 21. Junii edita idipſum ſatis clarè permiſerit, dum in ea facultatem conceſſit abſolvendi Regulares, ſicut poſſunt Epiſcopi vi Tridentini abſolvere Clericos & ſæculares: ſed Epiſcopi poſſunt abſolvere ſubditos ſibi Clericos & ſæculares ab hæreſi, ùt conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.* ergo etiam Regulares poſſunt abſolvere ab hæreſi. Nec obſtat, quòd hæc poteſtas abſolvendi ab hæreſi Epiſcopis ſit hodie adempta: quia licèt hoc transmittatur, de quo tamen controvertitur inter Authores, ex hoc tamen haudquaquam ſequitur, eam eſſe quoque ademptam Regularibus, cùm adempto privilegio alicui directè conceſſo non adimatur alteri communicatum; deinde ſaltem tunc privilegium illud Epiſcopis à Tridentino conceſſum erat in ſuo vigore & viridi obſervantia, quando S. Pius V. illud privilegium conceſſit Regularibus; ergo cùm pro illo tempore potuerint Epiſcopi abſolvere ab hæreſi, communicando Regularibus omnem poteſtatem abſolvendi, quam tunc habebant Epiſcopi, eo ipſo conceſſit etiam poteſtatem abſolvendi ab hæreſi. Deſumitur eadem concluſio 3tiò. ex Bulla Julii III. quæ incipit: *Sacra Religionis. 22. Octobr. Anno 1552.* data, in qua conceſſit Præpoſito Generali Societatis, ut per ſe vel per alios ad id idoneos, & ab eo deputandos abſolvere poſſit Religioſos ſibi ſubditos à caſibus hæreſis, & aliis contra fidem criminibus & conſequentibus cenſuris quibuscunque &c. Id quod etiam eidem conceſſit ac reſpectivè confirmavit Gregorius XIII. *die 18. Martii Anno 1584.* ut nempe poſſit vel per ſe vel per alios à ſe deputatos abſolvere ſuos ſubditos ab hæreſi & relapſu in hæreſin, ùt refert Suarez *to. 4. de Relig. tr.* 1. *L. 2. cap. 21.* & Peyrin. *ad Conſtit. 4. Sixti IV. §. 5. n. 5.* qui addunt idem etiam conceſſiſſe Gregorium IX. Minoribus de Obſervantia pro ultramontanis. Nec refert, quòd privilegium illud Gregorii XIII. fuerit vivæ vocis oraculum; nam fuit ſimul declaratio, ac confirmatio privilegii à Julio III. per Bullam conceſſi, atque inſuper confirmatum fuit ex certa ſcientia à diverſis Pontificibus Romanis, præſertim à Gregorio XIV. in Bulla: *Eccleſia Catholica 28. Junii Anno 1591.* & à Paulo V. in Bulla: *Quantum. 4. Septembr. Anno 1606.* hujusmodi autem oracula per Bullam ex certa ſcientia confirmata, & quæ ſunt declarationes ac confirmationes alicujus Bullæ nunquam fuêre revocata: ergo etiam illud privilegium

Grego-

Gregorii XIII. nunquam fuit revocatum. Atque his privilegiis Societati primariò ac immediatè conceſſis gaudent etiam Canonici aliique Regulares vi communicationis privilegiorum, quam habent cum dicta Societate.

66 At inquies: Congregatio de propaganda Fide coram Urbano VIII. apud Nicolium *in Floſcul. V. Caſus reſervati. n. 16.* dicitur *13. Junii Anno 1625.* declaràſſe, quòd Regulares nullo modo poſſint in vim privilegiorum ſuorum etiam per viam communicationis competentium ab hæreſi abſolvere. ℞. Declarationem iſtam, ſiquidem vera eſt & authentica, intelligendam eſſe, ſicut & alias hujusmodi de abſolutione ſæcularium, non autem Regularium, quos ſi etiam voluiſſet comprehendere S. Congregatio, addidiſſet: cùm igitur non fecerit, ſignum eſt, quòd eos noluerit comprehendere. Quapropter hæc declaratio eo modo accipienda eſt, quo illa *18. Novembr. Anno 1628.* edita, in qua Regularibus prohibetur, ne abſolvant à caſibus Bullæ Cœnæ, quam pariter intelligendam eſſe tantùm de abſolutione quoad ſæculares, non autem quoad Regulares ſupra pluribus efficaciter oſtendimus. Quod autem dicitur, quòd neque in vim privilegiorum ſuorum etiam per viam communicationis competentium poſſint abſolvere, id intelligendum eſt de privilegiis in genere tantùm concedentibus poteſtatem abſolvendi à caſibus S. Pontifici reſervatis, non autem de iis, quæ in ſpecie concedunt facultatem abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, quos inter primus eſt hæreſis, prout eandem Canonicis Regularibus concedunt SS. Pontifices Sixtus IV. Innocentius VIII. & Julius II. Cæterùm relata ſacræ Congregationis declaratio multis de cauſis videtur eſſe ſuſpecta.

Sectio

Sectio VI.

De poteſtate Canonicorum Regularium eligendi ſibi Confeſſarium, qui eos abſolvat plenariè ſemel in vita, & in articulo mortis ab omnibus omninò peccatis & cenſuris nullo excepto.

67 Tanta ſemper fuit SS. Pontificum in Regulares benignitas, tanta munificentia, ut nihil unquam omiſerint, quod ad eorum bonum & æternam ſalutem quoquo modo conducere videbatur: unde non contenti illis conceſſiſſe relata hactenus privilegia, eisdem adhuc longè plura ſuperaddidère, inter quæ non minimum eſt, quòd poſſint ſibi eligere Confeſſarium, qui eos abſolvat ſemel in vita, & in articulo mortis ab omnibus omninò peccatis ac cenſuris quomodocunque etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis nullo prorsùs excepto: & pœnitentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam elargiatur; ſic enim conceſſit Sixtus IV. Carmelitis in Bulla: *Dum attenta. 28. Novembr. Anno 1476.* Idipſum conceſſit prædictus Sixtus IV. Prædicatoribus ac Minoribus in Bulla: *Sacri Prædicatorum. 26. Julii Anno 1479.* Julius II. Eremitis S. Auguſtini in Bulla: *Dum uberes fructus. Anno 1507.* Innocentius VIII. Servitis in eorum Mari magno *Anno 1487.* Præterea conceſſit Leo X. Monialibus S. Claræ, ut non tantùm ſemel in vita, ſed etiam quater in anno ab omnibus peccatis, qualitercunque commiſſis abſolvi poſſint, & ut audientes earum confeſſiones de licentia Prælatorum ea plenitudine eas abſolvant, ac illi ſtatui innocentiæ reſtituant, quomodo ſua Sanctitas faceret, ſi ipſarum peccata in confeſſione auſcultaret; quod quidem eſt oraculum vivæ vocis, ſed de quo teſtatur Cardinalis Laurentius Ordinis Minorum Protector, ad cujus inſtantiam illud Anno 1515. factum fuerat; quo ipſo etiam Anno 19. Junii conceſſit idem Leo X. per Bullam relatam à Rodriquez in Bullario fol. 306. quæ eſt in ordine vigeſima, Fratribus Minoribus S Franciſci & Ancillis B. V. Mariæ ſub eorùm cura degentibus, ut in omnibus ſolemnitatibus Domini, B. Mariæ V. SS. Petri & Pauli, S. Franciſci, omniúmque Sanctorum; ac per totam hebdomadam majorem poſſint ſibi eligere Confeſſarium quemcunque ſive ordinarium à Prælatis deputatum, ſive alium (dummodo eas audiat de conſenſu dictorum Prælatorum) qui eas plenariè ab-

abſolvat; quod etiam privilegium referunt de Murga *Diſquiſ. Moral. to. 2. Diſquiſ. 1. n. 178.* Antonius à Spiritu S. *tr. 2. Diſp. 2. S. 1. n. 41.* Pittonus *ad An. 1515.* & alii communiter, qui hac de re tractant. An verò & in quantum Canonici Regulares ejusmodi gaudeant privilegiis, nunc quoque videndum. proinde

68 Dico 1mò. *Poſſunt Canonici Regulares ſibi Confeſſarium eligere, qui in articulo mortis eos plenariè abſolvat cum omnimoda authoritate, acſi in illo caſu S. Pontificis gererent perſonam, & eadem authoritate eisdem indulgentiam plenariam concedat.*

Ita conceſſit Eugenius IV. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis *21. Julii Anno 1439.* per ſimplicem ſignaturam, ut Sacerdotem idoneum Regularem vel ſæcularem in Confeſſarium eligere quoant, qui in mortis articulo plenariam remiſſionem omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, impendere valeant; quodipſum ab eodem Eugenio IV. in Bulla: *Ad ſacram Petri. 4. Idus Januar. Anno 1445.* & in Bulla: *Cùm ad ſacratiſſimam. Calend. Januar. Anno 1446.* iterúmq; à Nicolao V. litteris per ſimplicem ſignaturam expeditis *Anno 1453.* ac denique à Sixto IV. confirmatum fuit per Bullam: *Dum ad univerſos. 10. Calend. Septembr. Anno 1477.* in favorem eorumdem Canonicorum editam, ubi eorumdem ſaluti ſalubriter conſulere volens, eis pariter concedit, ut liceat ipſis & cuilibet ipſorum in articulo mortis quemcunque Presbyterum ex Canonicis præfatæ Congregationis, in caſu verò neceſſitatis alium Presbyterum idoneum vel ſæcularem, vel cujusvis alterius Ordinis Regularem in ſuum eligere Confeſſorem, qui confeſſionibus hujusmodi diligenter auditis pro commiſſis per eos criminibus, delictis, & peccatis, in omnibus & ſingulis etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus debitam abſolutionem & plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem poſſit auctoritate noſtra impendere; quæ ipſa hactenus relata verba repetit Julius II. in Bulla: *Inter cæteros.* pro Canonicis RegularibusCongregationis S. Salvatoris Bononienſis *4. Non. April. Anno 1512.* edita: & Innocentius VIII. in Bulla: *Sacræ Religionis. 3. Idus April. Anno 1486.* Canonicis Regularibus Congregationis Windeſemenſis conceſſa. Idipſum verò adhuc longè clariùs explicat prædictus Sixtus IV. in alia Bulla, quæ incipit: *Sacroſancta Religionis. Idib. Decembr. Anno 1472.* data, ubi verbis maximè notandis ita proloquitur: hinc eſt, quòd

Digitized by Google

quòd nos ſaluti animarum veſtrarum conſulere cupientes, concedimus ut Confeſſor idoneus de Ordine veſtro, quem quilibet veſtrûm ad hoc duxerit eligendum, confeſſionibus veſtris diligenter auditis, ab omnibus & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque ſententiis Eccleſiaſticis, cenſuris & pœnis à Jure vel ab homine quomodolibet latis, quibus quomodolibet ligati fueritis, ſeu alter veſtrûm ligatus fuerit, nec non pro commiſſis per vos & quemlibet veſtrûm criminibus, exceſſibus, & delictis ac peccatis quibuscunque, quantumcunque enormibus, etiamſi talia fuerint, propter quæ ſedes Apoſtolica meritò foret conſulenda, ſemel in mortis articulo debitam vobis & cuilibet veſtrûm abſolutionem impendere, ac pœnitentiam ſalutarem injungere: nec non omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fueritis, plenariam remiſſionem, nec non ſanctiſſimum Jubilæum, ſive omnes & ſingulas indulgentias ac plenariam omnium peccatorum veſtrorum remiſſionem per Nos & Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices Chriſti fidelibus perſonaliter Año Jubilæi Romam venientibus, & Eccleſias ad hoc ſtatutas & deputatas verè contriti & confeſſi viſitantibus quovis modo conceſſas; & quas conſequuntur & conſequi poſſunt, ac ſi perſonaliter veniretis & easdem Eccleſias per tempus ad hoc ſtatutum viſitaretis, ac omnia & ſingula per Nos & Prædeceſſores noſtros pro Jubilæo ſive indulgentiis & remiſſionibus hujusmodi conſequendis ordinata adimpleretis, conſequeremini & haberetis, ſeu conſequi & habere poſſetis, vobis in ſinceritate fidei, unitate S. Rom. Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra ac Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat.

Ex quibus SS. Pontificum Bullis clarè patet, quòd Canonici Regulares in articulo mortis Confeſſarium ſibi poſſint eligere, & quidem juxta Eugenium IV. Regularem vel ſæcularem, qui eos abſolvat ab omnibus omninò peccatis, cenſuris, ac pœnis S. Pontifici quomodocunque reſervatis, atque etiã illis, quæ cæteroquin excipiuntur, & de quibus aliàs ſedes Apoſtolica meritò foret conſulenda, ſimúlque plenariam omnium peccatorum remiſſionem, & indulgentiam atque etiam ſanctiſſimum Jubilæum in ampliſſima forma concedat, ita quidem ut ſi mors ſecuta non fuerit, abſolutio valeat & indulgentia, ac nihilominus utraque in extremo mortis articulo denuò impendente iterum concedi poſſit, & ſic toties quoties, quemadmodum Sixtus IV. in præcitata Bulla: *Sacroſancta Religionis.* rursùs expreſsè concedit hisce verbis: Quòdſi vobis vel alteri veſtrûm in aliqua infirmitate gravi 69

remiſſio & Jubilæum ſive indulgentiæ hujusmodi concedantur, & mors inde non ſequatur, nihilominùs abſoluti maneatis, & quilibet veſtrûm maneat, ùt præfertur, ac plenaria remiſſio & Jubilæum ſive indulgentiæ hujusmodi in vero mortis articulo iterum impendi poſſint, & vobis ac veſtrûm cuilibet, ac ſi alia non præceſſiſſet, ſuffragari devotioni veſtræ tenore præſentium indulgemus; quibus ex verbis ſequitur, quòd licèt plenaria hæc indulgentia reſervetur pro vero mortis articulo, abſolutio tamen ab omnibus reſervatis ſtatim ſortiatur effectum, ſicque abſolutus à reſervatis S Pontifici, aut Prælato Religionis non teneatur poſtea ſi convaleſcat recurrere ad S. Pontificem, vel ad Prælatum pro abſolutione, ſicut tenetur ille, qui in articulo mortis abſolutus eſt à ſimplici Sacerdote à reſervatis S. Pontifici aut alteri Prælato, in quo inter utrumque magna eſt diſparitas; nam hic ſi convaleſcat tenetur ſe ſiſtere S. Pontifici aut alteri Prælato, ac reſervata iterum confiteri, non item ille, qui virtute relati primùm privilegii abſolutus eſt, aliàs nihil operaretur privilegium, ùt tenent Lezana *to. 1. cap. 19. n. 28.* Antonius à Spiritu S. *in Direct. Regul. tr. 2. D. 2. S. 1. n. 51.* Fragoſ. *p. 2. L. 11. D. 24. §. 15. n. 7.* Palao *to. 4. tr. 23. D. un. punct. 15. §. 4. n. 10.* Andreas à Matre Dei de Privil. *cap. 4. punct. 2. n. 112.* Cæterùm per articulum mortis non ea ſolùm intelligitur temporis circumſtantia, in qua mors reipſa imminet, ſed quando moraliter & prudenter timetur, etſi deinde non ſequatur; unde cùm in relatis privilegiis aliquando periculum, aliquando articulus mortis ponitur, debent hi termini pro eodem accipi; quia licèt articulus mortis & periculum mortis in rigore ſignificationis differant, ex uſu tamen Eccleſiaſtico in præſenti materia pro eodem uſurpantur, ùt conſtat ex *Can. Si quis ſuadente. 29. cauſ. 17. quæſt. 4.* & ex *cap. Eos qui à ſententia. 22. de ſentent. excommunic. in 6.* & docet Gloſſ. *in cap. Paſtoralis. 11. de Offic. Jud. Ordin.* Granado *de Pœnit. tr. 10. Diſp. 4. ſect. 2.* Averſa *quæſt. 16. de Miniſtr. ſacr. Pœnit.* Diana *part. 3. tr. 4. Reſol. 71.* & *part. 5. tr. 7. Reſol. 59.* Sanchez *L. 22. in Decal. cap. 13.* Leander *tr. 5. de Pœnit. Diſp. 11. quæſt. 17.* Andreas à Matre Dei loc. cit. ad fin. & alii apud ipſos. Nec quiſpiam hic mihi objiciat, indulgentiam hanc, utut à tot SS. Pontificibus conceſſam Regularibus in articulo mortis conſtitutis, de facto revocatam eſſe per generalem indulgentiarum revocationem à Paulo V. factam; hic ipſe S. Pontifex Paulus V. in Bulla: *Romanus 23. Maji Anno 1606.* plenariam eisdem pro illo articulo mortis conceſſerit indulgentiam.

Illud verò hic benè notandum, 70
quòd dum relati hactenus SS. Pontifices Eugenius IV. Nicolaus V.

Six.

Sixtus IV. Innocentius VIII. & Julius II. Canonicis Regularibus plenariam hanc indulgentiam & abſolutionem pro mortis articulo concedunt, pariter requirant, ut quilibet ex confitentibus hujusmodi Canonicis, antequam ad articulum mortis deveniat, teneatur ſi Clericus ſit vel Presbyter, ſeptem Pſalmos Pœnitentiales; ſi verò Converſus fuerit vel laicus, qui ipſos Pſalmos Pœnitentiales legere neſciret, quinquagies orationem Dominicam & totidem ſalutationes B. Virginis ſingulis ſeptimannis per unum annum duntaxat pro conſervatione ſtatus Eccleſiæ Romanæ (legitimo tamen ceſſante impedimento) dicere, & omittentes alia vice ſupplere teneantur, ac poſſint dicendo quinquaginta vicibus dictos ſeptem Pſalmos Pœnitentiales communiter vel diviſim hujusmodi debito in integrum ſatisfacere, & ſi interim aliquem poſt inceptam & non perfectam pœnitentiam hujusmodi ab hac luce migrare contingat, ipſe nihilominus plenariam remiſſionem conſequatur, dummodo intentionis fuerit illam, ſi ſupervixiſſet, perficiendi. Ita de verbo ad verbum tum Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos.* tum Julius II. in Bulla: *Inter cæteros.* ſimilia quoque habent alii SS. Pontifices, dum aliis Ordinibus Religioſis ejusmodi privilegia elargiuntur.

71 Dico 2dò. *Poſſunt quoque Canonici Regulares eligere ſibi Confeſſarium, qui ſemel in vita eos plenariè abſolvat ab omnibus omninò peccatis, cenſuris, ac pœnis quomodocunque S. Pontifici, aut aliis Prælatis reſervatis, nullo excepto.*

Ita Eugenius IV. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis *10. Calend. Auguſt. Anno 1439.* dum iisdem concedit, ut pro omnibus & ſingulis peccatis, delictis, & exceſſibus, de quibus etiam ſedes Apoſtolica eſſet meritò conſulenda, pro ſemel tantùm, auctoritate Apoſtolica poſſint abſolutionis beneficium impendere: ſimiliter omnes à quibuscunque excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdictorum ſententiis, aliisque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis à Jure vel ab homine auctoritate Apoſtolica, vel quavis alia generaliter vel ſpecialiter promulgatis, & quarum abſolutio eſſet etiam ſedi Apoſtolicæ generaliter vel ſpecialiter reſervata, valeant abſolvere. Quod ipſum etiam Canonicis Regularibus Congregationis Bononienſis concedit Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. Non. April. Anno 1512.* quòd illis ſcilicet liceat, & cuilibet ipſorum ſemel in vita quemcunque Presbyterum ex dictis Canonicis, in caſu verò neceſſitatis alium Presbyterum idoneum tam ſæcularem, quàm cujusvis alterius Ordinis Regularem in

in ſuum eligere Confeſſorem, qui pro commiſſis per eos criminibus, delictis, & peccatis in omnibus & ſingulis etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus debitam abſolutionem & plenariam omnium peccatorum remiſſionem poſſint auctoritate Apoſtolica impendere. Plura ejusmodi privilegia conceſſerunt tum hi, tum alii SS. Pontifices diverſis Ordinibus Religioſis, quæ videri poſſunt apud Authores, præſertim apud Auguſtinum à Virgine Maria V. abſolutio Fratrum.

72 Porrò abſolutionis forma, qua in ejusmodi caſibus oportet uti, duplex eſt, una pro abſolutione cenſurarum, altera pro abſolutione peccatorum: illa quæ huic præmitti debet, refertur in Bulla Clementis VII. quæ incipit: *Dudum pro parte. 7. Martii Anno 1533.* edita, & eſt talis: videlicet poſt miſereatur &c. & indulgentiam &c. Dominus noſter JEſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius & BB. Apoſtolorum Petri & Pauli mihi conceſſa abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris vel minoris, ſuſpenſionis & interdicti, & diſpenſo tecum in omni irregularitate, quam quomodocunque incurriſti, & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, unionique & participationi Fidelium in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti Am. Similis forma abſolutionis à cenſuris refertur etiam in alia Pauli III. Bulla, quæ incipit: *Dudum felicis. 25. Julii Anno 1535.* data. Altera ac plenaria abſolutionis à peccatis forma refertur à Collectore Privil. §. 10. deſumpta ex Bulla Sixti IV. & his verbis deſcribitur, ſcilicet: Auctoritate mihi conceſſa & commiſſa ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritûs S. & ſic plenariè illi ſtatui innocentiæ te reſtituo, quomodo Sanctitas Domini noſtri Papæ NN. faceret, ſi ipſemet in confeſſione tua peccata auſcultaret, & eadem auctoritate Apoſtolica tibi impertior ſanctam benedictionem Papalem in nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen.

Dico denique 3tiò. *Poſſunt Canonici Regulares eligere ſibi Confeſſarium ex deputatis à Prælato, qui eos abſolvat plenariè ab omnibus caſibus & cenſuris ſedi Apoſtolicæ quomodocunque reſervatis in Feſtis Domini, B. V. Mariæ, Petri & Pauli, & Sanctorum omnium, ac in principalioribus Ordinis ſui.* 73

Ita conceſſit Leo X. Fratribus Minoribus & Monialibus ſub eorum curâ degentibus *19. Junii Anno 1515.* cum quibus cùm Canonici Regulares in omnibus privilegiis abſolutè & di-

directè communicent ex conceſſione Julii II. Julii III. ac S. Pii V. eisdem quoque per hanc ipſam communicationem conceſſa cenſetur facultas eligendi ſibi Confeſſarium ex deputatis à Prælato, qui eos plenariè abſolvat in dictis feſtis Domini, videlicet Nativitatis, Epiphaniæ, Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, & in Feſtivitatibus B. V. Mariæ, Petri & Pauli, ac Sanctorum omnium, atque in feſtis Ordinis principalioribus, ùt eſt feſtum S. Auguſtini, S. Monicæ, S. Patritii, S. Ubaldi, ac S. Frigdiani, & omnium SS. Canonicorum Regularium, in quibus pariter conceſſa eſt indulgentia plenaria. Quòd autem dicto privilegio gaudere poſſint omnes illi Religioſi Ordines, qui cum Minoribus in privilegiis communicant, quales ſunt Canonici Regulares, docent AA. communiter poſt Rodriquez, Miranda *to. 2. q. 33. art. 9.* Suarez *to. 4. de Relig. tr. 8. cap. 19.* Tamburin. *to. 2. D 9. qu. 5.* Donatus *to. 3. tr. 5. qu. 51.* Urban. ab Aſcenſ. *tr. 2. diſt. 2. c. 2. reg. 8.* Anton. à Spir. S. *tr. 2. D. 2.* ut proinde in diverſis Ordinibus præceptum ſit Superioribus, ut id promulgent in dictis feſtis.

DISPUTATIO II.

De Poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium audiendi ſæcularium confeſſiones, eóſque abſolvendi à caſibus tum Epiſcopo, tum S. Pontifici reſervatis.

PErtractatis iis, quæ ad poteſtatem Canonicorum aliorúmque in ordine ad audiendas Religioſorum confeſſiones pertinere videbantur, explicatiſque Juribus ac privilegiis, quæ hac in re competebant illis; ordo doctrinæ nos manuducit ad conſiderandam pariter eorumdem poteſtatem, quam obtinent in ordine ad audiendas ſæcularium confeſſiones, & ad diſpenſandum cum eis in irregularitatibus, votis, juramentis, & impedimentis: quibus itidem Juribus, quibusve privilegiis quoad hoc potiantur; quæ omnia tum in hac, tum in ſequenti Diſputatione ſuſcipimus expendenda. Eſt verò hæc Diſputatio Regularibus omnibus utiliſſima, & in ordine ad praxin oppidò neceſſaria; attamen etiam maximis

mis ubique obſepta difficultatibus, pluriminisque obnoxia controverſiis ob diſſentientia Authorum partiumque ſtudia, opinionibus in extrema abeuntibus; multi etenim jam ab antiquis temporibus Monachos & mendicantes ab omni administratione Sacramentorum etiam Pœnitentiæ volebant excluſos, eousque procedentes, ut confeſſiones apud ipſos factas invalidas proclamarent, eóſque etiam damnarent, qui contrarium aſſerebant, quos tamen ſemper Romani Pontifices conati ſunt reprimere, Regularibus in ſuam tutelam receptis, condemnatisque eorum Adverſariis. His noſtro ævo annumerare licet eos quoque, qui Regulares exutos volunt omnibus privilegiis, & ab omni animarum cura ſubmotos; cùm tamen eorum potiſſimùm curæ ac ſollicitudini, ſudori ac ſanguini dimidii fermè orbis ad fidem Catholicam converſio ſit adſcribenda. His alii è diametro oppoſiti pro privilegiis certant tanquam pro aris & focis, eaque ultra debitos extendunt limites, etiam ubi Decreta ac Conſtitutiones SS. Pontificum & authenticæ Cardinalium Declarationes apertè repugnant; ex quo fit, ut non tantùm ubivis locorum etiam in alienis Eccleſiis, licèt repugnantibus illarum Rectoribus, ſibi licere putent, audire ſæcularium confeſſiones, ſed etiam absque approbatione Ordinariorum loci, & abſolvere ab omnibus tam Epiſcopo ſpecialiter, quàm S. Pontifici in Bulla Cœnæ reſervatis, atque etiam ab hæreſi formali, & quæ ſunt aliæ plures ejusmodi opiniones, quæ hodie poſt tot contrarias SS. Pontificum Conſtitutiones vix ampliùs ſuſtineri poſſe videntur, utut ſpecioſis ſententias ſuas fulcire conentur argumentis. Nos igitur, ne impingamus, mediam ingredientes viam, conabimur extremas iſtas declinare opiniones, & Conſtitutiones Pontificias ac Declarationes Cardinalium præ oculis habentes, iis ducibus eas amplectemur ſententias, quæ & veritati magis conſonæ & prædictis Conſtitutionibus & Declarationibus magis conformes videbuntur: 4tuor autem ſectionibus hanc abſolvemus diſputationem; 1ma. erit de poteſtate Regularium audiendi ſæcularium confeſſiones. 2da. aget de approbatione ad audiendas ſæcularium confeſſiones requiſita. 3tia. de poteſtate Regularium abſolvendi ſæculares à caſibus Epiſcopo ſpecialiter reſervatis. 4ta. denique de poteſtate eorumdem abſolvendi ſæculares à caſibus S. Pontifici reſervatis.

Sectio

Sectio I.

De poteſtate Canonicorum Regularium audiendi perſonarum ſæcularium confeſſiones.

1 NOn defuêre, qui ſexto jam Sæculo inclinante volebant, invalidè à Religioſis Monachis adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ, quos tamen reprimendos eſſe ſtatuit Bonifacius IV. Can. *ſunt nonnulli. 25. cauſ. 16. Q. 1.* ubi præterea inquit: *Credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi ſolvendique officium Deo operante dignè adminiſtrari, ſi eos dignè contigerit hoc miniſterio ſublimari.* Poſterioribus deinde ſæculis invaluit opinio Henrici de Gandavo, Hoſtienſis, Archidiaconi & aliorum Doctorum præſertim Pariſienſium, qui putabant, per confeſſiones apud Religioſos etiam ab Epiſcopo approbatos factas non adimpleri præceptum confeſſionis annuæ ab Innocentio III. in cap. *omnis utriusque 12. de pœnit. & Remiſſ.* latum, quòd oves à Paſtoribus ſcilicet Parochis in hoc Sacramento ſaltem ſemel quot annis recognoſci debeant; quam opinionem Joannes de Poliaco Theologiæ Doctor Pariſienſis non modò ſecutus eſt, ſed & erroribus ſuis cumulavit, dum publicè auſus eſt defendere ac docere 1mò: quòd confeſſi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. 2dò. quòd ſtante *omnis utriusque ſexûs* edicto in Concilio generali Romanus Pontifex non poteſt facere, quòd Paræciani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri; imò nec DEus poſſet hoc facere, quia, ùt dicebat, implicat contradictionem. 3tiò. quòd Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſionem, imò nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem peccata confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe proprium Curatum; quos tamen articulos tanquam falſos & erroneos, & à doctrina ſana devios condemnavit Joannes XXII. 8. Cal. Auguſt. anno 1321. in extravag. *Vas electionis 2. de hæret.* quam Conſtitutionem plures SS. Pontifices ejusdem Joannis Succeſſores contra inſurgentes identidem Novatores, & prædictæ Extravagantis Impugnatores confirmârunt, ac innovârunt, eosque anathemate percuſſerunt, qui contrarium auſi fuerant aſſerere, quin & Eugenius IV. in B. *Gregis nobis crediti. Anno 1446.* & Sixtus IV in B. *Regimini. Anno 1474.* ſeverè præcipiunt, ut contra tales tanquam hæreticos & de Catholica fide ſuſpectos procedatur. Verùm tot tan-

tantisque SS. Pontificum decretis inſuper habitis haud paucos noſtris etiam temporibus invenire licet hujusmodi opinionum jam pridem damnatarum renovatores, ac defenſores, qui auſu planè temerario non modò improbant confeſſiones Regularibus factas, ac per eas non ſatisfieri præcepto confeſſionis annuæ publicè defendunt, casdemque Parochianis ſuis fieri prohibent, ſed inſuper aſſerunt, quòd confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſint vel invalidæ: quam tamen propoſitionem meritò damnavit Alexander VIII. in Decreto 7. Decembr. anno 1690. edito. Quæ quidem omnia quamvis contra Monachos & Mendicantes potiſſimùm jacta ſint, tamen indirectè etiam ad Canonicos Regulares pertinere videntur, cùm & ipſi ſint Religioſi, licèt nec inter Monachos nec inter Mendicantes reputari poſſint ac debeant. Unde ut horum quoque Juribus conſulamus ac obviemus impugnationibus, oſtendendum hic nobis eſt ante omnia, quòd Canonici Regulares poſſint omnium ſæcularium ad ſe confluentium confeſſiones audire, idque quocunque anni tempore, ac ubique locorum. Ad hoc verò probandum.

a Dico 1mò. *Poſſunt Canonici Regulares liberè confeſſiones excipere quarumcunque perſonarum ſæcularium utriusque ſexûs undecunque advenientium, & confiteri volentium.*

Concluſio hæc eſt certa ex innumeris SS. Pontificum oraculis, Conciliorum Decretis, ac SS. Patrum aſſertionibus, quibus & Clericatum Canonicis Regularibus eſſentialem, & curam animarum eisdem congenitam adſtruunt. Verùm miſſis interim hisce antiquioribus fundamentis, ejus veritas ſatis ſuperque oſtendi poteſt ex recentiorum SS. Pontificum Bullis & aſſertis; ſic etenim Eugenius IV. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis 7. Cal. Febr. añō 1436. Bononiæ conceſſit, *ut ad hoc idonei, quos Prælati duxerint eligendos, omnium & ſingulorum Chriſticolarum utriusque ſexûs ſua peccata illis pro tempore confiteri volentium, confeſſiones hujusmodi diligenter audire, ipſisque debitam abſolutionem impendere valeant*; & añō 1439. 10. Cal. Auguſti idem S. Pontifex præfatis Canonicis facultatem dedit Florentiæ, ut *deputati ad audiendas confeſſiones poſſint omnes utriusque ſexûs ubique conſiſtentes, aut ad ſe venientes audire, eosque abſolvere ab omnibus peccatis.* Quod ipſum deinde iteratò confirmavit ſummè ſatus Pontifex præſertim per B. *Ad Sacram. 4. Idus Januar. Anno 1445.* aliique ipſius Succeſſores præcipuè Sixtus IV. qui pariter conceſſit, ut iidem *Canonici, aliàs tamen idonei & per ſuperiores deputandi confeſſiones omnium & ſingulorum*

rum utriuſque ſexûs liberè & licitè audire valeant, ùt habetur in B. *Dum ad univerſos, 10. Cal. Septemb. Anno 1477.* data. Hoc ipſum denique (ùt plures alios prætercam SS. Pontifices) Regularibus Canonicis Congr. Bonon. concedit iisdem pœne verbis Julius II. in B. *Inter cæteros Anno 1512.* ubi etiam expreſsè mandat Ordinariis ac Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, ne eorum Parochianis, quòd Canonicis prædictis non confiteantur, aliquo modo prohibere ſeu perſuadere præſumant, & nullatenus denegent miniſtrare hujusmodi confitentibus eisdem Canonicis Eccleſiaſtica Sacramenta. Ex quibus omnibus plusquàm manifeſtum eſt, poſſe Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis & Bononienſis quorumcunque utriusque ſexûs ſæcularium confeſſiones audire, atque per has SS. Pontificum conceſſiones ſimul acquirere juriſdictionem generalem in omnes Chriſti fideles in ordine ad audiendas eorum confeſſiones, adeóque tanquam S. Pontificis Delegati à nemine poſſe impediri, quo minùs eam quovis tempore, ac omni loco exerceant, quod ipſum tamen ut manifeſtius pateat

3 Dico 2dò. *Poſſunt Canonici Regulares omnium utriusque ſexûs perſonarum ſæcularium confeſſiones audire, quovis anni tempore etiam Paſchatis ac præcepti.*

Ita Joannes XXII. in Extravagante *Vas electionis. 8. Cal. Aug. Anno 1321.* data; ubi aſſerentes, per confeſſiones Regularibus factas non ſatisfieri præcepto annuæ confeſſionis condemnat, quam plerique confirmârunt, qui ſecuti ſunt, SS. Pontifices præſertim Clemens VI. in B. *nuper pro parte Anno 1351.* Innocentius VI. in B. *Tenorem. Anno 1359.* Alexander V. in B. *Regnans in excelſis. Anno 1409.* ubi inſuper ſtatuit, ut ſi quis contrarium aſſerat, tanquam hæreticus ſit cenſendus, & excommunicationem Papæ reſervatam ipſo facto incurrat. Eugenius IV. in B. *Exhibita nobis. Anno 1440.* Philippi Norreys Theologiæ Magiſtri & ſequacium hac de re propoſitiones damnat ùt erroneas &c. & in B. *Gregis nobis crediti. Anno 1446.* damnatos ab Joanne XXII. articulos Joannis de Poliaco iterum condemnat, ac mandat Prælatis, ut contra eorum aſſertores tanquam hæreticos & de Catholica fide ſuſpectos procedant; quas Eugenii litteras repetit Nicolaus V. ejus Succeſſor in B. *Dudum. Anno 1448.* & poſt longum à Dominico Cardinali ex commiſſione Papæ factum proceſſum tandem Pontifex mandat Philippum de Norreys ſupra dictum declarari excomunicatum, quousque ſuam opinionem revocârit; & in alia Bulla *Proviſionis noſtræ* eodem anno data iterum authenticat, & innovat.

Digitized by Google

novat ac approbat hucusque facta de Cardinalium conſilio & aſſenſu; cúmque has ipſas Nicolai litteras Guillelmus Rineti Rector Univerſitatis Pariſienſis impeteret, easdem iterum confirmat Calixtus III. in B. *Inter cætera. Anno 1456.* & in alia quæ incipit: *Ad ea libenter* eodem anno data declarat, quòd qui ſemel in anno Regularibus fuerint confeſſi, non amplius teneantur Parochis confiteri, ſimulque mandat Parochis, ne ſub pœna excommunicationis contradicant; iterumque eodem anno in B. *Nuper.* teſtatur, quasdam à ſe litteras emanâſſe, quæ incipiunt: *Illius licet immeriti*, quibus declarat, ſententiam excommunicationis eos incurrere, qui aſſerunt confeſſionem Regularibus factam, eſſe Parochis iterandam. Sixtus etiam IV. in B. *Regimini. 31. Auguſti Anno 1474.* confirmat Joannis XXII. Eugenii IV. ac Nicolai V. Conſtitutiones ac reprobat aſſerentes, quòd confeſſi Regularibus teneantur iterum eadem peccata confiteri curatis ſuis, eosque ſimul tanquam de hæreſi ſuſpectos Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis tradi mandat. Atque has omnes SS. Pontificum Conſtitutiones renovavit Leo X. in B. *Exponi nobis Anno 1518.* & Innocentius denique X. in B. *Exponi. 7. Febr. Anno 1645.* declarat iterum, Regulares privilegia Apoſtolica habentes non poſſunt prohiberi ab Ordinariis locorum, ne à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè valeant adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ. Idque anno præcedenti jan. declaraverat S. Congregatio Concilii 9. Junii in Burdegalenſi, ac poſtea iterum declaravit in Senonenſi 11. Junii anno 1650. apud Monacellam *in Formular. Leg. practic. part. 2. tit. 13. formul. 2. numero 16.* quod ipſum iterum ſtatuit Clemens X. in B. *Superna 21. Junii Anno 1670.*

Ex quibus jam certum eſt, poſſe Canonicos Regulares, aliosque Religioſos, qui ejusmodi gaudent privilegiis, quocunque tempore etiam Paſchali, aut qualiscunque præcepti validè & licitè quorumcunque ſæcularium audire confeſſiones, quin hi teneantur iterum confiteri Parochis ſuis ac Curatis, aut ab his adſtringi poſſint, ut ſibi confiteantur tempore Paſchali aut ſemel in anno, eosque eſſe, ſi id requirant pervicaciter, ſuſpectos de fide, atque adeò contra tales veluti hæreticos à fidei Inquiſitoribus, aut Ordinariis locorum procedi poſſe, ac ſimul ſubjacere excommunicationi à tot SS. Pontificibus latæ in aſſerentes, quòd qui tempore Paſchali confeſſi ſunt Regularibus utut privilegiatis, teneantur iterum confiteri Parochis peccata jam confeſſa, eorumque confeſſiones fuiſſe nullas atque irritas, nec per eas ſatisfieri præcepto annuæ confeſſionis. Qua in re non video, qua temeritate audeant permulti hodiedum Parochi ac Curati prohibere Parochianis ſuis, ne Regulari- 4

gularibus etiam privilegatis, ſed ſibi tempore Paſchali confiteantur, niſique id faciant, malè tractare; aut in eos tanquam præcepti Eccleſiaſtici transgreſſores animadvertere, cùm tamen tot extent ſummorum Pontificum ſententiæ; & Decreta contrarium ſtatuentia etiam ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, à qua quî ſe expediant ejusmodi Parochi planè non video; aut enim ſciunt illa, & excuſari non poſſunt: aut ea neſciunt, & craſſiſſimam ſuam neceſſe eſt fateantur ignorantiam in rebus moralibus ac Jure Canonico, cujus ſe tamen Doctores ac licentiatos paſſim venditant, quod ſi vel à limine ſalutâſſent, occurreret utique inter Clementinas cap. *ſuper Cathedram*, & cap. *Dudum 2. de ſepultur.* & inter Extravagantes cap. *Vas Electionis. 2. de hæretic.* ex quibus ſuum poſſent dediſcere errorem, ac corrigere ignorantiam. Manet itaque certum, quòd ſæculares Parochiani ſemel in anno ac tempore Paſchali Regularibus privilegiatis confitentes ſatisfaciant præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis, nec adigi poſſint, ut Parochis confiteantur iterum. Id tamen de ſolis, ùt jam monui, Regularibus privilegiatis intelligendum eſt; nam quod ad eos attinet, qui nullo ejusmodi muniti ſunt privilegio, ultrò fateor, per confeſſionem hujusmodi Confeſſariis factam nullatenus prædicto ſatisfieri præcepto, ſi Parochus nolit, etiam injuſtè, Parochianis ſuis licentiam dare, alteri non privilegiato confitendi, idque ob defectum jurisdictionis, quam talis neque à Parocho, neque ab Ordinario, multò minùs à S. Pontifice habere ponitur. Atque in hoc caſu poſſunt Parochi ſuis Parochianis prohibere, ne talibus confiteantur, nullatenus verò univerſaliter, & reſpectu illorum Regularium, qui ex privilegio Apoſtolico jurisdictionem in omnes Chriſti fideles generalem habent à S. Pontifice.

Dico 3tiò. *Poſſunt quoque Canonici Regulares quarumcunque utriusque ſexûs perſonarum ſæcularium etiam infirmarum confeſſiones audire non tantùm in Eccleſiis, ſed etiam in earum domibus ac aliis locis honeſtis extra Monaſterium absque Parochi aut alterius cujusquam licentia.*

Ita rursùs quamplures SS. Pontifices, ac imprimis Eugenius IV. Canonicis Regularibus Congregat. Lateranenſis. *10. Cal. Auguſti Anno 1439.* dum iisdem poteſtatem facit audiendi omnes utriusque ſexûs fideles NB. ubique conſiſtentes absque alia ſuorum Superiorum ſive Ordinariorum licentia; quod ipſum poſtea confirmavit tum Eugenius ipſe, tum Sixtus IV. in Bulla *Dum ad univerſos*

10. Cal. Septembr. Anno 1477. ad eosdem Canonicos data, ubi iisdem concedit, ut *poſſint confeſſiones omnium & ſingulorum utriusque ſexûs fidelium tam in locis ipſorum Canonicorum quàm extra audire &c.* Idipſum pariter conceſſit Julius II. in Bulla: *Dudum ad ſacrum. 27. Septembr.* Anno *1506.* Paulus IV. in B. *Cùm ſicut exponi. 20. Julii* Anno *1557.* ubi expreſſis verbis indulget, decernit, & declarat, quòd *Confeſſores à ſuis Superioribus deputati, quarumcunque Provinciarum, Civitatum & Diœceſium per totum orbem omnium utriusque ſexûs fidelium confeſſiones etiam infirmorum ubilibet etiam extra proprias domos & habitacula ſua audire eosque abſolvere poſſint.* Id quod iisdem ac ipſiſſimis verbis iterum concedit ac confirmat Pius IV. in B. *Ex Clementi.* Anno *1561.* S. itidem Pius V. in B. *Etſi Mendicantium 17. Calend. Junii* Anno *1567.* & in alia qua eandem Bullam ad Canonicos Regulares extendit, quæ incipit: *Ex ſuperna diſpoſitionis eodem Anno Calendis Septembr.* data, in quibus non modò approbat ſupradictam Pauli IV. Conſtitutionem, ſed etiam de novo concedit, ut poſſint *confeſſiones ſæcularium perſonarum etiam infirmarum etiam extra domos & Monaſteria ſua & ubilibet audire, ita ut à confeſſionibus audiendis tam intra Eccleſias & domos, quàm extra minimè probiberi valeant.* Clemens quoque X. in B. *Superna. 21. Junii Anno 1670.* Superſedeo plures alias ejusmodi SS. Pontificum conceſſiones referre, idque brevitatis gratia, cùm hæc abundè ſufficiant.

Etſi verò hoc ipſum tot tantisque fuerit SS. Pontificum Conſtitutionibus firmatum & expreſſum, haud defuerunt tamen nullo non tempore Parochi, qui ſuas hac in re querelas ad S. Congregationem detulerunt, nihilque non moverunt, ut Regulares ab audiendis ſine licentia ſua infirmorum confeſſionibus ſubmoverent, ſibi falsò perſuadentes, ejusmodi Regularium privilegia audiendi ubilibet infirmorum confeſſiones ſublata fuiſſe aut revocata, atque adeò ad eas validè audiendas neceſſarium putabant omninò expreſſum Parochi conſenſum, & jurisdictionem. Verùm cùm nullibi conſtet Regularium privilegia quoad hoc unquam fuiſſe vel à S. Pontifice, vel à Concilio Tridentino, vel à S. Congregatione retractata, non immeritò tulêre repulſam; nihilque aliud potuerunt efficere, quàm ut idipſum ſæpiùs ſacra confirmaret ſub quoque calculo Congregatio, quemadmodum plures in hanc ſententiam declarationes referunt Quaranta, Lezana & alii; ſic enim S. Congregatio Epiſcoporum & Regularium reſolvit Anno 1616. 22. Januarii, quòd poſſint Regulares audire confeſſiones ægrotorum in eorum domibus ſine licentia Parochi, quem tamen monere debent de confeſſione audita, ùt videre eſt apud Barboſam, Tamburinum ac Pittonum. Ita etiam eadem S. Congregatio Cardinalium negotiis Regularium Præpoſita inhærens aliis declarationibus

nibus deſuper editis cenſuit Anno 1641. 13. Septembr. Regulares à locorum Ordinariis ad audiendas perſonarum ſæcularium confeſſiones approbatos, non poſſe ab iisdem Ordinariis prohiberi, ne earumdem perſonarum ægrotantium in propriis illorum domibus confeſſiones audire poſſint, absque Parochorum licentia, dummodo relinquant ſchedulam, vel notificent ipſi Parocho, quòd pœnitentiæ Sacramentum hujusmodi fuerit adminiſtratum. Ex quibus poſterioribus verbis ſimul colligo, non requiri neceſſariò teſtimonium auditæ confeſſionis determinatè in ſcriptis factum, ſed ſufficere qualemcunque notificationem authenticam Parocho factam, quin imò ſufficere videtur etiam illorum fides, qui gerunt infirmi curam, imò & ipſius infirmi fide digni aſſertio, præſertim ſi pius ſit ac vir honoratus, in quem nulla cadit ſuſpicio, quòd fallere velit in tam gravi animæ ſuæ ac æternæ ſalutis negotio.

Cæterùm cùm ex hactenus dictis ſatis perſpicuum ſit, quòd Regulares Canonici non modò univerſalem habeant à S. Pontifice in omnes Chriſti fideles jurisdictionem, ſed etiam vi iſtius absque alia poſſint ſæcularium confeſſiones ubilibet audire, hinc oritur nova difficultas non contemnenda nec prætereunda, an eorum poſſint etiam confeſſiones audire in Eccleſia Parochiali non requiſito priùs Parochi conſenſu? ad quam reſponſurus ulteriùs

Dico 4tò. *Poſſunt Canonici Regulares etiam in Eccleſia Parochiali nec requiſito Parochi conſenſu quorumcunque utriusque ſexus fidelium confeſſiones audire, eósque validè abſolvere.*

Ita ſequitur ex hactenus dictis, & probatur: Ad hoc ut quis validè abſolvat etiam in Eccleſia Parochiali nihil aliud requiritur, quàm approbatio & jurisdictio: ſed utramque habent Canonici Regulares, approbationem quidem ab Epiſcopo, ut ſupponitur, jurisdictionem verò à S. Pontifice, vi cujus poſſunt fidelium confeſſiones audire ubique, ut ex hactenus dictis conſtat: ergò poſſunt etiam in Eccleſia Parochiali eorum audire confeſſiones, eosdemque validè abſolvere. Neque dicas: Actus jurisdictionis exerceri non poſſunt in territorio alieno: ſed audire confeſſiones & abſolvere à peccatis ſunt actus jurisdictionis: ergò exerceri non poſſunt in territorio alieno, quale cenſetur eſſe Eccleſia Parochialis reſpectu Regularium. ℟. 1. diſtinguendo maj. Actus jurisdictionis contentioſæ, quæ fit cum ſtrepitu fori, exerceri non poſſunt in territorio alieno C. Actus jurisdictionis voluntariæ, quæ exercetur inter partes ex æquo & bono ſine ſtrepitu

fori N. Conſtat enim ex Jure communi, quòd actus jurisdictionis voluntariæ exerceri poſſint in alieno territorio, ut id Juriſtæ potiùs ſupponant quàm probent; unde ex hoc principio deducunt Authores communiter, poſſe Epiſcopum etiã in aliena Diœceſi ſuos abſolvere ſubditos etiam in foro externo, ac Parochum extra Parochiam ſuam ſuorum ubilibet audire confeſſiones Parochianorum, eósque validè abſolvere; quia nempe ſunt actus jurisdictionis voluntariæ, quæ fit ſine ſtrepitu fori: igitur & Regularis poterit etiam in aliena Parochia, nec requiſito Parochi conſenſu quorumcunque fidelium audire confeſſiones, eóſque validè abſolvere, neque facere poteſt Parochus, quin hæc jurisdictio in Eccleſia Parochiali exerceatur validè. Verùm ℞. 2dò. negando ſuppoſitum, quòd Regularis vi privilegii & jurisdictionis à S. Pontifice acceptæ abſolvens in Eccleſia Parochiali etiam non requiſito Parochi conſenſu actum exerceat jurisdictionis in territorio alieno; cùm enim Regulares vigore privilegii Apoſtolici ubilibet poſſint audire fidelium confeſſiones, totum Chriſtianum orbem pro ſuo habent territorio tanquam S. Pontificis delegati: cùm igitur quævis Eccleſia Parochialis in hoc territorio contineatur, in quacunque Eccleſia audiant confeſſiones, eas audiunt in territorio ſibi aſſignato ac ſuo, non verò alieno; eſt enim clari Juris, quòd privilegiatus ſuo poſſit uti privilegio in toto territorio illius, qui conceſſit privilegium: ſed hoc privilegium conceſſit S. Pontifex, ejúſque territorium quoad hoc, eſt totus Chriſtianus orbis: ergò ab hoc privilegiatus poterit uti ſuo privilegio in toto orbe Chriſtiano, & conſequenter nunquam poterunt efficere Parochi, ut Regulares non poſſint uti privilegio ſuo etiam in Eccleſia Parochiali & absque ipſorum licentia. Verùm totum argumentum ſolvendum manet ipſiſmet Adverſariis in caſu, quo Regulares audiunt & abſolvunt quoscunque fideles ægrotos in eorum domibus, & conſequenter in alieno territorio ac Parochia, & Parochis ſæpiùs perquàm invitis, in quo tamen caſu certum eſt, quòd non modò validè ſed & licitè abſolvant, idque non ex alio titulo, quàm vigore privilegii Apoſtolici, & univerſalis jurisdictionis à S. Pontifice acceptæ audiendi ubilibet quoscunque Chriſti fideles, quin ab hoc impediri poſſint vel à Parocho, vel ab ipſo etiam Ordinario ſuppoſitâ legitima approbatione, ut conſtat ex pluribus SS. Pontificum Bullis, & S. Congregationis declarationibus; cùm tamen non minùs in hoc caſu, quàm in priori dici poſſit, quòd talis abſolutio ſit actus jurisdictionis in alieno territorio; quidquid autem ad hoc reſponſuri ſunt Adverſarii, idem & nos reſpondebimus. Allata porrò hactenus argumenta probare videntur, quòd

Re-

Regulares non tantùm validè, ſed etiam licitè audire poſſint fidelium confeſſiones in Eccleſia Parochiali non requiſito Parochi conſenſu. Verùm his non obſtantibus

8 Dico denique 5tò. *Non decet tamen, ut Canonici aliive Regulares quantiscunque muniti privilegiis in Eccleſia Parochiali non requiſito Parochi conſenſu, eoque invito ſæcularium audiant confeſſiones.*

Ita quidē eſſe videtur maximè conveniens ac conſultum, tum ad declinandas contentiones, quæ ad nihil aliud ſerviunt, quàm ad irritandos animos, & collidendum utrumque Clerum: tum ad vitanda ſcandala, quæ ex irritatis & exacerbatis animis ſequi frequenter ſolent in populo: tum etiam ad præcavendas confuſiones, quæ haud dubiè orirentur, ſi Sacerdos ſæcularis in Eccleſia Regulari, & Regularis in Eccleſia ſæculari ac Parochiali nullo ab alterutrius Rectore requiſito conſenſu vellent audire confeſſiones; & ratio eſt, quia ſpectat ad Eccleſiæ Rectorem ſuam cuſtodire Eccleſiam eamque regere, claudere & aperire: ergò decet & omninò conveniens eſt, nullam in ea fieri actionem, nullum exerceri miniſterium etiam ſpirituale, niſi de conſenſu illius ſaltem interpretativo, qui conſtitutus eſt ad eam regendam ac cuſtodiendam. Atque ita ad evitandas Parochorum querelas & conſervandam inter utrumque Clerum ſummè neceſſariam pacem tenendum omninò eſt; etſi enim juxta præcedentem concluſionem liceat tum validè tum etiam licitè Regularibus tanquam ſedis Apoſtolicæ hac in re delegatis ſæcularium confeſſiones ubilibet audire etiam in Eccleſia Parochiali ſine Parochi licentia, id tamen non facilè & absque neceſſitate faciendum eſt, invitis præſertim Parochis; eſt enim melius, ut de Jure noſtro quidquam remittamus, quò conſervetur charitas, quàm ut cum magna offenſione ac animorum exacerbatione illud ſtrictè vindicemus nullo noſtro aut exiguo commodo. Unde etiam non facilè in praxi recedunt ab hac opinione prudentiores ac diſcreti quique Regulares, qui extra propriam Eccleſiam vel non excipiunt confeſſiones, niſi invitati ac requiſiti, vel ipſos pro licentia honoris gratia conveniunt Parochos, qui niſi urantur invidia ac livore tabeſant, eam ultrò concedent petentibus, ſibique gratulabuntur, quòd in Regularibus habeant & laboris ſocios, & officii ſui Coadjutores. Atque ſic ceſſabunt querelæ, contentiones exulabunt, ſancta in utroque Clero florebit pax, & regnabit charitas; unde meritò reprehendendi ſunt imprudentes quidam ac nimis præfer-

Digitized by Google

vidi Religioſi præſertim ex Mendicantibus, qui privilegiis ſuis nimis confiſi non verentur etiam in Eccleſiis principalibus ac Collegiatis ne ſalutato quidem Prælato ſeſe publicè exponere ad confeſſiones excipiendas, etiam antequam ſeſe legitimaverint, aut ſatis conſtet, an ad hoc debitè ſint approbati? an ad hoc à ſuis deputati ſint Superioribus? quod tamen vel ab ipſis neceſſariò requiritur SS. Pontificibus, ut conceſſis poſſint uti privilegiis, quorum proinde temeritatem graviter puniendam eſſe nemo diffitebitur.

9 Ex hactenus porrò dictis colligere licet, quid dicendum ad illum caſum, quo Titius Religioſus cum licentia Prælati ſui proficiſcens Auguſtam, in itinere venit ad Eccleſiam Parochialem, in qua magna celebratur feſtivitas, magnusque populi pro lucrandis ibidem indulgentiis fit concurſus, cui pro audiendis confeſſionibus non ſufficiunt præſentes Confeſſarii; ſtatuit proinde ſuam quoque operam commodare, & quidem in gratiam Parochi, quocum magnam habet amicitiam, ſpe fretus, id etiam illi, quem hic & nunc utpote actu concionantem convenire non poteſt, gratum poſtea futurum: unde inſcio licèt Parocho ſeſe publicè exponit ad confeſſiones excipiendas. Quæritur jam, an Titius in hoc caſu validè & licitè abſolvat? ℞. Si Titius enarratis hactenus privilegiis non gaudeat, eum nec licitè nec validè abſolvere; quia in hoc caſu nullam habet ad audiendas confeſſiones jurisdictionem: ſine hac verò nec licitè nec validè poteſt abſolvere: non enim eam habet à S. Pontifice, cùm ponatur non gaudere privilegiis Regularibus quibusdam conceſſis, neque eam habet à Parocho, utpote qui nequidem cogitavit de Titio etſi amico ſuo hic præſente; conſequenter illam non potuit ei conferre: neque ſufficit conſenſus præſumptus aut ratihabitio de futuro, cùm ad audiendas confeſſiones requiratur jurisdictio actualis pro illo inſtanti ac tempore, quo datur abſolutio; cùm valor Sacramenti Pœnitentiæ ſuſpendi nequeat per intentionem Miniſtri, nec dependere poſſit ab aliqua conditione de futuro: qui autem ſolùm poteſt præſumere de ratihabitione, vel de conſenſu dando, aut concedenda jurisdictione, eam actu non habet: ergò invalidè & conſequenter illicitè abſolvit. At verò ſi Titius Religioſus gaudeat prædictis privilegiis, tam validè quàm licitè abſolvit: validè quidem; quia licèt à Parocho non habeat jurisdictionem actualem, habet tamen illam vi privilegiorum, vi quorum poteſt omnium Chriſti fidelium confeſſiones ubilibet audire & eos abſolvere: licitè verò abſolvit; quia certus eſt gratum ſe Parocho ſpeciali ſuo amico præſtare obſequium, & non tantùm non fore invitum, ſed etiam ingentis

gra-

gratiæ loco habiturum, quòd operam ſuam in audiendis confeſſionibus contulerit; ad licitam enim hujus Sacramenti adminiſtrationem ſufficit conſenſus Parochi præſumptus. Ex quo maximum patet diſcrimen inter Religioſum SS. Pontificum munitum privilegiis, & inter eum, qui iisdem non gaudet; hic enim ſemper & ubique nedum illicitè ſed etiam invalidè abſolvit, niſi actualem habeat à Parochis jurisdictionem, in quacunque demùm audiat confeſſiones Parochia: ille verò ſemper abſolvit validè, ubicunque demùm abſolvat, cùm jurisdictionem habeat univerſalem, & à S. Pontifice delegatam: quin etiam licitè abſolvet, ſi præſumere poteſt, Parochum non eſſe rationabiliter invitum. (*Adde*; quòd non decet, nec licet, neque intentio legiſlatoris ad eam facultatem extenditur, quæ ex ſuo genere ferè univerſim ac ut in pleriſque varias ſecum trahit deordinationes ac inconvenientias, præſertim ſi nulla ad multiplices ejusmodi indecentias permittendas urgeat legiſlatorem gravis ratio aut neceſſitas, qualis in præſenti non apparet ad permittendum ejusmodi actum jurisdictionis judicialem ſolennem & publicum. Hinc licèt ex mente SS. Pontificum talis abſolutio poſſit ſuſtineri tanquam valida, conferente jurisdictionem ſummo Pontifice, non tamen videtur eſſe licita ſine licentia Parochi præſumpta; nam præſumpta præcisè ad licentiam actus ſufficit. Vide S. 2. n. 19.)

Sectio II.

De approbatione requiſita ad audiendas ſæcularium confeſſiones.

10 PLura equidem quoad hanc, & diverſa diverſis temporibus Regularibus conceſſerunt SS. Pontifices privilegia, ad hoc ut poſſent ſæcularium audire confeſſiones; ac Bonifacius quidem VIII. ſtatuit, ut Prælati quos volunt ad confeſſiones ſæcularium audiendas deputare, præſentent Epiſcopo. Quòd ſi fortè is ex præſentatis rejiciat aliquem, debebant illi alium ſubrogare, & ſi etiam huic Epiſcopus petitam deneget licentiam, tunc enimverò ipſe S. Pontifex de plenitudine poteſtatis conceſſit, ut nihilominus poſſet etiam ſine licentia Epiſcopi ſæcularium confeſſiones audire, ùt habetur extravag. *ſuper Cathedram. 2. de ſepult. §. ſtatuimus.* ſubortis verò propterea turbis decrevit Benedictus XI. Bonifacii Succeſſor, ut Regulares authoritate A-

poſtolica abſque licentia Diœceſanorum & aliorum Prælatorum exemptorum & non exemptorum, quibus ſubſunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eos peccata ſua confiteri volentes. Verùm ut debitus honor Diœceſanis reſervetur, jubentur Regularium Prælati ſive per ſe ſive per alios ſcripto aut verbo eos monere, ſe ex ſuis quoſdam pro audiendis ſæcularium confeſſionibus deputâſſe, & inde humiliter ſe petere, ut de ipſorum beneplacito & licentia dictum poſſint officium exercere, quin eos tamen teneantur nominare, aut coram ipſis ſiſtere vel illorum exprimere numerum; quod ſi fuerit negatum, authoritate Apoſtolica officium ſuum exequi poterant, ita extravag. *inter cunctas. 1. de Privilegiis.* Verùm animis ad iſta necdum quieſcentibus Clemens V. Succeſſor Benedicti illius Conſtitutione antiquata innovavit decretalem Bonifacii in Concilio Vienneſi per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit: *Dudum 2. de ſepultur.* & S. approbante Concilio ab omnibus obſervari præcepit, quam ipſam deinde confirmârunt ac ſervandam præceperunt Succeſſores Romani Pontifices; ſubinde verò Eugenius IV. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis *10. Cal. Auguſti Anno 1439.* conceſſit, *ut deputati à Prælatis ad audiendas ſæcularium confeſſiones Canonici poſſint eos ubique conſiſtentes aut ad eos venientes audire abſque Ordinariorum licentia.* Hoc ipſum conceſſit Anno 1436. die 30. Junii idem Eugenius Monachis Congregat. Caſſinenſis, & Anno 1438. 11. Julii Ciſtercienſibus. Idipſum rurſus Canonicis Regularibus conceſſit Julius II. in B. *inter cæteros. 2. Apr. Anno 1512.* Prætereo plura alia ejuſmodi privilegia à SS. Pontificibus diverſis Religioſis Ordinibus conceſſa, quibus eiſdem indulgent, ut deputati ab eorum Prælatis ad audiendas ſæcularium confeſſiones poſſint eos audire abſque alia Epiſcopis ſeu Ordinariis facta præſentatione, approbatione aut licentia, quæ videri poſſunt apud Bordonum to. 1. de Regul. Reſol. 6. Paſſerinum to. 2. Q. 187. art. 1. & Auguſtinum à Virg. Mar. ℣. Confeſſio ſæcularium. Atque ita res ſe habebat ante Concilium Tridentinum, & ita ſe fortè etiamnum habet in locis ubi illud nunquam fuit receptum ac promulgatum, ſiquidem tamen inibi vigeant relata privilegia. Verùm aliud poſtea conſtituit Concilium Tridentinum, aliud quoque decreverunt SS. Pontifices iſtud ſecuti. Quid verò? id in præſenti inquirendum venit, ac ſtatuendum. propterea

Dico 1mò. *Ad hoc, ut Canonici aliive Regulares quicunque audire poſſint ſæcularium confeſſiones, requiritur approbatio Ordinarii.* 11

Ita

Ita expreſsè ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 15. ubi expreſſis verbis decernit, *nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopo per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*; & ne quis ſua quoad hoc opponere poſſet privilegia, addit, *privilegiis & conſuetudine quacunque etiam immemorabili non obſtantibus.* Ex quibus abunde patet, Regularibus quibuscunque ad audiendas ſæcularium confeſſiones neceſſariam eſſe approbationem Epiſcopi, ita quidem ut ſine hac nullæ omninò ſint ac invalidæ omnes abſolutiones, niſi fortè quis habeat beneficium Parochiale. In hoc verò Tridentini Decreto comprehendi etiam Prælatos ac Superiores Regularium dubitari vix poteſt; cùm enim Concilium univerſaliter loquatur nec diſtinguat inter Regulares ſubditos & Superiores, cenſetur omnes comprehendere: nam ubi lex non diſtinguit aut excipit, neque nos diſtinguere aut excipere debemus, & qui ſe fundat in exceptione aut limitatione legis, eam probare tenetur juxta Rotam deciſ. 416. num. 9. Nec refert, quòd Superiores Regulares vi officii ſui adjunctam habeant animarũ curam, & ipſis incumbat ſubditis miniſtrare Sacramenta non minùs quàm Parochis, ac propterea etiam æquiparentur habentibus beneficium Parochiale: nam hæc ipſa animarum cura ſe tantùm extendit ad ſubditos Regulares nec ultra Monaſterium extenditur ad ſæculares, reſpectu quorum per ſe ac vi officii ſui nullam habent animarum curam: ſicut igitur Epiſcopus non poteſt audire confeſſiones non ſubditorum in aliena Diœceſi, nec Parochus extra Diœceſin ſine illius approbatione Epiſcopi, ita neque Superior Regularis, utpote cujus Parochiale beneficium aut potiùs miniſterium non egreditur Monaſterium, nec ultra ſubditos in eo comprehenſos extenditur, ſed ibi limitatur tanquam in propria, ut ita dicam, Diœceſi. Quodipſum tamen intelligendum eſt potiſſimùm de Superioribus Regularibus Mendicantium aut etiam Monachorum; nam quod ad Prælatos præſertim Canonicorum Regularium attinet, cùm ipſis cura animarum etiam ſæcularium incumbat ex vi Inſtituti ac Ordinis ex eſſentia Clericalis, cúmque eorum Eccleſiæ ſint plerumque Parochiales, aut omninò habeant proprium territorium, in quo non tantùm in foro interno ſed etiam externo Jus dicunt, palam eſt, quòd illi poſſint etiã absque aliqua approbatione ſæcularium audire confeſſiones, hoc ipſo quòd habeant Parochiale beneficium, & in eo ſint confirmati. Refert equidem Margarinus in Bullar. Caſſin. privilegium, quo Sixtus V. viv. vocis oraculo 30. Nov. Año 1585. concedit Prælatis Congr. Caſſin. ut absque ulla Ordinario-

rum approbatione ſæcularium confeſſiones audire poſſint, quod Jure comunicationis omnibus aliis Congregationibus & Ordinibus commune eſſe putat Alviſetus; verùm cùm omnia ejusmodi privilegia poſtea ſint revocata ab Urbano VIII. in B. *Cùm ſicut accepimus. 12. Sept. Anno 1628.* hinc iisdem non ampliùs poteſt locus eſſe.

12 Majus dubium eſſe poteſt de Regularibus S. Theologiæ & Juris Canonici Profeſſoribus ac Lectoribus, vel etiam gradu Doctoratûs ac Licentiæ in Univerſitate aliqua inſignitis, an & his neceſſaria ſit Epiſcopi approbatio ad audiendas ſæcularium confeſſiones? id quod plures negant, quia inter tres modos, per quos aliquis acquirit poteſtatem audiendi ſæcularium confeſſiones, à prædicto Concilii decreto deſignatos, tertio loco refertur is: *Si aliàs idoneus judicetur*: nemo autem potiori Jure idoneus cenſeri debet, quàm relati tum Doctores tum Profeſſores, cùm tales habeant publicum idoneitatis ſuæ ad Sacramentorum adminiſtrationem teſtimonium. Id quod S. Pius V. in memorabili illa Bulla: *Etſi Mendicantium 16. Maji Anno 1567.* expreſsè ſtatuit: *ut Lectores & in Theologia graduati, cùm de ipſorum doctrina ambigendum non ſit, confeſſiones audituri ab Epiſcopis minimè examinentur.* Verùm cùm Tridentinum generaliter decernat, & abſolutè, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium audire, niſi approbationem Ordinarii obtineat, omnem omninò exceptionem ac limitationem excludit, quodipſum S. Pius V. confirmat in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Romani Pontificis 6. Auguſti Anno 1571.* edita, ubi declarat, prædictum Decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 23. cap. 15. de approbatione Regularium audiendis confeſſionibus ſæcularium præpoſitorum ab Epiſcopis facienda, obſervari debere in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum etiam Mendicantium etiam ſub regulari diſciplina viventibus; etiamſi ſint Lectores & in Theologia, etiam de Superiorum licentia graduati vel promoti, vel à ſuis Magiſtris generalibus vel Provincialibus Miniſtris ſæcularium confeſſionibus audiendis expoſiti. Huic S. Pii V. Conſtitutioni omninò conformis eſt alia Urbani VIII. Conſtitutio, quæ incipit: *Cùm ſicut accepimus. 12. Septembr. Anno 1628.* edita, qua *revocat, caſſat, tollit, abrogat & annullat omnia & ſingula Indulta audiendi ſæcularium confeſſiones abſque examine & approbatione Ordinarii quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus & etiam Societati JEſu, Congregationibus & Ordinibus tam Mendicantium quàm non Mendicantium &c. quomodolibet conceſſa.* Ex quibus ſatis ſuperque conſtat, nullum hodie ſupereſſe dubium, quin non etiam Lectores, ac Doctores indigeant approbatione Epiſcopi ad audiendas ſæcularium confeſſiones. Quod

ve-

verò attinet ad priorem illam Pii V. Conſtitutionem : *Etſi Mendicantium* incipientem : dico , huic per poſteriorem illam fuiſſe derogatum; poſteriora enim derogant prioribus, aut certè ſibi invicem non eſſe contrarias, cùm in priori tantùm ſtatuatur , ut non examinentur, eo quòd de ipſorum doctrina non ſit ambigendum: in poſteriori verò tantùm præcipiatur, ut approbentur & quidem conformiter ad Tridentinum , quod tamen neutiquam requirit examen in eo, qui aliàs idoneus judicatur, quæ utique ſibi non opponuntur, & cùm Jura Juribus conciliari debeant, haud ſine fundamento taliter componuntur; & certè decet ipſa ſuadente naturali ratione, ut tales perſonæ, de quarum doctrina dubitari nequit , ſine examine approbentur. Verùm quidem eſt atque etiam ſæpè docet experientia, quòd in ſpeculativis eruditiſſimi, in moralibus ac practicis deficiant, parùmque ſciant , cùm omne ſtudium in altioribus poſuerint diſciplinis, quo utique caſu non erit abs re, ſi Epiſcopus per examen inquirat, & inde judicet, an ſint idonei: meritò igitur res tota relinquitur judicio Epiſcopi, qui pro ſua prudentia & diſcretione judicabit, an quis prævio examine, an abſque eo ſit approbandus; quidquid verò de hoc ſit , certum eſt approbationem Epiſcopi omnibus Regularibus, nullo excepto, neceſſariam eſſe ad audiendas ſæcularium confeſſiones ; à quonam verò ea ſit petenda, an ab Epiſcopo loci, an pœnitentis aut Confeſſarii, dubium etiamnum remanet, ad quod proinde

Dico 2dò. *Ut Canonici aliive Regulares poſſint audire ſæcularium confeſſiones , requiritur approbatio ab Epiſcopo loci ſeu Diœceſeos facta, in qua volunt excipere confeſſiones.* 13

Ita deſumitur ex Innocentii X. Conſtitutione, quæ incipit: *Cùm ſicut accepimus. 14. Maji Anno 1648.* data, ubi declarat: *Regulares quoque, etiam Societatis JEſu in una Diœceſi ab Epiſcopo approbati ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas nequaquam poſſunt in aliena Diœceſi hujuſmodi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi diœceſani : audientes verò confeſſiones ſine approbatione NB. Epiſcopi loci poſſunt ab Epiſcopo ſuſpendi ab adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ.* Idipſum ſtatuit Clemens X. in B. quæ incipit: *Superna magni Patrisfamilias. 21. Junii Anno 1670.* edita, ubi decernit: quòd *Religioſi ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbati non poſſint in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi NB. diœceſani approbatione audire : quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi , à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati.* Quodipſum noviſſimè referente Cardinali Col-

lo

loredo declaravit & reſpondit Congregatio Epiſcoporum & Regularium 11. April. Anno 1698. in hæc verba]: Conſtitutio Clementis X. ſuprapoſita & edita 21. Junii Anno 1670. prohibens Regularibus confeſſionum ſæcularium auditionem absque expreſſa approbatione & licentia eorumdem Epiſcoporum, nec non abſolutionem pœnitentium extra Diœceſin Epiſcopi approbantis omninò à dictis Regularibus & pœnitentibus eſt ſervanda, quocunque privilegio, etiam Cruciatæ (pluries exploſo) non obſtante. V. Pitton. ad Añ. 1698. 11. April.

14 Ex quibus SS. Pontificum Conſtitutionibus jam certum eſt, Regulares pro audiendis ſæcularium confeſſionibus approbari debere ab Epiſcopo loci ſive diœceſeos, in qua audiunt eorum confeſſiones, nec approbatos in una Diœceſi cenſeri quoad omnes approbatos, ita ut ubivis locorum valeant excipere confeſſiones, quemadmodum permulti olim cenſuêre, ſed in quavis Diœceſi approbandos eſſe, idque non immeritò; nam ſpectat ad bonum Diœceſeos regimen, idque exigit cujusque Epiſcopi officium, ut ſciat quos & quales habeat in ſua Diœceſi animarum curatores, ac provideat, ut nonniſi idonei præficiantur Paſtores: at verò per hoc, quòd Confeſſarius Regularis ab uno Epiſcopo approbatus ſit, cuivis haud ſatis conſtare poteſt Epiſcopo, eundem & pro ſua idoneum eſſe Diœceſi ad curam animarum exercendam, cùm diverſi ſubditi diverſos exigant regendi modos, ſicut diverſi morbi diverſas medicinas, nec qui idoneus eſt pro pagis ac ruſticis, idem ſemper & idoneus eſt pro civitatibus ac aulicis; unde cùm diverſi ſint diœceſani, diverſam etiam requirunt ſcientiam, & diverſas in Confeſſario qualitates. Sicut autem approbatus in una Diœceſi non cenſetur approbatus in quacunque, ita neque approbatus Romæ cenſetur eſſe approbatus in partibus: etſi enim id videatur eſſe conveniens ex *L. quidam conſulebat. ff. de re judicata.* ubi ſtatuitur, ut qui ſemel per Principem fuit approbatus, per inferiorem non ampliùs approbari debeat, atque inſuper hanc in rem extet privilegium à Sixto V. in B. *Decet Romanum.* Presbyteris Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii 5. Sept. Anno 1686. conceſſum, ut qui prævio examine ad audiendas confeſſiones in urbe à Vicario approbati fuerint, extra eandem urbem absque alio examine, de licentia tamen ordinariorum locorum confeſſiones audire poſſint. Verùm cùm valdè incertum ſit, an Regulares in privilegiis communicent cum Congregatione Presbyterorum reipſa ſæcularium, & Urbanus VIII. in B. *Cùm ſicut accepimus. Anno 1628.* omnia ejusmodi privilegia & conceſſiones revocaverit, atque inſuper in illo Sixti privilegio tantùm indulgeatur, ut absque novo

vo examine de licentia Ordinariorum, atque adeò cum eorum approbatione confeſſiones audire poſſint, nihil ad rem facit hoc privilegium, ſicut nec allegata lex, utpote imperialis, nec ullibi à Pontificio Jure recepta.

15 Hinc autem inferunt Diana p. 10. tr. 26. Reſolut. 75. Paſſerinus & alii non licere amplius Parochis aut etiam Regularibus tempore indulgentiarum, aliarumque feſtivitatum & peregrinationum pro ſubſidio advocare aut admittere Regulares in alia Diœceſi approbatos ad audiendas Parochianorum ſuorum, aut peregrè adventantium confeſſiones; cùm juxta eaſdem Conſtitutiones expreſsè requiratur approbatio Epiſcopi loci, in quo audiuntur confeſſiones, nec ſufficiat approbatum eſſe in alia Diœceſi: unde neque tutam jam amplius neque practicè probabilem putant oppoſitam plurium olim Authorum opinionem. Quamquam neque hodie deſint Authores, qui prædictis Conſtitutionibus non obſtantibus id licitum eſſe exiſtimant ſaltem ex tacito Ordinariorum conſenſu, ac paſſim recepta praxi, qua Regulares in confinibus diverſarum Diœceſium conſtituti occurrentibus ejuſmodi ſolemnitatibus ſeſe mutuò adjuvant, & tametſi in illa Diœceſi non ſint approbati, excipiunt nihilominus ſæcularium confeſſiones; cùm enim Ordinarii ſciant, id eſſe neceſſarium ac multipliciter practicari, nec tamen ſeſe opponant cùm facilè poſſent, meritò ſupponuntur tacitè conſentire & conſentiendo approbare non tantùm illam praxin, ſed & ipſos quoque Regulares ex aliena Diœceſi invitatos, non quidem ſtabiliter ac permanenter ſed pro tali tantùm caſu tranſeunter. Quod ſi tamen contra hanc praxin reclamarent Ordinarii, haud utique licitum erit Regularibus in alia tantùm Diœceſi approbatis, Parochis etiam invitantibus ac vices ſuas committentibus audire ſæcularium confeſſiones, cùm ad has tam apertè requiratur approbatio Epiſcopi loci, in quo audiuntur confeſſiones, tanquam conditio ſine qua non, ita quidem, ut ne ſubditos illius etiam Epiſcopi, à quo ſunt approbati, liceat in alia Diœceſi audire aut abſolvere, niſi in hac quoque ſint approbati.

Quod ipſum tamen intelligendum eſt de iis Regularibus ac Canonicis, qui nullum habent Parochiale beneficium; etenim ſi iſtud habeant, eodem modo de iis eſt diſcurrendum, quo de aliis Parochis ſæcularibus, qui cùm juxta communem Doctorum non alia indigeant approbatione ad audiendam confeſſionem ſui ſubditi etiam in aliena Diœceſi, quàm approbatione Epiſcopi ſui, id poterit quoque Regularis Canonicus habens verum Parochiale beneficium; cùm enim talis vi muneris ſui ſit verè Paſtor ſuarum ovium ac ſubditorum, hinc pro iisdem ubique audiendis cenſetur 16

ſatis approbatus juxta Tridentinum, utpote quod ad hoc ſolùm requirit, ut quis habeat beneficium Parochiale. Atque hinc ſi Parochus Regularis Diœceſis Friſingenſis cum ſuis Parochianis peregrinetur Oetingam Diœceſis Salisburgenſis poterit ibi licitè ſuorum excipere confeſſiones Parochianorum non minùs quàm Parochus ſæcularis, prout præter alios multos tenet Illſung tr. 6. D. 6. n. 177. Nec hisce obſtant Conſtitutiones Pontificiæ ſupra relatæ ac ſtatuentes, quòd Regulares non poſſint audire confeſſiones in alia Diœceſi ſine nova illius approbatione Epiſcopi; quia id intelligendum eſt tantùm de illis, qui nullum obtinent beneficium Parochiale: ſicut enim Tridentinum exceptionem fecit cum iis, qui tale beneficium obtinent, ita etiam SS. Pontifices, qui iſtud Concilium hac in re ſemper habent præ oculis ac pro fundamento, cenſendi ſunt facere cum iſtis exceptionem, atque adeò communi Juris diſpoſitioni relinquere, ac conſequenter quidquid cum Parochis ſæcularibus diſpoſitum eſſe docent Authores communiter, id etiam de Regularibus diſpoſitum eſſe cenſendum eſt, ùt etiam advertit La Croix n. 1517. & ratio ulterior eſt, quia cùm reſtrictio poteſtatis audiendi confeſſiones ſit odioſa, reſtringenda potius quam extendenda eſt: licet igitur SS. Pontifices ſtatuant, ut Regularis approbatus in una Diœceſi non poſſit audire confeſſiones in alia Diœceſi etiam ſubditum ſine nova approbatione, id extendi non debet ad obtinentes beneficium Parochiale, cùm hos tam clarè exceperit Tridentinum, nullo facto inter Regulares ac ſæculares Parochos diſcrimine.

Verùm nova hic oritur difficultas, an Regularis nullum obtinens beneficium Parochiale, & petens ab Epiſcopo approbari ad audiendas ſæcularium confeſſiones neceſſariò ſit admittendus ad examen, & ſi in hoc repertus fuerit, aut aliàs ſit idoneus, etiam generaliter ac illimitatè approbandus? An verò eundem poſſit repellere Ordinarius, aut approbare tantùm limitatè tam quoad tempus, quàm quoad perſonas ac locum? & quidem quòd id poſſit juſta de cauſa certum eſt, ita ſcilicet, ut ſi omninò deficiat in examine, abſolutè repelli valeat, ſin verò dubia reddat ſufficientis ſcientiæ indicia, etiam limitari, & ad tempus quidem, ut ſe plùs exerceat in ſtudio morali, magisque ſe reddat idoneum ad obeundum Sacramenti Pœnitentiæ Tribunal: quoad perſonas verò alterius ſexûs, ut cùm quis ſuſpectus eſt ratione ætatis aut perſonæ inclinationis quoad fœminas, quin tamen ſimili ſuſpicione laboret quoad viros, & ſic in quibusdam Religioſis Ordinibus praxis habet, ut prius tantùm pro viris approbentur Religioſi, & deinde primùm pro fœminis poſt obtentum bonæ converſationis teſtimonium: quoad locum denique limitari 17

mitari poteſt, ſi appareat quis idoneus quidem reſpectu rudium ac ruſticorum, non item reſpectu civitatenſium & aulicorum. At verò an etiam ſine juſta cauſa ad ſolum examinantium beneplacitum, aut ob Confeſſariorum ſuperfluitatem reprobari poſſit Regularis cæteroquin abſolutè idoneus, aut modis ſupradictis limitari, dubium eſt, ad quod

18 Dico 3tiò. *Canonicus aliúſve Regularis petens approbari pro audiendis ſæcularium confeſſionibus ſine juſta cauſa repelli non poteſt, ſed neceſſariò admittendus eſt ad examen, & ſi in hoc inventus fuerit idoneus, approbatio generaliter & indiſtinctè abſque ulla limitatione temporis, locorum aut perſonarum concedenda.* (Adde; ſi fuerit inventus idoneus *generaliter.*)

Ita Clemens X. in Conſtitutione ſua, quæ incipit: *Superna magni Patrisfamilias 21. Junii Anno 1670.* edita, in qua expreſſis verbis decernit: *Religioſi, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque & indiſtinctè ac abſque aliqua limitatione temporis & certorum locorum aut generis perſonarum in Diœceſi propria ſunt admittendi.* Atque ita etiam docent Suarez *de Pœnit. D. 28. S. 5. n. 15.* Vaſq. *Q. 93. art. 3. dub. 5. n. 5.* Coninck. *D. 8. dub. 7. n. 50.* Fagundez. *2. præc. L. 7. cap. 2. n. 14.* Card. de Lugo. *D. 21. de Pœnit. n. 49.* Layman. *L. 5. tr. 6. cap. 11. n. 3.* Palao *tr. 23. D. un. punct. 17. §. 3. n. 7.* Miranda *to. 1. Q. 45. art. 10.* Lezana *part. 1. cap. 19. n. 8.* Paſſerinus *n. 279.* & alii plures. Ratio eſt, quia Regulares Jus habent procurandi, ne impediantur in uſu privilegii Apoſtolici, vi cujus audire poſſunt confeſſiones ſæcularium ad ſe recurrentium: ſed Jus hoc obtinere non poſſunt, niſi Epiſcopus eos ad examen admittat, & ſi in hoc reperiantur idonei, approbationem concedat: ergo tenetur ipſos ad examen petitum admittere, & repertos idoneos approbare: ſique reprobet illos, aut non admittat ad examen, graviter illum peccare, docent Authores communiter; cùm in re gravi lædat Jus alterius non ſolùm Religioſi, qui ſi idoneus ſit, Jus habet ad approbationem, ſed etiam ipſius Ordinis ac Monaſterii, quod pariter Jus habet, ut ſui non impediantur, abſque juſta cauſa ab audiendis ſæcularium confeſſionibus, pro quibus ſuppoſita idoneitate ab Epiſcopo recognita & approbata ex privilegiis SS. Pontificum jurisdictionem habent univerſalem ac completam poteſtatem: ſicut igitur injuſtè approbatio denegaretur electo ad beneficium Parochiale, quia per ip-

ſam electionem acquirit Jus ad approbationem, ſi ſit idoneus, ita injuſté negatur approbatio Regulari idoneo, cùm ad eam non minùs habeat Jus: injuſtè proin agit Epiſcopus ſive nolit eum ad examen admittere, ſive nolit illum approbare utut idoneum poſt examen repertum.

19 Neque etiam ſine juſta cauſa approbatio limitari poteſt, ſive quoad tempus, cùm in Regularibus, qui abſolutè inventi ſunt idonei, non facilè ſit periculum ab hauſta ſemel doctrina deficiendi tot inter ſcientiæ repetendæ occaſiones: ſive quoad perſonas, cùm in Regulares non tam facilè cadat ſuſpicio ſiniſtri in alterum ſexum affectûs: ſive denique quoad locum, cùm Regulares communiter altiori ſcientia imbuantur, quàm quæ tantùm pro ruſticis ac plebeis ſufficiat. Quamvis autem nonnunquam in patentibus litteris addatur clauſula: *pro Eccleſiis Ordinis tui*, aut *de licentia Rectorum in eorum Eccleſiis*, hæ tamen particulæ plerumque tantùm ideo adduntur, ut evitentur lites ac offenſiones facilè orituræ, ſi quis Regularis in aliena Eccleſia ſine Rectoris licentia confeſſiones excipiat; unde hujusmodi clauſula non eſt intelligenda tanquam conditio, qua non ſervata juriſdictio ſuſpendatur & ceſſet, aut invalida reddatur abſolutio, ſed tanquam modus rectè adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ, quod adminiſtrare non decet in aliena Eccleſia abſque licentia Rectoris pro-ut dixi Q. præc. & obſervat etiam Bonacina *de Pænit. Q. 7. punct. 4. §. 18.* addit præterea Tamburinus *to. 2. D. 6. Q. 13. n. 2.* ex Miranda, Rodriquez, & de La Cruz, quòd etiamſi Epiſcopi in licentiis Regularibus conceſſis dicant, quòd eis Parocho renuente non utantur, poſſint tamen etiam illo contradicente confeſſiones audire; quia per privilegia SS. Pontificum id eis expreſsè conceditur, quam conceſſionem non poſſunt ipſi Ordinarii tollere aut limitare; cùm inferior nihil poſſit in lege Superioris. (*Adde*; bene notandam eſſe limitationem Clementis X. *qui reperti fuerint idonei generaliter*, poteſt enim quis reperiri idoneus quoad ſcientiam, ſed non quoad prudentiam, aut probitatem, aut congruentiam; ſic Romæ omnes tam ſæculares quàm Regulares Confeſſarii excluduntur ab audiendis confeſſionibus mulierum usque ad annum ætatis trigeſimum quintum niſi fuerint Parochi earum; prout oſtendi in *Manuali Romano Confeſſariorum* edito Auguſtæ. Sic ibidem etiam ad excipiendas confeſſiones virorum univerſim in Confeſſario requiritur annus ætatis trigeſimus. Pari ergò modo ab Epiſcopis poteſt idoneitas, id eſt, reſpectivè congruentia determinari & limitari, aut poteſtas ſic limitandi Prælatis delegari, prout non ita pridem ſapientiſſimè delegâſſe novi Epiſcopum Auguſtanum.)

20 An verò Regularis repertus abſolutè idoneus, injuſtè tamen re-

pro-

probatus poſſit nihilominus tam validè quàm licitè audire confeſſiones ſæcularium. & quidem poſt Tridentinum, major controverſia eſt, magnoque partium ſtudio agitata, in qua tamen omnes tanquam certum ſupponunt, nec validè nec licitè id fieri poſſe, ſi injuſtitia reprobationis non ſit manifeſta aut tantùm dubia; quia tunc præſumptio ſtat pro Epiſcopo, qui non cenſendus eſt injuſtus, niſi evidenter conſtet; præſumitur enim ſemper pro judice & ab eo actis juxta cap. *In Præſentia 6. de Renunc.* & L. fin. *quod non arbitramur C. de Offic. Civil. Judic.* Difficultas proin ſolumodò eſt, an id non poſſit Regularis, qui poſt examen repertus manifeſtè idoneus, injuſtè tamen reprobatur, in qua affirmativam præ aliis defendit Navarrus *in Man. cap. 27. n. 264.* Portel. *in dub. Regul. V. Confeſſor.* Rodriquez *QQ. Regul. to. 1. Q. 59. art. 2.* Miranda *to. 1. q. 45. art. 6. & 8.* Fagundez *2. præcept. L. 7. cap. 2. n. 15.* Sanch. *de matr. L. 7. Diſp. 38. n. 20.* Layman. *L. 5. tr. 6. cap. 11. n. 4.* Palao *tr. 23. Diſp. un. punct. 17. §. 3. n. 8. & 9.* & alii non pauci. Negativam econtra tuentur hodie Authores communiùs & inter hos Suarez *D. 28. S. 5. à n. 5.* Vaſquez *D. 93. art. 3. dub. 3.* Reginaldus *in praxi L. 2. n. 174.* Coninck *de Pœnit. to. 2. D. 8. dub. 7. n. 58.* Card. de Lugo *D. 21. n. 52.* Barboſa de Offic. Epiſc. *p. 2. Alleg. 25. n. 47.* Fagnanus *ad cap. omnis utriusque n. 61.* qui refert ita fuiſſe deciſum à S. Congr. Concilii. Paſſerinus *n. 271.* Donatus Q. *14.* Roſſignol. *p. 1. Q. 7. art. 12. n. 29.* Diana *p. 8. tr. 1. Reſol. 85.* & alii quamplures, præſertim ex recentioribus. Cum quibus

Dico 4tò. *Canonicus aliusve Regularis utut manifeſtè idoneus, reprobatus tamen licèt injuſtè, nec licitè nec validè audire poteſt confeſſiones ſæcularium.* 21

Ita deducitur ex Tridentino *ſeſſ. 14. c. 15. de Reform.* quod ad hæc, ut quis audire poſſit confeſſiones ſæcularium abſolutè & expreſsè tanquam conditionem ſine qua non requirit approbationem ab Epiſcopo obtentam ibique in ſpecie comprehendit Regulares quoscunque privilegiis & conſuetudine quacunque etiam immemorabili non obſtantibus, qua ſanè privilegiorum derogatione ſublatum quoque cenſeri debet privilegium Regularibus conceſſum à Bonifacio VIII. in extravagante: *ſuper Cathedram inter communes 2. de Sepult.* confirmatum poſtea ac renovatum à Clemente V. in Concilio Vienenſi cap. *Dudum. 2. inter Clementin. de Sepult.* ubi ſtatuitur, *ut ſi Epiſcopus Regularibus ad audiendas ſæcularium confeſſiones electis, eidemque à Prælato præſentatis licentiam exhibere recuſârit, nos ex nunc ipſis de plenitudine Apoſtolica poteſtatis gratiosè concedimus, ut confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè licitéque audire valeant &c.* Verùm negat Navar-

Navarrus eumque ſecuti Authores, quòd huic privilegio fuerit per Tridentinum loc. cit. derogatum, tum quia diſpoſitio Clementinæ: *Dudum* eſt diſpoſitio conciliaris inſerta in Corpore Juris Canonici, cui ex communi Doctorum non derogatur ſine ſpecifica & individua illius mentione, neque ad hoc ſufficit generalis derogatio, argumento cap. *nonnulli 28. de Reſcript.* & cap. *Ex parte 3. de Capell. Monachor.* tum quia lex generalis poſterior non derogat legi priori particulari, niſi eam expreſsè revocet, & in dubio lex generalis trahi debet ad ſenſum antiquæ legis aliquid in particulari ſtatuentis, ùt multis probat Navarrus hanc in rem adductis Juribus in cap. *placuit. de Pœnit. diſ. 6. n. 147.* cùm igitur lex Clementina *Dudum* loquatur in caſu particulari, quo Regularis à Prælato debite præſentatus, & ab Epiſcopo rejectus de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ approbatur à Papa, lex verò Tridentini ſit poſterior & hunc caſum non attingat in particulari nec expreſsè revocet diſpoſitionem Concilii Vienenſis ſeu Clementinæ, Tridentinum potiùs trahendum eſt ad Clementinam & juxta hanc explicandum, quàm Clementina trahenda ad Tridentinum, & per ipſum limitanda, ita nempe ut Regularis repertus manifeſtè idoneus, injuſtè tamen reprobatus audire poſſit ſæcularium confeſſiones. Ita quidem Navarrus ejuſque ſententiæ Patroni, idque valdè probabiliter. Ad hoc tamen

22 Reſpondent ſententiæ noſtræ Aſſertores diverſimodè, ac primò quidem aliqui negant, diſpoſitionem Clementinæ *Dudum* eſſe conciliarem ſeu diſpoſitionem Concilii Vienenſis, ſed tantùm diſpoſitionem Clementis V. in Concilio Vienenſi factam, atque adeò comprehendi dicunt in revocatione privilegiorum à Tridentino loc. cit. facta, non minùs quàm aliæ Conſtitutiones ab eodem generaliter revocatæ; verùm cùm hæc reſponſio, utut à Canoniſtis valdè recepta, repugnet communi ſententiæ Theologorum docentium, quòd diſpoſitiones Conciliorum aliud non ſint, quàm diſpoſitiones Papæ in Concilio generali factæ, utpote quæ vim omnem obligandi Eccleſiam ab ejus authoritate & confirmatione recipiunt, ea neutiquam ſufficere videtur ad enervandum argumentum Navarri, præſertim cùm hæc diſpoſitio Clementis V. tranſierit in Jus commune, ac ut tale inſertum ſit Corpori Juris Canonici. Reſpondent proinde alii cum Suarez, quòd niſi per Tridentinum fuiſſet derogatum dictæ Clementinæ, diſpoſitio Tridentini eſſet irrita: ſed etſi iſtud quoad caſum aliquem particularem ac noſtrum eumque raro contingentem ſuum non ſortiretur effectum, haud tamen univerſaliter eſſet irrita; cùm quoad cæteros ac pleroſque procedat. Alii cùm Vaſquez dicunt, in illa Clementina non agi de approbatione, ſed de juriſdictione, in Tridentino verò agi de approbatione, non de juriſdictione,

ut

ut propterea non fuerit neceſsè aliquam illius Clementinæ mentionem facere. Verùm ſi ea benè perpendatur, ibi agitur de licentia audiendi confeſſiones ab Epiſcopo obtinenda, quæ æquivalebat approbationi, & virtualiter dici poterat approbatio, & conſequenter non de jurisdictione, quam jam tunc habebant univerſalem in omnes Chriſti fideles ex privilegio Alexandri IV. Clementis IV. & Cœleſtini V. Reſpondent itaque alii ad rem magis accommodatè cum Fagnano in cap. *nonnulli. de Reſcript. n. 28. & 30.* negando ſuppoſitum, quòd ſit neceſſarium ad derogandum Conſtitutionibus generalibus Conciliorum, ut fiat illarum ſpecifica & individua mentio, etiamſi ſint ſolius Papæ, nam ùt habetur cap. *licet 1. de Conſtit. in 6. Romanus Pontifex, qui Jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere, Conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamvis de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcitur.* Multo minùs obſtat, quod privilegium Clementinæ in Corpore Juris ſit inſertum, tum quia per hoc ipſum ejusmodi privilegia ſunt notiora, nec præſumi poſſunt, quod ignorentur ſive à Papa, ſive à Concilii Patribus, unde ſi per poſteriorem Conſtitutionem diſponant aliquid contrarium privilegio in Corpore Juris inſerto, cenſendum eſt id fieri ex certa illius ſcientia, ac voluntate revocandi priorem Conſtitutionem: tum quia privilegium in Corpore Juris inſertum tranſit in Jus commune: Juri autem antiquo derogatur per Jus novum etiam non facta illius mentione: & conſequenter ſive conſideretur dicta Clementina *Dudum* ùt eſt diſpoſitio conciliaris, ſive ùt eſt privilegium in Corpore Juris inſertum, ſufficienter eidem videtur derogatum, etiamſi nulla illius facta fuerit expreſſa mentio in Tridentino. Neque refert, quòd diſpoſitio Clementinæ *Dudum* ſit in caſu particulari, & diſpoſitio Tridentini ſit generalis; quia lex poſterior adveniens etiam generalis derogat legi priori etiam in caſu particulari, ſicut derogat in caſu communi, cùm non ſit major ratio de uno quàm de alio. Addit denique Fagnanus in dictum *cap. nonnulli n. 42.* & in *cap. de his. de privil. n. 12.* praxin Concilii Tridentini fuiſſe tollere privilegia in Corpore Juris contenta, etiam conceſſa per privilegia generalia, nulla facta ſpecifica eorum aut individua mentione, quod multis probat exemplis ibidem adductis, ad quem proinde lectorem remitto. Quidquid verò de hoc ſit

Quamvis contraria Navarri ſententia ſpeculativè loquendo ſua non careat probabilitate, ea tamen in praxi aut nullius omninò, aut modici momenti eſt; licet enim Clementina: *Dudum* ſuo adhuc in vigore perſiſteret, nec fuiſſet à Tridentino revocata, tot tamen limitationibus ac conditionibus circumſcripta eſt, ut non facilè in caſu quopiam purificentur omnes, aut in pra- 28

xin deduci poſſint. In illa etenim Clementina præſcribitur, ut Prælati Regulares aliquos ex ſuis pro obtinenda confeſſiones ſæcularium audiendi licentia Epiſcopo præſentare quidem poſſint, ex ſic verò præſentatis liberum erat Epiſcopo, quem vellet admittere vel rejicere, in cujus ſic rejecti locum poterant iterum Prælati alium ſubrogare, quem ſi rurſus Epiſcopus rejiceret, tunc primùm eidem licebat authoritate S. Pontificis ſæcularium audire confeſſiones: quòd ſi verò plures fuiſſent præſentati, quàm exigebat neceſſitas aut populi multitudo, poterat illos Epiſcopus non admittere ex eo titulo, quòd pro ſua Diœceſi abundet Confeſſariis: poteſt autem ſemper Epiſcopus, etſi alii atque alii à Prælato ſubrogentur Regulares, aliunde ſufficientem habere Confeſſariorum copiam, ſicque dicere, ſe pluribus non indigere; unde nunquam purificatur conditio, quæ requiritur ad hoc, ut poſſint Regulares eo privilegio uti. Accedit quod S. Congregatio *30. Auguſti Anno 1630.* ac ſubinde Clemens X. in B. *Superna. 21. Junii Anno 1670.* decreverit, quòd Epiſcopo ſuſpendente aut revocante approbationem audiendi confeſſiones ſæcularium, non teneatur Regularibus ſignificare cauſam, ſed ſedi Apoſtolicæ duntaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit: quòd ſi Epiſcopus non tenetur dicere cauſam, ſciri nullo unquam caſu poteſt, utrum Epiſcopus non habeat cauſam, at utrum reprobatio vel revocatio ſit injuſta, ſed potiùs præſumendum eſſe juſtam, cùm ſemper præſumere debeamus Epiſcopo non deeſſe cauſam: conſequenter ſtandum eſt ſemper judicio ac ſententiæ Epiſcopi, nec poteſt quiſpiam ſine illius approbatione, etſi videatur hujus denegatio manifeſtè injuſta, ſæcularium audire confeſſiones, cúmque hac in re S. Pontifex oneret conſcientiam Epiſcopi, non poteſt præſumi eidem deeſſe cauſam negandi approbationem, nec unquam datur locus ſuſpicandi prudenter repulſam eſſe injuſtam. Et certè, contraria ſententia ad nihil aliud ſervit, quàm ad irritandos contra Regulares Epiſcoporum animos, à quibus quò magis ſe conantur quoad hoc eximere, tantò magis ſeſe implicant, cùm ſemper habeant fundatam in Jure intentionem. Facit quoque hanc ad rem propoſitio 13. ab Alexandro VII. *7. Septembr. Anno 1665.* damnata, quæ ait; *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.* Etſi enim in hac propoſitione non apertè damnetur, quòd confeſſiones factæ Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato ſint validæ: apertè tamen inferri videtur, quòd ſint invalidæ, ſi per illas præcepto confeſſionis annuæ non ſatisfit; licèt enim potuiſſet S. Pontifex velle, ut hujusmodi confeſſiones ſint quidem licitæ & validæ, quin tamen per illas præcepto confeſſionis ſatisfiat, ſicut

de

de facto licitæ ſunt communiones apud Regulares factæ, quin per illas ſatisfiat præcepto communionis Paſchalis: noluiſſe verò illas defacto eſſe validas vel ex hoc ipſo convincitur, quòd noluerit per eas ſatisfieri præcepto confeſſionis annuæ; nulla enim eſſet ratio, cur huic non ſatisfiat, ſi voluiſſet eſſe validas; cùm ad hoc ut eſſent validæ, id haberent ab univerſali jurisdictone S. Pontificis Regularibus conceſſa, hoc ipſum autem eſſet ſufficiens ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis annuæ, cùm ergo noluerit huic ſatisfieri, cenſendum eſt, noluiſſe quoque ut ſint validæ.

24 Ex quibus denique omnibus ſequitur, non poſſe Regulares utut manifeſtè idonei, reprobati tamen ab Epiſcopo licèt injuſtè, confeſſiones ſæcularium audire, ſive abſolutè ſint reprobati, ſive ſint approbati quidem ſed limitatè tantùm quoad certas perſonas ac viros tantùm, vel quoad certum locum ac oppidum, vel quoad certum tempus, quo elapſo invalidè exciperentur confeſſiones perſonarum excluſarum & extra deſignatum ab Epiſcopo locum; quia eousque tantùm ſe extendit poteſtas audiendi confeſſiones ſæcularium, quousque ſe extendit approbatio, utpote quæ eſt eſſentiale ad audiendas confeſſiones requiſitum ac conditio, qua deficiente deficit etiam Sacramentum. Qua in re tamen advertendum, in ejusmodi caſibus ſiquidem fiat aliqua limitatio, non tam limitari aut negari approbationem, ſed tantùm prohiberi, ne audiant v. g. confeſſiones mulierum ante certam ætatem, nec ante auroram, aut poſt ſolis occaſum, nec extra Eccleſias Regularibus proprias, quibus caſibus ſi contra ejusmodi prohibitionem exciperentur confeſſiones, validæ quidem eſſent ſed non licitæ, quin etiam licitæ fieri poſſent juſta interveniente cauſa ex benigna legiſlatoris interpretatione ac quadam Epikia, quod tamen non tam facilè præſumendum, ſed prudenter & caute procedendum.

An verò Epiſcopus poſſit ſimul 25 omnibus unius Monaſterii Regularibus approbationem denegare, aut jam conceſſam iterum revocare, non leve dubium eſt, in quo quidem certum eſt de facto, id non poſſe, ita enim apertè deciſum eſt à S. Congregatione Epiſcopórum & Regularium *20. Novembr. Anno 1615.* ubi ſtatuit, *locorum Ordinarios facultatem audiendi confeſſiones omnibus ſimul unius Conventûs Regularibus Confeſſariis, eâdem S. Congregatione inconſulta nullo pacto adimere poſſe.* Idem poſtmodum ſtatuit Clemens X. in Bulla, quæ incipit: *Superna. 21. Junii Anno 1670.* edita: ubi pariter decernit: *confeſſiones audiendi facultas omnibus unius Conventus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo, inconſulta ſede Apoſtolica nullatenus poteſt.* Quòd ſi tamen non attenta iſta prohibitione id faciat Epiſcopus, difficultas eſt, an nihilominus poſſint Regulares non obſtante injuſta tali denegatione

ne aut revocatione approbationis, audire ſæcularium confeſſiones, ad quam reſpondeo, de Jure verius eſſe, quòd poſſint; cùm enim tum S. Congregatio, tum ipſe S. Pontifex utantur verbis: *nullo pacto, ac nullatenus poſſint*, per hæc adempta cenſeri debet Epiſcopis poteſtas auferendi Regularibus facultatem audiendi confeſſiones & conſequenter tanquam invalida habenda eſt talis ſuſpenſio; ſuſpenſio enim à non habente poteſtatem facta, eſt ipſo Jure nulla atque irrita. Accedit, quod incredibile ſit, omnes ejusdem Conventus ac Monaſterii Regulares non eſſe idoneos ad audiendas confeſſiones, & multò minùs admiſſos ac ſemel approbatos tanquam idoneos fuiſſe poſtea redditos omnino ineptos vel ex defectu ſcientiæ, vel ex defectu morum aut probitate vitæ, quocirca cùm in hoc caſu dubitari nequeat de injuſtitia, hinc meritò illius judicium ſibi reſervavit ſedes Apoſtolica, nec absque illo licet ad hanc extremitatem devenire. Quamquam autem iſta de Jure vera ſint, in praxi tamen conſultius eſſe videtur, vel demulcire obſequiis Epiſcoporum animos, ut ſententiam mutent, vel ſi id impetrari nequeat, exhibita eidem debita obedientia ad S. Congregationem recurrendum erit, idque tanto magis, quod non omninò certum ſit, an ejusmodi denegatio, aut revocatio approbationis ipſo Jure nulla ſit aut invalida, cùm in nullo ex adductis Decretis addita ſit clauſula irritans talem ſuſpenſionem, conſequenter non ipſo Jure nulla ac invalida, ſed tantùm annullanda ac irritanda cenſeri debet. Verùm hic caſus inter raró contingentes numerandus eſt; frequentior eſt ille, quo Regularibus in particulari revocari ſolet approbatio jam ſemel conceſſa & ad novum exāmen vocari contingit; an verò & quomodo id fieri poſſit, nunc quoque ſtatuendum eſt. Unde

Dico 5tò. *Canonicus aliusve Regularis ſimpliciter & abſolutè prævio examine ab Epiſcopo approbatus non poteſt ab eodem ſine juſta cauſa ipſas confeſſiones concernente ſuſpendi aut ad novum examen revocari.* 26

Ita Pius V. in B. *Romani Pontificis. 6. Auguſt.* Anno 1571. edita, ubi ait: *Volumus tamen eos, qui ab Epiſcopo ſemel in civitate vel Diœceſibus ſuis prævio examine approbati fuerunt, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari.* Urbanus VIII. in B. *Aliàs à nobis. 30. Jan.* Anno *1629.* idipſum ſtatuit, quòd *Religioſi illi, quos ipſemet Epiſcopus ad confeſſiones audiendas ſemel admiſit ſimpliciter & ſine ulla temporis præfinitione, nullatenus poſſint ab eodem reprobari ſine nova cauſa, eaque confeſſiones ipſas concernente.* Idem repetit Clemens X. in B. *Superna. 21. Jun.* Anno *1670.* ubi decernit: *Religioſos ad confeſſiones prævio*

vio examine ſimpliciter & absque ulla temporis præfinitione ab ipſamet Epiſcopo, ſecùs autem ab ejus Vicario aut ab anteceſſoribus Epiſcopis, approbatos non eſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari aut ab eisdem confeſſionibus audiendis ſuſpendi ſeu licentias illis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas confeſſiones concernat. Atque ita etiam cenſuit S. Congregatio Epiſcoporum & Regularium negotiis præpoſita *30. Auguſt. Anno 1630.* approbante Urbano VIII. Et ratio eſt: quia approbatio non eſt mera gratia, ac liberalis favor, ut poſſit ad concedentis arbitrium revocari, ſed eſt authenticum teſtimonium ex juſtitia debitum, ac juridica quædam ſententia declarativa idoneitatis illius, qui fuit approbatus: ſed teſtimonium hujusmodi ac ſententia ſemel prolata, poſtquam in rem judicatam tranſiit, ab eo à quo prolata eſt revocari amplius non poteſt præſertim ſine nova ſuperveniente cauſa, ùt deſumitur ex cap. *quoad conſultationem 15. de ſent. & re judicat.* ac docent AA. communiter cum Suarez *D. 28. S. 8. n. 7.* Reginald. *L. 1. n. 202* Coninck. *D. 8. n. 59.* Barboſa *de Off. c. Epiſc. part. 2. Alleg. 25. n. 35.* Palao *tr. 23. D. un. p. 17. §. 4. n. 6.* Tamburin. *to. 2. D. 6. Q. 12. n. 7.* ſique ſine cauſa retractetur, fit injuria tertio, quæ compenſari debet. Et hinc non immeritò prædictus Clemens X. in citata ſæpiùs Bulla quoad hoc oneratam eſſe voluit ipſius Epiſcopi conſcientiam. Quod ipſum non tantùm intelligendum eſt de ſimpliciter approbatis, ſed etiam de approbatis ad tempus, qui pariter nequeunt absque injuria ante tempus elapſum ſuſpendi, per ipſum enim examen, cui ſe ſubjecerunt, acquiſivêre Jus rigoroſum audiendi confeſſiones pro illo tempore, pro quo fuerunt approbati, ita ut eo necdum elapſo non poſſint ſine juſta cauſa ſuſpendi aut ad examen revocari.

Hujusmodi porrò cauſæ ad confeſſiones ipſas pertinentes, ad ſequentes fermè reducuntur; prima eſt defectus ſcientiæ, quæ ſeſe ſubinde prodit in diverſis actibus; docet enim experientia, ſcientiam rerum moralium, quam quidam à principio habuerunt etiam excellentem, ſenſim tum negligentia, tum aliis curis ac ſtudiis nonnunquam apud illos adeò exoleſcere, ut ad priſtinam videantur rediiſſe ignorantiam, ac conſequenter novum non ſit, quempiam pro aliquo tempore idoneum eſſe, qui poſtea per oblivionem eorum, quæ didicit, deſinit eſſe idoneus. 2da. eſt mutatio morum, ac vita ſcandaloſa & inhoneſta; præcipua enim qualitas Confeſſarii eſt vitæ integritas ac morum honeſtas. 3tia. ſollicitatio mulierum in confeſſione. 4ta. revelatio ſigilli ſacramentalis. 5ta. acceptio pecuniarum pro hoc miniſterio. 6ta. abſolutio à reſervatis ſine licentiâ data. Ex quibus ſufficit quælibet, ut poſſit Regularis ab eodem etiam Epiſcopo ſuſpendi, licèt ſimpliciter ſit appro- 27

batus ac prævio examine; pro quo advertendum eſt, quod ſupra relati SS. Pontifices, dum in Bullis ſuis prohibent ſuſpendere Regulares ſine juſta cauſa aut ad examen revocare, eos ſolùm excipiant, qui prævio examine jam ſemel fuerunt ſimpliciter approbati: ex quo luculenter deducitur, quòd illi, qui ſine prævio examine fuerunt approbati, iterum poſſint ad examen revocari etiam ab eodem Epiſcopo. Quam ad rem refert Paſſerinus tanquam teſtis oculatus caſum, quo anno 1654. Epiſcopus Patavinus Regulares à multo tempore absque prævio examine ſimpliciter approbatos vocavit ad examen, reclamantibus autem illis & ad S. Congregationem appellantibus, causâ ſemel iterumque ceciderunt, & examen ſubire coacti ſunt; cujus rationem aſſignat iſtam prædictus Paſſerinus n. 311. quòd approbationes datæ ſine prævio examine non ſint ſimpliciter tales, cùm datæ ſint absque cauſæ cognitione: cenſentur ergo datæ pro interim & ad tempus: & quatenùs ſint ſimpliciter tales, non fruuntur tamen privilegio irrevocabilitatis, quod approbationibus datis cum prævio examine & experimento conceſſum eſt; quapropter debebit Regularis in hoc caſu vel abſtinere ab audiendis confeſſionibus, vel exàmen ſubire; ſi id petat Epiſcopus. Similiter ſi Regularis non ab ipſo Epiſcopo, ſed ſolùm ab ejus Vicario aut examinatoribus ad hoc deputatis fuerit examinatus, poterit iterum etiam ſine nova cauſa ab eodem Epiſcopo examinari, ita enim ſtatuunt citati SS. Pontifices ac præſertim Clemens, qui expreſsè excipit, approbatos à Vicario Epiſcopi; licèt enim cæteroquin idem ſit tribunal Vicarii & Epiſcopi, fallit tamen in hoc caſu, cùm contrarium ſit expreſsè ſtatutum. (*Adde*; in praxi Regulares in Germania ferè univerſim approbari ſine competenti examine, aut certè, ubi examinantur etiam rigorosè, ſolùm examinantur à Vicariis Generalibus vel aliis examinatoribus. Hinc rarus erit caſus, ubi non poſſint revocari ad examen, præſertim ſi novum oriatur dubium de eorum doctrina, vel moribus, vel ſi ſint Parochi, quibus ſolùm datur commiſſio annua, ùt vocant, prout rectè fit in noſtra Auguſtana) An verò Regularis ſimpliciter & abſolutè prævio examine approbatus poſſit à Succeſſore Epiſcopo iterum ad examen revocari etiam ſine juſta cauſa? quæſtio erat olim controverſa, in qua tamen negativam amplexi ſunt AA. communiter cum Navarro in cap. *Placuit, de Pœnitent. dub. 6. n. 161.* tum ob plura privilegia, quibus concedebatur, ut ſemel in una Diœceſi admiſſi, ſemper in eadem Diœceſi habeantur pro admiſſis, nec amplius examinari debeant, ùt habet S. Pius V. in Bulla: *Etſi Mendicantium Anno 1567.* tum etiam, quia approbatio ab Epiſcopo conceſſa non expirat morte concedentis, cùm fiat nomine dignitatis, dignitas autem nunquam moriatur. Verùm his non obſtantibus

Dico

28 Dico 6tò. *Canonicus aliusve Regularis etſi prævio examine ſimpliciter & abſolutè approbatus, poteſt nihilominus ab Epiſcopo Succeſſore ad examen etiam ſine cauſa revocari, & approbatio eisdem ab Anteceſſore conceſſa iterum revocari.*

Ita S. Pius V. in B. *Romani Pontificis. 6. Aug. Anno 1571.* edita, in qua prius ſuum privilegium in B. *Etſi Mendicantium. Anno 1567.* conceſſum revocat ac ſtatuit, quòd *Regulares ab Epiſcopo Succeſſore pro majori conſcientiæ ſuæ quiete examinari de novo poſſint*; id quod expreſsè confirmavit Urbanus VIII. in ſuprarelata Bulla: *Aliàs à nobis. Anno 1629.* ac ſupponit Clemens X. in B. *Superna. Anno 1670.* ac ſacra Congregatio in ſuis Declarationibus, ex quibus tamen neutiquam ſequitur, quòd ad id etiam teneantur, cùm relatæ Conſtitutiones id ſolùm permittant, non autem requirant, ut rursùs examinent. Ex hoc verò, quòd Epiſcopus Succeſſor poſſit Regulares iterum ad examen revocare, nullatenus inferre licet, quòd etiam Capitulum ſede vacante id poſſit; tum quia id S. Pius V. tantùm concedit Epiſcopis pro majori conſcientiæ ſuæ tranquillitate, in quibus ſolam reſpicit perſonam non autem dignitatem ac ſedem; cùm igitur Capitulum ſede vacante non ſuccedat perſonæ, ſed tantùm dignitati, nequit uti hac poteſtate perſonæ Epiſcopi conceſſa: tum quia cùm Epiſcopus Regulares ſimpliciter & abſolutè prævio examine approbatos non poſſit iterum ad examen revocare ſine juſta cauſa confeſſiones ipſas concernente, multò minùs id poterit Capitulum, cùm plus non poſſit, quàm Epiſcopus potuerit defunctus: tum denique quia Capitulum non ſuccedit Epiſcopo in iis, quæ eidem competebant ex Jure delegato: ſed quòd Epiſcopus poſſit Regulares ad examen revocare, eidem ſolùm competit ex Jure delegato S. Pontificis, cùm Regularium poteſtas audiendi confeſſiones ſæcularium proveniat à SS. Pontificibus, qui eandem illis univerſalem per ſua privilegia conceſſerunt, ita tamen, ut de eorum idoneitate cognoſcant ac judicent Epiſcopi non tanquam Ordinarii, ſed tanquam S. Pontificis delegati, ùt probat Paſſerinus: cùm igitur Capitulum ſede vacante non ſuccedat Epiſcopo in iis, quæ competunt illi auctoritate delegata, neque ſuccedit in auctoritate revocandi poteſtatem audiendi ſæcularium confeſſiones Regularibus ſimpliciter conceſſam. Id quod Clemens IV. ſatis apertè innuit in B. *Exigentibus. Anno 1265.* data, ubi ſtatuit, ut in hujusmodi caſu poſſint Regulares tamdiu liberè uti prædicta facultate audiendi con-

confeſſiones ſæcularium, donec viduatis Eccleſiis proviſum fuerit de Paſtore; atque ita etiam præter alios docet Bordonus *to. 1. Reſol. 36. Q. 4.* Miranda *part. 1. art. 7.* Diana *part. 3. tr. 2. R. 27.* & *p. 8. tr. 7. R. 94.*

29 Ex hactenus dictis patet, quid dicendum ad caſum, quo Canonicus quiſpiam aut alius Regularis prævio examine in una Diœceſi ſimpliciter & abſolutè approbatus ex obedientia vel cum licentia ſuorum Superiorum ex eadem in aliam Diœceſin ac Monaſterium ſe confert, ibique per aliquot annos commoratus ad prius ſuum Monaſterium ac Diœceſin revertitur? Vel enim idem etiamnum vivit Epiſcopus ſeu Ordinarius, à quo fuit examinatus ac ſimpliciter approbatus, & tunc haud poterit ad novum examen revocari ex eo præcisè, quòd interim in alia Diœceſi ac Monaſterio fuerit commoratus; quia Epiſcopus ſeu Ordinarius non poteſt Regularem ſimpliciter & abſolutè prævio examine approbatum ad novum iterum examen revocare, niſi ex cauſa ad ipſas confeſſiones pertinente: atqui mutatio Diœceſis ac Monaſterii, quæ fit ex obedientia vel cum licentia Superiorum non eſt cauſa ad confeſſiones pertinens, neque enim ea mutatio, quæ apud Regulares eſt frequens, aliquam in ſe continet culpam: ergò talem neque poterit ad novum examen revocare, ùt docet Suarez *de pœnit. D. 28. S. 7. n. 9.* Card. de Lugo *D. 21. n. 44.* Roſſignol. *de pœnit. p. 1. Q. 7. art. 12.* & alii communiter. Quòd ſi verò non idem ampliùs vivat Epiſcopus, ſed alius eidem ſucceſſerit, poterit hic quidem talem Regularem, ſicut alios quoſcunque, ad examen revocare juxta Conſtitutionem S. Pii V. ſiquidem id voluerit pro quiete conſcientiæ ſuæ repetere ad ſuorum experiendam idoneitatem Curatorum: ſi tamen Succeſſor Epiſcopus non revocaverit approbationes ab Anteceſſore factas, nec ad examen vocaverit ab eodem approbatos, poterit talis Regularis ſine nova approbatione ac examine pergere in excipiendis confeſſionibus non ſecùs ac alii; nam redeundo ad prius Monaſterium recuperat omnia Jura, quibus fruebatur ante diſceſſum: quemadmodum igitur ſi non diſceſſiſſet, validè & licitè audiret confeſſiones, ita etiam poſtquam rediit, idipſum poterit.

Sectio

Sectio III.

De poteſtate Canonicorum Regularium abſolvendi ſæculares à caſibus Epiſcopo ſpecialiter reſervatis.

30 PLura iterum hanc in rem conceſſerunt diverſi SS. Pontifices privilegia Religioſis tam Mendicantium quàm non Mendicantium Ordinibus per extenſum relata à Paſſerino to. 2. Q. 187. art. 1. à n. 365. quibus concedebatur Regularibus poteſtas abſolvendi à caſibus quibuscunque etiam Epiſcopo reſervatis: ſic enim, ut alios prætercam, indulſit Canonicis Regularibus Eugenius IV. *23. Julii Anno 1439.* & Julius II. *4to. Non. Aprilis Anno 1512.* ſubinde verò Paulus III. Societati JEſu in B. *Cùm inter. 3. Junii Anno 1545.* cui privilegio, cùm aliqui Ordinarii prætenderent, quantum ad caſus per ipſos reſervatos eſſe derogatum à Gregorio XIII. per Epiſtolam ad unum illorum ſcriptam: declaravit idem Gregorius XIII. die 10. Maji Anno 1583. non eſſe intentionis ſuæ neque fuiſſe, ut per talem Epiſtolam derogaretur dictæ facultati: eamque quatenus opus ſit, de novo confirmavit, ùt habetur in vivæ vocis oraculis Soc. Jeſ. pag. 131. & refertur in ejus compendio *V. abſolutio.* Simile privilegium abſolvendi à caſibus locorum Ordinariis reſervatis & pro tempore reſervandis refertur in Compendio Fulienſium eodem V. conceſſum à præfato Gregorio XIII. Congregationi Theatinorum vivæ vocis oraculo facto R. P. Domino Innocentio Paraſcandalo tunc Præpoſito S. Sylveſtri Montis Quirinalis; unde communis olim erat ſententia Authorum aſſerentium, poſſe Regulares vigore ſuorum privilegiorum abſolvere à caſibus Epiſcopo ſpecialiter reſervatis, quos refert Diana *part. 9. tr. 6. R. 51.* & *part. 11. tr. 2. R. 9.* An verò id etiamnum poſſint, in præſenti diſcutiendum eſt. Pro quo tamen

Prænotandum alios eſſe caſus, 31 qui reſervantur Epiſcopis in Jure, & alios quos Epiſcopi ſibi ſpecialiter reſervant. Reſervati in Jure dicuntur levis percuſſio Clerici ex *cap. pervenit. de ſent. excommunic.* vel etiam gravis quoad mulieres: procuratio abortûs fœtûs animati, quæ quidem ex Conſtitutione Sixti V. erat caſus Papalis, à Gregorio verò XIV. factus eſt caſus Epiſcopalis, quibus adjungi poſſunt etiam illi, quorum abſolutio eſt delegata Epiſcopis per Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 6.* & qui S. Pontifici ſunt quidem reſervati, commiſſi tamen Epiſcopo propter difficilem

cilem ad illum recurſum. Caſus quos ſibi Epiſcopi ſpecialiter reſervant, ſunt illi, quos ſibi reſervant per ſpeciale ſtatutum aut edictum, quoſque communiter in tabella exprimere ſolent, qui non ſunt ubique iidem, ſed pro diverſitate Diœceſium, Epiſcoporum, ac temporum diverſi; ſicut enim non omni loco ac tempore eadem vigent crimina, ſed aliis alia frequentiora ac atrociora, ita non ubique eadem reſervari convenit, ſed juxta exigentiam perſonarum, temporum ac locorum nunc hæc, nunc illa. Quo prænotato

32 Dico 1mò. *Non poſſunt de facto ampliùs Regulares abſolvere à caſibus & cenſuris, quas Epiſcopi ſpecialiter ſibi reſervant.*

Ita contra communem olim certa hodie ſententia, quam Authores fermè omnes amplectuntur paucis ſolummodò exceptis, eademque probatur 1. ex pluribus S. Congregationis Epiſcoporum ac Regularium negotiis præpoſitæ Declarationibus juſſu SS. Pontificum editis, eorumque Conſtitutionibus firmatis; id enim hæc S. Congregatio *Anno 1601. 9. Januar.* & *Anno 1602. 26. Nov.* de ſpeciali mandato Clementis VIII. expreſsè ſtatuit, & quidem ſub pœna excommunicationis; ac deinde *Anno 1617. die 7. Januar.* Paulo V. jubente innovavit, iterumque *Anno 1628. 18. Nov.* Urbano VIII. approbante confirmavit, ita quidem, ut ſi ſecùs fecerint, abſolutiones nullas atque irritas fuiſſe ac fore declaret; quas omnes S. Congr. Declarationes ac SS. Pontificum Conſtitutiones hac de re factas Clemens X. ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Superna magni Patrisfamilias. 21. Junii Anno 1670.* edita corroboravit hiſce verbis: *Ex facultatibus per Mare magnum aliaque privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis conceſſa, facta eis non eſt poteſtas abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis: & per confirmationem dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt ſacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixêre privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam decretis ſublata atque extincta, ſi qua habebant abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis: & habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſunt abſolvere.* Quæ verba adeò clara etſi nullum ampliùs videantur reliquiſſe dubitandi locum, aut aliquid in contrarium aſſerendi, non deſunt tamen, qui hiſce SS. Pontificum Decretis ac S. Congregationis Declarationibus ſeſe opponunt, & contra

Objiciunt 1. Lex Pontificia, ut actu obliget omnes, debet eſſe in ſingulis Provinciis promulgata, prout magna cum probabilitate docent etiamnum hodie quamplures Autho- 33

thores cum Auguſtino Michelio; quod multo magis procedit de lege revocatoria privilegiorum, quæ non obligat in foro conſcientiæ, niſi authenticè per trinas diſtinctas vices fuerit intimata, prout idipſum exigunt ipſi SS. Pontifices Clemens VII. in B. *Rationi congruit. Anno 1523. 26. Nov.* Canonicis Regularibus S. Antonii Viennenſis data & Gregorius XIII. in B. *Æquum reputantes. Anno 1572.* Societati conceſſa, aliique plures, & docent Salas, Bonac. Azorius: atqui lex Pontificia prohibens Regularibus abſolutionem à caſibus, quos Epiſcopi ſibi reſervant, non fuit debitè apud nos promulgata: neque revocatio privilegiorum per trinas diſtinctas vices authenticè intimata: ergò non obligat. ℞deo. Quamvis ſententia requirens promulgationem in ſingulis Provinciis ad hoc ut lex Pontificia obliget omnes, non tantùm à ratione ſed etiam ab auctoritate magnam habeat probabilitatem, atque ipſemet eam docuerim in Tractatu de legibus, ea tamen communiter ab illius Patronis limitatur: ſi aliunde non conſtet, voluiſſe S. Pontificem quamprimùm omnes poſt factam Romæ promulgationem obligare non aliter ac ſi illa in ſingulis facta fuiſſet Provinciis; cùm enim nulla lege teneatur in modo promulgandi, clarum eſt, poſſe S. Pontificem ſola facta Romæ promulgatione obligare totum orbem absque ulla alia ſolemnitate; quòd autem ſic voluerit obligare in noſtro caſu Clemens X. cæterique SS. Pontifices, ſatis patere videtur ex ipſis eorum litteris, quibus volunt, ut hæc eorum Conſtitutio ubique obliget poſt promulgationem Romæ factam. Quod verò dicitur, legem privilegiorum revocatoriam non obligare, niſi authenticè fuerit per trinas diſtinctas vices intimata, ℞deo: & huic clauſulæ ſatis fuiſſe derogatum per ſupradictas Declarationes ac Conſtitutiones SS. Pontificum præſertim Clementis X. qui præter exquiſitiſſimas & ampliſſimas quas adhibuit privilegiorum hac in re derogationes, etiam huic ſufficienter derogavit per illa verba: *& etiamſi aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret.* Certè ipſi SS. Pontifices, qui ejusmodi clauſulas ad majus privilegiorum robur litteris ſuis adjiciunt, communiter ſolent addere: niſi aliunde appareat aut conſtet, quòd S. Pontifex, qui pro tempore fuerit, eisdem velit derogare. Atque hinc breviter diſtingui poteſt utriusque argumenti major: Lex Pontificia ut omnes obliget, in ſingulis debet eſſe Provinciis promulgata, niſi aliunde conſtet, velle S. Pontificem omnes obligare ſtatim poſt factam Romæ promulgationem ſine alia ſolemnitate, C. ſi de hoc aliunde conſtet N. ſimiliter: non obligat lex revocatoria privilegiorum, niſi authenticè ſit tribus vicibus intimata, niſi huic clauſulæ deroget S. Pontifex, ac velit etiam ſine illis obligare C. ſi de hoc conſtet, N. Verùm

34 *Objiciunt 2.* Decreta & Declarationes Eminentiſ. Cardinalium ac S. Congregationis, quamvis magnam habeant auctoritatem, utpote à viris ſapientiſſimis ac graviſſimis editæ, ſunt tamen ſolùm doctrinales, atque adeò probabilitatem tantùm faciunt, nòn autem certitudinem: neque vim legis habent ac robur obligandi, niſi in authentica forma exhibeantur, id eſt, cum ſolito ſigillo & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti ac Secretarii juxta Conſtitutionem Urbani VIII. quæ incipit: *Sacra Congregatio. Anno 1632.* editam: hæc autem ac ſupramemorata Decreta & S. Congregationis Declarationes necdum taliter nobis fuerunt exhibitæ, multò minùs authenticè intimatæ ad hoc, ut valeant revocare privilegia Regularium: nec ſufficit dicere, quòd Authores paſſim eas referant; nam cùm hi plerumque unus alium ex alio deſcribat, quin eas inſpexerint aut legitimam illarum habeant notitiam ac ſæpiùs quàm maximè oppoſitas exhibeant Declarationes, nil ipſis hac in re credendum multò minùs fidendum eſt, nec eorum relatio ſufficiens eſſe videtur ad fidem illis conciliandam. Ad hæc ℞deo. diſtinguendo: Declarationes Cardinalium ſunt tantùm doctrinales, nec habent vim legis ſi non ſint conſulto S. Pontifice factæ, nec de illius expreſſo mandato editæ C. ſi ſint conſulto S. Pontifice factæ, ac de illius mandato editæ N. atqui omnes à nobis relatæ Declarationes ac Decreta facta ſunt conſulto S. Pontifice tum Clemente VIII. tum Paulo V. ac Urbano VIII. & ab ipſis approbata ac de eorum expreſſo mandato edita: ergò non ſunt merè doctrinales, ſed habent vim legis. Ad id quod additur, quòd ad hoc, ut robur acquirant obligandi, exhiberi debeant in forma authentica, id eſt, cum conſueto ſigillo ac ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti ac Secretarii, id non ita accipiendum eſt, quaſi cuique taliter exhiberi debeant, ſed quòd cum ſolito ſigillo munita ac ſubſcripta à Card. Præfecto & Secretario in Curia Romana publicè exhibeatur, ac in locis ordinariis publicetur, intimetur, & affigatur, ut in omnium venire poſſint notitiam: cùm igitur adductæ pro noſtra ſententia declarationes has omnes habeant conditiones, negari haud poteſt, quòd habeant vim legis, & conſequenter derogent privilegiis quoad facultatem abſolvendi à caſibus, quos ſibi Epiſcopi reſervant in ſpecie. Accedit his omnibus, quòd relatas S. Congregationis Declarationes Clemens X. ſpeciali Bulla ac novis Apoſtolicis litteris munierit ac roboraverit, ne ſcilicet ullus ſupereſſet dubitandi locus, atque Alexander VII. contrariam opinionem omninò damnaverit, ex qua ipſa condemnatione noſtra ſententia novum acquirit pondus ac robur, quo ulterius

35 Probatur 2dò. ex Decreto Alexandri VII. in quo inter alias propoſitiones damnat etiam ſequentem numero 12mam. ad minimùm tanquam ſcandaloſam: *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id facultate.* unde hoc formatur argumentum: Propoſitio illa, quæ a S. Pontifice damnatur tanquam ſcandaloſa, & ſub pœna excommunicationis prohibetur, nec doceri ampliùs poteſt, nec in praxin deduci: atqui dicere, quòd liceat Regularibus abſolvere à caſibus quos ſibi Epiſcopi reſervant, eſt ipſiſſima propoſitio damnata & prohibita ſub pœna excommunicationis: ergò non poteſt ampliùs in praxin deduci aut doceri. Neque dicas: Damnationem hanc Regularibus in Germania ſaltem non fuiſſe authenticè intimatam aut uſu receptam; nam etſi concedamus ad legem Pontificiam requiri promulgationem in ſingulis Provinciis factam, excipiendæ tamen ſunt ab hac ſententia definitiones, ac Bullæ Pontificiæ, quibus aliquæ opiniones Authorum tanquam ſcandaloſæ, ac temerariæ damnantur & practicari prohibentur; quoad has enim longè alia videtur eſſe ratio: nam cùm ejuſmodi Bullæ Pontificiæ non tantùm ſint præceptivæ, ſed etiam declarativæ veritatis, neque præcisè ſtatuant Jus novum aliquod, ſed quid Juris ſit exponant ac roborent, tenentur omnes ſe illis conformare independenter à facta ſpeciali promulgatione, cùm independenter ab hac ſe teneantur conformare definitivæ S. Pontificis declarationi, quotiescunque aliquid ex cathedra definit ac declarat tanquam viva fidei & morum Regula, ſiquidem loquens è cathedra non poteſt errare ſive proponat credenda, ſive agenda. Quamvis igitur decretum proſcribens aliquas propoſitiones non ſit publicatum in ſingulis Provinciis, ſufficit tamen, quòd de ea certa moraliter habeatur notitia, ita ut de tali proſcriptione dubitari non poſſit: ſicuti ſi Pontifex aliquam propoſitionem damnaret ùt hæreticam, ad obligandum ubique terrarum ſufficeret, quòd talis damnatio ad notitiam hominum quomodolibet perveniret, etſi publicationem ad legem requiſitam non haberet. Quod autem dicitur, eam damnationem non fuiſſe receptam uſu, id planè mihi videtur falſum, cùm certò compertum habeam, diverſi Ordinis Regulares facultatem poſtulare à ſuis Ordinariis abſolvendi à caſibus eorum reſervatis, non obſtantibus quibuscunque privilegiis; & licèt apud aliquos non foret uſu recepta, obligat tamen omnes defacto illa proſcriptio ſive Mendicantes ſive non Mendicantes ad non abſolvendum à caſibus, quos ſibi Epiſcopi reſervant.

Sed inquies: Prædicta propoſitio damnata mentionem tantummodò facit Mendicantium, & ad hos ſo- 36

lùm dirigitur, nec quidquam ſtatuit de aliis Regularibus præſertim Canonicis: etſi igitur Mendicantes prohibeantur abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non eoipſo prohibentur cæteri Regulares ac præſertim Canonici abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, ſed potiùs ab ea excepti cenſendi ſunt; tum quia Canonici in odioſis non veniunt nomine Mendicantium ac Monachorum, tum quia privilegia Mendicantium ita Canonicis Regularibus per Julium II. S. Pium V. Gregorium XV. alióſque SS. Pontifices facta ſunt propria & ab illis independentia, ut ſi ex parte vel ex toto Mendicantibus quacunque de cauſa pereant, ſuam tamen validitatem ac robur retineant quoad prædictos Canonicos: cujus ratio eſt, quia privilegia per communicationem accepta dependent ſolùm in fieri à privilegiis Religionis, à qua participantur, non autem in conſervari, prout docet Suarez *de Leg. libr. 8. c. 16.* Tamburin. *to. 1. D. 17. Q. 5.* Salmanticenſ. *tr. 18. de Priv. punct. 7. §. 1. n. 96.* & alii communiter. ℞deo. Etſi in prædicta propoſitione damnata ſoli nominentur Mendicantes, ob identitatem tamen rationis, omnes alii Regulares etiam Canonici hoc in caſu eorum nomine comprehenduntur; tum quia Urbanus VIII. ac præcipuè Clemens X. in relata ſua Conſtitutione expreſſis verbis comprehendit omnes Regulares quorumvis Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium etiam Militarium ac cujusvis Inſtituti etiam neceſſariò & in individuò exprimendi; quibus ſanè verbis ſatis clarè & apertè omnes ac quoscunque denotat Regulares etiam Canonicos, nec ullos voluit exceptos. Quòd autem Alexander VII. ſolos in ſuo Decreto nominet Mendicantes, ratio fuit; quòd ii præcipuè fuerint, qui non obſtantibus S. Congregationis Decretis de ſpeciali mandato Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. editis, quibus adempta fuerat Regularibus poteſtas abſolvendi à caſibus Epiſcopis reſervatis, contrariam nihilominùs ſententiam publicè docere perrexerint, eamque paſſim prætextu ſuorum privilegiorum in praxin deduxerint non ſine gravi tum Epiſcoporum tum ſedis Apoſtolicæ injuria, ac populorum ſcandalo; certè non aliud erat S. Pontifici motivum damnandi prædictam propoſitionem tanquam ſcandaloſam, quàm quòd in gravem horum Decretorum vilipenſionem contrarium & docuerint & practicaverint: hæc ipſa verò ratio militat pro cæteris quoque Regularibus non Mendicantibus quibuscunque, ſi & illi præſumant, aut aliquando præſumpſerint idipſum docere, & abſolvere à dictis caſibus contra tot decreta expreſsè prohibitoria; ſi enim una pars agens contra legem prohibitoriam creare ſcandalum dicitur & eſſe injurioſa Epiſcopis ſedique Apoſtolicæ: cur easdem cenſuras non incurrat altera pars, cui

pro-

prohibitio æquè facta eſt ac primæ, ſi contra illam idipſum quod prior præſumat. Ex quibus patet, quid reſpondendum ſit ad ulteriores probationes, quæ quidem vim haberent, niſi contrarium nobis conſtaret ex aliis SS. Pontificum decretis.

37 Dico 2dò. *Poſſunt tamen Canonici aliique Regulares abſolvere ſæculares à caſibus Epiſcopis de Jure vel conſuetudine reſervatis.*

Ita communiſſima Authorum, ex quibus jam ante Annum 1650. triginta pro hac ſententia retulit Thom. Hurtado to. 1. tr. 5. Reſol. 17. quem hodiedum ſequuntur plerique, & deſumitur tum ex illis SS. Pontificum Bullis, quibus ampliſſimam concedunt facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus, cenſuris & pœnis à Jure vel ab homine quomodolibet reſervatis, tum etiam ſpeciatim ex Conſtitutionibus Clementis VIII. & Clementis X. in quibus expreſsè reſtringunt prohibitionem abſolvendi à caſibus Epiſcopis reſervatis ad eos ſolummodò, *quos Epiſcopi ſibi reſervant.* Et licèt Paulus V. & Urbanus VIII. formalibus hiſce non utantur verbis, id tamen ſufficienter indicant tum per hoc, quòd ſuis decretis eam tantùm voluerint Regularibus adimere poteſtatem abſolvendi à caſibus Epiſcopis reſervatis, quàm antecedentes, quas innovant ac declarant S. Congregationis declarationes juſſu Clementis VIII. editæ ademerunt: ſed hæ ſolùm ademerunt Regularibus poteſtatem abſolvendi à caſibus, quos Ordinarii locorum ſibi reſervant: ergò ab his tantùm caſibus abſolvendi poteſtatem voluerunt Regularibus adimere; quodipſum per hoc etiam ſatis apertè innuunt, quòd & ipſi loquantur *de caſibus Ordinariis locorum in eorum Diœceſibus reſervatis*: ſed hi non ſunt caſus, quos Jus & conſuetudo reſervat Epiſcopis, utpote qui in omnibus Diœceſibus ſunt ſemper iidem, nec diverſi pro diverſitate Diœceſium, ſed illi tantùm, quos ſibi reſervant Ordinarii; quemadmodum & de his tantùm loquitur Clemens X. in B. *Superna*, qua iſtorum omnium SS. PP. decreta & S. Congr. declarationes de novo confirmat: ergò & Paulus V. & Urbanus VIII. loquuntur tantùm de caſibus, quos Epiſcopi ſibi reſervant. Neque dicas: quòd propoſitio ab Alexandro VII. damnata univerſaliter prohibeat Regularibus abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis non diſtinguendo inter caſus, quos Epiſcopi ſibi, vel quos illis Jus & conſuetudo reſervat: & conſequenter univerſaliter etiam tam quoad hos quàm quoad illos tenenda eſt. Sed contra eſt, quòd propoſitio hæc damnata ſit tanquam ſcandaloſa ob id, quòd Mendicantes non obſtantibus decretis Pontificiis ac Declarationibus S. Congregationis docuerint ni-

hilominus, quòd poſſint abſolvere ab iis etiam caſibus, quos Epiſcopi ſibi ſpecialiter reſervant, idque etiam practicaverint: cùm autem nusquam Decreta Pontificia, aut Declarationes S. Congregationis prohibuerint Regularibus abſolvere à caſibus de Jure vel conſuetudine Epiſcopis reſervatis, ſequitur manifeſtè, quòd propoſitio iſta non poſſit intelligi de hujusmodi caſibus à Jure vel conſuetudine Epiſcopis reſervatis. Quid? quòd Clemens X. Alexandri Succeſſor id ſatis declarârit, dum ait: factam non eſſe Regularibus poteſtatem abſolvendi *à caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis*, quibus utique verbis ſat clarè innuit, prohibitionem factam abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis intelligendam eſſe de caſibus, quos Epiſcopi ſibi, non quos illis Jus vel conſuetudo reſervat.

38 Dico 3tiò. *Poſſunt quoque Regulares abſolvere ſæculares advenas ex alia Diœceſi à caſibus in iſta tantùm reſervatis, modò pœnitens bona fide tranſierit in alteram Diœceſin, in qua peccatum non eſt reſervatum.*

Ita expreſsè ſtatuit & Confeſſariis Regularibus indulſit Clemens X. in Bulla: *Superna magni. Anno 1670.* ſequentibus verbis: *Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere*; quod ipſum jam receptum videtur tacito conſenſu Ordinariorum & conſuetudine generali, qua peregrini & advenæ perinde ùt incolæ à Diœceſium Confeſſariis abſolvuntur, idque confirmat praxis quoque Confeſſariorum, qui nullatenus verentur abſolvere pœnitentem à peccatis in Diœceſi Confeſſarii non reſervatis, nec multùm inquirere ſolent, an non fortè pœnitens ſit alterius Diœceſis, & in ea peccatum ſit reſervatum. Dixi tamen modò pœnitens bona fide tranſierit in alteram Diœceſin, non autem in fraudem reſervationis, eo præcisè animo ut in ea abſolutionem à caſibus reſervatis obtineat, tunc enim ab iſtis non poſſet abſolvi per talem Confeſſarium, prout iterum expreſsè ſtatuit prædictus Clemens hisce verbis: *niſi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſin pro abſolutione obtinenda migrâſſe*; & ratio eſſe poteſt, quia tali caſu, ne eluſoria fiat reſervatio, jurisdictiò ad abſolvendum ab iſtis caſibus conſuetudine vel tacito conſenſu Epiſcoporum extraneis Confeſſariis non videtur eſſe delegata. Addit autem præterea Clemens, quòd Confeſſarius Regularis non poſſit abſolvere talem extradiœceſanum ac peregrinum à caſibus reſervatis in illa Diœceſi, in

qua

qua audit confeſſiones ; quod equidem in omnium ſententia videtur eſſe certum, ſi caſus in utriusque tam pœnitentis quàm Confeſſarii Diœceſi ſit reſervatus, cùm talis Confeſſarius à neutro Epiſcopo habeat abſolvendi poteſtatem ; ſiquidem autem caſus non ſit reſervatus in Diœceſi pœnitentis, ſed ſolùm in Diœceſi Confeſſarii, in diverſa abeunt Doctores, cùm nihil de hoc caſu expreſsè ſtatuerit Clemens, utpote qui tantùm loquitur de peregrino adveniente cum caſibus in ſua ſolùm Diœceſi reſervatis : & quidem Stoz *L. 2. n. 64.* exiſtimat, poſſe talem peregrinum in eo caſu abſolvi ; tum quia reſervatio fit ab Epiſcopo nonniſi in bonum propriæ Diœceſis, ac conſequenter circa peccata ſuorum tantùm Diœceſanorum & ſubditorum : tum quia cùm talis peregrinus non ſit ſubditus Epiſcopo Confeſſarii, reſervatio ab illo facta non videtur illum tangere : tum denique etiam, quia Confeſſarius peregrini per poteſtatem ab Epiſcopo peregrini ex recepta conſuetudine delegatam abſolvit ; quam ſententiam etſi hodie nonnulli teneant, communior tamen docet cum Cajetano, Diana, Averſa S. 3. non poſſe talem extradiœceſanum à peccatis non quidem in ſua, ſed tamen in Diœceſi Confeſſarii reſervatis abſolvi, tum quia licèt aliàs talis peregrinus & extradiœceſanus non ſit ſubditus Epiſcopo Confeſſarii, tamen tunc judicatur ùt ſubditus, & ùt incola illius loci : tum quia reſervatio non tam pœnitentem quàm Confeſſarium tangit, cui tollit poteſtatem abſolvendi à caſu reſervato : ergò ſufficit, quòd iſte ſit ſubditus, etiamſi pœnitens non ſit ſubditus. (*Adde;* hanc reſponſionem non convenire cum tradita ſuperius doctrina, quòd reſervatio non incurratur ab ignorante, & quòd fiat ad abſterrendos ſubditos à peccatis. Quomodo enim diœceſanus alterius Diœceſis ſcire poſſit, quænam peccata ſint reſervata in aliis Diœceſibus? itaque verior eſt prior ſententia, præſertìm ex eo, quia non eſt conforme legibus prudentiæ, ut Epiſcopus ſuis Confeſſariis neget poteſtatem abſolvendi peregrinos alterius Diœceſis à peccatis in eorum Diœceſi non reſervatis.)

Dico 4tò. *Poſſunt etiam Regulares abſolvere ſæculares à caſibus Epiſcopo in ſpecie reſervatis in dubio, num ſint reſervati, etiamſi reſervati ſint cum cenſura ipſo facto incurrenda.* 39

Ita Diana *part. 4. tr. 3. R. 4.* Bonacina *de pœnit. Q. 7. punct. 4. §. 4.* Suar. *de Cenſ. D. 40. S. 6.* Card. de Lugo *D. 16. S. 2. §. 4.* & *Diſp. 20.* Homobonus *to. 2. part. 5. reſp. 87.* Leander *de pœnit. D. 12. q. 11.* Boſſius *de Jub. S. 2. caſ. 13.* Sanch. *in Decal. L. 1. cap. 10. n. 74.* Giribaldus

dus *to. 1. tr. 7. de pœnit. cap. 15.* Anton. à Spiritu S. *S. 8. n. 964.* & plures alii ab his citati; & ratio eſt, tum quia reſervatio, cùm ſit odioſa tam Confeſſario, cujus juriſdictionem reſtringit, quàm pœnitentibus, quibus uſum hujus Sacramenti reddit difficiliorem, non debet extendi ad caſum, de quo incertum eſt, an ſit reſervatus juxta *Reg. Jur. 15. in 6.* ſed in dubio, an caſus ſit reſervatus, incertum omninò eſt, an maneat reſervatus: ergò ad hunc non debet extendi reſervatio: tum quia *ex Reg. Jur. 11. in 6.* ubi *partium Jura ſunt obſcura, favendum eſt reo*: ſed pœnitens eſt reus, & obſcurum eſt atque dubium, an caſus ſit reſervatus: ergò favendum pœnitenti atque adeò abſolvendus à caſu ſolùm dubiè reſervato: tum denique quia melior eſt conditio poſſidentis; ſed Confeſſarius eſt in poſſeſſione: ergò melior eſt illius conditio: & conſequenter niſi certò conſtet, ſublatam illi eſſe poteſtatem abſolvendi aut limitatam, permanet in poſſeſſione abſolvendi. Neque dicas: Qui dubitat an caſus ſit reſervatus, eoipſo etiam dubitat, an habeat hîc & nunc juriſdictionem ac poteſtatem abſolvendi: qui autem dubitat, an hanc habeat, non poteſt hîc & nunc abſolvere, ne periculo ſe exponat abſolvendi invalidè: ergò qui dubitat, an caſus ſit reſervatus, non poteſt ab illo abſolvere. ℟. enim neg. majorem: hoc ipſo enim quòd prudenter judicet tum ob authoritatem Doctorum, tum ob rationes allatas, in dubio caſum non eſſe reſervatum, eoipſo etiam prudenter judicat, ſe hîc & nunc habere juriſdictionem ac poteſtatem ab illo caſu abſolvendi, ſicut ille, qui dubitat, an votum emiſerit vel juramentum, ad neutrum tenetur; quia prudenter judicat ſe eo non ligari tum ob authoritatem Doctorum id aſſerentium, tum quia eſt melior conditio poſſidentis: libertas autem eſt in poſſeſſione contra votum. Ex quibus illud etiam inferre licet, quòd ſi quis ſtante tali dubio à ſimplici Confeſſario abſolutus fuerit à caſu ejuſmodi dubiè reſervato, etiamſi annexam habeat cenſuram aliquam reſervatam, non teneatur poſtea adire alium Confeſſarium habentem abſolvendi poteſtatem à reſervatis, etſi conſtaret deinde certò caſum fuiſſe reſervatum; tum quia qui confeſſus eſt peccatum dubium ut dubium, non tenetur illud ampliùs confiteri, quamvis poſtea recordetur fuiſſe certò commiſſum, ut docet probabilior ſententia, cùm jam ſemel fuerit ab eo directè abſolutus: tum quia abſolutus ab hæreſi dubia remanet legitimè abſolutus, nec tenetur adire S. Pontificem, etſi poſtea certò conſtet, ſe hæreſin incurriſſe ac cenſuram eidem annexam, ut docent Authores citati cum Dicaſtillo *D. 11. dub. 6. n. 99.* & aliis pluribus: ergò etiam abſolutus à peccato dubiè reſervato non tenetur ampliùs adire Superio-

rem

rem. (*Adde*; econtrariò potiùs probabiliorem eſſe ſententiam, quòd confeſſus peccatum ùt dubium teneatur illud de novo confiteri ùt certum, quamprimum certum illud eſſe comperit, niſi ea variatio proveniat ex mobilitate judicii ſcrupuloſi, & ex inconſtantia animi.)

40 An verò Regulares poſſint etiam abſolvere ſæculares ignorantes peccato ſuo annexam eſſe reſervationem? major difficultas eſt: pro qua reſolvenda ſciendum, quòd Authores communiter diſtinguant inter duplicem reſervationem, quarum una eſt purè pœnalis, altera medicinalis; purè pœnalis dicitur, quæ delicto in ejus odium & pœnam imponitur, quod tunc fieri cenſetur, quando delictum non tantùm ſpecialiter prohibetur, ſed etiam pœnis quibusdam Eccleſiaſticis punitur v. g. cenſura aliqua excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aut alia hujusmodi pœna Eccleſiaſtica reſervata, ùt v. g. ingreſſus in clauſtra Monialium jure Eccleſiaſtico prohibitus eſt, & quidem ſub pœna excommunicationis S. Pontifici reſervata, quæ ſtatuta eſt in pœnam ingredientis. Reſervatio medicinalis eſt, quæ delicto ſolùm imponitur in bonum fidelium, ad rectam Eccleſiæ gubernationem, ut nempe abſterreantur à committendis ac reiterandis gravioribus delictis, dum vident difficiliorem ſibi reddi abſolutionem. An autem reſervatio ſit purè pœnalis, an etiam medicinalis, deſumi volunt ex verbis legis, quibus fit reſervatio; ſi enim reſervationi annectant cenſuram aliamve pœnam Eccleſiaſticam, eamque ſibi reſervent, ſignum eſt, quòd ſit reſervatio purè pœnalis: ſi verò nullam adjiciant pœnam, ſed ſolùm graviter prohibeant delictum, idque ſimpliciter reſervent, indicium eſt, quòd ſit medicinalis. Obſervandum præterea, caſum reſervari nonnunquam non propter ipſum delictum, ſed tantùm propter cenſuram eidem annexam, & tunc erit reſervatio purè pœnalis: nonnunquam verò ipſum delictum reſervari & ſimul cenſura eidem annexa, & tunc dici poteſt reſervatio mixta; pœnalis ſcilicet & medicinalis; quibus prænotatis.

Dico denique 5tò. *Poſſunt Regulares abſolvere à caſibus reſervatis non tantùm illis, quibus annexam ignorant eſſe reſervationem purè pœnalem, ſed etiam quibus annexam ignorant eſſe reſervationem medicinalem.* 41

Ratio primæ partis eſt, quam tenent Authores communiſſimè, quia ignorantia ſaltem invincibilis aut non affectata vel ſupina excuſat à pœna arg. *cap. 2. de Conſtit. in 6.* atqui

qui reſervatio purè pœnalis eſt pœna: ergò excuſat à reſervatione purè pœnali: & conſequenter poſſunt Regulares ea non obſtante à tali caſu abſolvere; quod tum vel maximè locum habet, quando delicto annexa eſt cenſura aliqua in pœnam; quia ad hanc incurrendam requiritur contumacia: atqui ignorans invincibiliter legem, nequit dici contumax: ergò non incurrit cenſuram & conſequenter neque reſervationem purè pœnalem, utpote quæ tunc ſolùm datur, quando caſus quiſpiam tantùm reſervatur propter annexam cenſuram, non autem propter ſeipſum: atque adeò ſi quis talem habeat, poterit à quovis etiam ſimplici Confeſſario abſolvi, ſi revera ignoravit annexam ei cenſuram fuiſſe reſervatam, ut ſi quis ſciat quidem ingreſſum in clauſtra Monialium eſſe prohibitum, neſciat verò ac ignoret excommunicationem eamque reſervatam in illum ſtatutam, qui auſus fuerit ingredi. Ratio 2dæ partis, quam præter plures alios tenent Diana part. 2. tr. 14. Reſol. 63. & part. 6. tr. 6. Reſol. 42. Quintannadvennas in ſingular. tr. de pœnit. ſingul. 11. & to. 2. tr. 4 ſingul. 8. Thom. Hurtado to. 2. Reſol. moral. tr. 12. cap. 1. n. 1123. Andreas à Matre Dei to. 4. tr. 18. cap. 4. punct. 2. quòd nempe quævis ignorantia invincibilis & non affectata excuſet ab omni reſervatione etiam medicinali, eſt imò. quia quævis reſervatio imponitur in pœnam delicti perpetrati, & eatenus quævis reſervatio eſt pœnalis: ſimulque ſtatuitur ad peccata in futurum præcavenda, ut ſic homines abſterreantur ab illis perpetrandis, dum prævident difficiliorem ſibi reddi eorum abſolutionem, ſicque reſervatio eſt medicinalis, atque adeò dici poteſt pœna medicinalis: ſed pœnæ medicinales non incurruntur ab ignorantibus illas, ùt patet in excommunicatione, quæ ſimul eſt pœna & medicina, & quatenus eſt pœna fertur ad puniendum delictum: quatenus verò eſt medicina, ad impediendum inpoſterum peccatum, ut ſcientes illi annexam eſſe excommunicationem reſervatam & exinde prævidentes difficultatem abſolutionis obtinendæ ab eo in futurum committendo retrahantur: ergò neque ulla reſervatio incurritur ab ignorante. 2dò. quia ceſſante fine adæquato legis ceſſat etiam obligatio legis: ſed in ignorante reſervationem etiam medicinalem tantùm ceſſat finis adæquatus legis reſervantis: ergò in ignorante ceſſat obligatio legis reſervantis. min. probatur: finis adæquatus legis reſervantis peccata eſt ut abſterreantur homines à ſimilibus peccatis committendis, ùt ipſi etiam fatentur Adverſarii, & ut timore adeundi Superiorem aut ejus delegatum pro abſolutione difficiliùs ea perpetrentur: ſed hic finis ceſſat in ignorante reſervationem; quia reſpectu illius, qui ignorat peccatum eſſe reſervatum, non poteſt

teſt reſervatio retrahere peccantem ab eo committendo, atque adeò finis à Superiore intentus in tali reſervatione omninò ceſſaret: ergò ſicut reſpectu ignorantis ceſſat finis adæquatus reſervationis, nec iſta reſpectu illius eſt medicina retrahens à peccato, ita reſpectu illius ceſſat etiam reſervatio, atque adeò non incurritur ab ignorante.

42 Neque dicas: reſervatio medicinalis non eſt pœna, ſed limitatio jurisdictionis ad abſolvendum, quod ad bonum Eccleſiæ regimen conducit: ſed per hoc, quòd peccator ignoret reſervationem, non tribuit Confeſſario jurisdictionem, quam non habebat: ergo nequit à tali abſolvi, & ſic ſemper reſervatum manet peccatum. ℟. argumentum hoc ſolvendum eſſe adverſariis, qui volunt reſervationem purè pœnalem non incurri ab ignorante, cùm tamen & ipſa ſit limitatio jurisdictionis ad abſolvendum, quæ ab ignorante non poteſt tribui Confeſſario. Sed dicunt, quòd ignorantia talis reſervationis purè pœnalis eam excludat, non quidem dando Confeſſario jurisdictionem quam non habebat, ſed impediendo ablationem jurisdictionis; quia hoc ipſo, quòd cum ignorantia reſervationis pœnalis peccatum ſit commiſſum, non auſertur à Confeſſario jurisdictio, quam habebat; ita quidem illi: verùm hoc ipſum dicere poſſum de omni reſervatione etiam medicinali; nam ignorantia reſervationis etiam medicinalis non quidem tribuit jurisdictionem aut poteſtatem abſolvendi à Superiore limitatam, ſed tamen facit, quòd talis reſervatio non habeat locum in eo, qui eam ignorat; cùm ad incurrendam reſervationem etiam medicinalem requiratur illius notitia tanquam conditio ſine qua non poteſt obtineri finis à reſervante intentus, non aliter ac ad eam incurrendam requiritur, ut peccatum ſit mortale ac certum, externum & conſummatum, ſine quibus conditionibus reſervatio nulla eſt: atque adeò ignorantia reſervationis tantùm excludit limitationem jurisdictionis, & impedit illius ablationem, quia hoc ipſo, quòd cum ignorantia reſervationis peccatum ſit commiſſum, non aufertur Confeſſario jurisdictio, quam habebat. Etſi verò abſolvi talis ignorans poſſit, debet tamen edoceri, caſum illum eſſe Epiſcopo reſervatum, nec poſſe impoſterùm amplius ab alio, quàm ab ipſo aut ejus ad hoc delegato abſolvi. Vide dicta tr. 3. Diſp. 1. ſect. 2. ad fin. (*Adde*; obtineri finem reſervationis etiam in ignorante, ut diſcat propria experientia difficultatem abſolutionis, ſicque emendetur in poſterum; prout jam ſupra monui)

Quæres: quas pœnas incurrant Regulares temerè & absque facultate abſolventes à caſibus Epiſcopo ſpecialiter reſervatis? ℟. prætérquam quòd mortaliter peccent & invalidè abſolvant ex defectu jurisdi- 43

ctionis pro abſolutione requiſitæ, incurrunt inſuper plures pœnas, quas S. Congregatio in Decreto juſſu Clementis VIII. anno 1601. 9. Jan. edito in ejusmodi Confeſſarios temerè abſolventes ſtatuit, quarum prima eſt excommunicatio latæ ſententiæ. 2da. eſt privatio omnium dignitatum ac officiorum, ſi quæ habeant. 3tia. eſt perpetua inhabilitas ad eadem impoſterùm obtinenda. 4ta. deniq; eſt inhabilitas ad audiendas confeſſiones; atque hæ pœnæ S. Pontifici ſunt reſervatæ. Hoc ipſum tamen Decretum anno ſequenti 1602. die 26. Novembr. in tantum S. Congregatio jubente eodem Clemente moderata eſt, ut poſtremam hanc pœnam inhabilitatis ad confeſſiones audiendas ſuſtulerit, cæteris in ſuo robore relictis; in quas tamen non incurrunt Confeſſarii illi, qui ex inadvertentia vel ex ignorantia à dictis caſibus abſolvunt, cùm ad id requiratur temeritas; ſed neque illi incurrunt eas, qui à caſibus dubiè reſervatis aut invincibiliter & non affectatè ignorantes reſervationem abſolvunt; requirunt prætcrea aliqui ad incurrendas has pœnas, ut abſolvant prætextu privilegiorum: ſed id meliùs negant alii; quia licèt S. Congregatio hanc in ſuis decretis clauſulam appoſuerit, id tamen ideò tantùm fecit, quia frequentior erat caſus, quo Regulares abſolvebant à reſervatis ſub prætextu privilegiorum: ad eliminandum igitur tam pernicioſum errorem & abuſum expreſſit hunc caſum, non autem ad reſtringendas pœnas ad hunc caſum. (*Adde*; dari medium inter ignorantiam invincibilem & affectatam, nempe culpabilem non affectatam, quæ tamen poſſet ſufficere ad incurrendas pœnas)

Sectio IV.

De poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium abſolvendi ſæculares à caſibus S. Pontifici reſervatis.

44 CAſus S. Pontifici reſervati alii ſunt communes eidem extra Bullam Cœnæ per SS. Canones reſervati, alii ſunt ſpeciales S. Pontifici reſervati in Bulla Cœnæ, ſic dicta, quòd ſingulis annis in die Cœnæ Domini ſoleat Romæ de novo promulgari, & ad viginti reducuntur. Caſus extra Bullam Cœnæ reſervati ſunt longè plures, quos recenſet Aſcan. Tamburinus *to. 2. Diſp. 13. quæſ. 13. à n. 6.* & quorum majorem etiam partem diſtinctè refert Navarrus noſter *in Man. cap. 27.* Toletus *in inſtruct. Sacerdot. L. 1. cap. 19.* Barboſa *de Offic. Epiſcop. part. 3. alleg. 50.*

50. quibus omnibus addi poſſent longè plures, quæ ſucceſſores Pontifices ad hunc usque diem prioribus ſuperaddidêre. Atque hi caſus omnes annexam ſimul habent cenſuram præſertim excommunicationis pariter S. Pontifici reſervatam; & licèt Navarrus *cap. 26. n. 261.* cum aliis multis exiſtimet, hujusmodi caſus ob ſolam quam annexam habent cenſuram, reſervatos eſſe, nobis tamen contrarium viſum fuit probabilius *tr. 3. Diſp. 1. ſect 3.* quòd ſcilicet caſus ac peccata S. Pontifici reſerventur ratione ſui etiam & quoad culpam, ùt Authores ibidem relati communiter docent, illud tamen conceſſimus, quòd ſi cenſura à S. Pontifice auferatur, vel ob ignorantiam aliámve cauſam non incurratur, hoc ipſo deſinat etiam eſſe reſervatum quoad culpam, ita ut à quolibet Confeſſario abſolvi poſſit, in quo diſpar eſt ratio cum caſibus Epiſcopo reſervatis, à quibus licèt auferatur cenſura vel aliàs non incurratur, non tamen ceſſat reſervatio caſus, neq; abſolvi poterit ab ordinario Confeſſario. Ex quibus ſequitur, quòd facultas abſolvendi à reſervatis involvat etiam facultatem abſolvendi à cenſuris; aliàs enim facultas conceſſa abſolvendi à reſervatis nihil operaretur; cùm nemo poſſit abſolvi à peccato, niſi abſolutus à cenſuris: atqui privilegium debet aliquid operari in favorem privilegiati ex *cap. in his 30. de privil.* ergo facultas abſolvendi à reſervatis, intelligi quoque debet de cenſuris; ſimiliter facultas conceſſa abſolvendi à cenſuris involvit etiam facultatem à cenſuris reſervatis, nec id indiget ſpeciali mentione; ratio eſt, quia aliàs in tali privilegio nihil concederetur, cùm à cenſuris non reſervatis quilibet poſſit abſolvere Confeſſarius: quod tamen non eſt extendendum ad cenſuras in Bulla Cœnæ contentas, quía iſtæ ſunt ſpeciali modo reſervatæ, atque adeo etiam indigent ſpeciali mentione tanquam ſpeciali nota dignæ, quemadmodum etiam expreſsè ſtatuitur in *extravag. Etſi dominici. inter com. 3. de pœnitent.* ubi dicitur, quòd *caſus Bullæ Cœnæ tanquam ſpeciales, ſedi Apoſtolicæ reſervati, ſemper intelligantur excepti*; nam in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veroſimiliter non eſſet conceſſurus in ſpecie. *R. J. 81. in 6.*

Præter iſtos quidem caſus dantur adhuc plures alii, quibus pariter annexa eſt excommunicatio, nemini tamen reſervata, qui in SS. Canonibus præſertim in Decreto, Decretalibus, in ſexto Decretalium libro, Clementinis & Extravagantibus, nec non in Concilio Tridentino ac diverſis SS. Pontificum Conſtitutionibus continentur, quos magno pariter numero refert Tamburinus l. c. Q. 14. à quorum excommunicationibus, niſi aliunde à S. Pontifice per ſpeciale Decretum reſerventur, poſſunt abſolvere Regulares quilibet non modo privilegiati, ſed etiam non privilegiati, ùt docent 45

Navarrus *in Man. cap. 27. n. 39.* Avila *p. 2. cap. 5. D. 1. dub. 4.* Suar. *de Cenſ. D. 7. S. 13.* Sayrus *de Cenſur. L. 5. cap. 15.* Miranda. *to. 2. Q. 35. art. 19. Concl 3.* Bonacina *D. 1. Q. 3. p. 1.* & alii comuniter, quia ex *cap. nuper 29. de Sent. Excom.* quæ ſpecialiter non reſervantur, Jure conceſſa cenſentur. Verùm de hisce caſibus hic nobis nullus eſt ſermo, ſed de prioribus tantùm caſibus, qui S. Pontifici ſpecialiter ſunt reſervati tam intra quàm extra Bullam Cœnæ contentis, de quibus proinde hìc nobis ſtatuendum eſt 1mò. An Canonici Regulares poſſint abſolvere ſæculares ab omnibus caſibus & cenſuris S. Pontifici reſervatis extra Bullam Cœnæ: 2dò. An eosdem æquè poſſint abſolvere à contentis in Bulla Cœnæ. 3tiò. Denique an etiam ab hæreſi.

46 Dico 1mò. *Poſſunt Canonici Regulares abſolvere à caſibus quibuscunque ac cenſuris S. Pontifici extra Bullam Cœnæ reſervatis.* (Adde; juxta limitationes ſubjungendas)

Ita Eugenius IV. qui ad inſtantiam Canonicorum Regularium Congreg. Lateranenſis *7. Cal. Febr. Anno 1436.* indulſit, ut *Canonici dictum Ordinem expreſsè profeſſi, & in Sacerdotio conſtituti, ac aliàs idonei omnium & ſingulorum Chriſticolarum ſua peccata illis pro tempore confiteri volentium confeſſiones audire, ipſisque confitentibus pro commiſſis quibusvis peccatis (niſi talia eſſent, propter qua ſedes Apoſtolica meritò conſulenda ſit) debitam abſolutionem impendere ac pœnitentiam ſalutarem injungere valeant*: At verò caſus ac peccata propter quæ ſedes Apoſtolica meritò eſt conſulenda, quique hìc excipiuntur ſunt tantùm quatuor juxta declarationem à Sixto IV. in B. *Regimini. 31. Aug. Anno 1474* factam, nempe relapſus in hæreſin, ſchiſma, falſificatio litterarum Apoſtolicarum, & delatio prohibitorum ad infideles, à quibus non licet abſolvere: ergo à reliquis non exceptis licebit abſolvere; exceptio enim firmat regulam in caſibus non exceptis. Idipſum deſumitur ex aliis SS. Pontificum Privilegiis præſertim Leonis X. in B. *Etſi cuncta. Cal. Jul. Anno 1518.* & Pauli III. in B. *Super Gregem dominicum. 4. Non. Jul. Anno 1539.* quibus utrobique concedunt Minimis ut Chriſti fidelium confeſſionibus diligenter auditis eos à quibusvis caſibus etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis contentis in litteris Cœnæ Domini legi ſolitis, abſolvere poſſint. Paulus denique III. in B. *Inter cunctas. 3. Jun. Anno 1545.* indulſit Societati JEſu; ut qui Presbyteri fuerint, quorumcunque Chriſti fidelium ad eos undecunque accedentium confeſſiones audire, & confeſſionibus diligenter auditis ipſos & eorum ſingulos ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus & exceſſibus ac delictis quantumcunque gravibus & enormibus

mibus, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibusvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvere, ac eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere poſſint; quod ipſum privilegium refertur quoque in Bullario Lateranenſi novo f. 329. tanquam ejusdem Congregationis Canonicis per communicationem proprium, in quo plerique etiam Religioſi Ordines tam Mendicantium quàm non Mendicantium, atque Authores eisdem poteſtatem abſolvendi à caſibus S. Pontifici reſervatis ſi non unicè, ſaltem potiſſimum fundantur; certè ſi quæ alia pro domo ſua hanc in rem afferunt privilegia, ut ſanè afferunt plura, vel non faciunt ad rem, vel omninò contrarium ſtatuunt ac expreſsè excipiunt caſus S. Pontifici reſervatos, ud adeò facilè appareat, hæc ab ipſis aut non fuiſſe inſpecta, aut ſaltem non examinata, unde id etiam unus ex alio ſupponere potius videtur, quàm probare. Verùm ut hæc ipſa poteſtas abſolvendi à caſibus S. Pontifici extra Bullam Cœnæ reſervatis Canonicis Regularibus competens tantò evidentius oſtendatur.

47 Probatur concluſio noſtra ulterius ex alio privilegio Eugenii IV. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis dato *23. Julii Anno 1439.* & ab ipſomet, ac aliis SS. Pontificibus ſæpiùs confirmato, in quo eisdem facultatem concedit, ut *Canonici ad audiendum confeſſiones deputati poſſint audire omnes utriusque ſexûs ubique confitentes aut ad ſe venientes, & eos pœnitentia & ſatisfactione injunctis quoties oportuerit abſolvere ab omnibus & ſingulis peccatis, & à quibuscunque ſuſpenſionum excommunicacionum ſententiis, aliisque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis, quas à Jure vel ab homine latas incurriſſe quomodolibet cenſebuntur, prout locorum Epiſcopi & Ordinarii poſſunt.* Ex quibus infero: atqui locorum Epiſcopi & Ordinarii poſſunt abſolvere ab omnibus caſibus S. Pontifici reſervatis ſaltem quando ſunt occulti; ùt conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 6.* ubi dicitur: *liceat Epiſcopis in quibuscunque caſibus occultis etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoscunque in foro conſcientiæ gratis abſolvere*: ergo etiam Canonici poſſunt abſolvere à quibuscunque caſibus occultis etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis; ſimiliter: poſſunt Canonici Regulares abſolvere ſæculares à caſibus & cenſuris, qui ſunt in Jure Epiſcopis reſervati: ùt conſtat ex dictis §. præc. ſed caſus S. Pontifici reſervati, quando ſunt occulti, ſunt Epiſcopis in Jure reſervati, ùt iterum conſtat ex relatis primum Tridentini verbis: ergo Canonici Regulares poſſunt abſolvere ſæculares à caſibus & cenſuris S. Pontifici reſervatis; quod etiam confirmari poteſt ex eo, quia relatum Eugenii IV. privilegium aliaque ejusmodi conceſſa debent aliquid operari; cùm omne privilegium juxta *cap. in*

his

his. 30. de privil. aliquid operari debeat: ſed nihil illud operaretur aut concederet, niſi facultas abſolvendi Chriſti fideles ab omnibus & ſingulis peccatis & à quibuscunque ſuſpenſionum & excommunicationum ſententiis, aliisque Eccleſiaſticis cenſuris, quas à Jure vel ab homine latas incurriſſe quomodolibet cenſebuntur, intelligatur de peccatis & cenſuris S. Pontifici reſervatis; cùm à non reſervatis quilibet Confeſſarius etiam non privilegiatus abſolvere poſſit: ergo relatum Eugenii IV. privilegium aliaq; ejusmodi intelligi debent de peccatis & cenſuris S. Pontifici reſervatis.

48 Neque dicas: relatis hactenus privilegiis derogatum fuiſſe per Decretum juſſu Clementis VIII. *9. Januar. Anno 1601.* & iterum per alterum *26. Nov. Anno 1602.* editum, quibus quidem non omnimoda facultas abſolvendi à caſibus S. Pontifici reſervatis ablata eſt Regularibus prædictis privilegiis gaudentibus, ſed tamen ita reſtricta fuit, ut ab iis excepti fuerint omnes caſus Bullæ Cœnæ, & quinque ſequentes, ſcilicet violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorii XIV. quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli*: violationis clauſuræ Monialium ad malum finem: provocantium & pugnantium in duello juxta Decretum S. Tridentini, & Conſtitutionis Gregorii XIII. incipientis: *Ad tollendum.* injicientium violentas manus in Clericos juxta *Canonem: ſi quis ſuadente &c. cauſ. 17. q. 4.* ac Juris diſpoſitionem; ſimoniæ realis ſcienter contractæ: atque etiam confidentiæ beneficialis. Quæ ipſa Decreta poſtea confirmavit iterum ac innovavit Paulus V. in alio Decreto S. Congregationis de mandato illius edito 7. Jan. anno 1617. Verùm ℟. Quamvis per iſta Decreta quoad quinque relatos caſus fuerit derogatum privilegio abſolvendi ſæculares à reſervatis Papæ Regularibus à ſupradictis Pontificibus conceſſo, ùt ex terminis patet, ex iisdem tamen non minùs certum eſt, eam derogationem ſe extendere ſolùm ad Confeſſarios intra Italiam conſiſtentes; dicit enim: *Sacerdotibus omnibus tam ſæcularibus, quàm Regularibus per univerſam Italiam extra Urbem degentibus*: ergo reſpectu aliorum extra Italiam illud privilegium manet integrum etiam quoad quinquè illos caſus, nec extendenda eſt iſta prohibitio pro Confeſſariis Italiæ facta ad ultramontanos in Germania exiſtentes, aliasque ejusmodi Provincias Italiá non comprehenſas. Quæ reſponſio omninò conformis eſt alteri Decrèto ejusdem S. Congregationis anno 1628. 17. Novembr. juſſu Urbani VIII. edito, ubi poſtquam ſtatuerat, neminem poſſe abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ, & Ordinario loci reſervatis, declarat: *ab aliis verò caſibus & cenſuris ſedi Apoſtolicæ reſervatis, ſi quidem Regulares habeant à ſede Apoſtolica abſolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam eſſe iisdem S. Congregationis*

Decre-

Digitized by Google

Decretis hac de re editis juſſu ſanct. mem. Clementis VIII. quam dein S. Congregationis ſententiam approbavit, & inviolabiliter obſervari mandavit Urbanus VIII. Ex quo proinde noſtrum aſſertum adhuc magis confirmatur.

49 Ex hisce verò omninò perſpicuum eſt, poſſe Canonicos Regulares extra Italiam conſtitutos relatorum vigore privilegiorum abſolvere ab omnibus caſibus & cenſuris S. Pontifici extra Bullam Cœnæ reſervatis: exiſtentes verò in Italia extra Urbem ab iſtis quidem etiam poſſe abſolvere, exceptis tamen ſupra relatis quinque; licèt enim ab initio per primum S. Congregationis Decretum juſſu Clementis VIII. anno 1601. 9. Januar. editum revocata ſint omnia privilegia concedentia poteſtatem abſolvendi à caſibus Pontificiis quibuscunque reſervatis, poſtea tamen per alterũ S. Congregationis Decretum ejusdem Clementis juſſu editum anno 1602. 26. Novembr. reſtricta eſt hæc ipſa revocatio ad caſus Bullæ Cœnæ tantùm pro iis, qui extra Italiam degunt: pro iis verò qui intra Italiam extra Urbem exiſtunt, etiam quoad quinque ſupramemoratos, ita tamen, ut quoad cæteros caſus iisdem in ſuo robore maneret privilegium, quod ante revocationem habuit, abſolvendi ab iisdem caſibus. Quamvis autem Regulares abſolvere poſſint dicto modo à caſibus S. Pontifici reſervatis, id tamen non poſſunt, ſi Epiſcopus ex iis quospiam in ſpecie ſibi reſervet; quia S. Pontifex relinquit caſum Epiſcopi in ſuo ſtatu, nec illius præjudicat poteſtati, niſi expreſsè id exprimat, prout etiam id claré ſatis indicat Clemens X. in B. *Superna magni. Anno 1670.* §. 7. ubi ait: *Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere.* Illud verò hic etiam benè notandum, quòd abſolutio à caſibus reſervatis S. Pontifici data valeat tantùm in foro conſcientiæ ac interno, non autem in externo & quoad caſus ad forum contentioſum deductos, quia in iſto talis abſolutio non officit, quin judex poſſit contra excommunicatum ac cenſuratum juxta Juris rigorem procedere, ac eum quaſi non fuiſſet in foro interno ac conſcientiæ abſolutus, commeritis punire pœnis; quia utrumque forum habet diverſos fines: nam in foro conſcientiæ præcipuè conſideratur ſalus animarum, & compenſatio offenſæ divinæ: in foro autem externo attenditur ad publicam vindictam & ſatisfactionem Reipublicæ, quam reus pravo ſuo exemplo offendit. Interim tamen abſolutio talis valet eatenus etiam in foro externo, quòd ſe poſſit gerere tanquam non excommunicatum, publicè verſari cum aliis, divina frequentare officia ac Sacramenta, ac perinde ſe habere, ac ſi nullam incurriſſet cenſuram, quandoquidem nullum inde ſcandalum ſequitur, nec præjudicium

cium infertur alterius jurisdictioni, præſertim ſi ex atteſtatione Confeſſarii conſtet, fuiſſe abſolutum à cenſura.

50 His ita quoad primam propoſitæ quæſtionis partem ſtatutis, remanet altera adhuc decidenda, an nempe Regulares etiam poſſint abſolvere ſæculares à caſibus S. Pontifici reſervatis in Bulla Cœnæ, cui alia celeberrima ac graviſſima controverſia innexa eſt, qua magno partium ſtudio diſceptatur, an vi fafacultatis abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ occultis per Tridentinum Epiſcopis conceſſæ, iidem etiamnum hodie abſolvere poſſint ſubditos ſuos à prædictis Bullæ Cœnæ caſibus? In qua quidem utrâque controverſiâ Doctores in diverſa abeunt: & quidem ante Decreta juſſu Clementis VIII. Pauli V & Urbani VIII. vix ullum erat inter Authores dubium, quin Regulares potuerint ſuorum vigore privilegiorum abſolvere ſæculares à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, hæreſi ad ſum̃um exceptâ, idque etiam poſt ea emanata defendere perrexerunt plures cum Baſſæo, Hurtado, Leandro, Antonio à Spiritu S., Alviſet, tum quod prædicta Decreta putârint eſſe intelligenda de caſibus tantùm publicis, non autem occultis Cœnæ Domini: tum quod ſuppoſuerint Epiſcopos poſſe vi Tridentini ab iis caſibus Bullæ Cœnæ occultis abſolvere Jure ordinario, prout idipſum usque hodie quamplures docent non infimæ notæ Authores, ex quibus ultra Triginta refert Petrus de Murga to. 2. Diſquiſ. moral. Diſquiſ. 1. dub. 14. §. 10. n. 134. & n. 165. Ex hoc enim inferebant Regulares, id ſibi quoque licere, cùm poſſint abſolvere ab omnibus caſibus à Jure reſervatis Epiſcopis, quales cenſentur eſſe omnes caſus Bullæ Cœnæ occulti, utpote quorum abſolutio per Tridentinum conceſſa eſt Epiſcopis. An verò & in quantum iſtis fidendum ſit rationibus ac principiis, nunc quoque ſtatuendum eſt. Unde

Dico 2dò. *Non poſſunt defacto amplius Canonici aliive Regulares abſolvere ſæculares à caſibus in Bulla Cœnæ S. Pontifici reſervatis.* 51

Ita probabilior hodie, ac communior Authorum ſententia, quæ etiam probatur: ex una parte privilegia, quæ Regularibus concedunt poteſtatem abſolvendi à caſibus S. Pontifici reſervatis, excipiunt expreſsè caſus in Bulla Cœnæ contentos, & præter hæc vix ullum exhiberi poteſt aliud privilegium, per quod clarè concedatur Regularibus, aut alicui Ordini Religioſo hæc facultas abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ: ex altera verò parte etiamſi fortè aliquod tale privilegium oſtendi poſſet, id modo ſublatum eſt tum per

annuam

annuam Bullæ Cœnæ promulgationem, qua prohibetur cujuscunque Ordinis Religioſis abſolvere ab iſtis caſibus Bullæ Cœnæ non obſtantibus quibuscunque privilegiis ac indultis: tum etiam per Decreta S. Congregationis primùm juſſu Clementis VIII. anno 1601. 9. Januar. ac anno 1602. 26. Nov. edita: deinde per Paulum V. anno 1617. 7. Jan. innovata: ac iterum per Urbanum VIII. anno 1628. 17. Nov. confirmata, ubi expreſſis verbis habetur, quòd Regulares cujusvis Ordinis & Congregationis, Societatis & inſtituti etiam neceſſariò exprimendi nec intra nec etiam extra Italiam in vim privilegiorum aut confirmationem ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſint quemquam abſolvere ab eisdem caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis: ac ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas atque irritas fuiſſe ac fore; quibus verbis vix clarius quidquam pro noſtra ſententia ſtatui ac dici poſſe videtur. Verùm

52 *Objiciet* fortè aliquis privilegium Eugenii IV. Canonicis Regularibus anno 1436. conceſſum, quo iisdem dat facultatem abſolvendi à quibusvis peccàtis, exceptis ſolummodo iis, propter quæ ſedes Apoſtolica meritò eſſet conſulenda: atqui hæc ſunt tantummodò quatuor videlicèt relapſus in hæreſin, ſchiſma, falſificatio litterarum Apoſtolicarum, & delatio prohibitorum ad infideles, quæ in Bulla Cœnæ continentur: ergo à cæteris in eadem contentis caſibus licebit Canonicis noſtris abſolvere, quemadmodum nos ipſi ſupra in ſimili docuimus. ℞ Etſi privilegium iſtud probare videatur intentum, atque ex iis, quæ videre hactenus licuit, præcipuum ſit, quo probari poſſit Canonicis Regularibus datam eſſe facultatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, quia tamen id tum per annuam Bullæ Cœnæ promulgationem; tum per ſupradicta decreta S Congregationis tot SS. Pontificum auctoritate firmata ſatis apertè ſublatum eſt, non auſim me in tam labili fundamento fundare, quamquam ex eo magnum contrariæ ſententiæ pondus accederet, nì S. Congregationis Decreta obſtarent. Sed *inquis*: Bullam Cœnæ ac relata Decreta loqui tantùm ac intelligenda eſſe de caſibus Bullæ Cœnæ publicis, non autem de occultis: nobis autem tantùm ſermonem eſſe de caſibus occultis: atque adeò Decreta iſta nil nobis officere; ſed contra eſt: quod ea Decreta ac Bulla Cœnæ loquantur univerſaliter & ſine ulla diſtinctione inter caſus occultos aut publicos, & conſequenter univerſaliter quoque ſunt intelligenda: deinde loquuntur de abſolutione ſacramentali, ùt patet ex verbis Decreti ab Urbano VIII. confirmati: ac ſi ſecùs egerint, abſolutiones nullas atque irritas fuiſſe ac fore: atqui abſolutio ſacramentalis agit tantùm de occultis peccatis & delictis, cùm forum externum tantum verſetur

circa delicta publica: ergo de occultis tantùm caſibus loquuntur præfata Decreta. Hæc denique in eo ſenſu ſunt accipienda, in quo docuerunt Regulares, quòd ſibi per privilegia liceat abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ: ſed iſti docuerunt ac contenderunt, licere ſibi à caſibus Bullæ Cœnæ occultis abſolvere: ergo de occultis quoque Bullæ Cœnæ caſibus ſunt intelligenda & accipienda.

13 *Objicitur* verò ulterius: Canonici Regulares poſſunt abſolvere ſæculares à caſibus & cenſuris, qui ſunt in Jure reſervati Epiſcopis, & à quibus ipſi poſſunt Epiſcopi Jure ordinario abſolvere, ùt iterum conſtat ex privilegio Eugenii IV. Canonicis Regularibus Lateranenſibus anno 1439. conceſſo: atqui caſus Bullæ Cœnæ quando ſunt occulti, ſunt Jure Tridentini Epiſcopis reſervati, & ab illis poſſunt abſolvere Jure ordinario, ùt iterum conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 6.* ergo à caſibus Bullæ Cœnæ quando ſunt occulti poſſunt Canonici Regulares abſolvere ſæculares. ℟. negando minorem, quòd Epiſcopi hodiedum poſſint abſolvere ſubditos ſuos à caſibus Bullæ Cœnæ; etſi enim Concilium Tridentinum id illis conceſſerit, hanc tamen poteſtatem eiſdem ademptam fuiſſe communior hodie ſententia ſuſtinet & quidem per ipſam Cœnæ Bullam, in qua quibuscunque perſonis Eccleſiaſticis etiam Epiſcopali vel alia majori præditis prætextu quarumvis facultatum & indultorum per ſedem Apoſtolicam aut cujusvis Concilii Decreta conceſſorum prohibetur abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ. Neque dicas: quòd ad hoc, ut derogetur Concilio Generali præſertim Tridentino debeat illius ſpecialis fieri mentio, qualis tamen nulla fit in Bulla Cœnæ. Nam quamvis ad derogandum Decretis Conciliorum Generalium debeat aliqua eorum fieri mentio, ùt communiſſimè docent Authores ad *capit: ex parte de Capell. Monach.* nihilominus ſufficiens mentio Tridentini in caſu noſtro per illam generalem clauſulam: *non obſtantibus cujusvis Concilii Decretis*, nec aliam ſpecialem Concilii Generalis aut ipſius Tridentini, ut ei derogetur, mentionem requiri, declaravit S. Congregatio Concilii 2. Martii anno 1600. teſte Eminentiſſ. Petra: to 3. fol. 105. Certè ex nullo Juris Canonici textu quisquam eruet, illam clauſulam generalem non ſufficere, præſertim cùm verba illa: non obſtantibus cujusvis Concilii Decretis non aliud poſſint reſpicere Concilium, quàm Tridentinum, cùm nullum aliud conceſſerit facultatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ occultis. Accedit, quòd S. Pius V. Gregorius XV. ac Clemens VIII. & S. Congregatio ſæpiùs declaraverint, non poſſe amplius Epiſcopos ea facultate à Tridentino conceſſa uti, quemadmodum videre eſt apud Sanchez *L. 2. Mor. cap. 11. n. 26.* Marc. Anton.

Genu-

Genueſ. prax. Arch. Neap. *c. 67. edit. 1.* Fagnan. in *cap. quoniam de Conſtit. n. 29. & cap. dilectus. de tempor. Ordinat. n. 31.* & Piaſec. *prax. p. 1. c. 1. art. 3. n. ſext. & ſequent.* Si autem Epiſcopis, quibus tamen à Concilio Tridentino directè fuerat conceſſa poteſtas abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ occultis, revocata eſt tum per Bullam Cœnæ, tum per Decreta Pontificia, tum per declarationes Cardinalium, ùt ex hactenus dictis ſatis conſtare videtur, multò magis revocata cenſeri debet Regularibus hæc ipſa, quæ eisdem ſolummodò indirectè conceſſa eſt poreſtas abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnæ contentis ac occultis.

54 Quod ipſum permulti Authores volunt intelligendum eſſe non tantùm de caſibus clarè, ſed etiam dubiè in Bulla Cœnæ contentis, cùm Clemens VIII. in primo ſuo Decreto 9. Jan. anno 1601. edito expreſsè Regularibus interdicat, ne abſolvant á caſibus non tantùm clarè, ſed etiam dubiè in Bulla Cœnæ contentis: & quamvis in altero ſuo Decreto de anno 1602. duo iſthæc adverbia & particulas omittat, non tamen propterea prius illud ſuum Decretum revocâſſe credendus eſt; nam ùt ex pluribus Doctoribus notat Paſſerinus, id quod Clemens in 2do hoc Decreto moderari voluit, hoc clarè expreſſit, quæque in eo intacta reliquit, in primo voluit remanere in ſuo robore priſtino ac firmitate; quia correctio Jurium induci non debet, niſi prout in Jure exprimitur; argum. *cap. Conſtitutio de Elect. in 6.* & ùt dicit Gloſſa *in cap. cupientes. eodem in 6.* neque per ſubauditos intellectus & tacitos inducitur legum correctio; & Fagnanus *in cap. dilectus. de tempor. Ordinat.* ait, quòd in hisce dubiis Jura Juribus ſunt concordanda, quod optimè fieri poteſt, ſi dicatur, moderationem factam tantùm eſſe quoad expreſſa, non item quoad non expreſſa. Verùm his non obſtantibus probabilius eſt, Clementem per 2dum hoc Decretum ſuum voluiſſe primum in hoc quoque puncto moderari; cùm enim declaret *ſub ejuſdem prohibitione illos tantùm caſus impoſterùm comprehendi qui in Bulla Cœna Domini legi conſueta continentur*, ſatis indicat, nolle ſe ampliùs dubios caſus comprehendere, cùm iſta verba ita ſimpliciter prolata in propria ſua ſignificatione caſus tantùm certos ſignificent, quemadmodum in aliis quoque ejusmodi materiis habentur pro certis, nec dubium eſt, quin omnes illa verba, ſi in primo ſuo Decreto ita protuliſſet S. Pontifex, de certis tantùm caſibus intellexiſſent: ergo de facto ita ſunt intelligenda, atque ita quoque S. Pontificem ſumpſiſſe in altero ſuo Decreto cenſendum eſt: id quod ex alio Urbani VIII. Decreto de anno 1628. confirmari poteſt, ubi & hic quoque S. Pontifex ſimpliciter tantùm prohibet abſolvere quemquam à caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis, nulla facta caſuum dubiorum mentione, non utique ommiſ-

ſurus horum quoque expreſſionem facere, ſi & hos voluiſſet comprehendere; *contra eum* enim, ùt habet R. J. 57. in 6. *qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda*; & certè res tam odioſa, qualis eſt reſervatio, nequaquam extendenda eſt ad caſus dubios, ſed ad ſolos certos, claros, atque perſpectos, præſertim in dubio, an legiſlator voluerit comprehendere tales caſus dubios, prout eſt in caſu noſtro.

55 Quemadmodum autem poſſunt Regulares abſolvere ſæculares à caſibus Bullæ Cœnæ dubiis, ita etiam valent abſolvere à certis, quando intervenit impedimentum perpetuùm adeundi S. Pontificem, ùt eſt in ſenibus, mulieribus, impuberibus, valetudinariis, pauperibus, ruſticis, & univerſim, quando ſine magna difficultate non poteſt adiri ſedes Apoſtolica; hoc enim caſu ex Jure communi per *cap. Mulieres 6. cap. de cætero. 11. cap. quamvis 58. de ſententia Excom.* facultas abſolvendi à caſibus S. Pontifici reſervatis devolvitur ad Epiſcopos, & conſequenter etiam ad Regulares præſertim Canonicos ex privilegio Eugenii IV. Lateranenſibus anno 1439. dato, quo facultatem eisdem concedit abſolvendi ab omnibus & ſingulis peccatis ac cenſuris ſæculares, ſicut poſſunt Ordinarii & Epiſcopi locorum ex ordinaria juriſdictione: atqui iſti poſſunt ex ordinaria juriſdictione abſolvere impeditos ab omnibus caſibus S. Pontifici reſervatis etiam in Bulla Cœnæ contentis: ergò etiam Regulares præſertim Canonici; nec refert, quod in citatis Capitulis tantummodò ſermo ſit de caſu violentæ manuum injectionis in Clericum; idipſum enim ob paritatem rationis extenditur ad cæteros quoque caſus S. Pontifici etiam in Bulla Cœnæ reſervatos juxta communem apud Dianam *p. 11. tract. 7. R. 2.* & *part. 9. tr. 7. R. 9.* Th. Tamburin. *L. 5. de Sacram. cap. 12. §. 2.* atque in hoc caſu taliter impeditum directè abſolvi poſſe ſine onere denuò confitendi docet communiſſima DD. apud citatos, eo quòd abſolvatur in tali caſu ab habente poteſtatem ſive à Jure ſive ex privilegio. Neque tunc eſt obligatio ſcribendi Romam, ùt aliqui volunt, quia id in partibus remotioribus difficulter fieri poteſt, & licet fieri poteſt facilè, tenent tamen plures cum Dicaſtillo de *Cenſur. D. 3. n. 57. V. Schmalzgrueber tit. de Hæret. à n. 201.* id non eſſe opus, præſertim quòd litteræ ſint expoſitæ periculo publicationis.

Dico 3tio. *Neque poſſunt Canonici aliive Regulares abſolvere ſæculares ab hæreſi formali.* 56

Ita præcipuè deſumitur ex Decreto Alexandri VII. anno 1665. 24. Sept. damnantis ſequentem propoſitionem ordine 4tam. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab*

ex-

excommunicatione propter eam incurſa; cujus tamen propoſitionis proſcriptionem in Germania, ubi hæretici tam frequentes ſunt, nec procedere neque ſtringere cenſet P. Pichler *in Cand. abbrev. de Hæret. n. 4. & 5.* præſertim quoad eos, qui in hæreſi nati, educati, tollerati, plerumque materiales, ac frequentiſſimè ad fidem revertuntur, de quibus longè aliter diſcurrendum eſt, quàm de hæreticis in Italia, Hiſpania, ubi vel nulli ſunt, vel ſaltem non tolerantur nec naſcuntur, ſed malitiosè fiunt. Ex quo concludit, poſſe Religioſos extra Italiam vi ſpecialis privilegii præſertim Mendicantes & conſequenter cum iis communicantes abſolvere ab hæreſi pro foro interno. Sic enim Julius III. in *Bulla ſacra Religionis 22. Octobr. Anno 1552.* Societati data & à Gregorio XIII. 18. Mart. anno 1584. vivæ vocis oraculo confirmata, qua eidem concedit poteſtatem quoscunque à caſibus hæreſis & aliis contra fidem conſequentibus cenſuris abſolvendi, extra Hiſpaniam & Italiam juxta declarationem Clementis VIII. 16. Novembr. anno 1592. factam, ùt habetur in Compend. Privil. dictæ Societ. *V. abſolutio n. 7.* ſimilem quoque facultatem & quidem ampliſſimam conceſſit idem Clemens Carmelitis pro Germania, Flandria, Gallia, Polonia & in aliis partibus ubi hæreſes graſſantur, non obſtante quòd ibi morantur Catholici, ùt videre eſt apud Auguſtinum à Virgine Maria pag. 483. Nec juvat dicere, quod iſta privilegia à ſubſequentibus Pontificibus per Bullam Cœnæ, qua tollitur omnis poteſtas abſolvendi ab hæreſi quorumvis Ordinum etiam Mendicantium Regularibus conceſſa, non obſtantibus quibuscunque privilegiis, quæ omnia quoad hoc penitùs tolluntur, ac omninò revocantur: cui maximè conformis eſt propoſitio 3tia ab Alexandro VII. damnata, idemque ſæpiùs declaravit S. Congregatio teſte Fagnano, ac Vincentio Petra. Nam ad hæc reſpondere ſolent Authores Germani: Bullam Cœnæ non eſſe apud Germanos in tanto rigore receptam, nec obligare tam ſtrictè ſicut in Italia vel Hiſpania, ubi nulli permittuntur Hæretici: neque ſufficienter conſtare de iſtorum privilegiorum revocatione per Bullam Cœnæ factam, tum quòd ipſe Clemens ea vel approbaverit, vel omninò conceſſerit non obſtante annua iſtius Bullæ promulgatione ab ipſo net facta: tum quod per diſpoſitionem generalem non derogetur priori ſpecificæ c. generi. 34. de R. J. in 6. Privilegia autem relata loquuntur de hæreſi occulta, Bulla verò Cœnæ de hæreſi in genere. Propoſitio 3tia ab Alexandro VII. proſcripta tantummodo damnat, quòd fuerit in Conſiſtorio S. Congreg. Emin. Card. 18. Julii anno 1629. viſa & tolerata ſententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis & aliorum criminum quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis crimi-

Digitized by Google

criminibus ſermo eſt, non verò damnatur hæc ipſa ſententia, ùt fatetur Viva ad eandem propoſitionem, & id docent AA. hodie communiter. Declarationes verò S. Congregationis non ſatis probare intentum, tum quòd non conſtet eas fuiſſe approbatas unquam à S. Pontifice aut hactenus in forma authentica productas, quod tamen ipſe requirit S. Pontifex Urbanus VIII. Ita fermè in terminis P. Pichler loc. cit.

57 Unde non improbabile putat clariſſimus hic Author, quòd hæreſis in Germania noſtra non ſit caſus reſervatus quoad natos & educatos ab hæreticis; quod probat 1mò. quia in his partibus frequentiſſima eſt hæreſis: ſed caſus frequentiſſimos reſervari non expedit, imò non conſuevit, eò quòd ex una parte detur perpetua neceſſitas ababſolvendi in Germania hæreticos quotidie ad Eccleſiam revertentes, ex altera verò parte detur nimia difficultas ſemper & toties recurrendi ad Superiorem, maximè Romam, uti DD. communiter advertunt, & ideò Layman in Concluſ. Canon de Jurisdict. c. 4. n. 73. Wagnereck in Exegeſi L. 1. tit. 28. in cap. licèt. in 6. Nota V. Gobat tr. 7. Theol. experim. n. 371. in Appendice & reliqui communiter tradunt, caſus Papales ob nimiam frequentiam vel impedimentum adeundi Papam, fieri Epiſcopales; & hinc La Croix, quamvis ipſe videatur tenere contrarium, L. 6. p. 2. n. 1620. ſic ait: *Layman, Perlin, Gobath & alii docent, Nos* (Jeſuitas) *& NB. quoscunque approbatos in Germania poſſe abſolvere ab hæreſi, & lectione librorum prohibitorum; quia hinc non eſt facilis, imò plerumque eſt moraliter impoſſibilis acceſſus ad Papam ob ſumptus magnos, jacturam rei domeſtica, moleſtias & pericula via &c. Neque ideò eſt obligatio ſcribendi Romam &c.* Prob. 2. Quia in Germania hæretici ſunt tolerati, etiam in tantum, ut reverſi non indigeant abſolutione pro foro externo, adeoque cenſeatur excommunicatio pro foro externo eſſe ſublata generaliter: eâ autem pro foro externo ſublatâ ceſſat & reſervatio pro foro interno, ùt obſervant Farinac. Palao, Pirhing, Wagnereck loc. cit. Reiffenſtuel tit. de hæret. n. 369. & alii. Huc facit, quòd DD. Germani paſſim & cum iis La Croix de Leg. L. 1. n. 637. dicat: *certum videri, Bullam Cœna quoad aliqua non obligare, vel ſaltem non cum illo rigore*, & quoad pœnas (cur non & quoad reſervationem, cùm ſit pœnalis) *non tam rigidè receptam eſſe.* Prob. 3. Hæretici in Germania ad fidem revertentes plerumque prius fuerunt materiales, ſaltem non publicè conſtat fuiſſe formales: ſed materiales nec indigent abſolutione, formales verò, de quibus quòd tales ſint, publicè non conſtat, ſunt occulti, & ſic reſervationi Papali non ſubjacent; imò rectè dicitur, partem minorem, quam meo judicio faciunt

ciunt formales hæretici in Germania, regulandam eſſe juxta majorem, quam faciunt materiales, cenſuræ & reſervationi Papali non obnoxii.

58 Hæc quidem magna cum probabilitate dicuntur, & certa videntur eſſe quoad hæreticos materiales, non tantùm illos, qui erroribus fidei Catholicæ contrariis aſſentiuntur ex invincibili omninò & inculpabili ignorantia, atque adeò absque pertinacia, quia de myſteriis fidei noſtræ vel nihil audierunt unquam, vel certè non ita audierunt, ut credibilia vel credenda ipſis apparerent, ſed credibiliora ipſis reddita fuerint contraria dogmata vel à parentibus, vel à ludimagiſtris aut ſuis præconibus, quales ſunt plerique in hæreſi nati & educati tum inter plebejos, tum etiam inter doctiores, ùt teſtantur DD. Germani comuniter cum Auguſtino Michelio §. 6. n. 2. & quotidiana conſtat experientia, ac teſtimonio virorum etiam Doctorum, qui ad fidem Catholicam tranſierunt, ſed etiam quoad illos, qui etſi myſteria & articulos fidei noſtræ cognoſcant aliquo modo ac veluti ſubobſcurè, ex ignorantia tamen vincibili & culpabili, quantumvis etiam craſſa, lata, ſupina vel affectata in erroribus ſuis perſiſtunt, qui etſi ob culpabilem & craſſam ignorantiam voluntariè in rebus fidei errantes mortaliter & graviter peccent contra virtutem fidei, quia tamen propterea cenſeri haud poſſunt pertinaces, nec hæretici formales cenſendi ſunt, & conſequenter non ſubjacent excommunicationibus ac pœnis hæreticorum, atque adeò non tantùm validè ſed etiam licitè tales abſolvi poſſe vix dubium eſt, poſtquam contrarios errores abjuraverunt, ac in fide Catholica ritè fuerunt inſtructi. (*Adde*; hanc doctrinam P. Pichler non poſſe tam generaliter admitti, ut poſſint omnes hæretici indiſcriminatim abſolvi ab Epiſcopis vel Regularibus. Quòd enim Bulla Cœnæ quoad hoc punctum recepta non ſit, patet eſſe falſum, cùm Epiſcopi ſingulis quinquenniis, vel, ùt nunc ſolet, ſingulis ſeptenniis petant Romæ renovari facultatem abſolvendi, & ab Epiſcopis idipſum petant Regulares. Itaque falſum eſt, à majori parte Germaniæ, quòd requireretur ad derogationem, Bullam Cœnæ quoad hoc non eſſe receptam. Nec eſt difficultas ob frequentiam caſuum, cùm æquè facilè in Germania iſta facultas impetrari poſſit ab Epiſcopis, ac in Italia à Papa, & ubique reperiantur Conventus Regularium Mendicantium, in quibus ſemper unus habere ſolet delegationem ad ejusmodi abſolutiones. Igitur ſolus ſupereſſet caſus de hæreſi materiali, aut ſaltem de illa hæreſi, de qua dubitatur, an fuerit materialis an formalis. Sed cùm hæc res dependeat à conſcientia ſingulorum, inſpici debent individua, non genera, neque ſtatim eximi in-

integræ nationes. Accedit, quòd ignorantia veræ Eccleſiæ invincibilis non debeat tam facilè ſupponi, cùm ejus notæ characteriſticæ ſint partim notæ lumine infuſo omnibus, partim evidenter traditæ in Scriptura, prout oſtendi in *demonſt. Critica* Venetiis edita.)

59 Aliud omninò dicendum eſt de hæreticis verè formalibus, qui vel à fide Catholica ad hæreticos tranſierunt, vel in hæreſi quidem nati & educati poſt agnitam tamen fidei noſtræ veritatem ac ſectæ ſuæ falſitatem cum pertinacia perſiſtunt in ſuis erroribus aut ex reſpectu humano, ac metu amittendi temporalia, aut quod peſſimum eſt, quòd nolint judicium ſuum ſubmittere Eccleſiæ Catholicæ authoritati. Cùm enim tales nullatenus excuſari poſſint ab hæreſi formali ac propriè dicta, meritò ſubjacent excomunicationi S. Pontifici reſervatæ, à qua præter ipſum nemo poſſit abſolvere, niſi qui expreſſam ab eo habent facultatem ac privilegium; & de his intelligendam eſſe Bullam Cœnæ, ac propoſitionem ab Alexandro VII. damnatam, aliasque Conſtitutiones Pontificias & declarationes Cardinalium, nullum videtur eſſe dubium, quibus etiam revocata fuiſſe privilegia abſolvendi ab hæreſi cenſendum eſt, ſiquæ tamen hactenus fuerunt univerſaliter conceſſa quoad abſolutionem ſæcularium ab hæreſi, de quo meritò dubitatur: id certé non videatur evincere ſuprarelata privilegia, utpote de quibus non ſatis conſtat, utrum loquantur de abſolutione hæreſis reſpectu ſæcularium, an Religioſorum tantùm, & licèt etiam de illis loquerentur, eisdem tamen opponi poſſet declaratio S. Congregationis de propaganda fide coram Urbano VIII. Anno 1625. 13. Junii facta in hæc verba: *Regulares nullo modo poſſunt in vim privilegiorum ſuorum, etiam in vim communicationis competentium ab hareſi abſolvere*, ùt eſt apud Nicol. *in Floſc. V. Caſus reſerv. n. 16.* & quidem quod ad illud Clementis VIII. Carmelitis Añò 1604. datum, & ab eodem ad Germaniam, Galliam, Poloniam &c. ùt fertur vivæ vocis oraculo extenſum attinet, id fuit principaliter tantùm conceſſum eorum Miſſionariis, quæ proin non licet extendere ad alios ſaltem non Miſſionarios. Unde univerſim hodie tenendum, quòd nemini liceat abſolvere ab hæreſi formali, niſi ſpeciale ad hoc habeat à S. Pontifice privilegium, quale communiter habent Nuntius Apoſtolicus pro ſua Nuntiatura, Epiſcopi pro ſua Diœceſi non quidem vi Tridentini, quam ſentio revocatam tum per Bullam Cœnæ, tum per noviſſimas declarationes Cardinalium à Fagnano & Eminentiſ. Petra relatas, ſed virtute ſpecialis, quam Româ petere ſolent, facultatis ad certos annos vel etiam ad dies vitæ à S. Pontifice conceſſæ, quam etiam diverſorum Ordinum Religioſorum Superiores ac Prælati

tum

tum pro ſe, tum pro ſubditis ſibi Religioſis præſertim inter hæreticos verſantibus impetrare ſtudent de quinquennio ad quinquennium, aut de anno ad annum, claro ſanè indicio, id non tantùm fieri pro majori ſecuritate & ex ſuperabundantia, ùt putat P. Pichler, ſed vel maximè ex diffidentia ſupradictorum privilegiorum, utpote quæ ipſorum etiam plerique cenſent poſt damnatas propoſitiones non ampliùs ſubſiſtere, ac eſſe revocatas.

60 Ex quibus illud quoque ſequitur, quòd Regulares neque poſſint abſolvere ſæculares ſcienter legentes, retinentes, imprimentes, aut defendentes libros hæreticos ſeu ab hæreticis ſcriptos, & de Religione ex inſtituto & data opera tractantes, vel hæreſin continentes; quia & hi ſubjacent excomunicationi in Bulla Cœnæ S. Pontifici reſervatæ: Quamquam quoad libros iſtos in Germania de rigore iſtius Bullæ multùm derogatum eſſe teſtentur DD. Germani, utpote in qua ſine ſcrupulo leguntur & retinentur à viris doctis ac timoratæ conſcientiæ libri Philoſophici, Medici, Juridici, politici & plerique hiſtorici, etſi hæreticos habeant Authores, & hinc inde hæreſin inſpergant non tamen ex inſtituto; hos enim libros hæreticorum vel non comprehendit Bulla Cœnæ, ùt exiſtimat Reiffenſtuel tit. de hæret. n. 51. ſeq. vel ùt probabilius cenſet Layman & alii plerique Germani, conſuetudo communiter recepta in Germania permittit & declarat, Bullam Cœnæ quoad ejusmodi libros inibi non eſſe receptam, nec ubique obſervantiam ejus in toto rigore & quoad pœnas urgeri à S. Pontifice, ſicut nec ab Epiſcopis Germaniæ, tum quòd tantùm hodie non immineat ex iſtis libris perverſionis periculum, tum quòd rationabiliter præſumatur connivere S. Pontificem ad iſtorum librorum lectionem, quam contraria conſuetudo invexit, quæque nimium quantum invaluit, ac tales ſunt circumſtantiæ, in quibus obſervantia rigida urgeretur ſine fructu, ac nonniſi cum gravi animarum detrimento.

Digitized by Google

DISPUTATIO III.

De
Poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium diſpenſandi cum ſæcularibus in irregularitatibus, in votis, juramentis, & impedimentis Matrimonii.

NOn minùs difficilis, plurimisque obnoxia controverſiis eſt præſens Diſputatio, quàm fuerat præcedens illa de poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium abſolvendi ſæculares à caſibus tum Epiſcopis tum S. Pontifici reſervatis: nec minus utilis ea eſt ac penè neceſſaria pro quotidiana praxi Confeſſariis Religioſis, qui gaudent privilegiis SS. Pontificum in ordine ad diſpenſandum cum ſæcularibus, atque ob hoc ipſum accuratiori examine pertractanda, cùm enim identiden, tum in ſacro tribunali, tum aliàs occurrant caſus, quibus ſæculares aut irregularitatibus detenti, aut votis & juramentis adſtricti, aut impedimentis ligati ſibi conſulere non poſſint, & propterea infinitis propemodum ſcrupulis angantur, ac conſcientiæ anxietatibus perturbentur, nec ullibi requiem inveniant, niſi apud illos, qui eos ab his quibus conſtricti ſunt vinculis expedire poſſint: hinc fit ut eorum quoque auxilium opemque requirant unicè, ut ab immani conſcientiæ ſuæ tortura liberentur, contractisque eximantur ligaminibus. Ad hoc verò non mediocri opus eſt prudentia ac dexteritate, ne quis nec ad dexteram declinet nec ad ſiniſtram, ſed regiam mediamque tenens viam ita illis ſubveniat, ut tamen ſua non abutatur poteſtate, ſeque ipſum cum ſuo pœnitente involvat perditionis barathro, quod certè eidem continget, niſi certis ſolidisque imbutus principiis ad ea reſpiciat, & identidem conſideret, quid ſibi liceat, quid hìc & nunc expediat, quid denique ſpectatis omnibus circumſtantiis oporteat facere, nihilque agat ſine ſufficienti cauſa, quæ ad omnem diſpenſationem ſemper requiritur, & ſine qua non modò illicita, ſed etiam invalida eſt omnis diſpenſatio; non enim ad deſtructionem, ſed ad ædificationem conceſſa eſt Regularibus poteſtas diſpenſandi: atque hinc cautè ea utendum. Hunc in finem

præ-

præſentem inſtituimus diſputationem, qua cunctos edoceri cupimus, quid agere liceat; qua in re præ cæteris hic veniunt conſiderandæ irregularitates, quas tum ſæculares tum Clerici incurrere poſſunt, in quibus ſolus Pontifex diſpenſat: & licèt Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. Epiſcopis dederit facultatem diſpenſandi in irregularitatibus, eam tamen reſtrinxit ad eas ſolùm, quæ proveniunt ex delicto, & inter has etiam excepto homicidio voluntario. An verò & in quantum in iis diſpenſare poſſint Canonici aliique Regulares, jam nunc ſtatuendum: unde nobis agendum eſt 1mò. de poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium diſpenſandi cum ſæcularibus in irregularitatibus aliiſque pœnis Eccleſiaſticis. 2dò. de poteſtate commutandi ſæcularium vota. 3tiò. de eorumdem poteſtate diſpenſandi in votis ſæcularium. 4tò. de poteſtate diſpenſandi cum ſæcularibus in juramentis. 5tò. denique de poteſtate diſpenſandi in impedimento petendi debitum, & in aliis matrimonii impedimentis.

Sectio I.

De poteſtate Canonicorum Regularium diſpenſandi cum ſæcularibus in irregularitatibus, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis.

1 Irregularitas, ùt ex alibi dictis conſtat, eſt impedimentum Canonicum primò & per ſe impediens Ordinum ſuſceptionem: 2dariò verò illorum exercitium. Dividitur præcipuè in irregularitatem ex delicto, & ex defectu; irregularitas ex defectu potiſſimùm oritur ex quadruplici capite: primò ex defectu animi, ùt ſunt amentes, infantes, phrenetici &c. & ex defectu corporis, ùt ſunt hermaphroditi, carentes ætate ad Ordines ſuſcipiendos requiſita, & quemcunque habentes defectum, qui congruentem Ordinis uſum impedit, vel notabilem horrorem ſeu deformitatem cauſat. 2dò ex defectu Sacramenti, ùt bigami, vel libertatis, ùt ſervi, niſi libertate donentur. 3tiò. ex defectu perfectæ lenitatis, qui nempe concurrunt ad ſupplicium capitis & mutilationem juſtam, milites occidentes in bello etiam juſto ac offenſivo. 4tò. ex defectu natalium illegitimi non tantùm ſpurii ex coitu damnato, ex adulterio, inceſtu, ſacrilegio nati, ſed etiam naturales ac ex ſimplici fornicatione progeniti; quæ tamen ultima ſpecies etiam ad irregularitatem ex delicto reduci poteſt, cùm

propriè oriatur ex delicto non quidem prolis, ſed parentum, quod in eam redundat, prout multi hodie defendunt. Irregularitas ex delicto ex ſex fontibus dimanat 1mò. ex abuſu Sacramenti, ob iteratum ſcilicet Baptiſmum ſcienter & ſeriò factum tam ex parte baptizantis quàm ex parte baptizati. 2dò. ex abuſu S. Ordinis aut eum furtivè ſuſcipiendo, aut in eo non ſuſcepto miniſtrando. 3tiò. ex violatione cenſuræ Eccleſiaſticæ, dum quis ſtante illa vel ſuſcipit Ordinem vel in eo miniſtrat. 4tò. ex homicidio & mutilatione caſuali. 5tò. ex voluntaria, ac injuſta mutilatione & interemptione hominis. 6tò. ex hæreſi & apoſtaſia à fide aut quocunque alio crimine infamiam Juris vel facti inducente. Inter haſce porrò irregularitates magna intercedit differentia; nam irregularitates ex defectu tantùm ſtatutæ ſunt omnes propter indecentiam, quam habent cum Ordinum ſuſceptione & illorum exercitio præſertim cum ſacrificio Miſſæ: irregularitates verò ex delicto, etſi etiam & ipſæ latæ ſint propter indecentiam, quæ oritur ex ejuſmodi delictis, imponuntur tamen etiam & principaliter in pœnam & vindicationem delicti commiſſi: atque adeò irregularitas ex delicto in ſenſu proprio dici poteſt pœna Eccleſiaſtica, utpote cùm imponatur propter culpam in ejus vindictam: eſtque hæc pœna omninò extraordinaria, graviſſima ac de ſe perpetua; qua de re videri poteſt Diana part. 1. tr. 11. Reſ. 23. & part. 4. tr. 2. Reſol. 81. Hoc præmiſſo.

Suppono 1mò. Ad incurrendam irregularitatem requiri delictum actu externo conſummatum & perfectum ſecundùm propietatem verborum Canonis irregularitatem inducentis, ſufficit tamen quòd ſit occultum; quia delicta externa utut occulta ſubduntur judicio Eccleſiæ aliquid decernentis ac pœnam ipſo facto imponentis: requiritur tamen ut delictum ſit ex objecto & materia grave, & quidem ita ut ſi ex circumſtantia aliqua excuſetur à peccato mortali, eo ipſo excuſetur delinquens ab irregularitate, ut docet Navarrus *Man. cap. 27. n. 252.* & alii plures; cùm enim irregularitas ex delicto ſit malum graviſſimum: utpote privans Ordinis ſuſceptione & illius uſu in perpetuum & plerumque absque ſpe diſpenſationis, neceſſariò exigit culpam & defectum gravem; aliàs pœna culpæ gravitatem excederet. An verò in dubio aliquis cenſendus ſit irregularis, non conveniunt Authores, probabilius tamen videtur, ſtante poſt diligentem inquiſitionem dubio talem cenſendum haud eſſe irregularem, prout ſumitur ex *cap. is qui 18. de ſent. excom. in 6.* ubi dicitur, *irregularitatem ob nullum factum incurri, niſi id Jure ſit expreſſum*: atqui nullibi eſt in Jure expreſſum, quòd is ſit irregularis aut pro irregulari habendus, 2

qui

qui poſt diligentem inquiſitionem dubitat, an ſit irregularis: ergò non eſt irregularis, neque pro tali habendus: idque procedit non tantùm in dubio Juris, ſed etiam in dubio facti ob hanc ipſam rationem, excepto ſolùm dubio homicidii, quod quidem conſtat fuiſſe commiſſum, dubitatur tamen à quonam ex concurrentibus ad illud, hoc enim ſtante pro irregulari habendus eſt dubitans non quidem abſolutè & quoad privationem beneficiorum aliaſque pœnas irregularibus impoſitas, ſed quoad effectum tantùm abſtinendi à celebratione, & petendi diſpenſationem; ita enim expreſsè ſtatutum eſt *cap. ad audientiam 12.* & *cap. ſignificâſti 18. de homicid.* ubi S. Pontifex hanc dat rationem, quòd in dubio pars tutior ſit eligenda, non tantùm de conſilio, ſed ex obligatione, ùt docent Authores comuniter contra Henriquez. Id tamen extendi non debet ad dubium facti, ubi dubitatur de ipſo corpore delicti v. g. an homicidium ſit revera commiſſum, an fœtus expulſus jam fuerit animatus anima rationali, cùm enim de hoc in Jure nil ſit expreſſum, neque etiam contrahitur irregularitas: ſicut nec contrahitur in dubio mutilationis ob eandem pariter rationem.

3 Suppono 2. Irregularitates ex delicto provenientes non incurri ab eo, qui laborat ignorantia Juris, ſeu qui ignorat delictum, quod commiſit, ſpecialiter eſſe lege Eccleſiaſtica prohibitum, ùt deſumitur ex *cap. fin. de Conſtit. in 6.* ubi S. Pontifex Bonifacius VIII. expreſsè ait: *nolumus ſententiis prolatis ignorantes ligari, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit aut ſupina.* & *ex Can. conſtituiſti 2. diſt. 82.* ubi ignorantes legem Eccleſiaſticam ſub pœna depoſitionis aliquod delictum prohibentem venia digni pronuntiantur; atqui irregularitas ex delicto proveniens eſt pœna aliqua ratione delicti commiſſi per ſententiam impoſita: ergò ea non ligantur ignorantes, ac venia digni, atque adeò ab ea ſunt abſolvendi; etenim pœnalis irregularitas ab Eccleſia ſtatuitur in pœnam & deteſtationem patrati delicti, vel ob præſumptionem graviter peccaminoſam, ac ob inobedientiam ac contumaciam adversùs Eccleſiam, ùt patet ab inductione omnium irregularitatum ex delicto provenientium; ſic enim ſtatuitur irregularitas in iterantes baptiſmum in deteſtationem tanti ſceleris: in furtivè ſuſcipientes Ordinem, aut in eo non ſuſcepto miniſtrantes, ob præſumptionem graviſſimè peccaminoſam: in violantes aliquam cenſuram, ob inobedientiam & contumaciam adversùs Eccleſiam: in committentes delictum aliquod infamiam Juris vel facti inducens, ob abominationem eorum criminum, quæ omnia ſtare non poſſunt cum ignorantia legis Eccleſiaſticæ tam gravem pœnam ſtatuentis, qualis eſt irregularitas. Neque dicas: quòd irregularitas

etiam ex delicto inducta ſit ex decentia ſtatûs Eccleſiaſtici; contrarium enim apertè conſtat ex relatis primùm caſibus, quos ſub pœna irregularitatis prohibendi motivum non tam fuit decentia ſtatûs Eccleſiaſtici, quàm vindicatio horum delictorum, ùt conſideranti patebit. Atque hæc pariter procedunt etiam de eo, qui laborat ignorantia facti, ſive qui ſcit quidem, delictum ſuum eſſe ſpeciali lege prohibitum, ignorat tamen irregularitatem eidem eſſe annexam, adeò ut neque talis cenſendus ſit irregularis, prout poſt Navarrum docent Suarez, Reginaldus, Portel. Coninck. Bonacina, Peregrinus, Sanchez *L. 9. de matr. D. 32. n. 17. & 21.* Diana *part. 4. tr. 2. Reſol. 85.* & *p. 3. tr. 5. R. 67.* Schiara *L. 4. diſſ. 32.* & probabile cenſent Palao *D. 6. punct. 6.* & Dicaſtillo *D. 7. diſp. 7. n. 91.* Ratio eſt; quia cenſuræ Eccleſiaſticæ non incurruntur ab eo, qui neſcit eas delicto ſuo annexas: ergò neque irregularitas ex delicto incurritur ab eo, qui neſcit eam eſſe delicto ſuo annexam. Neque dicas: cenſuras eſſe pœnas medicinales, non item irregularitas; nam etſi hæc non ſit pœna medicinalis, eſt tamen pœna vindicativa in vindictam delicti ſtatuta, & quoad hoc manet paritas, quòd tam illæ, quàm iſta ſint pœnæ graviſſimæ ac extraordinariæ, quæ non incurruntur, niſi delinquens ſciverit, delictum ſub ea pœna eſſe prohibitum, ùt iterum patet ex cit. *cap. fin.* & *Can. 2. diſt. 82.* ubi non tantùm nulla ſit diſtinctio inter pœnam medicinalem ac vindicativam, ſed contrarium potiùs habetur ex cit. *Can. 2.* utpote in quo expreſsè ſermo eſt de pœna vindicativa nempe depoſitionis, quæ de ſe quoque perpetua eſt & extraordinaria, quam tamen ignorantes venia digni pronuntiantur.

Ex quibus denique omnibus ſequitur, quòd cùm in relatis hactenus caſibus ſi non certò ſaltem valdè probabiliter, ùt nemo negabit, non incurratur irregularitas ex delicto, etiam in his nulla opus ſit diſpenſatione, quod pro foro conſcientiæ apprimè notandum eſt, cùm plures ab irregularitatibus hujusmodi excuſari poſſint tum ob imperfectionem actûs, tum ob perſeverans poſt factam diligentem inquiſitionem dubium, tum ob ignorantiam Juris aut facti, ùt ex hactenus dictis ſatis conſtare poteſt; aliud ſentiendum de foro externo, in quo non facilè admittitur ignorantia præſertim Juris, niſi probetur, ſed præſumitur ſcientia. Quæſtio igitur hic ac difficultas præcipuè vertitur circa caſus, in quibus certum eſt aliquem propter delictum quodpiam incurriſſe irregularitatem, an in iſta poſſint Canonici alii ve Regulares cum perſonis ſæcularibus ſive Clericis ſive laicis diſpenſare? Qua in re quidem certum eſt, non poſſe, ſi delictum inducens irregularitatem ſit publicum, aut ad forum contentioſum deductum:

Digitized by Google

ctum: Ratio eſt; quia ſi in hoc liceret diſpenſare, daretur anſa peccandi, & inde oriretur grave ſcandalum, quod evitari vult S. Pontifex etiam quando alicui concedit poteſtatem diſpenſandi. Dicitur autem delictum eſſe publicum, quando eſt notorium, ſeu quando majori parti populi ſive communitatis, in qua ad minùs decem habitant notum eſt, vel confeſſione rei in judicio, aut ſententia Judicis lata, aut evidentia facti, vel fama publica; & hinc occultum, prout hic ſumitur, cenſetur illud, quod non eſt notorium apud omnes, etſi probari poſſit per aliquos teſtes; ſufficit enim non eſſe divulgatum ſeu famoſum, quódque poſſit aliqua tergiverſatione celari, ùt docet Navarrus in Manual. *cap. 27. n. 154.* & alii quamplures, quos refert & ſequitur Barboſa in *Collectan. ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. n. 29.* Unde delictum publicum in uno loco, at occultum in alio loco, in quo non ſit periculum ut publicetur, ſi ad hunc tranſeat, poterit diſpenſari in loco, in quo eſt occultum & petitur abſolutio, ùt tenet Avila *de Cenſ. p. 2. c. 7. D. 1. q. 1. dub. 11. concl. 3.* Sanch. *L. 2. mor. cap. 11. n. 21.* & alii. Delictum ad forum contentioſum deductum dicitur, quando delatum eſt Judici & inſuper delatio parti intimata: unde ſi delatum ſit Judici, non tamen intimatum parti, dici nequit deductum ad forum contentioſum. Imò quia juxta communiorem ſententiam, quam eruditè pertractat Barboſa *part. 2. de poteſt. Epiſc. Alleg. 39. n. 29.* forum contentioſum primùm incipit à conteſtatione litis, diſpenſari poterit irregularitas, uſque dum lis fuerit actu conteſtata. Idipſum fieri poteſt, ſi reus, poſtquam delictum ad forum contentioſum deductum fuit, abſolutus fuerit ex defectu plenæ probationis, aut delinquens ſe purgaverit. Ratio eſt, quia in tali caſu delictum ita ſe habet, acſi ad forum contentioſum nunquam fuiſſet deductum, cùm accuſatus ad ſuum priſtinum quem ante accuſationem habuit ſtatum reducatur. His itaque tum præmiſſis tum ſuppoſitis, & loquendo de irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus ſtatuendum nunc eſt: 1mò. An Canonici aliive Regulares poſſint diſpenſare cum ſæcularibus ſive Clericis ſive laicis in irregularitatibus ex delicto occulto deſcendentibus? 2dò. An etiam in irregularitatibus ex defectu provenientibus? 3tiò. An in aliis quoque pœnis Eccleſiaſticis? Ad quæ

Dico 1mò. *Poſſunt Canonici, aliive Regulares diſpenſare cum ſæcularibus ſive Clericis ſive laicis in omnibus irregularitatibus* 5

ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio voluntario.

Ita Vega *in ſumm. V. abſolutio. caſu 44.* Rodriquez *in Expoſit. Bull. Cruciat. §. 9. n. 13.* Henriquez *L. 7. de indulg. cap. 28. § 5.* Laur. de Peyrinis *ad Conſtit. 1. Julii II. n. 67.* Baſſæus *V. Irregularitas.* Lezana *to. 3. V. Confeſſor Regularis. n. 10.* Pellizarius *to. 2. tr. 8. cap. 3. ſect. 2. n. 90.* Portell. *part. 1. Reſponſ. moral. caſu 3.* Belaſius *V. Irregularitas. n. 12.* Stephan. Bauny *to. 2. tr. 11. quæſt. 58. dicto 4.* Leander à Murcia *in quæſt. regular. cap. 7. regul. 98. n. 62.* Urbanus ab Aſcenſion. *tr. 2. diſt. 1. cap. 1. regul. 13.* Sorbo. *V. abſolutio quoad fratres & ſæculares concl. 2.* Martinus à S. Joſeph. *in compend. facult. confeſſ. V. diſpenſare. n. 3. & 4.* Alviſet. *de privil. Regul. ſect 3. §. 3. n. 2. & ſeq.* Bruno Chaſſaing. *tr. 5. cap. 4. propoſ. 1.* Anton. à Spiritu S. *in Director. Regul tr. 2 Diſp. 3. ſect. 2. n. 65.* Andreas à Matre Dei *to. 2. cap. 7. punct. 4. n. 63.* & *to. 4. tr. 18. cap. 4. punct. 2. §. 12. à n. 137.* Iſo Pfaw. *in ſumm. privil. part. 2. ſect. 3. §. 1.* Herincx *Diſp. 6. de cenſur. quæſt. 7. §. 14. n. 196.* Sannig *to. 3. Theol. Schol. Scot. Diſt. 3. de irregular. quæſt. ult. n. 7.* Ægid. Kybler *in Collect. privil. part. 3. art. 3. §. 1.* Kazenberger *in ſupplem. Theol. Decalog cap. 3. ſect. 4. de irregular. §. 4. n. 170.* & alii plures graves Doctores Regulares ab his relati contra Paſſerinum & alios. Probatur autem concluſio 1mò. ex privilegio Eugenii IV. Canonicis Regularibus Congr. Lateranenſiś Año 1439. 10. Cal Aug. per ſimplicem ſignaturam dato & à pluribus SS. Pontificibus confirmato, quo concedit, *ut Canonici ad audiendum confeſſiones deputati poſſint diſpenſare in omnibus & ſingulis caſibus, prout nempe Ordinarii locorum & Epiſcopi ex ordinaria juriſdictione poſſunt.* Hujuſmodi privilegium idque magis expreſſum dedit etiam Minimis Sixtus IV. in Bulla: *Sedes Apoſtolica. 6. Calend. Junii Anno 1474.* in qua illorum Confeſſariis concedit facultatem *confeſſiones audiendi & ab omnibus excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis abſolvendi, ac ſuper quacunque irregularitate tam à Jure quàm ab homine reſervatis diſpenſandi, votaque quæcunque permutandi & relaxandi, ſicut poteſt Diœceſanus.* Quod Sixti IV. privilegium confirmavit iterum Julius II. in Bulla: *Dum ad ſacrum. 5. Calend. Auguſti Anno 1506.* in hæc verba: *nec non confeſſiones quarumcunque perſonarum tam religioſarum quàm Eccleſiaſticarum & ſæcularium audire, & illis auditis perſonas ipſas, & earum quamlibet juxta formam & tenorem privilegii per præfatum Sixtum Prædeceſſorem Ordini Minimorum hujuſmodi ac illius perſonis & fratribus dudum conceſſi ac confirmati abſolvere valeant &c.* Ex quibus hoc licet argumentum formare: Poſſunt Canonici, Minimi & alii Regulares, qui cum illis communicant in privilegiis, diſpenſare

ſare in omni irregularitate, in qua poſſunt diſpenſare locorum Ordinarii, Epiſcopi & Diœceſani: ſed hi poſſunt diſpenſare in quacunque irregularitate ex delicto occulto proveniente, excepto homicidio voluntario: ergò & Canonici, Minimi, aliive Regulares cum ipſis communicantes in privilegiis id poſſunt. minor conſtat ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. ubi dicitur: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus diſpenſare, excepta ea, qua oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum.*

6. Sed dices: facultatem iſtam diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto Epiſcopis conceſſam eſſe Jure ſpeciali, non autem ordinario: ergò cùm Regularis non poſſit diſpenſare, niſi in iis, quæ ad Epiſcopum Jure ordinario ſpectant, non poterit diſpenſare in irregularitatibus, quæ Jure ſpeciali ei committuntur. ℟. neg. ant. hæc enim facultas conceſſa eſt Epiſcopis quà Epiſcopis & Diœceſanis: ergò Jure ordinario conceſſa fuit. Deinde hæc poteſtas diſpenſandi in irregularitatibus competit Epiſcopis ex primigenia ſua origine ac inſtitutione, cùm eiſdem abſolutè fuerit à Chriſto conceſſa poteſtas ligandi atque ſolvendi: ſolùmque reſervata fuit ac reſtricta à S. Pontifice, poſtea tamen iterum reſtituta à Concilio Tridentino: ergò convenit Epiſcopis Jure ordinario. Neque dicas iterum: privilegium iſtud valere tantùm pro Prælatis, qui facultate illa tantùm uti poſſunt; quoniam cùm abſolutum ſit, immeritò ad Prælatos reſtringitur: nec fieri debet diſtinctio, ubi Jus non diſtinguit, ùt poſt Vegam aſſerit Chaſſaing. Multò minùs obſtat, quod objicit Corduba *in annotat. ad compend. privil. V. abſolutio quoad ſæculares 1. §. 20.* quòd videlicet Minimi non utantur illa facultate, ut ipſe à quodam Provinciali illius Ordinis à ſe hac de re interrogato accepit; id enim temerè dicitur, cùm ſoli Deo id notum ſit. Caterùm ſive utantur ſive non, per non uſum non amittitur privilegium, maximè gratioſum & nemini oneroſum, quale eſt iſtud, ùt tr. 1. probavimus; poſito autem quòd illo Minimi nec utantur, nec jam uti poſſint ratione non uſûs, Regulares tamen alii in eorum privilegiis participantes illo poſſent uti: quia non participant in eorum privilegiis quoad non uſum; nam non uſus privilegium non eſt: ſed participant in Jure illis utendi. Nec refert quòd non conſtet, ullum unquam Regularem hac uſum fuiſſe facultate, atque adeò conſultum non eſſe, ut illa quiſquam utatur, ùt ait Portell. l. c. nam hæc cautela nimis eſt ſcrupuloſa, ùt loquitur Andreas a Matre Dei; non enim uſus hujus privilegii eſt publicus, ſed admodùm ſecretus, utpote ad ſolum Sacramentum Pœnitentiæ reſtrictus, de quo proinde an fuerit vel non fuerit,

Digitized by Google

rit, ſolus Deus judicare poteſt; facultatem fuiſſe conceſſam graviſſimi Doctores ex omni Ordine aſſerunt, & nemo eſt, qui dicat eam revocatam fuiſſe: cur igitur illâ uti non poſſent Regulares?

7 Probatur concluſio 2dò. ex eodem privilegio Eugenii IV. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis *10. Calend. Auguſti Anno 1439.* per ſimplicem ſignaturam indulto, in quo eisdem concedit facultatem *abſolvendi omnes Chriſti fideles ab omnibus & ſingulis peccatis, & à quibuscunque ſuſpenſionum & excommunicationum ſententiis aliisque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quas ab homine vel à Jure latas incurriſſe quomodolibet cenſebuntur, prout Ordinarii locorum & Epiſcopi ex ordinaria jurisdictione poſſunt, & cum eis in omnibus & ſingulis caſibus diſpenſandi.* Ejusmodi privilegium dedit etiam Julius II. Canonicis Regularibus Congregationis Bononienſis in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* in quo concedit, ut *Canonici ad audiendas ſæcularium perſonarum confeſſiones deputati poſſint easdem ab omnibus & ſingulis peccatis & à quibuscunque ſuſpenſionum, excommunicationum & interdicti ſententiis, aliisque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis abſolvere.* Idipſum quoque conceſſit Eugenius IV. Congregationi S. Juſtinæ de Padua, nunc Caſſinenſi, dictæ in Bulla: *Etſi quaslibet. 30. Junii Anno 1436.* data, ut nempe *deputati ad audiendas ſæcularium confeſſiones poſſint easdem à quibuscunque ſuſpenſionum, excommunicationum & interdicti ſententiis, aliisque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis abſolvere, præter eas cenſuras & pœnas, de quibus eſſet meritò ſedes Apoſtolica conſulenda.* His non abſimile privilegium conceſſit Paulus III. Societati JEſu in Bulla: *Cùm inter cunctas 3. Junii Anno 1545.* in quo ejusdem indulget Confeſſariis, *ut poſſint quoscunque fideles ab omnibus peccatis &c. & à quibusvis ex ipſis reſultantibus caſibus, ſententiis, cenſuris ac pœnis Eccleſiaſticis abſolvere.* in quo privilegio plures Authores (nam priora duo hactenus ignorâſſe videntur) hanc quæſtionem tractantes ſeſe unicè fundant: ex quibus proin ſic argumentor: Poſſunt Canonici aliive Regulares juxta relata privilegia abſolvere ab omnibus pœnis Eccleſiaſticis: ſed irregularitates ex delicto deſcendentes ſunt veræ pœnæ Eccleſiaſticæ, ùt ex hactenus dictis ſatis conſtare videtur, & fusè probat Gibalinus *de Irregul. cap. 6. n. 4. & ſeq.* ubi hanc ſententiam defendit poſt plerosque Thomiſtas & Molinam *tr. 3. de Juſt. D. 80.* & alios multos ab eo relatos apud Gobat *in Theol. experim. tr. 8. n. 717.* qui dein *n. 719.* quidem ait, ſe nullam apud Collectores privilegiorum nequidem apud Yſonem Pfaw inveniſſe ſive Bullam ſive vivæ vocis oraculum, cujus virtute valeant Religioſorum Prælati diſpenſare cum aliis quàm cum Regularibus ſuis ſubditis: verùm in hoc plurimùm falſus eſt vir optimus,

mus, nec videtur inſpexiſſe prædictum Pfaw, utpote qui §. 1. ſupra cit. per totum noſtram defendit ſententiam adducta etiam Sixti IV. Bulla Minimis, alioque privilegio Hieronymitis conceſſo, quibus conceditur poteſtas cum ſæcularibus in irregularitate diſpenſandi, ex quo proin Authore n. 1. litt. C. potuiſſet ſuum, quem vocat multiplicis reflexionis caſum, facillimè reſolvere.

8 Sed dices: Relata num. præced. privilegia uti verbo *abſolvere*, quod non convenit irregularitatibus, utpote quæ non dicuntur abſolvi ſed diſpenſari: atque adeò per hoc quòd SS Pontifices concedant facultatem abſolvendi à pœnis Eccleſiaſticis, non concedunt per hoc facultatem diſpenſandi in irregularitatibus. ℞. enim cum Suarez *to. 4. de Rel. tr. 8. L. 21. cap. 21. n. 16.* in ejusmodi privilegiis verbum *abſolvere* ſumi latius pro verbo *abolere, tollere &c.* quia ſicut ſub poteſtate ligandi & ſolvendi includitur etiam poteſtas diſpenſandi, ita verbum *abſolvere* interdum accipi poteſt in illa generali ſignificatione, quæ includit etiam diſpenſationem: & licèt juxta communem uſum ac proprium Canonem non ſoleat accipi pro *diſpenſare*, id tamen ita ſumendum erit, quando adjuncta verba ad hoc nos cogunt, ſicuti hìc videntur cogere, ubi propter conjunctionem illarum duarum vocum abſolutio à pœnis oportet alterutram illarum impropriè & extenſivè ſumere, quo utique caſu ea ſignificatio eſt amplectenda, in qua minor reperitur improprietas: minor autem eſt improprietas extendere verbum abſolvere ad diſpenſationem, quàm accipere pœnam pro culpa, prout aliqui haud ſatis probabiliter faciunt, quatenus eſt cauſa pœnæ ad eam ſequentis, præſertim cùm privilegia & favores potiùs ſint ampliandi quàm reſtringendi, quod fiet, ſi verbum *abſolvere* cum nulla vel ſaltem minori improprietate ſumatur pro *diſpenſare*; atque hoc ipſum ſolvendum eſt omnibus in caſu, quo in Bullis Pontificiis conceditur, ùt ſanè perſæpè fit, poteſtas abſolvendi ab irregularitate, in quo idem quod nobis dicendum erit ac reſpondendum. Deinde poteſtas abſolvendi à pœnis Eccleſiaſticis debet aliquid operari: ſed nihil operaretur, niſi eſſet intelligenda de diſpenſatione, ſed tantùm de abſolutione culparum, quæ pœnam producunt aut ſaltem producere poſſunt. Et certè quòd per has ipſas particulas abſolvere *à pœnis Eccleſiaſticis* intelligant SS. Pontifices diſpenſationem ab irregularitate colligitur ex eo, quòd in Bullis Jubilæi, ac indulgentiarum, quæ poſt Pium V. fuerunt expeditæ, ac emanatæ, reperiuntur à Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. Innocentio X. & aliis ſubſequentibus Pontificibus, omiſſa fuerit ea clauſula *& à pœnis*, ne ſcilicet Confeſſarii vi harum particularum diſpenſarent in ir-

Digitized by Google

irregularitate, quam diſpenſandi facultatem nolebant concedere: ergo ſignum ſat clarum eſt, quòd per eas particulas *abſolvere à pœnis Eccleſiaſticis* intelligant SS Pontifices diſpenſationem ab irregularitate.

9 Dixi autem in concluſione: *excepto homicidio voluntario*; id enim ſpecialiter excipit Tridentinum, ita ut nec Epiſcopis concedat facultatem diſpenſandi in irregularitate contracta ex homicidio voluntario etiam occulto: & univerſim in omnibus privilegiis diſpenſandi in irregularitate communiter excipitur illa, quæ provenit ex homicidio voluntario; unde cùm tantùm conceſſum ſit Regularibus diſpenſare cum ſæcularibus in irregularitate ſicut poteſt Epiſcopus, & hic non poſſit diſpenſare in irregularitate ex homicidio voluntario contracta, neque poterunt in hac diſpenſare Regulares: & licèt his ſine exceptione foret conceſſa facultas diſpenſandi in omni irregularitate, non tamen cenſeretur eſſe conceſſa facultas diſpenſandi in irregularitate ex homicidio voluntario, tum quia hæc eſt ſpeciali mentione digna, tum quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veroſimiliter non eſſet conceſſurus in ſpecie: ſed veroſimiliter S. Pontifex non eſſet conceſſurus in ſpecie facultatem diſpenſandi in irregularitate ex homicidio voluntario contracta, hoc ipſo quòd eam communiter excipiat: ergo non cenſetur eſſe conceſſa, nec venit ſub generali conceſſione diſpenſandi in irregularitate; & ratio ulterior eſt, quia homicidium voluntarium maximè alienum eſt à lenitate ac manſuetudine Chriſti, quam ejus Miniſter incruentum Miſſæ ſacrificium oblaturus repræſentare debet, ne manibus humano ſanguine pollutis aut etiamnum cruentis immaculatum Dei Agnum ſacrificet. Idque vel maximè procedit in homicidio voluntario injuſto ac directè intento, de hoc enim loquitur Tridentinum, & intelligunt Authores ſi non omnes ſaltem plerique, & ratio eſt, quia irregularitas hæc non tantùm inducta eſt propter maximam, quam habet, indecentiam cum incruento Miſſæ ſacrificio & cum Ordinibus ad iſtud ordinatis, ſed etiam & vel maximè in pœnam tam gravis delicti ac ſummè abominandi: unde ad abſterrendos ab eo homines meritò præter alias pœnas ſtatuta quoque fuit irregularitas à nemine diſpenſabili, niſi à S. Pontifice. Cæterùm cùm exceptio hæc à Tridentino facta ſit perquam odioſa, ſtrictè interpretanda eſt, nec ultra proprium verborum tenorem ad caſus non expreſſos extendenda etiam ob rationis paritatem.

Atque hinc non obſtante hac exceptione diſpenſare poſſunt Regulares cum ſæcularibus in homicidio caſuali quocunque occulto, quantumvis illud ex opere illicito ſecutum ſit, & in eo præcavendo debita diligentia omiſſa, ut ſi quis mu- 10

lierem

lierem prægnantem incautè percutiat, & ſic abortui det cauſam: vel Clericus exercens Chirurgiam, ſi ex negligentia aut imperitia aliquem interficiat: ſi mandaverit quidem alterum citra mortem percuti, & mandatarius omninò occidat; ratio eſt, quia hujuſmodi actus ſub ratione homicidii non ſunt voluntarii, nec Tridentinum hujuſmodi homicidium caſuale excipit; ſic etiam diſpenſare poſſunt Regulares in caſu, quo in defenſione ſui invaſus ab injuſto aggreſſore non obſervavit moderamen inculpatæ tutelæ; tum quia in irregularitate exinde orta pro conſcientiæ foro diſpenſare poſſunt Epiſcopi, ùt cum Navarro *Man. cap. 27. n. 239.* docent Authores communiter, tum quia Tridentinum ſolum excipit homicidium directè & ſimpliciter voluntarium & illicitum: ſed homicidium defenſionis cauſâ factum ſed cum exceſſu inculpatæ tutelæ eſt quidem illicitum ratione hujus exceſsûs, non tamen eſt ſimpliciter voluntarium, quia non ſponte ſed coactè fit ob neceſſariam ſui defenſionem, in qua ſolùm quoad modum peccatur. Id quod Navarrus *cap. 27. n. 240. & L. 5. Conſil. 27. de homicid.* Avila *p. 7. D. 6. S. 5. dub. 5. concl. 3.* Antonell. *de Regim. Eccl. Epiſc. L. 2. cap. 8. n. 12.* & alii plures extendunt etiam ad homicidium, quod non ex propoſito & directè, ſed indirectè ſolùm & in cauſa intentum eſt, ut ſi quis in rixa ſubitò contingente irâ ſuccenſus occidat Authorem rixæ, ne ab illo occideretur; & conſequenter licebit Regularibus in hujuſmodi homicidio caſuali mixtò & occulto diſpenſare; quemadmodum iidem etiam diſpenſare poſſunt in irregularitate ex mutilatione voluntaria & occulta, ùt communiſſimè docent Authores cum Navarro cit. *cap. 27. n. 240.* qui & ita deciſum aſſerunt à S. Congregatione. Ratio eſt, quia Tridentinum tantùm excipit irregularitatem ortam ex homicidio voluntario: cùm ergo exceptio firmet Regulam in caſibus non exceptis, hinc in irregularitate orta ex mutilatione licebit diſpenſare, præſertim cùm iſta ſit delictum multò levius homicidio. Neque dicas: homicidium & mutilationem quoad irregularitatem æquiparari; nam etſi æquiparentur quoad irregularitatem contrahendam, non tamen quoad illius diſpenſationem & gravitatem culpæ.

Multò verò magis licebit Regularibus vi ſtatutæ concluſionis diſpenſare cum ſæcularibus in irregularitate ob reiterationem Baptiſmi tam ex parte ſcienter rebaptizantis quàm rebaptizati contracta. 2dò. cum iis, qui SS. Ordines furtivè ſuſpiciunt ſine approbatione & examine Epiſcopi: qui eodem die plures Ordines, quorum unus ſacer eſt, ſine diſpenſatione Epiſcopi ſuſcipit: qui uſurpant S. Ordinem quem non habent, in eo ſcienter & ſolemniter miniſtrando. 3tio. cum iis quoque, qui ob violationem cenſurarum contraxerunt irregularitatem, qui in 11

majori

majori excommunicatione conſtituti, qui ſuſpenſi, qui interdicti perſonaliter, vel in loco interdicto actum majoris Ordinis cum ſolemnitate exercent, vel qui Ordini majori aut ex Jure divino, Eccleſiaſtico, vel conſuetudine Eccleſiæ eſt annexus; quorum omnium ratio eſt, quia cum his in irregularitatibus ejusmodi contractis diſpenſare poſſunt Epiſcopi: tum quia irregularitates iſtæ ſunt propriè pœnæ Eccleſiaſticæ ſi non unicè, ſaltem principaliter in pœnam horum delictorum ſtatutæ, à quibus Regulares poſſunt abſolvere virtute privilegiorum ſupra relatorum. 4tò. poſſunt etiam Regulares diſpenſare in irregularitate proveniente ex hæreſi apoſtaſia, aliisve caſibus Bullæ Cœnæ, aut ex alio quocunque nefario crimine, ſi hæc delicta ſint occulta nec ad forum contentioſum deducta; quia irregularitas hæc, quæ ex ejusmodi delictis provenit, ſtatuitur unicè in odium, vindictam, ac pœnam tantorum ſcelerum, atque adeò eſt veriſſima pœna Eccleſiaſtica: ſed à pœnis Eccleſiaſticis abſolvere poſſunt & diſpenſare Regulares, ùt conſtat ex dictis: ergo etiam poſſunt abſolvere ac diſpenſare in irregularitate hujusmodi delictis contracta. Nec refert, quòd Regulares non poſſint abſolvere ab hæreſi, apoſtaſia, aliisve caſibus BullæCœnæ: unde nec diſpenſare poterunt in irregularitate exinde contracta. Nam Bulla Cœnæ tantùm revocat facultatem abſolvendi à prædictis caſibus, non autem facultatem diſpenſandi in irregularitate, ſi quæ ejusmodi criminibus eſt ſuperaddita: cùm ergo ſint res diſtinctæ & independentes & minor cenſeatur irregularitatis diſpenſatio, quàm abſolutio à dictis caſibus Bullæ Cœnæ propter rigoroſam eorumdem reſervationem, non eſt facienda deductio ex una ad alteram, præſertim cùm una ſine altera benè poſſit conſiſtere; quod multò magis procedit in ſententia, quam tenet communior DD. cum Navarro *in Man. capi 27. n. 248.* quòd nempe nullum etiam hæreſis aut apoſtaſiæ vel aliud quodcunque nefarium crimen inducat actu infamiam, niſi ſit notorium notorietate Juris vel facti: atqui hæreſis, apoſtaſia aliaque etiam nefaria crimina ſunt & ſupponuntur eſſe occulta nec nótoria notorietate Juris vel facti: ergo licebit Regularibus cum ſæcularibus diſpenſare in irregularitate proveniente ex ejusmodi infamia ſive Juris ſive facti non notoria ſed occulta.

Dico 2dò. *Non poſſunt tamen Canonici aliive Regulares diſpenſare cum ſæcularibus in irregularitatibus ex defectu animi, corporis aut Sacramenti provenientibus.* 12

Ratio eſt: quia Canonici aliive Regulares non poſſunt diſpenſare cum

ſæcula-

ſæcularibus in irregularitatibus, niſi quatenus ſunt pœnæ quædam Eccleſiaſticæ certis delictis impoſitæ, & in quibus diſpenſare poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis: ſed Epiſcopi non poſſunt vi Tridentini cum ſuis ſubditis diſpenſare in hiſce irregularitatibus: & irregularitates iſtæ ex defectu ejusmodi provenientes non ſunt pœnæ quædam Eccleſiaſticæ ſicut irregularitates ex delicto deſcendentes, ſed meræ inhabilitates aliquem reddentes incapacem ad ſuſcipiendos Ordines etiam absque omni ſua culpa: ergò Canonici aliive Regulares non poſſunt diſpenſare in irregularitatibus ex defectu animi, corporis aut Sacramenti provenientibus. Atque hinc non poſſunt diſpenſare ob defectum animi cum amentibus, infantibus, phreneticis, illiteratis &c. nec ob defectum corporis cum hermaphroditis, caſtratis, carentibus requiſita ætate ad Ordines recipiendos, aut habentibus quemcunque alium defectum, qui congruentem Ordinis uſum impedit, & notabilem horrorem & deformitatem cauſat; neque diſpenſare poſſunt ob defectum Sacramenti cum bigamis non tantum veris, qui nempe matrimonium cum duabus ſucceſſivè non tantùm validè ſed etiam licitè contraxit & conſumavit utrumque; ſed neque cum interpretativis, qui fictione & interpretatione Juris pro bigamis habentur, quales ſunt, qui duo matrimonia contrahunt unum validum, aliud invalidum aut utrumque invalidum: qui viduam aut ab alio corruptam ducunt uxorem & conſummant matrimonium: qui cum uxore propria per adulterium corrupta copulam habent; & ratio horum omnium eſt; quia cum his neque Epiſcopi diſpenſare poſſunt, nec iſtæ irregularitates ſunt pœnæ Eccleſiaſticæ ſed meræ inhabilitates ad Ordines ſuſcipiendos, in quibus nullum datur privilegium diſpenſandi cum ſæcularibus. Aliud dicendum videtur in bigamia ſimilitudinaria, quæ cùm præciſè ſtatuta ſit in pœnam delicti, quo Clericus poſt ſuſceptum S. aliquem Ordinem cum unica etiam virgine matrimonium defacto contrahit & conſummat, in qua irregularitate cùm juxta pleroſque DD. diſpenſare poſſint Epiſcopi tum ut Diaconatum vel Presbyteratum ſuſcipere, tum ut in ſuſceptis miniſtrare valeat, poterunt in ea quoque diſpenſare Regulares, præſertim ſi ea ligatus poſt peractam pœnitentiam laudabilem vitam duxerit & cæteroquin delictum ſit adhuc occultum.

An verò etiam liceat diſpenſare in irregularitatibus ex defectu lenitatis provenientibus major eſt difficultas; in qua ſententiam affirmativam defendunt acriter permulti Authores, ex quibus octodecim jam ſuo tempore retulit Pasqualigo, quos ad hæc uſque tempora ſecuti ſunt quamplures alii, & quidem ex ratione, quia Tridentinum dat Epiſcopis facultatem diſpenſandi inomni 13

ni irregularitate præter eam quæ ex homicidio voluntario injuſto provenit: ſed irregularitas ex defectu lenitatis non provenit ex homicidio voluntario injuſto, ùt per ſe patet: ergo Tridentinum dat Epiſcopis facultatem in illa diſpenſandi. Verùm nemo non videt, majorem eſſe falſam, quisquis vel obiter legit Tridentini textum; non enim Concilium concedit facultatem diſpenſandi in omni irregularitate ſimpliciter, ſed cum reſtrictione & in ea tantùm, quæ provenit ex delicto occulto, qualis certè non eſt irregularitas ex defectu lenitatis. Unde Tridentino longè conformior eſt ſententia, quæ negat, quòd Epiſcopi, atque adeo etiam Regulares, poſſint diſpenſare in hac irregularitate, ùt poſt Navarrum *Man. cap. 27. n. 144.* quoque docet communior atque ipſe etiam Paſqualigo *Quæſt. mor. centur. 3. Q. 226.* eamque noviſſimè tuetur Eminentiſſ. Petra *to. 2. ad Conſtit. un. Gregorii VIII. ſect. 1.* quam & firmat Cardinalium declarationibus; & ratio deſumitur ex terminis Tridentini, quod ſolum concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, excepto homicidio voluntario: atqui irregularitas ex defectu lenitatis in homicidio juſto, nullo modo eſt ex delicto: ergo Tridentinum non concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitate ex defectu lenitatis in homicidio juſto; atque hinc nullo etiam modo poſſunt in ea diſpenſare Regulares cum ſæcularibus & quidem non ex eo titulo, quòd Epiſcopi poſſint; cùm id eis nec à Tridentino nec alio Jure ſit conceſſum, ùt ex hactenus patet: neque etiam ex eo titulo, quia poſſunt abſolvere, & diſpenſare in pœnis Eccleſiaſticis; cùm irregularitas ex defectu lenitatis ſub nulla conſideratione ſit pœna aliqua, ſed mera inhabilitas. Aliud eſſet, ſi vel Epiſcopi vel Regulares haberent privilegium diſpenſandi cum ſæcularibus in omni irregularitate excepto homicidio voluntario, quale Prælati noſtri habent reſpectu Canonicorum ſibi ſubditorum, tunc enim verò nullum mihi videtur dubium, quin etiam poſſent diſpenſare in iſta irregularitate proveniente ex defectu lenitatis; cùm per homicidium voluntarium juxta communem AA. intelligatur injuſtum, ſub quo non comprehenditur homicidium juſtum ac tale, quod committitur vel à milite in bello juſto offenſivo, vel à judice & ejus Miniſtris in judicio, ùt jam alibi dixi.

Quod verò ad irregularitatem ex 14
defectu natalium provenientem attinet, certum eſt, quod in illa diſpenſare poſſint Epiſcopi ad Ordines minores & beneficia ſimplicia vi *cap. 1. de Fil. Presbyt. in 6.* An verò etiam ad Ordines majores, & ad beneficia Curata atque dignitates, ſi defectus natalium ſit occultus, graviter hodie controvertunt DD. Negat quidem communior, ſed probabilior mihi videtur ſententia affirma-

Digitized by Google

firmativa, quam etiam defendunt Avila, Barboſa, Diana *p. 3. tr. 1. Miſcellan. Reſ. 21.* Fr. Schmier *de poteſt. Ordin. cap. 6. n. 86. 196. 470.* Pichler. *ad tit. de Fil. Presb.* aliique ab his citati. Ratio eſt, quia irregularitas ex defectu natalium provenit ex delicto occulto, ùt ponitur: ſed Epiſcopi per Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.* habent poteſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, præterquam ex homicidio voluntario, & iis quæ deducta ſunt ad forum contentioſum: ergo poſſunt diſpenſare in irregularitate ex defectu natalium proveniente. Neque dicas cum Suarez & aliis ab Eminentiſſ. Petra *to. 4. f. 179. n. 42. edit. Venet.* citatis irregularitas ex delicto occulto illa tantùm cenſetur, quæ provenit ex delicto proprio, & non ex alieno ſcilicet parentum, qualis in caſu noſtro eſt irregularitas ex defectu natalium: id enim omninò gratis dicitur; cúmque Tridentinum non diſtinguat, neque reſtringat ad delictum proprium, non eſt cur nos diſtinguamus aut reſtringamus ad delictum tantùm proprium, undè cùm loquatur univerſaliter, rectè extenditur ad delictum etiam alienum, præſertim cùm ſit beneficium Principis, & mera gratia in nullius præjudicium cedens, quod eſt largiſſimæ interpretationis *ex cap. 16. de V. S. & cap. 22. de privileg.* & ſanè ſi non extenderetur ad irregularitatem ex delicto occulto etiam alieno provenientem, melioris conditionis forent irregulares ex delicto proprio, quàm irregulares ex delicto alieno. Quid? quòd ſub nomine delicti in lata acceptione etiam venire poſſit defectus ex aliquo tamen delicto ortus: ergo ſi defectus natalium ſit occultus ſeu non notorius, cenſendum eſt, Tridentinum conceſſiſſe facultatem Epiſcopis diſpenſandi in irregularitate ex defectu natalium orta ad Ordines etiam majores ſuſcipiendos. Quod ſi Epiſcopi ita diſpenſare poſſunt, poterunt & in iſta irregularitate diſpenſare Regulares, tum quia poſſunt vi privilegii ab Eugenio IV. & à Sixto IV. conceſſi ac ſupra relati diſpenſare in quacunque irregularitate ſicuti Epiſcopi ex ordinaria poteſtate ac juriſdictione: tum quia talis irregularitas eſt pœna quædam Eccleſiaſtica in vindictam delicti à parentibus perpetrati, à qua poſſunt Regulares per privilegia ab Eugenio IV. & Julio II. Canonicis Regularibus, & à Paulo III. Jeſuitis conceſſa abſolvere, & in ea diſpenſare juxta hactenus dicta. (*Adde*; hanc irregularitatem primariò introductam non eſſe in pœnam, ſed ob indecentiam, ut tales ſint in Clero, quibus à populo exprobrari poteſt defectus natalium & delictum parentis; hinc, quia plerumque eſt aliquod periculum, ne tandem vel ſerò innoteſcat, in hac irregularitate non eſt facile diſpenſandum intra eandem provinciam.)

Digitized by Google

Dico denique 3tio. *Poſſunt quoque Canonici aliive Regulares diſpenſare cum ſæcularibus ſuper pœnis Eccleſiaſticis ex delicto occulto provenientibus, & ad forum contentioſum non deductis.*

Ita Chaſſaing *de privil. Regul. tr. 5. cap. 4. propoſ. 2.* Antonius à Spiritu S. *in*
15 *Direct. Reg. p. 1. tr. 2. D. 3. S. 2. §. 1. n. 76. & ſeq.* Sporer *Theolog. Sacram. p. 3. tr. 6. S. 2. n. 742.* Kazenberger *in ſupplem. de irregul. cap. 3. S. 4. n. 176.* & alii. Idque deſumitur ex privilegio Eugenii IV. quo concedit Canonicis Regularibus poteſtatem abſolvendi ſæculares ab pœnis Eccleſiaſticis prout Epiſcopi ex ordinaria juriſdictione poſſunt, quas à Jure vel ab homine latas incurriſſe quomodolibet cenſebuntur: idem iiſdem conceſſit Julius II. in B. *inter Cæteros. Anno 1512.* & Paulus III. Jeſuitis in B. *inter Cunctas Anno 1545. 3. Junii* edita: dat facultatem à quibusvis ex ipſis caſibus & delictis reſultantibus ſententiis ac pœnis Eccleſiaſticis abſolvendi; hujusmodi verò pœnæ Eccleſiaſticæ ſunt privationes officiorum, dignitatum, graduum, vocis activæ & paſſivæ, actuum legitimorum &c. ùt vult Sporer, quæ quandoque in Bullis Pontificiis contra Eccleſiaſticos ferri ſolent: & univerſim omnes illæ pœnæ, quæ oriuntur ex caſibus & cenſuris, à quibus per dictas SS. Pontificum Bullas licet abſolvere. Forma porro in prædictis pœnis diſpenſandi hæc eſſe poterit: ego diſpenſo tecum in pœna Eccleſiaſtica v. g. inhabilitatis &c. quam incurriſti propter hanc vel illam cauſam in nomine Patris & Filii & Spiritus S. &c.

Etſi verò, quæ toto hoc §. præ- 16
ſertim circa diſpenſationem irregularitatis fuêre dicta, magnam habeant probabilitatem tum extrinſecam ab authoritate DD. tum intrinſecam à ratione præcipuè in privilegiis Pontificiis fundata, quia tamen res eſt maximi momenti & plurimis ſcrupulis obnoxia, hinc magna quoque circumſpectione ac prudentia utendum, nec facilè à quoquam arripiendam hanc poteſtatem in ejusmodi irregularitatibus diſpenſandi, niſi conſideratis intimè omnibus circumſtantiis delicti, ſtatûs, conditionis ac perſonæ, nunquamque in actum deducendam, niſi vel charitatis vel ſpiritualis utilitatis urgente neceſſitate: unde neque permittendum à Prælatis, ut ſubditi ſibi Religioſi promiſcuè hac facultate utantur, niſi ſint admodùm docti, in rebus moralibus apprimè verſati, ac Jurium Canonicorum experti, ne innumera exinde oriantur incommoda, & graves exurgant lites, ſiquidem Epiſcopi talem diſpenſationem haud tenentur admittere pro foro externo; unde & ſolertiſſimus Diana *to. 11. tr.*

Digitized by Google

4. Reſ. 3. diſſuadet uſum hujus privilegii non quidem totalem ùt ego arbitror, ſed promiſcuum & talem, qui fit ſine gravi cauſa, & nulla urgente neceſſitate. Cavendum præterea Confeſſariis hujusmodi Regularibus ſæpè nimiùm incautis, nec ſatis doctis, ne diſpenſatio ejusmodi cedat in præjudicium tertii, quia privilegium in ſimili caſu non ſuffragatur, ſiquidem nullus Pontificum per gratiam alicui conceſſam intendit nocere tertio, aut ejusdem Juri præjudicare, quemadmodum id etiam declarâſſe Gregorium XIII. tradit Portel *V. Diſpenſatio n. 18.* (*Adde*; Confeſſarium peccaturum mortaliter, ſi ejusmodi lurcones abſolvat ab inhabilitatibus præfatis ſi prævidere prudenter poteſt graviſſimos abuſus ex reſtitutione dignitatis, officii vocis activæ vel paſſivæ &c. Hinc patet, quàm neceſſarium ſit, ut uſus talium privilegiorum non cenſeatur indultus ſingulis Religioſis, niſi dependenter à commiſſione Superiorum, quibus incumbit, eundem privilegiorum uſum delegare viris doctis, & probis.)

Sectio II.

De poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium commutandi vota ſæcularium.

17 PRiusquam ad principale punctum propoſitæ ſectionis reſpondeamus, multa hìc nobis pro meliori dicendorum intelligentia ſupponenda ſunt ac præmittenda; & inprimis ſciendum, quòd commutare, ùt ipſa vox ſonat, idem ſit, ac rem unam pro altera permutare: ut ſi quis imaginem pro libro permutaret, unum pro alio diceretur commutare. Unde commutatio in votis eſt ſubrogatio ſeu ſubſtitutio alicujus operis pii loco illius, quod Deo per votum fuerat promiſſum eodem permanente vinculo voti, ſicque unum quaſi pro alio permutatur; conſonat D. Thomas *2. 2. q. 88. art. 10.* ubi hanc commutationem deſcribens ait: *ſi autem pro hoc, quod obſervandum erat, aliquod aliud imponatur, dicitur commutatio voti*; ſicut autem una materia in commutatione voti ſubſtituitur pro alia, ita & obligatio tranſit ab una materia ad alteram, ejusq; ſolutio eſt actus Religionis, quo Deo ſolvitur id, quod fuerat promiſſum; res enim ſubrogata virtute ſubrogationis tranſit æquivalenter in rem promiſſam, & ſicut ejus executione completur votum, ita culpabilis ejus omiſſio ſacrilegium eſt contra virtutem Religionis, quæ dictat reddere Deo vota ſua: ex quibus patet, mag-

nam eſſe differentiam inter commutationem, diſpenſationem & irritationem votorum: nam per irritationem extinquitur omninò obligatio voti ratione poteſtatis dominativæ ad arbitrium Superioris etiam nulla exiſtente cauſa; per diſpenſationem verò extinquitur quidem etiam obligatio voti ſaltem ſi ſit totalis, ſed per poteſtatem ſpiritualem legitima exiſtente cauſa; per commutationem denique transfertur ſolummodò obligatio voti ab una materia ad aliam, ut ſi votum jejunandi die Sabbathi commutetur in obligationem recitandi officium B. V. M. commutatio porrò voti eſt actus jurisdictionis ſpiritualis non minùs quàm diſpenſatio: atque hinc illi omnes qui poſſunt in votis Jure ordinario diſpenſare ob jurisdictionem Eccleſiaſticam, quam habent, poſſunt etiam commutare vota poteſtate ordinaria: & viciſſim, qui habent poteſtatem commutandi vota Jure ordinario, habent etiam poteſtatem diſpenſandi ex eodem Jure, cùm utraque facultas hæc maximè conducat, ac etiam quandoque ſit neceſſaria ad bonum regimen Eccleſiæ, eò quòd multoties non adſit cauſa ſufficiens ad diſpenſandum integrè & abſolutè, & ſic oportuit, ut cum tali facultate diſpenſandi conjungeretur poteſtas commutandi vota, ut ſic aliquod onus imponendo, quod deficit de ſufficienti cauſa, ſuppleatur: & viciſſim ſæpè commutari non poteſt votum in aliquod moraliter æquale, ſed tantùm in aliquid minus, & hoc ipſo admiſcenda eſt neceſſariò aliqua diſpenſatio, vi cujus poſſit in minus commutari: & conſequenter utraque hæc poteſtas requiritur in illo, qui ordinariam habet jurisdictionem Eccleſiaſticam. Ex hoc autem, quòd alicui ſit conceſſa poteſtas delegata commutandi vota per privilegium aut Jubilæum, non cenſetur eſſe conceſſa poteſtas etiam diſpenſandi; per hoc enim, quòd Superior concedat facultatem ad minus, non ſequitur, quod etiam concedat facultatem ad id quòd eſt majus; econtra cui per privilegium aut Bullam conceſſa eſt poteſtas delegata diſpenſandi, conceſſa quoq; cenſetur poteſtas commutandi vota; cui enim licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus ex *Reg. Jur. 53. in 6.* quando plus & minus ſunt in eodem ordine & linea, prout ſit in diſpenſatione voti, qua illius obligatio totaliter aufertur, & in commutatione voti, qua illius obligatio ſolùm transfertur ad aliam materiam; ex quo ſequitur, quòd illi qui in Jubilæo aut ex privilegio obtinent facultatem commutandi vota, non perinde habeant poteſtatem in iis diſpenſandi. Quibus prænotatis

Suppono 1. poſſe quemlibet propria authoritate commutare votum ſuum in rem evidenter meliorem non tantùm, quando hæc materiam Deo promiſſam in ſe præcontinet ſicut univerſale præcontinet particularia, ut ſi voviſſes 100. argen- 18

genteos dare, & ipſorum loco 100. dares aureos, quemadmodùm in hoc omnes conſentiunt: ſed etiam quando res evidenter melior non præcontinet materiam voti, & ad illam ſe habet diſparatè, ut ſi promiſiſſes Roſarium dicere, & illius loco minorem curſum B. V. ſubrogares, exceptis ſaltem votis Papæ reſervatis, ùt tenet Navarrus *Man. cap. 12. n. 7.* Suarez *L. 6. de voto. cap. 18. àn. 4.* Sanchez *L. 4. mor. cap. 49. n. 4.* referens pro hac ſententia 36. Authores. Azorius *part. 1. L. 11. cap. 18. q. 1.* Valent. *2. 2. Diſp. 6. quaſt. 6. punct. 7.* Layman. *L. 4. tr. 4. cap. 8. n. 19.* Candidus *Diſquiſ. 25. art. 1. dub. 5. concl. 8.* Palao *tr. 15. Diſp. 2. punct. 14. n. 2.* Andreas à Matre Dei *to. 4. tr. 17. cap. 3. punct. 14. n. 132.* Pirrhing *ad tit. 34. de Voto &c. n. 24.* Zœſius *ibidem n. 73.* Rotarius *to. 2. L. 1. de Vot. cap. 5. punct. 6.* Wieſtner *de Vot. n. 60.* & hoc teſte communiſſima DD. ſententia; & colligitur ex *cap. Scriptura. 4. de Voto.* ubi Alexander III. ait: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium noſcitur in perpetuam Religionis obſervantiam commutare* & ex *cap. pervenit 3. de jurejurand.* ubi dicitur: *promiſſum non infringere, qui in melius illud commutat.* nam hoc ipſo, quod opus ſubſtitutum omnibus conſideratis ſit melius, quàm id quod eſt promiſſum, à Deo, cui ob ſummam rectitudinem voluntatis neceſſariò magis placent quæ ſunt meliora, ſubſtitutum opus loco ejus, quod voto promiſſum eſt, acceptatur; ut adeò omni voto intelligatur ineſſe conditio: niſi rem meliorem elegero, vel ſubſtituero. Neque dicas: commutatio voti eſt actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ut nos ipſi ſuprà diximus: ergò fieri non poteſt niſi à Superiore habente juriſdictionem Eccleſiaſticam; accedit quòd id non procedat apud homines, quibus ſi res determinata promittitur v. g. veſtis, non ſatisfieret dando illius loco rem meliorem v. g. equum *L. 2. ff. ſi certum petatur*: ergo id neque procedit apud Deum. ℟. enim negando antecedens; quia talis commutatio non eſt actus juriſdictionis ſed prudentiæ & cognitionis naturalis ac ſuperabundans ſolutio, licèt commutatio in materiam inferiorem vel dubiam de æqualitate, vel etiam certò æqualem ſit actus juriſdictionis, quod ſolùm diximus. Ad id quod additur ℟. non eſſe paritatem inter Deum & hominem; nam hoc ipſo, quòd aliquid ſit evidens eſſe melius, evidens etiam eſt eſſe Deo magis gratum & acceptum, ſiquidem voluntas Dei eſt rectiſſima, & ordinatiſſima, quod non habet voluntas hominum, quibus multoties gratius eſt non quod melius, ſed quod illis commodius eſt: ergo quando conſtat eſſe melius, poterit fieri commutatio propria authoritate, quia jam conſtat de voluntate Dei creditoris: ſicut apud homines, ſi conſtet de conſenſu implicito vel explicito creditoris, poteſt unum pro alio rectè ſolvi. *Inſtit. quibus modis tollatur obligatio in pr.*

(*Adde:*

Digitized by Google

(*Adde*; in hac verſari ingentem multorum deceptionem, qui omne illud, quod eſt abſolutè in ſe melius, cenſent etiam eſſe acceptius Deo; cum enim ea, quæ in ſe ſunt minus bonum, magis conducant ad emendationem aut perfectionem hominis, quæ longè magis Deus quærit, quàm Hecatombas ſacrificiorum; aut ea magis ſerviant Deo ad fines à Deo intentos v. g. actus mortificationis, eleemoſinas in pauperes pios, promotionem determinati cultûs &c. falſum eſt, quod ſi votum fuerit exauditum, ſicque ratum à Deo, in aliud de ſe magis humanô judicio bonum commutari poſſit nulla alia accedente cauſa.)

19 Suppono 2dò. non poſſe propria authoritate commutari votum in evidenter æquale, ſed ad hoc requiri authoritatem Prælati, aut commiſſionem vel privilegium habentis, ùt docet Sotus *L. 2. de Juſtit. quæſt. 4. art. 3.* Suarez *L. 6. de Voto. cap. 19. n. 3.* Sanchez *cap. 49. n. 12.* Leſſius *L. 2. de Juſt. cap. 40. n. 105.* Sayrus *L. 6. cap. 12.* Palao *tr. 15. Diſp. 2. punct. 15.* Miranda *in Man. to. 1. quæſt. 20. art. 9.* Reginaldus *in praxi to. 1. tr. 11. cap. 15.* Andreas à Matre Dei *l. c. punct. 14. n. 134.* Pirrhing *de Voto n. 25.* *Zœſius ibidem n. 73.* Rotarius *l. c. punct. 5. n. 6.* Ratio eſt; quia licèt materia ſubrogata æquè ſit Deo grata, ac illa quæ promiſſa eſt, utraque ſecundùm ſe conſiderata: at ſuppoſita promiſſione & obligatione unius ſpecialiter, non eſt Deo æquè gratum, aliam pro libitu voventis, loco illius Deo offerre; quia ex parte rei promiſſæ ſtat firmitas & conſtantia promiſſionis, in qua firmiter perſeverare Deo magis gratum eſt, quàm de una in aliam prout libuerit mutari, cujus variatio cohoneſtari non poteſt, niſi ob exceſſum materiæ ſubrogatæ: ergo præſumi non poteſt, adeſſe conſenſum Dei, niſi quando exceſſus eſt manifeſtus. An verò hæc ipſa commutatio ab habente poteſtatem commutandi tantùm facienda ſit in opus moraliter æquale, vel an fieri poſſit in opus paulò minùs perfectum? controvertunt Authores; & Sotus quidem *L. 7. de Juſtit. quæſt. 4. art. 3.* Cajetanus *2. 2. quæſt. 88. art. 12. dub. 3. circa fin.* Covarruv *de pact. part. 1. §. 3. n. 4.* Suarez *L. 6. de Vot. cap. 19. n. 7.* Sanchez *L. 4. ſum. cap. 50. n. 4.* Palao *tr. 15. Diſp. 2. punct. 16.* Sayrus *L. 6. cap. 12.* Andreas à Matre Dei *punct. 15. n. 139.* volunt, comutationem fieri debere in opus moraliter æquale, ita ut mortaliter peccent tum petens comutationem eaque utens, tum illam concedens in materiam minorem; quia ut commutatio ſit juſta, debet eſſe cum æqualitate rei ad rem, ùt fit in aliis commutationibus, quæ ut juſtæ ſint debent eſſe cum dicta æqualitate, & ſi fuerint factæ in minus, erit donatio vel remiſſio creditoris: eſt ergò ſtandum naturæ contractûs commutationis, quæ petit moralem æqualitatem. Econtra verò Bonacina *Diſp. 4. punct. 7. §. 3.* Leſſius

ſius *L. 2. de Juſtit. cap. 40. n. 109.* Toletus *L. 4. cap. 18.* Boſſius *de Jubil. ſect. 2. caſ. 25.* Giribaldus *cap. 6. n. 113.* Diana plures referens *part. 1. tr. 11. Reſol. 40.* Gobat *de Jubil. cap. 39. n. 296.* Viva *de Jubil. quæſt. 12. art. 1. n. 5.* defendunt commutationem fieri poſſe in opus aliquanto minoris valoris; quia difficillimum eſt hanc dimetiri æqualitatem aut invenire in materia ſubrogata: ergò ſi non poſſet in minorem fieri commutatio, poteſtas ad ſolum commutandum data raro poſſet executioni mandari, niſi cum pluribus dubiis, ſcrupulis, & anxietatibus: ergò inutilis, imò damnoſa & periculoſa talis eſſet facultas, conceſſa in Bullis & in Jubilæis, ſi ſolùm facienda eſſet commutatio in æquale. Verùm ſententiæ iſtæ ſolùm verbis non autem reipſa diſcrepare mihi videntur; prima etenim ſententia moralem requirens æqualitatem ultrò admittit, eam non eſſe ſcrupulosè ac mathematicè metiendam; quia hoc eſſet moraliter impoſſibile, ſed talem ſufficere, in qua parva datur differentia, cùm in moralibus parum pro nihilo reputetur: tuncque reputabitur æqualitas moralis quando exceſſus manifeſtè non apparet: hæcque æqualitas arbitrio commutantis determinari debet, qui ſi prudenter aut probabiliter judicet adeſſe talem æqualitatem, & commutans & commutatus manent ſecuri in conſcientia. Ab hac autem ſententia per ſuos Authores ſic explicata nihil differre videtur altera ſententia, utpote cujus Patroni ſolummodò docent, licere commutare votum in opus aliquantò minus ſeu mitius & ſuavius, & ubi modicus eſt defectus æqualitatis, per quod neutiquam intelligitur diſpenſare ſeu relaxare votum, quod tunc ſolùm fit, quando notabilis quantitas remittitur: cúmque difficillimum ſit omnimodam æqualitatem invenire, magis inclinandum eſt in benigniorem partem & ad onus potiùs dimminendum quàm ad augendum, ſicque præſumitur de voluntate concedentis poteſtatem commutandi, utpote qui gratiam conferre vult tum commutanti tum petenti commutationem: quæ autem gratia? ſi commutans deberet onus potiùs augere quàm diminuere, ſibique ſemper timere, ne nimium faciat.

Cæterùm cùm ut diximus magna ſit difficultas in adinvenienda proportione & æqualitate inter rem voto promiſſam, & materiam ſubrogandam, neque dari poſſit pro omnibus caſibus regula certa & univerſalis, cùm innumera ſint vota & infinitis circumſtantiis veſtita, hinc res hæc prudentis Confeſſarii judicio relinquitur, qui omnibus ritè conſideratis, & expenſis æqualitatem moralem conſtituat. Ad hoc verò ut ipſe prudenter ſe gerere poſſit, ſequentes Regulas ex probatiſſimis Authoribus deſumptas eidem proponimus; ac 1mò, 20

quidem ſciendum, quòd gravitas materiæ voti conſiderari debeat ſolùm ſecundùm ſe, præſcindendo à vinculo voti, quo eſt affecta, cùm in commutatione verè vinculum voti permaneat, & ſic ſolùm ad rem ſecundùm ſe eſt attendendum. Sanchez *L. 4. cap. 56. n. 2.* 2dò non eſſe ſpectandam materiam ſubrogandam juxta excellentiam virtutis quam habet, ſed ſecundùm quod eſt utilius hic & nunc voventi inſpectis circumſtantiis temporis, loci, & perſonæ; non enim Deo gratius ſemper eſt, quod excellentius, ſed illud eidem cenſetur gratius, quod in circumſtantia commutationis magis conducit ad finem à vovente intentum & ad ſpiritualem illius utilitatem, eumque magis elongat à vitiis ac unit Deo; & hinc ſi quis flagellationem ad edomandam carnem promiſit, meliùs ea in jejunium quàm in orationem commutabitur, quia ad mortificationem carnis magis ſervit jejunium quàm oratio, etſi hæc ſit excellentior virtus. 3tiò. attendendum eſt ad cauſam, ob quam fit commutatio, adeò ut quo major eſt cauſa, tantò minor debeat eſſe materia, quæ ſubrogatur; ſic vota ex metu etiam levi facta, aut in repentina perturbatione vel ex nimia facilitate elicita, ùt ſolet fieri à pueris & fœminis, minore indigent onere, nec tanta requiritur materia ſubrogata, quanta requireretur aliàs. 4tò. ſpectanda eſt fragilitas voventis; ſi enim cauſa ſit periculum violandi votum & ob frequentes lapſus vovens petat commutationem voti, non eſt ſubroganda talis materia, in qua ſubſit idem violationis periculum: hinc poterit ſubrogari materia voventi, ejúsque ſtatui & officiis accomodata; unde poterunt ſubrogari preces, Eccleſiarum viſitationes, frequentior uſus Sacramentorum, & his ſimilia, etiamſi vovens ea ſolitus fuerit ex devotione peragere, & hoc maximè ſi agatur cum homine multis negotiis aut laboribus occupato; non tamen poſſunt commutari vota in aliquod opus aliàs ex præcepto debitum, nec per tale ſatisfit obligationi voti. 5tò. advertendum eſt ad difficultates per ſe annexas in executione voti, & ad onus adimplendi rem promiſſam & ſubrogatam: qua ratione votum jejunii à paupere emiſſum, ſi ſubrogetur eidem eleemoſyna, poteſt illi minor imponi, quàm diviti; quia difficilius accidit pauperi, modicas elargiri pecunias, quàm diviti multas. Similiter pauciora jejunia debent in commutatione hominibus laborantibus & debilibus imponi, quàm otioſis & robuſtis; quia illorum pauciora æquivalent pluribus iſtorum, ratione majoris difficultatis & laboris in illis perferendis. 6tò. attendendum eſt, ut quantum fieri poteſt ſalvetur in commutatione ſpecies voti, ita ſcilicet, ut vota realia commutentur in realia, perſonalia in perſonalia, & mixta in mixta; quia in commutatio-

Digitized by Google

tatione votorum quantum fieri poteſt ſervari debet æqualitas ac proportio, ita ut quàm minimum recedatur ab hac æqualitate: hoc autem fit ſi ſervetur ſpecies voti, & votum reale comutetur in reale v. g. erigendi altare in eleemoſynas: perſonale in perſonale, v. g. flagellationem in jejunium: mixtum in mixtum, v. g. votum peregrinationis in orationes & eleemoſynas, ùt factum eſt *cap. Magna. 7. de voto*, ubi Innocentius III. votum peregrinationis Hieroſolymitanæ ita commutat, ut laborem itineris aliis laboribus piis & æquivalentibus compenſandum, & expenſas itineris in pia opera expendendas præſcribat. Id tamen non ita ſtrictè accipiendum eſt, ut non quandoque ſervata æqualitate mutari poſſit reale in perſonale, & viciſſim, modò attendatur ad æquale obſequium Dei, ac ſpiritualem voventis utilitatem, quia in commutatione votorum non attenditur æqualitas mathematica aut phyſica rei ad rem, ſed moralis obſequii ad obſequium, & utilitatis ſpiritualis ad utilitatem ſpiritualem. His denique addi poteſt, quòd vix aptior videatur eſſe materia, in quam votum commutari valeat, quàm frequens uſus Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ſuppoſito quòd illam vovens acceptet, & ſperetur quòd adimpleat; quia maximè cedunt in profectum ſpiritualem voventis & ad majus obſequium Dei, ac per hoc facilius pervenitur ad rei promiſſæ æqualitatem, cùm per ea communicentur merita Chriſti, remittantur peccata, augeatur gratia, & ſummopere deſerviant ad emendationem vitæ, ad præcavenda peccata, ac ad legem Dei facilius obſervandam.

Quod ad cauſam pro facienda commutatione neceſſariam attinet, 21 certum eſt, tantam non requiri, quanta requiritur ad diſpenſationem, cùm enim illa non ſit totalis extinctio voti, ſed tantùm alterius materiæ ſubrogatio, clarum eſt, quòd tanto cum rigore non exigat cauſam ſicut diſpenſatio, prout nulla etiam requiritur ad faciendam commutationem in evidenter melius; manifeſtum eſt enim, quemlibet poſſe ſemper melius operari & ipſum deſiderium faciendi opera Deo magis grata & accepta ſufficiens commutationis eſt cauſa, ùt Doctores omnes tenent cum Navarro *cap. 12. n. 63.* neque enim talis commutatio eſt actus jurisdictionis ſpiritualis, ſed à quovis fieri poteſt; & idem eſt, quando certum eſt, materiam eſſe æqualem, & probabile eſt eſſe meliorem, quia hoc ipſo eſt moraliter melior, ùt colligitur ex *cap. 1. & 8. de voto &c.* quamvis autem comutatio in æquale præter Prælati auctoritatem vel ejus commiſſionem exigat aliquam cauſam, ùt ſumitur ex dicto *cap. 1. de voto*, & docet D. Thomas *2. 2. q. 88. art. 12.* & tradunt communiter Doctores, eò quòd talis commutatio ſit actus jurisdictionis, qui ex-

exerceri non poteſt ad libitum, ſed tantùm ad honorem Dei, & utilitatem voventis, ſufficere tamen levem cauſam, receptum eſt apud omnes, quia votum in hoc caſu revera non extinguitur nec remittitur, ſed præcisè commutatur & ad aliam materiam transfertur; quapropter vehemens deſiderium commutationis, ex qua ſperatur majori promptitudine, fructu animæ, ac pietate exequendum eſſe ſubrogatum opus, ſufficiens erit cauſa commutandi in opus æquale; quin imò in Jubilæo aut Bulla indulgentiæ v. g. Cruciata vel alia ſimili nulla alia requiritur cauſa, quàm voluntas adimplendi opera præſcripta à Jubilæo, vel Bulla, & hoc etiamſi commutatio fiat in aliquod minus, ſaltem non notabiliter, ita ut adhuc cenſeatur eſſe moraliter æquale. Ad commutandum verò votum in opus aliquod notabiliter minus requiritur omninò cauſa rationabilis, tantoque major, quò magis receditur ab æqualitate materiæ ſubrogatæ; quia talis commutatio includit in ſe diſpenſationem, in quantum fit in aliquod notabiliter minus: ſed diſpenſatio requirit rationabilem cauſam tantoque majorem, quo magis recedit ab æqualitate: data autem rationabili cauſa, certum eſt, quòd ſi fiat commutatio ab habente poteſtatem commutandi & diſpenſandi ſimul, valida ſit etiamſi non ſervetur æqualitas inter rem promiſſam & rem ſubrogatam, & hæc putetur attentis omnibus circumſtantiis notabiliter minor, quia virtus diſpenſativa ſupplet defectum æqualitatis in commutatione præſente rationabili cauſa, adeoque nec invalida erit talis commutatio, ſicut tamen nulla videtur eſſe commutatio in notabiliter minus facta ſine rationabili cauſa; quia poteſtas tam ordinaria quàm delegata ad commutandum eſt poteſtas jurisdictionis, ſicut poteſtas ad diſpenſandum: ſed actus poteſtatis jurisdictionis ſine legitima cauſa exercitus eſt nullus: ergò ſicut eſt nulla diſpenſatio voti ſine rationabili cauſa, ita etiam commutatio in notabiliter minus ſine cauſa erit nulla. Ex quibus patet, quòd illis, qui ſibi volunt vota commutari, omninò conſulendum ſit, ut ad evitandos omnes ſcrupulos & anxietates, quæ in hac materia paſſim occurrunt, recurrant ad tales Confeſſarios, qui valent & diſpenſationem & commutationem impendere, ut ſimul cum commutatione diſpenſationem aliquam conjungant, ſicque dimittantur ac maneant abſque omni ſcrupulo. Verùm quinam illi ſint Confeſſarii, qui poſſunt ſæcularium vota commutare ſimul ac diſpenſare? hìc nobis inquirendum eſt, præſertim an id poſſint Canonici Regulares? 2dò. An poſſint iidem omnia vota etiam S. Pontifici reſervata commutare? 3tiò. An liberum ſit voventi ad materiam redire promiſſam etiam poſt factam & acceptatam commutationem? Di-

22 Dico 1mò. *Poſſunt Canonici Regulares commutare ſæcularium vota non tantùm in melius & æquale, ſed etiam in bonum notabiliter minùs.*

Ita plures SS. Pontifices præſertim verò Eugenius IV. qui Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis *23. Julii Anno 1439.* per ſimplicem ſignaturam multoties à Succeſſoribus confirmatam conceſſit, ut poſſint in omnibus & ſingulis votis cum Chriſti fidelibus diſpenſare, vel prout eorum animarum ſaluti viderint expedire, in alia pietatis opera commutare. Julius II. quoque Canonicis pariter Regularibus Congregationis Bononienſis facultatem conceſſit vota à fidelibus emiſſa in omnibus & ſingulis caſibus in alia pietatis opera commutandi, & deſuper cum eisdem voventibus diſpenſandi, ùt habetur in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512.* Ex quibus ſic argumentor: Quibus conceditur poteſtas in votis diſpenſandi, iisdem etiam cenſetur eſſe conceſſa poteſtas ea commutandi in bonum notabiliter minus; talis enim commutatio eſt partialis diſpenſatio: ſed Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis ac Bononienſis per dicta privilegia conceſſa eſt poteſtas cum fidelibus in votis diſpenſandi: ergò illis etiam conceſſa eſt poteſtas eadem in bonum notabiliter minus commutandi; & ratio ulterior eſt, cui enim licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus ex *Reg. Jur. 53. in 6.* & plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus *Reg. 35. eodem.* quod maximè locum habet, quando minus ſubordinatur majori aut in hoc continetur tanquam imperfectum in perfecto: atqui minus eſt commutare quàm diſpenſare & comutatio tanquam minus ſubordinatur diſpenſationi tanquam majori, atque inſuper eſt quid imperfectius quàm diſpenſatio, quæ eſt aliquid perfectius, utpote per quam totaliter poteſt tolli & extingui votum, quod tantùm partialiter ac imperfectè tollitur per commutationem in minus: ergò cui licet diſpenſare, multò magis licebit in minus commutare vota: ſed Canonicis Regularibus licet diſpenſare vota, ùt conſtat ex ſupra relatis SS. Pontificum privilegiis, & magis patebit ex dicendis in ſequenti ſectione, ubi ex inſtituto hac de re tractabimus: ergò iisdem licebit & vota commutare in minus. Ex quibus ſequitur 1mò. Poſſe Canonicos Regulares à fortiori commutare vota in evidenter melius, cùm id poſſit ipſe vovens propria auctoritate facere, ùt conſtat ex ſupradictis; tum quia ſicut gratius eſt Deo, quidquid eſt melius & perfectius, ita non poteſt non eſſe grata & accepta talis commutatio in evidenter melius: tum quia ſicut melius & præſtantius bonum eminenter in ſe continet

 mi-

minus bonum, ita & qui dat melius, eminenter dat etiam minus: ergò licitè fieri poteſt talis commutatio in evidenter melius non tantùm ab eo, qui aliàs habet poteſtatem commutandi vota, ſed etiam ab ipſo vovente propria auctoritate abſque ulla cauſa. Si tamen dubitetur, an iſtud bonum ſit melius, requiritur omninò authoritas habentis poteſtatem commutandi vota, ùt deſumitur ex *cap. 1. de voto*; tum quia in tali dubio ſtat poſſeſſio pro obligatione voti jam determinata ad certam materiam: tum quia in dubio nemo eſt judex competens in propria cauſa: & conſequenter privata auctoritate commutari non poteſt. Sequitur 2dò. poſſe Canonicos Regulares pariter commutare vota in æquale bonum, cùm ea poſſint etiam in minus commutare, quod eſt longè majus: & licèt nonnulli ſentiant, commutationem in evidenter æquale etiam fieri poſſe propria auctoritate, contrarium tamen nobis longè probabilius viſum eſt ſupra; tum quia non poteſt unum pro alio ſolvi ſine creditoris aut promiſſarii conſenſu: ſed non conſtat nobis quòd Deus conſentiat, ut pro re determinatè promiſſa ſolvatur illi alia utut æqualis priori, quin potius videtur velle, ut votum in determinata ſpecie fideliter illi reddatur; neque enim hìc eadem eſt aut ſimilis ratio interpretandi divinam voluntatem, qualis eſt in commutatione voti in evidenter melius.

23 Dico 2dò. *Poſſunt Canonici Regulares omnia quorumcunque Chriſtifidelium ad eos recurrentium vota commutare, exceptis tantummodò votis S. Pontifici ſpecialiter reſervatis.*

Ita deſumitur iterum ex relatis SS. Pontificum Eugenii IV. & Julii II. privilegiis, in quibus dum concedunt poteſtatem commutandi vota Canonicis Regularibus, nulla excipiunt, niſi ea ſola, quæ S. Pontifici ſpecialiter reſervata ſunt, ſeu ùt ipſimet loquuntur Pontifices: ſuper quibus ſedes Apoſtolica eſſet meritò conſulenda: cùm hæc igitur ſolummodo excipiant, cæterorum omnium commutationem conceſſiſſe cenſentur; exceptio enim firmat regulam in caſibus non exceptis; & ratio ulterior eſt, quia omnia & quæcunque vota conveniunt ſub ea ratione, ſub qua ſunt promiſſio liberè Deo facta de meliori bono, ſuntque omnia ex motivo Religionis elicita: ergò non eſt ratio, cur poteſtas commutandi vota alicui univerſaliter conceſſa reſtringatur ad hæc potiùs, quàm ad illa: conſequenter ſe extendit ad omnia, etiam ea, quæ ſibi locorum Ordinarii & Epiſcopi per ſynodales ſeu Provinciales Conſtitutiones reſervârunt, ùt iterum loquuntur iidem Pontifices, non obſtante, quòd à caſibus

lo-

locorum Ordinariis reſervatis non poſſint abſolvere: exceptis tamen ſemper votis S. Pontifici reſervatis, utpote quæ ipſimet excepta volunt, quæque hodie ſunt quinque, nempe Religionis approbatæ, caſtitatis perpetuæ, & trium peregrinationum, ſcilicet Hieroſolymitanæ in terram ſanctam, Romanæ ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & Compoſtellanæ ad S. Jacobum, quæ Jure communi per Extravagantem Sixti IV. quæ incipit: *Etſi Dominici. inter communes ſtam. de Pœnitent. & Remiſſ.* S. Pontifici ſunt reſervata. Quòd autem Canonici Regulares omnium Chriſti fidelium ad eos recurrentium poſſint comutare vota, patet quàm clariſſimè ex utroque privilegio Eugenii IV. & Julii II. in quibus id expreſsè aſſerunt, & úniverſaliter omnes comprehendunt, haud dubiè etiam Religioſos cujuscunque Ordinis, cùm & ipſi nomine Chriſti fidelium veniant præſertim in favorabilibus, nec pejoris debeant eſſe conditionis quàm ſint ſæculares: unde quidquid tum in hac tum in ſequenti ſectione dicitur de poteſtate commutandi ac diſpenſandi vota ſæcularium, idem etiam cum proportione intelligendum eſt de votis Religioſorum. Cæterùm ex hoc, quòd Regulares in quibusdam privilegiis dicantur poſſe commutare vota aut diſpenſare ſicut Epiſcopi, non ſequitur, quòd eorum facultas ſit reſtricta ad perſonas Diœceſis tantùm; quia illa reſtrictio reſpicit ſolummodo vota, non autem perſonas, nec illas reſtringit, cùm privilegia expreſsè concedant Regularibus facultatem commutandi vota omnium & quorumcunque Chriſti fidelium ad eos accedentium vel recurrentium; & ratio eſt, quia cùm hæc facultas ſit eis conceſſa à S. Pontifice, qui toti præeſt orbi, non eſt, quòd ad ſubditos illius Diœceſis, in quo commorantur, limitanda ſit, præſertim cùm privilegia potiùs ſint amplianda ac pleniſſimè interpretanda, quàm reſtringenda.

24 An verò habens poteſtatem generalem commutandi aut etiam diſpenſandi, poſſit ſuum commutare votum, aut in eo ſecum ipſo diſpenſare? nova difficultas eſt: ad quam ℞deo. affirmativè, eò quòd ſit actus jurisdictionis gratioſæ ac voluntariæ, quàm Jure naturæ non repugnat exerceri in ſeipſum, cùm idem ſecundùm diverſas rationes poſſit eſſe agens & patiens. Tametſi enim jurisdictio contentioſa, quæ inter partes fieri debet, exigat illarum diſtinctionem, cùm nemo judex in ſua cauſa debeat exiſtere: ſimiliter & jurisdictio coactiva petat diſtinctionem, quia nemo ſeipſum cogere poteſt, quandoquidem non cogitur niſi invitus: & item jurisdictio, quæ eſt in actu ſententiæ, petat inter judicem & reum diſtinctionem realem, quia nemo ſe condemnare & abſolvere poteſt: at jurisdictionem purè voluntariam

po-

poteſt unusquisque reſpectu ſuipſius exercere; quia nihil ex dictis depoſcit: ſed diſpenſatio eſt actus jurisdictionis purè voluntariæ; quia neque eſt contentioſa inter partes, neque coactiva, nec per modum ſententiæ cum cognitione cauſæ: ergo poteſt unusquisque ea uti in ſeipſo, ſecumque diſpenſare in his, in quibus poteſt diſpenſare cum aliis; & ratio ulterior eſt; quia concedens alicui facultatem diſpenſandi aut commutandi vota nomine Dei, præſumitur concedere facultatem remittendi nomine ipſius Dei obligationem tam relatè ad ſubditos, quàm relatè ad ſeipſum, ſic enim diſpenſans in lege jejunii in univerſum cum ſubditis facultate à Superiore accepta ſeipſum etiam comprehendit, atque cum ſeipſo diſpenſare cenſetur. Neque dicas: qui non poteſt ligare, neque poſſe ſolvere: id enim in eo ſenſu intelligendum eſt, quòd non poſſit in univerſum legem tollere, qui non poteſt ligare: non verò, quòd non poſſit in aliquo caſu ſpeciali tollere obligationem legis per diſpenſationem; atque ita ſentiunt Doctores communiter cum S. Thoma *2. 2. quaſt. 185. art. 8.* quem ſequuntur Cajetanus *1. 2. quaſt. 96. art. 5.* Ceravio ibidem *quaſt. 97. Diſp. 3. ſect. 7. diffic. 2.* Suarez *L. 6. de Leg. cap. 12.* & *de cenſur. Diſp. 41. ſect. 2.* Sanchez *L. 8. de matr. Diſp. 3. à n. 6.* & *L. 4. moral. cap. 37.* Filliuccius *de Sacram. Matr. quaſt. 2. cap. 10.* & *tr. 20. cap. 10. n. 272.* Leander *tr. 2. de Irregular. Diſp. 27. quaſt. 11.* Bonacina *de Leg. quaſt. 2. punct. 2. n. 23.* & *de cenſur. Diſp. 7. quaſt. 5. punct. 1. n. 8.* Pellizarius *tr. 8. cap. 2. ſect. 2. n. 177.* Antonius à Spiritu S. *in direct. Regul. tr. 4. Diſp. 4. ſect. 6. n. 289.* Palao *tr. 3. Diſp. 5. punct. 7. §. 1.* Salas *Diſp. 20. ſect. 3. diffic. 3.* Auguſtinus Michelius *de diſpenſat. Vot. n. 44.* & plures alii, quos refert & ſequitur Andreas à Matre Dei. *to. 2. tr. 10. cap. 1. punct. 4. n. 41.* & *to. 3. tr. 11. cap. 5. punct. 5. n. 60.* (*Adde*; hanc ſententiam nec videri tenori privilegiorum, nec intentioni Pontificum ad regulas prudentiæ exactæ conformem. Nam in privilegiis dicitur: vota fidelium *ad ſe accedentium*: & prudentiæ eſt, nulli in cauſa propria, quæ vergere poteſt in præjudicium Dei aut proximi, committere judicium.)

Dico 3tiò. *Poſſunt tamen* 25
Canonici Regulares ſæcularium vota etiam S. Pontifici reſervata commutare ſub ea ratione, ſub qua poſſunt ea commutare Epiſcopi Jure ordinario.

Ita certa ſententia, & habetur ex privilegio Eugenii IV. ſupra concluſione 1ma. relato, in quo Canonicis Regularibus Congreg. Lateranenſis concedit, ut poſſint quorumcunque commutare vota ſæcularium in alia pietatis opera, ſicut

cut

Digitized by Google

cut poſſunt locorum Ordinarii & Epiſcopi ex ordinaria jurisdictione: ſed Epiſcopi poſſunt ex ordinaria jurisdictione commutare vota ſuorum Diœceſanorum etiam S. Pontifici reſervata, quando non ſunt vota propriè dicta, perfecta, certa, abſoluta, determinata, nec quoad ſubſtantian. integra: ergò etiam Canonici Regulares poſſunt commutare vota quorumcunque ſæcularium, etiam S. Pontifici reſervata, quando non ſunt vota propriè dicta, perfecta, certa, abſoluta, determinata, aut quoad ſubſtantiam non integra; & ratio ulterior eſt, quia quando vota non ſunt propriè dicta, perfecta, certa, abſoluta, determinata, nec quoad ſubſtantiam integra, non cenſentur manere reſervata, cùm S. Pontifex ſolùm cenſeatur reſervare ſibi vota dictis conditionibus affecta: ſed Canonici Regulares poſſunt omnia ſæcularium vota commutare non reſervata: ergò etiam poſſunt ſæcularium vota commutare etiam S. Pontifici reſervata, dictis tamen conditionibus deſtituta: quas omnes fuſiùs explanabimus ſectione ſequenti. Siquidem autem vota S Pontifici reſervata has omnes habeant conditiones, nunquam licet Canonicis aliisve Regularibus ea commutare, niſi ſolùm in votum Religionis perpetuæ & approbatæ, in quod omnia alia vota quantumvis S. Pontifici reſervata commutari poſſunt ex claſa Juris diſpoſitione *cap. ſcriptura 4. de voto*, ubi Alexander III. ait: *reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam agnoſcitur Religionis obſervantiam commutare.* quod ipſum cōmuniter tradunt tum Theologi tum Canoniſtæ cum S. Thoma *2. 2. Q. 88. art. 12.* quia votum Religionis, quo homo priori vitæ per profeſſionem moritur, ac ſe totum divino mancipat obſequio, eminenter in ſe continet omnia alia vota tam univerſalitate ac præſtantia bonorum operum, quàm duratione ac longitudine temporum: in hoc proinde votum Religionis poſſunt cætera omnia vota etiam reſervata commutari, nunquam verò in alia quantumcunque bona opera, uti nec ipſum Religionis votum, quæ proinde omnia ſemper manent ſolius Papæ cōmutationi reſervata, & in generali, utcunque ampla conceſſione diſpenſandi ac commutandi excepta.

26 His ita de commutatione votorum conſtitutis, nova exoritur quæſtio: an poſt factam commutationem & ab eo acceptatam, qui eandem petiit, redire quis poſſit propria auctoritate ad priorem materiam? pro cujus reſolutione ſciendum, quòd commutatio voti in eo differat à diſpenſatione, quòd juxta S. Thomam *in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. quando votum commutatur, vovens abſolvitur ab uno, & ligatur ad aliud, ſed quando in voto diſpenſatur, ſimpliciter à voto abſolvitur, ſine hoc, quòd ad aliud ligetur.* Unde

ſit, quòd poſt factam commutationem materia ſubrogata obliget ſub eodem vinculo voti & Religionis, ſub quo materia commutata obligabat; ſiquidem tali pacto nomine Dei commutatio perficitur, ita ut obligatio prioris materiæ extinguatur & poſterioris obligatio ſubrogetur, quæ ſit ejuſdem roboris ad obligandum, ac erat prior; quod procedit, etiamſi materia ſubrogata poſtea fiat impoſſibilis ſeu inutilis, & ſive commutatio facta fuerit in melius, vel in æquale, vel minus; quia ſemel extinctum non reviviſcit: igitur prioris materiæ obligatio penitùs extincta non reviviſcit ex eo, quòd ſubrogata fiat inutilis ſeu impoſſibilis. Nec cenſendum eſt commutantem commutare ſub conditione: ſic enim commutando gravaret pœnitentem, dum illi cupit exhibere favorem, quia obligaret illum ad materiam ſubrogatam, & relinqueret obligatum ad priorem materiam, ùt docent Suarez *de Voto L. 6. cap. 20.* Sanchez *L. 8. de matr. Diſp. 9.* & *L. 4. moral. cap. 55. n. 15.* Palao *tr. 15. Diſp. 2. punct. 18.* Layman. *L. 4. cap. 8. n. 28.* Andreas à Matre Dei *punct. 18. n. 165.* Paſſerinus *to. 2. n. 762.* ſed hoc intelligendum eſt, quando per legitimam juriſdictionem facta fuit commutatio; nam ſi propria auctoritate fuiſſet facta, tunc ſi materia ſubrogata non impleatur, aut reddatur impoſſibilis, tenebitur ad materiam promiſſam, ùt ſi v. g. votum recitandi officium divinum commutavit in tot jejunia, ſi jejunare non potuerit, potuerit tamen recitare, tenebitur ad prius votum redire; quia non transfertur vinculum ad rem ſubrogatam per commutationem propria auctoritate factam, ſed ſolùm per ſuperabundantem ſolutionem vel ſaltem æquivalentem fit ſatisfactio benigniſſimo Creditori: cùm ergò non fiat illi ſatisfactio vel ſuperabundans vel æquivalens, niſi materiam ſubrogatam offerendo, ſi hæc illi non offeratur undecunque hoc proveniat, manet prius votum & obligatio materiam promiſſam exhibendi, ùt docet Andreas à Matre Dei *cap. 3. n. 166.* Leander *Diſp. 18. quæſt. 31.* Thom. Tamburin. *L. 3. in Decal. cap. 16. §. 7. n. ult.* quos ſequitur Giribaldus *de voto. cap. 6. dub. 9. n. 138.* & alii communiter. Quare in præſenti difficultas eſt: an facta ſemel commutatione à legitima poteſtate, & acceptata à vovente, liberum illi ſit propria auctoritate ad priorem voti materiam redire? ùt ſi votum jejunandi ſit cōmutatum in eleemoſynam, poſſit vovens relictâ eleemoſynâ redire ad jejunii promiſſi obſervantiam; qua in re tres caſus diſtingui ſolent: vel enim votum fuit ſimul diſpenſatum & commutatum in minus; vel fuit commutatum in æquale, vel in melius. In primo caſu, in quo votum fuit commutatum in minus admixta diſpenſatione, pro certo habetur, quòd liceat voventi redire ad prius votum, utpote me-

melius; quia cuilibet licitum eſt gratiam favore, aut diſpenſatione non uti, & perſeverare vel redire ad id, quod melius eſt, ſicut & ad altiora aſcendere. In 2do. caſu cõmunis pariter eſt ſententia, quòd poſt legitimam commutationem liceat redire ad priorem materiam æqualem, tum quia commutatio facta fuit in favorem voventis & ut facilius ac hilarius adimpleret, quod Deo promiſit: ſed quilibet renuntiare poteſt beneficio & favori ſibi collato: ergò etiam tali commutationi: tum quia commutatio in aliquod æquale eſt quaſi conditionata, & permiſſiva voventi, ut poſſit vel unum vel alterum implere: cùm ergò ſit licentia, permiſſio & privilegium ipſi favorabile, poteſt eo uti prout libuerit; tota igitur difficultas ad 3tium. recidit caſum: An facta commutatione in notabiliter melius à vovente cognitum & acceptatum, is poſſit redire ad priorem materiam promiſſam? ad quam

27 Dico 4tò. *Poteſt vovens propria auctoritate redire ad materiam promiſſam etiam poſt factam & acceptatam commutationem in melius.*

Ita Sanchez *L. 8. de matrim. Diſp. 9. n. 21.* & *L. 4. cap. 55. à n. 26.* Azor. *p. 1. L. 11. cap.* 18. *q.* 10. & 12. Leſſius *L. 2. cap. 20. dub. 16.* Leander *part. 2. tr.* 1. *Diſp.* 18. *q. 24.* Sayrus *L. 6. cap.* 12. *n. 22.* Bonacina *Diſp. 4. de leg. quaſt. 2 punct. 7. §. 3. n. 20.* Thom. Tamburin. *L 3. cap. 16. §. 7. n. 4.* Palao *tr. 15. Diſp. 2. punct.* 18. *n.* 10. Vincentius Candidus *Diſquiſ. 25. art. 6. dub. 5.* Layman *L. 4. tr. 4. cap. 8.* Paſqualig. *de Jubil. q. 335.* Diana *part. 2. tr. 2. Miſcell. Reſol. 6.* & *part. 3. tr. 5. Reſol. 25.* Boſſius *de Jubil. ſect. 2. caſu 28.* Andreas à Matre Dei *to. 4. tr. 17. cap. 3. punct. 18. n. 169.* Rotarius *punct. 7. n. 4.* Viva de Jubil. *quaſt.* 12. *art. 3 n. 4.* Ratio eſt; tum quia cõmutatio, quocunque modo fiat, ſemper fit in favorem ejus, qui vovit, ut facilius melius & jucundius exequatur materiam ſubrogatam, licèt hæc ſit melior ac perfectior: ſed unusquisque renuntiare poteſt ei, quod pro ſe noſcitur introductum, *cap. ſtatuimus. de Reg. Jur.* tum quia etiam commutatio fit ſub tacita conditione, ut vovens impleat rem ſubrogatam, niſi malit votum priùs emiſſum implere: ergò in ejus arbitrio eſt eligere, quod voluerit; quòd autem commutatio fiat ſemper ex benigna Dei conceſſione cum facultate redeundi ad priorem materiam probatur: quia benignitas Dei in eo maximè elucet, ut voventes intelligant, mitius cum Deo agi, quàm cum hominibus, nec ſui Juris tam rigidum eſſe exactorem, quin aliquam illius faciat remiſſionem in favorem voven-

tium, ut ſic facilius & hilarius exequantur vota, & ad nova emittenda in cultum & honorem Dei excitentur. An verò poſtquam vovens rediit ſemel ad materiam prius promiſſam nolens uti commutatione, poſſit iterum redire ad materiam ſubrogatam, novum dubium eſt, in quo certum eſſe videtur, quòd ſi commutatio facta ſit in melius, liceat à materia commutata redire ad ſubrogatam, quia licet propria authoritate votum in melius commutare. Id quod etiam dicendum videtur, ſi votum fuerit commutatum in æquale aut etiam in minus; quia in utroque caſu licita eſt materia tam promiſſa quàm ſubrogata: ergo liberum etiam erit, ex his duabus, quam maluerit, eligere.

Sectio III.

De poteſtate Canonicorum aliorumque Regularium diſpenſandi in votis ſæcularium.

28 DIſpenſatio, ùt jam alibi dictum, eſt relaxatio obligationis per votum contractæ facta nomine Dei ab habente legitimam poteſtatem ob aliquam rationabilem cauſam. Dividitur præcipuè in totalem & partialem; totalis eſt, qua omninò tollitur & relaxatur obligatio voti nomine Dei ob juſtam ac rationabilem cauſam; partialis eſt, qua relaxatur quidem etiam obligatio voti nomine Dei, non tamen in totum ſed tantùm ſecundùm aliquam partem, quoad alteram illud commutando in aliud opus bonum, licèt notabiliter minus, ita ut talis diſpenſatio partialiter dici etiam poſſit commutatio, de qua egimus priori ſectione. Etſi verò rarò concedenda ſit diſpenſatio pura & totalis, ùt ſuadent Authores communiter, ſed ſemper admiſcenda ſit aliqua commutatio præſertim in votis perpetuis, prout etiam ſuo nos docent exemplo SS. Pontifices, SS. Canones, ac ſacra Pœnitentiaria, quibus in omni diſpenſatione conſuetum eſt aliud quodpiam opus bonum ſubſtituere: id tamen non ita ſtrictè accipiendum eſt, ut non quandoq; liceat totaliter diſpenſare abſque ullo onere & commutatione; aliàs fruſtranea foret ac inutilis poteſtas diſpenſandi à SS. Pontificibus in ſpecie conceſſa, ſi nunquam liceret eam ad effectum deducere: licebit ergò eâdem in certis quibuſdam caſibus uti, quales eſſe poſſunt, ſi vovens tot ſeſe oneravit votis, ut neceſſe ſit eum à quibuſdam liberare abſque ullo alio onere: ſi frequentis transgreſſionis ſit periculum, quodcunque demùm opus materiæ promiſſæ ſubrogetur: ſi tot angatur ſcrupulis,

lis, ut pro quiete conſcientiæ expedire videatur ab omni onere illum eximere: ſi quis denique multas voviſſet eleemoſinas, & ita ſit pauper, ut nullas poſſit erogare, totque præterea laboribus ac curis domeſticis ſit implicatus, ut illis aliud opus ſubſtitui prudenter non poſſit; qui tamen ſimileſque caſus ſicut ſunt rari, ita rarò quoque continget caſus, quo concedenda ſit totalis diſpenſatio ſine ulla commutatione. Ad evitandos proinde ſcrupulos tam in diſpenſante, quàm in diſpenſato, & ad declinandum errandi periculum conſultius ſemper ac tutius eſt, diſpenſationi aliquam admiſcere commutationem, pro qua facilius haberi poteſt rationabilis cauſa, qualis difficilius reperitur pro diſpenſatione pura & totali, ùt etiam advertit Andreas à Matre Dei *to. 4. tr. 17. cap. 3.* Cùm autem diſpenſatio exorbitet à Jure & ſit illius vulneratio, cenſetur eſſe odioſa, & conſequenter non eſt extendenda ſed limitanda, & cum omni rigore verba illius ſunt accipienda *cap. 1. §. 1. de fil. Presbyt. in 6.* econtra verò poteſtas diſpenſandi tam ordinaria quàm delegata, cùm ſit favor & beneficium nemini nocivum, latè eſt interpretanda. Poteſtas ordinaria diſpenſandi eſt, quæ alicui competit vi muneris & officii ſui, ùt eſt illa, quæ competit Epiſcopis reſpectu ſuorum Diœceſanorum, aut Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum Religioſorum; delegata eſt, quæ alicui convenit ex conceſſione habentis illam de Jure ordinario: qui poteſt illam vel totaliter vel partialiter communicare, prout ſibi viſum fuerit ſubditorum neceſſitatibus expedire; & hinc qui habet poteſtatem delegatam tenorem ſuæ delegationis inſpicere debet, quousque ſe extendat, ne eam excedendo, actum faciat invalidum ac nullum ex præſumpta facultate delegata, quam tamen non habet.

Certum eſt autem ex *cap. Non eſt. 5. de Voto junctâ Gloſſa V. adimplere*; aliisque pluribus Juris Canonici textibus, quòd tam ad validam, quàm ad licitam diſpenſationem requiratur juſta ac rationabilis cauſa, qua non exiſtente diſpenſatio nulla eſt, & votum cum omni ſua obligatione perſiſtit, prout etiam tenet communis omnium Theologorum ac Canoniſtarum ſententia cum S. Thoma *2. 2. q. 88. art. 12.* Ratio eſt, tum quia hæc eſt diſpenſatio in lege Superioris: diſpenſatio autem inferioris in lege Superioris absque rationabili causâ nulla eſt & illicita; eo quòd Superior non cenſeatur facultatem concedere ad diſpenſandum in ſua lege irrationabiliter & ſine cauſa, quia hæc non eſſet diſpenſatio ſed diſſipatio, nec poteſtas ad ædificationem ſed ad deſtructionem; hinc D. Bernardus *L. 3. de conſiderat. ad Eugen. Pap. III. cap. 23.* ait: diſpenſationem absque cauſa in rebus Jure divino obligantibus diſpenſationem non eſſe ſed diſſipationem, & non fieri de plenitudine poteſtatis, ſed 29

de plenitudine tempeſtatis: tum etiam quia diſpenſatio licita & valida non eſt, niſi fiat nomine & authoritate ipſius Dei, poteſtatem diſpenſandi in votis ac promiſſis ſibi factis ad bonum regimen & ſalutem animarum concedentis: atqui Deus non concedit poteſtatem diſpenſandi in votis ac promiſſis ſibi factis, niſi ex juſta & rationabili cauſa: ergo diſpenſatio licita & valida non eſt, niſi fiat ex juſta & rationabili cauſa; major patet; minor quoque patere videtur; nam poteſtas diſpenſandi conceſſa eſt in quantum ad ſalutare regimen animarum & bonum commune quandoque neceſſarium vel utile dignoſcitur eſſe juſta ac rationabili cauſa poſtulante contractam per votum obligationem remittere: neque Deus cenſeri poteſt aut præſumi conſentire in remiſſionem ejuſmodi obligationis, niſi propter juſtam ac rationabilem cauſam, ſine qua irrationabilis foret talis diſpenſatio, rectæque præjudicaret gubernationi; excedit proinde diſpenſans absque juſta & rationabili cauſa limites poteſtatis ſibi conceſſæ: ſicut igitur talis actus in foro fori eſſet irritus & invalidus, ita etiam in foro Poli. An verò ſi dubium ſit, an cauſa pro diſpenſatione voti ſit ſufficiens, poſſit eam concedere, qui habet poteſtatem delegatam diſpenſandi? ℟ cum diſtinctione: vel enim eſt dubitatio de cauſa ſecundùm ſubſtantiam, vel ſuppoſita cauſa dubium ſuboritur de illius ſufficientia. In hoc ſecundo caſu dico, quemcunque potentem diſpenſare in votis, & licitè & validè poſſe in tali caſu diſpenſare; quia frequenter occurrunt tales dubitationes de 30
ſufficientia & proportione cauſæ: & petere majorem certitudinem, ſtrictiſſimum regimen eſt pluribus ſcrupulis expoſitum. Præterquam quòd cùm certa adeſt cauſa diſpenſandi, & dubitatur de ejus ſufficientia poſſeſſio ſtat pro poteſtate diſpenſativa: ergo judicandum eſt poſſe exerceri in illo caſu, ùt poſt Dianam *part. 1. tr. 10. Reſol. 31.* & *part. 4. tr. 30. Reſol. 34.* & Sanchez *L. 4. Moral. cap. 45. n. 10.* docet Andreas à Matre Dei *to. 3. tr. 11. cap. 5. punct. 6. §. 2. n. 75.* ſi verò dubitatio ſit circa cauſam ſecundùm ſubſtantiam, nec licitè nec validè diſpenſare poteſt habens tantùm poteſtatem delegatam: tum quia inferior diſpenſare non poteſt in lege Superioris ſine juſta cauſa: tum quia in votis requiritur ad hoc ut valida, & multò magis ut licita ſit diſpenſatio, juſta cauſa, ſine qua nulla eſt; quamvis ſi petens dubius de cauſa, rem totam fideliter exponat, manebit tutus in conſcientia ipſo diſpenſante quicunque ille ſit, licet emergant dubia circa cauſam; quia ad petentem ſolùm pertinet veritatem propalare, & ſe judicio Confeſſarii ſubmittere, per quod practicè poteſt dubia emergentia deponere, ùt tradunt D. Thomas *2. 2. quæſt. 88. art. 12. ad 2.* Sanchez *L. 4. Moral. cap. 44. n. 6.* & *de Matrim. L. 8. Diſp. 7. n. 15.* Bonacina *Diſp. 1. quæſt. 2. punct. 3. n. 9.*

n. 9. & 16. Andreas à Matre Dei *l. c. n. 76.* & *to. 4. tr. 17. cap. 3. punct. 13. n. 118.*

30 An verò valida ſit diſpenſatio, ſi tam poſtulans diſpenſationem, quàm illam concedens bona fide procedant, putantes cauſam legitimam adeſſe, cùm tamen reipſa adſit nulla, vel omninò inſufficiens? negant Salas, Baſilius Pontius, quos refert & ſequitur Palao *to. 1. tr. 3. de Leg. D. 6. punct. 8. §. 2.* & *to. 3. tr. 15. de Voto. Diſp. 2. punct. 9.* eò quòd omnia Jura clament, ad diſpenſationem requiri cauſam legitimam, non autem apparentem, & reipſa illegitimam ac inſufficientem. Verùm Sanchez *L. 4. Moral. cap. 44. n. 10.* Leſſius *L. 2. de Juſtit. cap. 40. dub. 17.* Joan. Sanchez *in ſelect. Diſp. 54. n. 39.* Azor. *part. 1. L. 7. cap. 29. quæſt. 9.* Thom. Tamburin. *L. 3. in Decal. cap. 16. §. 4. n. 3.* Leander *de Voto. Diſp. 17. quæſt. 7.* Andreas à Matre Dei *tr. 11. cap. 5. n. 71.* & *tr. 17. cap. 3. punct. 13. n. 119.* Giribaldus *cap. 6. n. 56.* & alii affirmant talem diſpenſationem voti eſſe validam, ac voventem manere ab ejus vinculo omninò liberum etiam caſu, quo detegatur nullitas aut inſufficientia cauſæ. Ratio eſt: quia pertinet ad ſuavem Dei providentiam approbare, quod bona fide petitum, conceſſum, & acceptatum fuit cum diligentia moraliter requiſita ad hoc, ùt negotium hoc totum prudenter fieret; quæ enim ſic geſta fuerint ab aliquo œconomo in humanis, valida cenſentur & non retractantur, idem igitur dicendum eſt in foro conſcientiæ: ſecùs aperiretur aditus infinitis ſcrupulis, & diſpenſati ſemper viverent in dubio valoris diſpenſationis, quod eſt valdè contrarium recto Eccleſiæ regimini & fini diſpenſationis, qui eſt ad ſcrupulos auferendos, non ad augendos, & ad pacandas conſcientias, non verò ad eas magis intricandas, prout contingit in ſententia contraria. (*Adde*; ſi cauſa reperiatur manifeſte nulla v. g ſi diſpenſatur cum conjugata habente familiam à peregrinatione requirente longam abſentiam, eò quod credatur vir in bello occiſus, aut quod credatur prægnans, aut habens aliud impedimentum &c. quod deprehenditur eſſe falſum, profectò tenebitur ſuô votô.) An autem econtra, ſi cauſa ſufficiens reipſa detur, non tamen cognoſcatur à diſpenſante, valida ſit etiam diſpenſatio ab ipſo temerè & illicitè abſque cauſæ cognitione impenſa? ℟. cum Suarez *L. 6. cap. 19. n. 2.* Sanchez *L. 8. de Matr. Diſp. 17. n. 11.* Diana *part. 1. tr. 10. Reſol. 33.* & Andrea à Matre Dei *to. 3. tr. 11. cap. 5. punct. 7. n. 79.* & *to. 4. tr. 17. cap. 3. punct. 13. n. 119.* affirmativè, ita ut ſi cauſa verè ſubſiſtat, etiamſi diſpenſans, quicunque ille ſit, mala fide procedat abſque cognitione illius, valida remaneat diſpenſatio, qua uti poteſt diſpenſatus tuta conſcientia, donec revocetur; tum quia quando jus poſitivum poſtulat præmitti cognitionem cauſæ diſpenſationi, eam exigit non ad

ad valorem illius & aliquam formam, ſed ut licitè fiat: tum etiam quia quando diſpenſatio dependet in ſui valore à cauſa, ùt eſt diſpenſatio quæ fit ab inferiore in lege Superioris, non dependet à cauſæ cognitione ſed ab ipſa exiſtentia cauſæ: quemadmodum electio capacis & digni ad beneficium valida eſt, etiamſi non cognoſcatur capacitas & dignitas ab Electore, argumento *cap. Nihil eſt. 44. de Elect.* ubi ſtatuitur: electum ſine cauſæ examine eſſe dejiciendum, ſi ſit indignus: ergo ſi dignus fuerit, etiamſi examen cauſæ non præcedat, dejiciendus non eſt, ſed valida erit electio: & conſequenter etiam valida erit diſpenſatio, etiamſi fiat ſine cauſæ cognitione.

31 Sed inquires, quænam ſint cauſæ ſufficientes pro valida & licita voti diſpenſatione? ℞. inprimis advertendum eſſe ad proportionem cauſæ cum voto, pro quo petitur diſpenſatio, & quo gravius & excellentius eſt votum, eò graviorem pro ſui diſpenſatione cauſam expoſtulare: & cùm vota caſtitatis, Religionis, & triplicis peregrinationis, nec non vota perpetua jejunandi, dandi eleemoſinam, inſerviendi Xenodochio graviſſima ſint, majorem cauſam exigunt pro eorum relaxatione: alia minora & frequentiora cauſam minùs gravem requirunt, ſemper tamen proportionatam cum ipſis votis; & ratio eſt, quia cum materia voti multum faciat ad cultum Dei, non eſt cenſendum, Deum remittere illius obligationem, niſi ob graviſſimam & rationabilem cauſam, ac proinde materiæ debitè proportionatam; quare ut omnis ſcrupulus in hac parte evitetur, ſaluberrimum erit conſilium, non integrè & abſolutè diſpenſationem concedere, niſi cùm conſtiterit, cauſam eſſe omninò ſufficientem, ſed admiſcere aliquam commutationem, ut ſic quod de cauſa deficit, ſuppleatur, prout jam ſupra monui; deſcendendo nunc ad aſſignandas ſufficientes in particulari, poſſunt illæ, quatenus ad rem noſtram pertinent, ad tres potiſſimùm claſſes referri: ad primam quidem imperfecta libertas ac deliberatio: ad 2dam. notabilis difficultas exequendi votum; ad 3tiam damnum ſpirituale vel corporale voventis ex obligatione voti proveniens; ac primò quidem ob imperfectam libertatem ac deliberationem diſpenſari poſſunt vota impuberum, aut etiam puberum ex quadam levitate facta, abſque alia cauſa etiam integrè & abſolutè ſine aliqua commutatione; quia valde conſonum eſt ac conforme divinæ Benignitati, ne obligatio in tenera ætate ſuſcepta ita rigidè ab eo acceptetur, quin Prælatis Eccleſiæ aliiſque poteſtatem diſpenſandi à S. Pontifice habentibus liberam illius remiſſionem commiſerit. Idem dicendum eſt, ſi votum emiſſum eſt ob metum etiam levem incuſſum ad illud extorquendum; quia Deo conſonum eſt de facili remittere obligationem, cui injuſtitia & violentia

tia

tia cauſam dedit; quod ipſum procedit, quando imperfecta deliberatio aut libertas in vovendo orta eſt ex triſtitia, ira, metu, vel alia paſſione, quod eſt cauſa ſufficiens ad diſpenſationem abſolutam absque alicujus oneris impoſitione: atque (*Adde*; aliquando) idem eſt, quando votum eſt factum ob timorem mortis, naufragii vel cujuscunque alterius mali, in quibus datur ſufficiens cauſa abſolutè diſpenſandi; nam licèt hic timor non ſit incuſſus ad extorquendum votum, præſtat tamen regulariter ſufficientem cauſam diſpenſationi; quia ſic voveri ſolet cum immatura deliberatione; quorum omnium ratio eſt, quia iſta omnia dimminuunt voluntarium, deliberationem, ac plenam libertatem ad remiſſionem voti requiſitam. 2dò. diſpenſari poſſunt vota ob notabilem difficultatem eadem exequendi antea non prævisam vel prævisam quidem, non tamen, quòd cum tanta arduitate ſit conjuncta voti executio, fortè non emiſſurus ſi prævidiſſet eam; tunc enim de benignitate Dei præſumitur, quòd remittat hoc onus inopinatò ſuperveniens expreſsè non cognitum, nec directè volitum: unde meritò per diſpenſationem conſulitur fragilitati humanæ, cui moleſtè nimis accidit hoc onus inopinatò ſuperveniens plerumque cum periculo transgreſſionis conjunctum; & hinc diſpenſari poſſunt illi, qui ſubito pietatis ſenſu commoti facilè ſolent emittere vota, aut quandoque nimiis ſeſe votis onerant, & magnam dein in iis exequendis, aut majorem ſentiunt difficultatem, quam vel omninò non præviderant ante, vel ſaltem non putârant eſſe tantam ac talem. (*Adde*; niſi votum pro ſua materia reſpiciat generalitatem quandam actuum, ſicut votum obedientiæ, & caſtitatis; quia in tali generalitate cognoſcuntur implicitè contineri multæ ſpecies, & difficultates, de quibus actu non habetur clara notitia; qui ergo vovet generalitatem actuum ad materiam voti pertinentium, eoipſo vovet omnes ſpeces & difficultates comprehenſas ſub genere, licet diſtinctè non cognoſcantur.) 3tiò denique ob ſpirituale aut corporale voventis damnum diſpenſari poſſunt vota, quando ſpectata communi hominum fragilitate, ac morali diſpoſitione, in qua vovens defacto reperitur, majoris illa ſunt occaſio ruinæ ſpiritualis: atque hinc diſpenſari poteſt votum nunquam peccandi mortaliter, votum ſervandi caſtitatem à conjugato emiſſum; quia ſpectata fragilitate humana ejusmodi vota ſunt occaſio ſæpiùs ac graviùs Deum offendendi, ex quo voventi grave imminet periculum ruinæ ſpiritualis, quod non aliter facilè, quàm per diſpenſationem tolli poteſt; ſic etiam diſpenſari poſſunt ea vota, quæ ex mala diſpoſitione à vovente contracta ſunt occaſio frequentioris lapsûs; quia hoc ipſum periculum transgrediendi votum ac mortaliter peccandi multum derogat fini per votum inten-

intento, qui eſt, ut ſit de meliori bono, quod tamen hic & nunc nullatenus eſt, ſed potiùs ad hunc finem inutile redditur ac nocivum voventi. Nec refert, quòd hic ſua culpa inciderit in hoc periculum; nam hac ſua culpa non obſtante ſpectat ad benignitatem Dei providere, ut eidem omni meliori modo ſuccurratur, & ita evitetur illius offenſa. Unde Navarrus *L. 3. Conſ. 36. de Vot.* ait: tunc eſſe juſtam diſpenſandi cauſam, quando perinde violatur votum, ac ſi non eſſet emiſſum: idque probat per totum in voto non fornicandi, quia quamvis ſublato voto maneat ratio culpæ, vitatur tamen novum illud, quod ex fractione voti ſequitur ſacrilegium. Sicut autem vota ob damnum ſpirituale diſpenſari poſſunt, ita etiam ob damnum corporale vel temporale, quod ex voti executione naſceretur voventi aut ejus familiæ, ùt contingere poteſt in voto immoderatè jejunandi, quo graviter periclitaretur ſanitas: in voto longioris peregrinationis, aut exceſſivas elargiendi eleemoſinas, ex quibus res domeſtica totaque familia grave pateretur damnum; quia ſpectat ad charitatem ac pietatem ſibi ſuiſque debitam ejusmodi præcavere damnis, adeóque juſtam præbet ac rationabilem diſpenſandi cauſam, ſaltem ſi quædam adjungatur commutatio.

82 Ut autem ritè fiat omnis diſpenſatio, tria præterea obſervare ſuadet Innocentius III. *in cap. Magna. 7. de voto.* quid nempe liceat ſecundùm æquitatem, quid deceat ſecundùm honeſtatem, & quid expediat ſecundùm utilitatem; ad hoc autem maximè ſerviet, ſi ſervetur proportio inter cauſam propter quam, & inter votum pro quo petitur diſpenſatio; quia ad omnem diſpenſationem requiritur cauſa rationabilis: ſed cauſa non eſt rationabilis, niſi ſervetur proportio inter cauſam propter quam, & inter votum pro quo petitur diſpenſatio: ergo ad omnem diſpenſationem requiritur, ut ſervetur proportio inter cauſam propter quam, & inter votum pro quo petitur diſpenſatio. Quòd ſi verò hæc proportio obtineri non poſſit per unicam cauſam, nec una ſola ſufficiat ad diſpenſandum, addendæ ſunt aliæ de ſe leves, quæ tamen omnes ſimul collectæ efficiunt gravem & ſufficientem; ſic etſi quandoque non ſufficiat ætas tenera aut imperfecta deliberatio, ſufficiet tamen, ſi accedat neceſſitas aut utilitas ſpiritualis; qua in re prudentis opus eſt judicio Confeſſarii; ſic etiam ad diſpenſationem totalem ſemper requiritur cauſa gravis ſuppoſita gravitate voti, aut certè plures de ſe leves gravi æquivalentes. Quòd ſi dubium ſit an cauſa diſpenſandi ſit ſufficiens, an ſatis gravis, in benigniorem partem inclinandum eſſe, diximus ſupra ex præſumpta benignitate Dei facilè concedentis remiſſionem, ubi adeſt gravis aliqua, licèt dubia cauſa; ut tamen conſcientiarum conſulatur tranquillitati, admiſ-

admiſceri poterit in tali caſu aliqua commutatio major vel minor pro qualitate vel quantitate dubii; ſicut autem ſine juſta ac rationabili cauſa nunquam diſpenſare licèt, ita è contrariò ſi talis adſit, diſpenſare debent omnes illi, qui ex officio habent adjunctam animarum Curam, ùt ſunt Epiſcopi, Prælati, & Parochi, qui titulo Patris & Paſtoris tenentur tum ex charitate tum etiam ex juſtitia ſpiritualibus ſubditorum indigentiis providere, occaſiones peccandi tollere, publicis & privatis neceſſitatibus occurrere cum debito ſi quod habent remedio: atqui cauſæ juſtæ & rationabiles ferè ſemper aliquem ex prædictis effectibus involvunt: ergo juſta & rationabili cauſa ſubſiſtente diſpenſare tenentur. Quod ipſum etiam de illis dicendum videtur, qui ex conceſſione S. Pontificis delegatam habent poteſtatem diſpenſandi; licèt enim iſti non teneantur titulo Juſtitiæ ſtrictè ſumptæ, ad hoc tamen tenentur ex charitate; quia poteſtas diſpenſandi data eſt illis à S. Pontifice in bonum fidelium, quibus non ſuccurrere in neceſſitatibus ſuis præſertim ſpiritualibus urgente juſta & rationabili cauſa repugnat ſaltem charitati, præſertim ſi ex denegatione diſpenſationis immineret morale periculum ruinæ ſpiritualis, tunc enim malè ſe gereret in officio Confeſſarii, quo tenetur ſub mortali peccatorum occaſiones à pœnitentibus amovere. Quibus pro praxi neceſſariò præmiſſis, ac benè notandis, quæſtio jam eſt: an & quibus in votis poſſint Canonici Regulares diſpenſare cum ſæcularibus. Ad quam

Dico 1mò. *Poſſunt Canonici Regulares diſpenſare* 33
cum quibuslibet ſæcularibus in omnibus & ſingulis votis ab illis emiſſis, exceptis quinque S. Pontifici ſpecialiter reſervatis.

Ita Eugenius IV. Canonicis Regularibus Congreg. Lateranenſis conceſſit per ſimplicem ſignaturam 23. *Julii. Anno* 1439. *ut nempe deputati ad audiendas confeſſiones poſſint omnes utriuſque ſexûs fideles ab omnibus & ſingulis peccatis abſolvere prout poſſunt Epiſcopi & locorum Ordinarii ex ordinaria juriſdictione, & cum eis in omnibus & ſingulis caſibus & votis diſpenſare, vel prout eorum animarum ſaluti viderint expedire, in alia pietatis opera commutare, dummodo propter hæc ſedes Apoſtolica conſulenda non ſit.* Ejuſmodi privilegium indulſit idem Eugenius Congregationi S. Juſtinæ de Padua, nunc Caſſinenſi dictæ, in Bulla: *Etſi quælibet. 30. Junii. Anno 1436.* Quod idem conceſſit Julius II. Canonicis Regularibus Congregationis S. Salvatoris Bononienſis in Bulla: *Inter cæteros. 4. Non. April. Anno 1512. ut deputati ad audiendas ſæcularium perſonarum Confeſſiones poſſint eas ab omnibus & ſingulis peccatis abſolvere, & vota per eos*

pro tempore emiſſa in omnibus & ſingulis caſibus, locorum Ordinariis etiam per Synodales ſeu Provinciales Conſtitutiones reſervatis in alia pietatis opera commutare, & deſuper cum eiſdem voventibus diſpenſare, exceptis tamen votis & caſibus, ſuper quibus eſſet ſedes Apoſtolica meritò conſulenda; hoc ipſum iiſdem fermè terminis indulſit idem Julius Congregationi Olivetanæ in B. *Etſi ad univerſos 4. Jun. Anno 1507.* & Leo X. Camaldulenſibus in B. *Etſi à Summo. 4. Julii. Anno 1513.* Ex quibus ſatis ſuperque patet, poſſe Canonicos Regulares cum ſæcularibus perſonis in omnibus & ſingulis votis diſpenſare, & quidem in illis quoque, quæ ſibi Epiſcopi ſpecialiter reſervant etiam per Synodales ac Provinciales Conſtitutiones, non obſtante, quòd à caſibus Epiſcopalibus non poſſint abſolvere. Ratio eſt; tum quia diſpenſatio aut commutatio votorum non venit nomine abſolutionis & caſuum, à quibus per Decreta Pontificia Regulares prohibentur abſolvere, cùm ſint diſparata: tum etiam quia Epiſcopi per verba, quibus ſibi reſervant vota, non reſervant ſibi diſpenſationem ac commutationem votorum, ſed per illa volunt ſignificare, commutationem ac diſpenſationem pertinere ad ſuam jurisdictionem & quidem ordinariam: unde jurisdictionem, quam Regulares privilegiati habent à S. Pontifice delegatam, non ſibi reſervant Epiſcopi reſpectu iſtorum, utpote quibus conceſſam à S. Pontifice poteſtatem nec poſſunt adimere nec reſtringere, ſed eam ſolùm reſervant reſpectu eorum, qui ad hoc non ſunt privilegiati, prout etiam ex Peyrinis *to. 1. de ſubdit. Q. 1. cap. 21.* advertit Donatus *to. 3. tr. 4. Q. 41.* Ex quibus patet quoque diverſitas, quæ circa votorum diſpenſationem intercedit inter Epiſcopos & Regulares privilegiatos. Epiſcopis quippe competit poteſtas diſpenſandi de Jure ordinario, Regularibus verò tantùm ex delegatione ac privilegio Pontificio: & hinc cùm Epiſcopi jurisdictio ſit ordinaria, reſpicit præcisè ſubditos proprios: econtra cùm Regularium poteſtas diſpenſandi ac jurisdictio ſit ex conceſſione & privilegio S. Pontificis delegata, ſe extendit ad omnes Chriſti fideles accedentes ad Confeſſarios Regulares approbatos & deputatos ad diſpenſandum in votis.

Dixi autem in concluſione: *ex-* 34
ceptis quinque votis S. Pontifici ſpecialiter reſervatis, quæ ſunt votum Religionis approbatæ, caſtitatis perpetuæ, trium peregrinationum, nempe ad Terram S., ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & Compoſtellam ad S. Jacobum, quæ Jure communi per extravagantem Sixti IV. *Etſi dominici inter communes 5tam. de pœnit. & Remiſſ.* hodie ſoli ſunt reſervata S. Pontifici, quæque in relatis Bullis excepta cenſentur per illa verba: *dummodo propter ea ſedes Apoſtolica non ſit conſulenda.* Quam ob rem etiam in generali conceſſione diſpenſandi aut comutandi vota cenſentur hæc quin-

que

Digitized by Google

que excepta, prout ſatis apertè id indicat præfatus Sixtus IV. in cit. Extravag. ubi ſimul prohibet, ne quis audeat ea commutare aut diſpenſare, *niſi ex ſpeciali licentia & ſcientia noſtra*, ſimulque declarat, tum eam cenſeri factam eſſe, *cùm in ſignatura noſtra deſuper manu noſtra ſcriptum aut in litteris noſtris expreſſum fuerit*: unde poſt tam expreſſam declarationem dubitari amplius nequit, quòd in generali conceſſione diſpenſandi ac commutandi vota à S. Pontifice facta, non veniant hæc quinque vota: eſt enim in Jure omni materiæ reſervatæ commune, quòd in facultatibus generalibus non cenſeatur ulla in eam conceſſa poteſtas, niſi expreſsè declaretur, atque hinc etiam juxta ſtylum curiæ, quando datur facultas in reſervata, ſolet diſtinctè exprimi. Quia verò hæc ipſa quinque votorum reſervatio maximè odioſa eſt, utpote reſtringens conceſſam poteſtatem ac juriſdictionem, omninò ſtrictè interpretanda venit: econtra poteſtas diſpenſandi, cùm ſit gratia & beneficium ſummi Principis ſcil. Papæ in nullius cedens præjudicium, ſed potius in plurimorum ſalutem, largiſſimè & pleniſſimè interpretari debet juxta *cap. 16. de V. S.* & *cap. 22. de privileg.* ita ut ſolumodo hæc quinque vota comprehendat, cùm ſtrictè ac rigoroſè talia ſunt, qualia cenſentur eſſe vota propriè dicta, quoad conſenſum perfecta, certa, abſoluta, determinata, & quoad ſubſtantiam integra: econtra verò quandocunque in illis deficit materia aut ratio voti reſervati, nec ſunt vota propriè dicta, imperfecta, dubia, conditionata, disjunctiva, partialia non cenſeantur eſſe reſervata, ſed diſpenſari poſſint ab habente poteſtatem diſpenſandi. Quod ipſum tamen ut meliùs intelligatur

Dico 2dò. *Poſſunt Canonici Regulares cum ſæcularibus diſpenſare in quinque votis S. Pontifici reſervatis caſu quo vota iſta non ſunt propriè dicta aut perfecta.* 35.

Ratio eſt; quia S. Pontifices ſolùm ſibi cenſentur reſervare vota propriè dicta atque perfecta: ergo ſi talia non ſint, diſpenſare in iis licebit Canonicis aliisve Regularibus privilegiatis. Atque hinc diſpenſari poſſunt promiſſiones ſacræ Sanctis quibusdam ac Beatiſſimæ Virgini ſine relatione ad Deum factæ, etiam in materia Religionis ac caſtitatis; quia votum eſt eſſentialiter promiſſio Deo facta; ſic etiam diſpenſari poſſunt vota, quibus deeſt perfecta voluntarietas, libertas ac deliberatio; his enim deficientibus non ſunt perfecta; atque hinc diſpenſari poſſunt vota impuberum, eo quòd ante pubertatem imperfecta ſit deliberatio aut libertas ac judicium immaturum: unde eſt, quòd impuberes non poſſint ante pubertatem eligere ſtatum

Digitized by Google

natura ſua perpetuum; diſpenſari quoque poſſunt vota caſtitatis & Religionis emiſſa ex metu etiam levi ad ea extorquenda injuſtè incuſſo, ùt poſt Navarrum, Sanchez, Henriquez, Laymann, Bonacina docet Diana *p. 1. tr. 11. Reſol. 37.* tum quia etiam metus levis tollit perfectam deliberationem, adeoque perfectam promiſſionis obligationem: tum quia cenſendus non eſt S. Pontifex votum ita emiſſum reſervare, ne videatur injuriantis favere iniquitati; ſimiliter diſpenſari poſſunt vota Religionis & caſtitatis cum expreſſa intentione facta obligandi ſe tantùm ſub veniali, vel ad pœnam tantùm; quia ejusmodi vota valde deficiunt à voti perfectione, & leviſſima reputantur adeò quidem ut plures cenſeant, promiſſiones iſtas neque mereri nomen voti; & ratio ulterior eſt, quia obligatio voti pendet ex intentione voventis, & reſervatio verſatur tantùm circa ea, quæ habent gravitatem materiæ, ſimulque ſupponit obligationem gravem: unde quando ſpecies aliqua peccati reſervatur, ſi hoc non ſit mortale, non cadit ſub reſervatione.

36 Dico 3tiò. *Poſſunt Canonici Regulares cum ſæcularibus diſpenſare in quinque votis S. Pontifici reſervatis, quando non ſunt certa, ſed dubia.*

Ratio eſt; quia reſervatio cùm ſit odioſa ſtrictè accipienda eſt, & conſequenter reſtringenda ad caſus certos, nec extendenda ad dubios; atque hinc in ejusmodi votis S. Pontifici reſervatis diſpenſare licebit quotiescunque rationabiliter dubitatur, an votum tale ſit validum, an ſit reſervatum ſive ratio dubii oriatur ex parte materiæ, quia vel non eſt integra ac perfecta, vel ex defectu libertatis vel ex alio capite: ſive ſit dubium Juris, ſive facti ſive utrumque ſimul: ſive denique dubium ſit negativum ob conjecturas inſufficientes ad formandum ac determinandum judicium, ſive poſitivum ex opinionibus probabilibus ortum, quamvis iſtud dubium non ſufficiat ad excuſandum voventem ab obligatione voti; nam ſi dubium excuſet ab obligatione voti, nulla opus eſt diſpenſatione, ut ſi poſt adhibitam debitam inquiſitionem maneas dubius, an votum emiſeris nec ne, non teneris voto, quia pro tali caſu ſtat præſumptio pro libertate, neque facta præſumuntur ſed probari debent. Hinc autem deducitur poſſe diſpenſare Canonicos aliosve Regulares privilegiatos in voto caſtitatis perpetuæ, quando vovens certò quidem ſcit ſe id emiſiſſe, rationabiliter verò dubitat, an habuerit uſum rationis, an intentionem vovendi, an animum ad eam ſeſe obligandi ſub gravi: quando rationabiliter dubitat, an promiſerit caſtitatem perpetuam, an

dun-

duntaxat abſtinentiam à nuptiis, vel à fornicatione: quando vovens ſcit quidem ſe emiſiſſe votum peregrinationis, dubitat verò an Romanam an Lauretanam, imò non improbabiliter cenſent Suarez, Layman, & alii id verum eſſe, etiamſi vovens magis inclinaret in eam partem, quòd voverit peregrinationem Romanam, quamdiu manet incertus, quia hæc major inclinatio non tollit dubium; quouſque verò id perſeverat, non ligatur reſervatione voti.

37 Dico 4tò. *Poſſunt quoque Canonici Regulares cum ſæcularibus diſpenſare in quinque votis S. Pontifici reſervatis, quando non ſunt abſoluta, ſed emiſſa vel ſub conditione pœnali de futuro, vel ſub conditione in futurum pendente & contingente, licèt ea poſtea eveniat, ac purificetur.*

Ita quoad utramque partem Leander *part. 1. tr. 5. Diſp. 14. quæſt. 128.* & *part. 2. tr. 1. Diſp. 17. quæſt. 105.* Boſſius *de Jubil. ſect. 2. caſu 10. n. 35.* Sanchez *L. 4. moral. cap. 40. n. 94.* & *L. 8. de matrim. Diſp. 10. n. 13.* Aſcan. Tambur. *de Jure Abbat. to. 2. Diſp. 19. quæſ. 10. n. 39.* Palao *tr. 15. Diſp. 2. punct. 12. n. 15.* Portel. *in Reſponſ. moral. p. 3. caſ. 46.* Anton. Gomez *in Bull. Cruciat. clauſ. 10. n. 99.* Petrus de Ledesma *part. 2. tr. 10. cap. 8.* Toletus *L. 4. cap. 18. n. 11.* Henriquez *L. 7. de indulg. cap. 30. n. 6.* Diana *part. 1. tr. 11. Reſol. 54. & 69.* & *part. 6. tr. 8. Reſol. 16.* Bordonus *to. 1. Reſol. 5. per totum.* Bruno Chaſſaing. *de privileg. tr. 5. cap. 5. propoſ. 1. & 2.* Candidus *to. 2. diſquiſ. 2. art. un. dub. 6.* Vidal *de voto. inquiſit. 3. n. 84.* Gabriel à S. Vincent. *part. 4. Diſp. 9. de Sacram. Matr. quæſt. 6. & 7.* Urbanus ab Aſcenſ. *tr. 2. p. 2. diſt. 1. cap. 4. Reg. 2.* Antonius à Spiritu S. *in Direct. Regul. tr. 2. Diſp. 3. ſect. 2. n. 82.* Villalobos *part. 2. tr. 34. difficult. 26.* Trullench. *in Bull. Cruciat. L. 1. §. 7. dub. 7.* & *in Decal. L. 2. cap. 2. dub. 40.* Mendo *in eandem Bull. Diſp. 26. cap. 7.* Andreas à Matre Dei *to. 4. de voto. tr. 17. cap. 3. punct. 12. n. 114. & ſeqq.* Giribaldus *cap. 6. n. 86.* Rotarius *to. 2. L. 1. cap. 5. punct. 3. n. 15.* & alii partim contra Sotum *L. 7. de Juſtit. quæſt. 2. art. 1.* Covarruv. *de pact. 1. p. §. 13.* Gutierez *QQ. Canonic. L. 2. cap. 22.* Azor. *part. 1. dub. 11. cap. 10. quæſt. 3.* & *cap. 19. qu. 13.* qui volunt, quòd vota ſive fuerint purè conditionalia ſive pœnalia ſint reſervata conditione adimpleta, non minùs quàm alia vota de eadem reſervata: partim contra Suarez *L. 6. de voto cap. 22. à n. 11.* & *cap. 23. à n. 6.* Rodriq.

in

Digitized by Google

in ſum. to. 2. cap. 92. Leſſium *L. 2. cap. 40. dub. 18.* Bonacinam *punct. 7. §. 4. n. 17.* qui licèt concedant, quòd vota pœnalia in materia reſervata ac impleta conditione non ſint reſervata, cùm non emittantur ex affectu ad rem promiſſam, volunt tamen, quòd vota purè ac propriè conditionata purificata conditione fiant reſervata. Verùm contra utroſque

38 Probatur concluſio noſtra univerſaliter; quia reſervatio utpote tam voventi, quàm diſpenſanti onerosa & odioſa comprehendere ſolùm debet vota ex natura ſua perfecta & emiſſa cum plena & directa voluntate & affectu erga rem honeſtam voto promiſſam: ſed nec vota pœnalia nec purè conditionata ſunt ex natura ſua perfecta, aut emiſſa primariò & directè ex amore honeſtatis ipſa vota veſtientis, ſed cenſentur fieri majori affectu in conditionem ſub qua fiunt, quàm in rem promiſſam, de qua fiunt, ùt patebit conſideranti: ergò reſervatio non comprehendit vota pœnalia aut purè conditionata; & quidem quod ad vota conditionata pœnalia attinet, quibus quis vovet caſtitatem ſi luſerit, Religionem ingredi ſi fornicatus fuerit, Romam peregrinari ſi ſe inebriaverit, communis eſt Doctorum ſententia, quos magno numero refert Sanchez L. *8. de matrim. Diſp. 10. n. 8.* & *Libr. 4. moral. cap. 40. n. 91.* aliique plures eandem ſecuti, ejusmodi vota non eſſe reſervata, id quod etiam per ſe patere videtur; quia ante impletam conditionem ſeu delictum commiſſum nondum eſt votum caſtitatis, Religionis, peregrinationis reſervatæ, ſed ad ſummum eſt votum non ludendi, non fornicandi, non ſe inebriandi, quæ vota nullatenus ſunt reſervata; poſt impletam verò conditionem vota iſta pœnalia non tendunt in rem ſub conditione promiſſam directa voventis voluntate ex affectu & amore honeſtatis, ſed tanquam in rem afflictivam ac pœnoſam quam mallet evitare potiùs quàm incurrere, ideoque potiùs eſt objectum averſionis quàm amoris: atque adeò ejusmodi vota, quibus vovens optaret nunquam debere reddere quod promiſit in pœnam ſubire, ſunt valdè imperfecta, cùmque inſuper non ſint ſimpliciter voluntaria ſed tantùm ſecundùm quid, neque etiam ſunt ſimpliciter reſervata.

Quod attinet vota purè ac merè conditionata conditione in futurum pendente & contingente, quibus aliquis v. g. vovet caſtitatem ſervare, ſi luſerit, Religionem ingredi, ſi è fatali morbo convaluerit, Romam peregrinari, ſi naufragium evaſerit &c. & hæc quoque vota non eſſe reſervata ante completam conditionem docent Authores omnes etiam contrariæ ſententiæ Patroni, & ſic pendente conditione poſſe diſpenſari à quocun- 39

cunque, qui alia vota relaxare poteſt; tum quia tunc nondum ſunt perfecta, completa, & abſoluta: tum quia reſervatio utpote odioſa debet intelligi de obligatione perfecta, & conſummata: ſed votum v. g. caſtitatis, Religionis ingrediendæ, aut peregrinationis Romanæ ineundæ conditione pendente non gignit perfectam & conſumatam obligationem; cùm hæc poſt adimpletam conditionem & non antea generetur: ergò ante adimpletam conditionem tale votum non eſt reſervatum. Quòd autem nec poſt conditionem purificatam ſint reſervata, probatur: quia licèt purificata conditione obligatio voti reddatur pura & abſoluta, attamen radix hujus obligationis fuit imperfecta voluntas à futuro eventu & contingenti dependens, cúmque hæc imperfecta voluntas ſit ex natura ſua imbibita in obligatione, ſemper etiam poſt impletam conditionem verum manet, hanc obligationem eſſe ortam ex conſenſu imperfecto & diminuto, neque factam eſſe ex affectu pleno ac directo in honeſtatem rei promiſſæ, ſed vel ex amore alterius rei vel boni obtinendi ſcilicet valetudinis recuperandæ, vel ex timore alicujus mali imminentis nempe naufragii ac ſpe id evadendi, quæ omnia faciunt votum non abſolutè ac ſimpliciter voluntarium, atque adeò nec reſervatum S. Pontifici, cùm ſemper præferat conditionem rei promiſſæ, ſiquidem iſtam dependenter ab illa promittit, & ſic principalis affectus & voluntas eſt ad conditionem: non ergo perfectè & completè tendit ex affectu ad rem promiſſam: cùm ergo vota reſerventur tantùm ratione materiæ promiſſæ, & reſervatio intelligenda ſit ſecundùm omnes de votis perfectè ſe habentibus & completis; utique etiam intelligenda eſt de votis perfectè ſe habentibus circa voluntatem & affectum ad materiam promiſſam, ratione cujus reſervantur; quo proinde non ſtante, ùt in omnibus votis conditionatis contingit, non datur reſervatio illorum votorum, etiamſi conditio ſit impleta ac purificata, ùt docet Andreas à Matre Dei *to. 4. tr. 17. cap. 3. punct. 12. n. 115.* Quod ipſum confirmari poteſt à pari cum voto conditionato pœnali, quod etiam purificata conditione trânſit in abſolutum, & tamen nec juxta adverſarios cenſetur eſſe reſervatum non ex alia ratione, quàm quòd conſenſus in radice ſua ſit imperfectus, & hanc imperfectionem retineat etiam quando votum fit abſolutum & conditio eſt purificata: ergo cùm hæc eadem ratio pugnet etiam pro voto merè conditionato non pœnali, nec iſtud cenſendum eſt eſſe reſervatum. Verùm quidquid ſit, certum eſt apud omnes fermè DD. votum non eſſe reſervatum, cùm dubitatur an ſit reſervatum, ùt ex dictis n. præc. conſtat: ſed certum pariter eſt hic & nunc eſſe dubium tum ob authoritatem graviſſimorum DD. pro ſententia noſtra pugnantibus,

bus, tum ex rationibus non minus gravibus: ergo certum quoque debet eſſe, vota hæc conditionata, de quorum reſervatione dubitatur, non eſſe reſervata.

40 Neque dicas: promiſſio conditionata impleta conditione tranſit in abſolutam, eoſdemque ſortitur effectus, quos eſſet ſortita, ſi ab initio fuiſſet abſolutè facta, ſicut omnes alii contractus & promiſſiones ſub conditione factæ, ea eveniente fiunt abſolutæ, omnemque pariunt obligationem, ac ſi absque conditione fuiſſent factæ juxta *L. Potior. ff. qui potiores in pignore*; atque ſic etiam ſponſalia conditionatè facta conditione purificata inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, ùt docent AA. communiter. ℟. enim; quamvis promiſſio conditionata impleta conditione obligationem pariat atque perficiat, modum tamen promittendi aut vovendi non mutat, neque tollit imperfectionem affectûs & conſensûs, qui in ſua radice manet imperfectus, minusque voluntarius: quod ad tollendam reſervationem ſufficit, utpote quæ cùm odioſa ſit atque adeò ſtrictè interpretanda, ad ejusmodi vota conditionata, & in cauſa ac radice ſua imperfecta nec ſimpliciter voluntaria extendi non debet; & hinc paritas cum aliis contractibus & promiſſionibus ſub conditione factis nihil facit ad rem, quæ licèt, ſicut etiam vota conditionata, impleta conditione obligationem pariant, non tamen ſubjacent alicui reſervationi, & ſi ſubjacerent ob eandem tamen rationem non cenſerentur eſſe reſervatæ; atque hinc etiam negatur paritas cum ſponſalibus inſtituta; nam in his quoad impedimentum publicæ honeſtatis inducendum ſpectatur ſolus eorum valor: at in reſervatione votorum perfectus in rem promiſſam conſenſus, qui cùm in ſuo principio, quod *ex L. nam origo ff. quod vi aut clam.* maximè ſpectari debet, fuerit imperfectus, non redditur perfectus per impletam conditionem.

Dixi autem in concluſione, *ſi* 41
ejusmodi vota ſint emiſſa ſub conditione in futurum pendente & contingente; nam vota emiſſa de præſenti vel de præterito propriè conditionata non ſunt, ſed potiùs inter abſoluta recenſenda ſunt; quia in iſtis votis non ſuſpenditur obligatio, ſed quamprimum emiſſa ſunt, ſtatim obligant, cùm à futuro eventu non pendeant. Hinc neque illa vota conditionata ſunt, quæ ſolùm executionem, non autem obligationem ſuſpendunt, usq; dum eveniat conditio, ùt v. g. voveo ingredi Religionem, ſi 20. annum attigero, ſi pater obierit, quæ conditiones potius reſpiciunt tempus executionis, quam ipſam obligationem, utpote quæ ſtatim ac emiſſum eſt votum, de præſenti contrahitur: & particula *ſi* in ejusmodi dictionibus æquivalet particulæ *quando* ita ut ſenſus ſit: voveo Religionem ingredi quando pater obierit, quando 20. annum attigero: & quia in tali

Digitized by Google

caſu votum fertur directè in ipſam Religionem, dilatâ tantùm executione ad aliquod tempus, ideò votum eſt in rigore abſolutum. Idem dicendum eſt de conditionibus futuris ſed neceſſariis quæ hoc ipſo quòd neceſſariæ ſint, nequeunt ſuſpendere obligationem, ſed tantùm executionem obligationis contractæ pro eo tempore, quo erit conditio neceſſariò futura; cùm enim ejuſmodi conditio jam ſit determinata in cauſa, pro præſente & jam exiſtente habetur: atqui ſi præſens eſſet & jam exiſteret, ſtatim obligationem induceret: igitur eam inducet, etiamſi nondum exiſtat. Idem quoque pariformiter dicendum eſt de conditionibus contingentibus futuris, quæ communes ſunt ac velut imbibitæ in omnibus votis, ſemperque ſubintelliguntur, etiam ſi non exprimantur; tales ſunt ſi vixero, ſi potuero, ſi Deus voluerit, quæ conditiones cùm ſemper ſubintelligantur, nequeunt naturam voti variare, etſi apponantur expreſsè. Verbo: vota emiſſa ſub conditione de futuro neceſſaria vel contingente quidem, ſed de præſenti vel præterito, reſervatis annumerari debent, quia apparenter tantùm conditionata ſunt, reipſa autem abſoluta; & licet fortè cùm diſplicentia quadam rei promiſſæ ſint edita, præſtitus tamen in ea conſenſus integer eſt atque perfectus.

42 Dico 5tò. *Poſſunt Canonici Regulares cum ſæcularibus diſpenſare in votis S. Pontifici reſervatis, quando non ſunt determinata, ſed disjunctiva & alternativa.*

Ita communis Authorum; ratio eſt, quia tale votum non eſt determinatè de re reſervata, neque ad eam ſimpliciter obligat; nam in alternativis electoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri, ùt habet *Reg. 70. in 6.* cùm igitur ſit in poteſtate voventis tanquam electoris eligere partem non reſervatam, votum hujusmodi reſervatum dici non debet. Et hinc votum hujusmodi indeterminatum, quo quis vovet caſtitatem vel jejunium diſpenſari poteſt etiam poſtquam vovens propoſuit eligere caſtitatem præ jejunio, modò illam abſolutè non promittat ac determinatè voveat, ùt docent Suarez, Layman, Filliuccius; quia ejuſmodi propoſitum non immutat rationem voti præſuppoſiti, quod eſt diſpenſabile. Quin imò ejuſmodi votum manet diſpenſabile, etiamſi altera pars non reſervata fiat ſucceſſu temporis impoſſibilis, atque ſic vovens determinatè obligetur ad partem reſervatam, quia id non provenit ex intentione voventis, ſed ex eventu per accidens ſecuto; facta autem electione partis reſervatæ, ſi electio ſit plena & deliberata ita ut ab ea non poſſit amplius reſilire, votum ſtatim fit reſervatum;

quia hæc deliberata electio reputatur novum votum, quod cùm ſit de materia reſervata, erit utique & ipſum reſervatum. Ex quo capite & illud ſequitur, quòd diſpenſari poſſit votum, in quod S. Pontifex votum ſibi reſervatum commutavit v. g. caſtitatis perpetuæ in jejunia, aut certas preces; quia cùm votum non ſit ex natura ſua reſervatum ſed tantùm ratione materiæ, ſublata materia reſervata, cenſetur quoque ſublata reſervatio: neque reſervatio prioris voti cùm odioſa ſit, extendi debet ad materiam ſubrogatam ſine ſpeciali declaratione ſubrogantis. Neque hic valet illa regula Juris: *ſubrogatum ſapit naturam ejus cujus loco ſubrogatur L. un. C. de rei uxor. action.* nam hæc procedit tantùm in iis, quæ ſunt intrinſeca rei, cui aliquid ſubrogatur, non in accidentalibus, inter quæ computatur reſervatio: præterea hæc regula locum habet tantùm in favorabilibus, non verò in odioſis; & hinc ſi S. Pontifex commutet votum caſtitatis perpetuæ in jejunium pariter perpetuum, licebit in hoc ex juſta & rationabili cauſa diſpenſare, aut illud in aliud opus bonum iterum commutare; debet tamen à petente diſpenſationem explicari, quale fuerit primum votum, ne diſpenſans vel commutans aliquid temerè & ſine juſta cauſa remittat de materia ſubrogata, ùt pluribus explicat Lugo *in Reſponſ. moral. dub. 41. a. n. 7.* & Andreas à Matre Dei *punct. 12. n. 109.* (*Adde*; cum in ejusmodi commutationibus ſpectanda ſit intentio commutantis, ea verò intentio ſubſtet legibus prudentiæ, videtur profectò, etiam materiam ſubrogatam remanere ſub diſpoſitione Romani Pontificis. Neque enim obligatio tam ardua, cujus reſolutio ſoli reſervatur ſummo Capiti, communiter exigit adeò immutari, ut fiat diſpenſabilis facili cujusvis privati Religioſi privilegiati arbitrio.

Dico 6tò. *Poſſunt Canonici Regulares cum ſæcularibus diſpenſare in votis S. Pontifici reſervatis, quando non ſunt quoad ſubſtantiam perfecta atque integra, ſed partialia tantùm.* 43

Ita rurſus communis; ratio eſt, quia hujusmodi vota quoad ſubſtantiam non perfecta nec integra deficiunt à perfectione voti reſervati tam ratione materiæ, quæ vel eſt tantùm partialis, vel ſaltem non integra ac totalis, quàm ratione conſenſus, qui taliter non eſt perfectè voluntarius, quibus ſtantibus à reſervatione eximitur votum; unde non ſunt reſervata atque adeò diſpenſari poſſunt vota non contrahendi matrimonium, non fornicandi, non tangendi turpiter mulierem, non polluendi, non exercendi certum actum venereum, quia ſingula ex his votis non reſpiciunt adæquatam & integram

mate-

Digitized by Google

materiam caſtitatis, nec dici poſſunt vota caſtitatis ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid & partialia; nec reſervata ſunt vota caſtitatis pro certo tantùm tempore v. g. ad duos, quinque vel decem annos emiſſa, quia non ſunt vota caſtitatis perpetuæ, utpote quæ debent eſſe promiſſiones perpetuæ abſtinendi à quocunque actu venereo etiam licito ac pro omni tempore; aliter tamen ſentiendum, ſi votum ejusmodi eſſet emiſſum ad 100. annos, quia tale votum habetur pro voto caſtitatis perpetuo, cùm vita hominis præſertim jam adulti, non duret ultra, unde cenſendum eſt eſſe reſervatum; ſic nec reſervatum eſt votum virginitatis intendendo ſolummodo integritatem corporis aut clauſtri ſervandam, in primo actu luxuriæ conſiſtentem, quia hoc non eſt votum caſtitatis perpetuæ, quæ omnem omninò actum, virginitate etiam deperdita, excludit venereum; in dubio tamen præſumitur eſſe votum caſtitatis perpetuæ, quamdiu de oppoſita voventis intentione non conſtat. Neque reſervata ſunt vota plura partialia ſeorſim diverſis vicibus emiſſa, etſi ſimul ſumpta conſtituant perfectum caſtitatis votum, modò ultimum partialis caſtitatis votum non fuerit emiſſum cum formali intentione obligandi ſe ad perfectam caſtitatem aut uniendi hoc ultimum cum præcedentibus, ut cùm quis nunc voveat nullam ducere uxorem, deinde poſt annum nunquam ſe polluere, poſtea non fornicari, ac tandum nullum actum venereum committere, quia hæc vota non uniuntur inter ſe ad conſtituendum unum perfectæ caſtitatis votum, ſed ſunt omninò diſparata ita ut unum poſſit conſiſtere ſine alio, ac poſteriora ſe tantùm habent per accidens ad priora; ſic etiam non ſunt reſervata vota caſtitatis, quando ſunt acceſſoria & dependentia ab alio voto principali, in quo diſpenſare poteſt Regularis, tum enim ſublato per diſpenſationem principali, ceſſat acceſſorium quoque, ut ſi quis voveat non amplius ludere ſub pœna ſervandæ caſtitatis, non fornicari ſub pœna peregrinandi Romam, ùt docent Navarrus, Leſſius, Azor, Bordonus, Baſſæus *V. votum. 7. n. 18.* quia acceſſorium ſequitur principale: ergo ſublato principali voto, tollitur neceſſariò & acceſſorium; ſimiliter nec reſervata ſunt vota aſſumendi SS. Ordines, vota emittendi votum Religionis aut caſtitatis, quia non ſunt vota caſtitatis promiſſæ, ſed promittendæ, ſuntque tantùm vota aſſumendi ſtatum, in quo caſtitas obſervatur, quæ non ſunt, nec cenſentur eſſe reſervata.

Sic pariter reſervatum non eſt atque adeò diſpenſari poteſt votum caſtitatis conjugalis ſervandæ; quia iſtud votum non eſt caſtitatis ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid; nam emittens tale votum poteſt licitè matrimonium contrahere; neque reſervatum eſt votum quo alter 44

vel uterque conjugum absque alterius licentia, vel etiam cum illa ſe adſtrinxit ad non petendum debitum: quo item uterque conjugum communi conſenſu promiſit, ſe non petiturum, nec redditurum debitum; in his enim votis non promittitur totalis & adæquata caſtitas, ſed tantùm partialis & inadæquata; nam eo matrimonio ſoluto liberum manet utrique ad ſecundas tranſire nuptias, nec adulterando peccant contra votum; ſic diſpenſari poteſt votum caſtitatis etiam perpetuæ nòn ſolùm quoad debiti petitionem ſed etiam quoad totum votum caſtitatis, ſi conſummato matrimonio alteruter conjugum ſine alterius licentia, vel etiam cum eadem, absque muto tamen pacto aut ceſſione Juris petendi debitum continentiam perpetuam promiſerit, ùt docet Sanchez *L. 8. de matr. D. 11. à n. 9.* & *D. 15. n. 7.* & alii. Ratio eſt; quia hujusmodi votum non eſt votum caſtitatis ſimpliciter, perfectæ & integræ, hoc ipſo, quòd maneat obligatio reddendi debitum conjugale, ſed limitatæ tantum ac partialis ſcilicet non petendi debitum, nec extra conjugium faciendi quidquam Caſtitati repugnans, quo tamen non obſtante poteſt ac tenetur reddere debitum, quotiescunque exigitur; ſic diſpenſari quoque poteſt votum caſtitatis ad petendum debitum cum eo, qui poſtquam illud emiſit, contraxit matrimonium ac conſummavit quamvis illicitè ùt docent Vivaldus, Miranda, Sanchez, Sayrus, Bordonus, Boſſius, Donatus, plures alii, idque deducunt ex privilegio S. Pii V. FF. Minoribus conceſſo; ratio verò eſt, quod quamvis votum perpetuæ caſtitatis ſit Papæ reſervatum, tamen diſpenſans in conjugato quoad petendum debitum, non diſpenſat in voto, cùm vovens remaneat eodem voto ligatus, neque poſſit ſecundam ducere, ſi præmoriatur conjux, & ſacrilegè peccet contra votum ſi actus libidinoſos exerceat, ſed diſpenſat ſolùm in aliqua voti parte & quidem pro eo tantùm tempore, quo ſpectata fragilitate humana impoſſibile eſt illud quoad eam partem ſervare; quod ipſum Sanchez, Sayrus, Boſſius & alii ab his citati extendunt etiam ad votum diſpenſandum ante matrimonium conſummatum, quibus tamen ſeſe opponit Azorius *p. 1. L. 11. cap. 19. q. 20.* eò quòd tali caſu etiam poſt matrimonium ratum vovens integrè poſſit votum ſuum Deo reddere per ingreſſum Religionis editamque in ea profeſſionem, vel ſaltem per continentiam in matrimonio quantum in ſe eſt obſervatam; verùm cùm hoc utrumque medium ſit longè difficillimum & maximè arduum, ac ingreſſus in Religionem neque ſit à vovente promiſſus nec virtualiter in voto caſtitatis incluſus, & præterea neceſſitas cohabitandi cum conjuge ſit inevitabilis ſimulque conjuncta cum maximo periculo transgrediendi votum, vix enim eſt poſſibile, ut qui matrimonium non obſtante

ſtante voto contraxit, abſtineat à conſumatione matrimonii ratione ejusdem voti, hinc in praxi probabilior eſt ſententia Sanchezii & ſequacium, quam etiam amplectuntur Leſſius *de I. & I. L. 2. cap. 40. dub. 18. n. 185.* Palao *punct. 12. n. 10.* Leander *D. 17. q. 121.* quod in tali caſu Regulares poſſint diſpenſare ad petendum debitum, ita tamen, ut quoad cætera maneat voto caſtitatis obligatus, ac conjuge mortua non poſſit aliam ducere, niſi poſt diſpenſationem à S. Pontifice impetratam; ſiquidem verò aliquid interea contra caſtitatem admittat, ſive fornicando, ſive polluendo, ſive actus turpes cum aliis exercendo, aut moroſè delectando, ſemper peccat peccato ſacrilegii.

45 Similiter reſervatum non eſt adeóque diſpenſari poteſt votum ingrediendi Religionem non approbatam ab Eccleſia; quia per votum Religionis reſervatum intelligitur votum Religionis approbatæ, & cùm Religio non approbata in rigore non ſit Religio, neque votum illius eſt votum Religionis. In voto paupertatis quoque & obedientiæ in ſæculo v. g. Confeſſario promiſſæ; quia non ſunt verè vota Religionis, neque iſta reſervantur ſecundum ſe, ſed præcisè ut ſtatum clauſtralem & regularem conſtituunt; diſpenſari etiam poteſt in voto ingrediendi Religionem ſtrictiorem, ita ut vovens, ſi velit, poſſit ingredi mitiorem, quia per hoc non diſpenſatur in voto Religionis quoad ſubſtantiam, quod ſolum eſt reſervatum, ſed ſolùm diſpenſatur quoad modum: qui non eſt reſervatus: neque per hoc tollitur ſubſtantia voti, utpote quæ reperitur etiam in laxiori & minus ſtricta, & quidem quoad ingreſſuros Ordinem Canonicum, id expreſsè conceſſerunt SS. Pontifices Sixtus IV. Julius II & alii. Diſpenſare pariter licet in voto perſeverandi in Religione, ita ut vovens poſt ſuſceptum Religionis habitum poſſit tempore Novitiatûs ſeu probationis iterum exire, ſi expertus Religionis auſteritates inveniat illum ſtatum minimè ſibi convenientem; quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis, ſed in ejus qualitate adjuncta; votum enim perſeverandi in Religione eſt virtute diſtinctum à voto ejusdem, cui ſatisfieri poteſt, ſi is qui vovit Religionem, eandemque ingreſſus tempore probationis invenit eam naturæ ſuæ minùs convenientem, ac proinde exeat, ùt colligitur ex S. Thoma *2.2. Q. 189. art. 4.* & docent Navarrus *L. 3. de voto. Conſil. 25.* Sanch. *L. 9. D. 19. de Matr. n. 18. & cap. 40. Mor. n. 75.* Bonacina *D. 4. q. 2. punct. 5. §. 6. n. 22.* Paſſerinus *Q. 189. art. 4.* & alii, qui dicunt votum Religionis obligare quidem ad ingreſſum abſolutè, ad perſeverantiam verò tantùm, quando non adeſt juſta cauſa, non autem quando talis intervenit, ut ſi nequeat Religionis auſteritates tolerare, ùt iterum docet Sanch. Bordonus, Boſſius, Leſſius *in Actuar. V. votum caſ. 3.*

ac & alii paſſim. Diſpenſare denique licet in differenda voti Religionis executione, quia hoc non eſt diſpenſare in ſubſtantia voti, ſed tantùm in aliqua ejus qualitate & circumſtantia, ſcilicet quoad celeritatem executionis; videndum tamen ne voti executio tamdiu differatur, quo periculum eſt, ne vovens in eum deveniat ſtatum, in quo reddatur impotens ad perſolvendum votum.

46 Reſervata denique non ſunt, ſed diſpenſari vota trium peregrinationum quando non fiunt ex devotione, ſed ex curioſitate vel alio fine indifferenti v. g. viſendi exteras regiones, eruendi antiquitates &c. quia hujuſmodi vota non ſunt actus Religionis: vota autem trium peregrinationum reſervata, ſupponuntur eſſe actus à Religione & à fine ſupernaturali profecti; diſpenſare quoque licet in qualitate votis peregrinationum annexa, qualis eſt ire pedibus ad limina Apoſtolorum, vel peregrinandi Compoſtellam mendicando, ut ita vovens peregrinari poſſit equitando & expenſas ad tantum iter neceſſarias ſecum accipiendo; quia hoc non eſt diſpenſare quoad ſubſtantiam voti, ſed tantùm quoad circumſtantiam per accidens adjunctam: ideoque non diſpenſatur in voto reſervato ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid quoad modum, & circumſtantiam ſecundùm quam illa vota non ſunt reſervata. Sic etiam diſpenſare licet in voto non petendi diſpenſationem ab alio, quàm à S. Pontifice; quia privata voventis intentio nequit limitare aut reſtringere jurisdictionem habentis poteſtatem diſpenſandi. Quæ omnia hìc ſtrictim recenſita pluribus elucidantur ſuis quæque locis ab Authoribus tum Theologis tum Canoniſtis. Ratio verò horum omnium univerſalis eſt, quia reſervatio votorum utpote odioſa & à communi Jure exorbitans atque reſtringens jurisdictionem habentis poteſtatem diſpenſandi ſtrictè interpretanda eſt, & conſequenter reſervatio votorum caſtitatis intelligenda eſt de caſtitate & continentia ſimpliciter dicta, perpetua, atque integra: votum Religionis de voto Religionis approbatæ, & quoad totam ſubſtantiam ſuam: votum trium peregrinationum de votis ex pio affectu profectis & ſecundùm ſtatum ſuum ſubſtantialem conſideratis: atqui enumerata hactenus vota non ſunt talia: ergo ſtrictè interpretanda ſunt, ita nempe ut non cenſeantur eſſe reſervata.

His ita de diſpenſatione votorum S. Pontifici reſervatorum expeditis nova ſuboritur controverſia, 47
an in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis, quo non licet adire S. Pontificem, & graviſſimum imminet periculum, aut grave timetur ex dilata diſpenſatione ſcandalum, infamia, rixæ, ut ſi adſtrictus voto caſtitatis aut Religionis violâſſet virginem, & ad conſervandum illius honorem ac famam neceſſarium eſſet, ma-

trimonium ſine mora ineundum, ne aliàs malitiosè impediatur, ſi differatur: vel ſi morti proximus ad conſulendum honori fœminæ honeſtæ famæ, quam vitiaverat: vel ad legitimandos filios illegitimè prognatos opus haberet matrimonio quamprimùm ineundo, ne dum petitur & expectatur diſpenſatio à S. Pontifice vel alio habente diſpenſandi poteſtatem decedat &c. liceat Canonicis aliiſque Regularibus diſpenſare? Qua in re certum eſſe videtur, poſſe Epiſcopos vel jurisdictionem Epiſcopalem habentes in his aliiſque ſimilibus caſibus gravis & urgentis neceſſitatis cum ſuis ſubditis diſpenſare in votis Papæ reſervatis; quia cùm id rectæ gubernationi Eccleſiæ conveniat & ſaluti animarum ſit plurimùm expediens, credendum eſt S. Pontificem noluiſſe in hoc caſu ſibi diſpenſationem reſervare, ſed eam inferioribus Prælatis remittere & concedere, ùt docet Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 37. n. 8.* Leſſius *L. 2. cap. 40. dub. 18. n. 126. & 127.* Suarez *L. 6. de vot. cap. 26. à n. 6.* Candidus *Diſq. 27. dub. 7.* Sylveſter *V. votum. 4. quæſt. 4.* Leander *tr. 1. Diſp. 17. qu. 117.* Baſſæus *to. 1. V. votum. 7. n. 15.* Thomas Tamburin *in Decal. L. 3. cap. 16. §. 4. n. 37.* Palao *tr. 15. Diſp. 2. punct. 12.* Laymann *L. 4. tr. 4. cap. 8. n. 16.* & alii communiter. Major difficultas eſt de Canonicis aliiſque Regularibus poteſtatem diſpenſandi in votis ſæcularium habentibus, an iidem etiam poſſint in hujusmodi gravis & urgentis neceſſitatis caſibus S. Pontifici cæteroquin reſervatis diſpenſare ſicut Epiſcopi, præſertim ſi S. Pontifex adiri, neque etiam Ordinarius tam citò poſſint conveniri, & periculum ſit in mora? ubi communis Authorum ſententia, ex quibus tamen plerique cauſa ex inſtituto non examinata ab hac ſeſe difficultate paucis expediunt, negativam tenet ex ratione, quòd hæc poteſtas ſit Epiſcopis conceſſa non Jure ordinario, ſed delegato tantùm: licèt igitur Regulares diſpenſare poſſint in votis ſæcularium ſicut Epiſcopi poſſunt Jure ordinario, non tamen ſicut poſſunt Jure delegato: contra quos ulteriùs

Dico 7mo. *Poſſunt Canonici aliique Regulares privilegiati diſpenſare ac commutare ſæcularium vota etiam S. Pontifici ſimpliciter & abſolutè reſervata in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis, quo periculum eſt in mora, nec adiri poteſt S. Pontifex.* 48

Ita Guillielmus Herincx Epiſcopus Iprenſis *Diſp. 4. de voto. quæſt. 6.* Crouſers *in cap. 7. Reg. S. Franc. L. 29.* Vidal. *tit. de voto. Inquiſ. 3. n. 77.* Alviſet *in Muren. Sect. 3. cap. 5. §. 3.* Ludovicus à Conceptione in *Exam. veritat.*

ritat. tom. 1. *tr.* 1. *de matrim. caſ.* 30. Leander à Murcia Capucinus *in Reg. S. Franciſ. cap.* 7. *quaſt.* 7. §. 2. *n.* 56. Franciſ. Pichon. *in tract. de matrim. Diſp.* 6. *cap.* 2. *ſect.* 3. *n.* 113. Bruno Chaſſaing. *de privil. Regular. tr.* 5. *cap.* 5. *Propoſ.* 2. Antonius à Spiritu S. *in Director. Regular. tract.* 2. *Diſp.* 3. *ſect.* 2. *n.* 84. Andreas à Matre Dei *to.* 4. *tr.* 17. *de vot. cap.* 3. *punct.* 11. *n.* 97. Diana *part.* 9. *tract.* 9. *Reſolut.* 61. Ægyd. Kibler *in Collectar. privilegior. part.* 3. *art.* 3. §. 2 ℟. 3. Reiffenſtuel *in L.* 3. *Decret. tit.* 34. *n.* 40. & *in atum in append. de diſpenſ.* §. 11. *n.* 539. Kazenberger *de Legib. cap.* 1. *ſect.* 4. *n.* 380. hancque ſententiam ex intrinſecis principiis veriorem vocat Baſſæus apud Herincx, qui eandem ſententiam in Conſiſtorio Eminent. Cardinalium anno 1629. viſam fuiſſe ac toleratam refert, quibus addi poſſunt omnes illi Authores, qui cum Paſqualigo *de Jubilæo Q.* 306. docent, quòd vi Bullæ Cruciatæ aut Jubilæi poſſint commutari vota Papæ reſervata in omnibus caſibus, in quibus diſpenſant Epiſcopi.

49 Probatur autem concluſio 1. ex privilegio Eugenii IV. quo Canonicis Regularibus Congreg. Lateranenſis anno 1439. per ſimplicem ſignaturam dedit poteſtatem quoscunque Chriſti fideles ab omnibus & ſingulis peccatis abſolvendi ſicut poſſunt Epiſcopi & locorum Ordinarii ex ordinaria juriſdictione, & cum eis in omnibus & ſingulis votis diſpenſandi, eáque commutandi; ſimile privilegium conceſſit quoque Innocentius VIII. quòd nempe poſſint Confeſſarii Regulares diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, in quo privilegio ſe maximè fundant Mendicantes. Hisce addi poteſt privilegium Julii II. Canonicis Regularibus Congr. Bononienſis in Bulla: *Inter cæteros.* 4. *Non. April. Anno* 1512. conceſſum diſpenſandi & commutandi fidelium vota in omnibus caſibus locorum Ordinariis reſervatis, quale privilegium tum ipſe Julius, tum alii S. Pontifices conceſſerunt etiam aliis Ordinibus nón Mendicantibus, quemadmodum Julius II. Olivetanis, & Leo X. Camaldulenſibus. Ex quibus omnibus ſic argumentor: poſſunt Canonici aliive Regulares juxtà relata privilegia diſpenſare in omnibus & ſingulis ſæcularium votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, & quæ ipſis ſunt reſervata: atqui Epiſcopi poſſunt juxta communiſſimam ac probabiliſſimam, etiam adverſariorum, ſententiam diſpenſare in votis etiam S. Pontifici ſimpliciter & abſolutè reſervatis in caſu urgentis neceſſitatis, quo non poteſt adiri S. Pontifex, & in hac caſu cenſentur ipſis ejusmodi vota eſſe reſervata: ergo Canonici aliive Regulares poſſunt quoque in caſu urgentis neceſſitatis, quo adiri non poteſt S. Pontifex, diſpenſare in votis ſæcularium etiam S. Pontifici ſimpliciter & abſolutè reſervatis. Neque dicas: Epiſcopos in hoc caſu diſpenſare Jure non ordinario, ſed delegato:

gato : licet igitur Canonici aliive Regulares poſſint diſpenſare aut commutare vota fidelium in iis caſibus , in quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare Jure ordinario , non tamen id poſſunt in illis caſibus , in quibus Epiſcopi diſpenſant Jure delegato , idque ſatis indicat Eugenius IV. ſupra relatus , dum Canonicis Regularibus concedit poteſtatem abſolvendi & in votis diſpenſandi , ſicut poſſunt Epiſcopi & Ordinarii locorum ex ordinaria juriſdictione. Ita quidem reipſa plures ex adverſariis , ſupponentes Epiſcopum diſpenſantem in caſu urgentis neceſſitatis , diſpenſare ex Jure tantùm delegato , non autem ordinario. Verùm id abſque ſufficienti fundamento dicere videntur ; ille enim dicitur juxta Canoniſtas diſpenſare Jure delegato , qui ex commiſſione & mandato alterius ad unum alterumve particularem caſum delegatus , illius nomine diſpenſat, in quo caſu communiter eligitur induſtria perſonæ ; econtra verò Jure ordinario ille dicitur diſpenſare, qui poteſtate in perpetuum accepta diſpenſat vi muneris & officii proprii dignitati ſuæ adhærentis , eamque nomine proprio exercet : atqui Epiſcopi non diſpenſant ex commiſſione alterius ſive Juris ſive ho-
1 minis , neque ut delegati ad unum alterúmve particularem caſum , ſed diſpenſant vi muneris & officii proprii dignitati ſuæ adhærentis & quidem nomine proprio ; eſt enim officio & dignitati Epiſcopali veluti congenitum ac connaturale , quòd poſſint diſpenſare in omnibus omninò votis vi poteſtatis à Chriſto acceptæ per illa verba : *quæcunque ſolveritis ſuper terram , erunt ſoluta & in cælis* , vi quorum verborum per ſe poſſent etiam Jure ordinario diſpenſare in omnibus & ſingulis votis S. Pontifici de facto reſervatis , niſi eà poteſtas per accidens eſſet à Papa limitata , ſub qua tamen limitatione non videtur eſſe comprehenſus caſus urgentis neceſſitatis , quo imminet graviſſimum damnum ſpirituale ac temporale , ac non poteſt adiri S. Pontifex ; cùm hujuſmodi limitatio ac reſervatio vergeret in deſtructionem , ac planè foret inutilis : relictus igitur cenſetur hic caſus ſub ordinaria ac primigenia poteſtate Epiſcoporum : & conſequenter Epiſcopi diſpenſantes in votis S. Pontifici reſervatis pro caſu urgentis neceſſitatis non diſpenſant Jure delegato , ſed Jure ordinario ac poteſtate vi muneris ſui competente ; ac proinde poterunt etiam Regulares in hoc caſu urgentis neceſſitatis diſpenſare in votis S. Pontifici reſervatis , cùm poſſint diſpenſare in omnibus & ſingulis votis , in quibus poſſunt Epiſcopi Jure ordinario diſpenſare. Atque hinc

Probatur concluſio 2dò. Ideò 50
poſſunt Epiſcopi in caſu urgentis neceſſitatis , quo non poteſt adiri S. Pontifex , diſpenſare in votis ſuorum ſubditorum Papæ ſimpliciter & abſolutè reſervatis , quia ex benigna

interpretatione & interpretativa voluntate S. Pontificis præſumitur illum non velle in tanto rigore ſibi reſervare vota, ut ea etiam velit eſſe reſervata in graviſſimis neceſſitatibus ac periculis, in quibus ad ipſum nullus patet recurſus, atque ita relinquantur homines ſine ullo remedio: atque hæc ipſa ratio procedit etiam quoad Regulares, quibus aliàs competit poteſtas diſpenſandi in omnibus aliis votis & quidem ex delegatione S. Pontificis: ergò & ipſi poterunt ex benigna interpretatione & præſumpta voluntate illius diſpenſare in caſu urgentis neceſſitatis. Neque dicas: eo caſu adiri poſſe pro diſpenſatione Epiſcopum; ſed contra eſt, quòd ſæpiùs periculum ſit in mora, & Epiſcopi tam longè diſtent, ut ſine multorum dierum aut etiam hebdomodarum intercapedine haberi non poſſit reſponſum, quod exſpectari non poteſt, unde neceſſe eſt dari in ejuſmodi caſibus ex benigna interpretatione aliquos, qui poſſint nomine S Pontificis diſpenſare, non alios certè convenientiùs, quàm qui jam aliàs ab eo delegatam habent diſpenſandi poteſtatem, quales ſunt Canonici aliive Regulares privilegiati; ſi enim reſpectu Epiſcoporum ita præſumitur voluntas S. Pontificis, cur non etiam reſpectu Regularium privilegiatorum, cùm eandem ac parem habeant cum Epiſcopis poteſtatem in ordine ad diſpenſanda & commutanda vota, nec minor ſæpè apud iſtos urgeat diſpenſandi neceſſitas, quàm apud Epiſcopos; certè ſi alia præcepta Eccleſiaſtica in caſu urgentis neceſſitatis patiuntur Epikiam ſeu benignam interpretationem, ut in illis diſpenſari poſſit, cur hæc reſervatio, cùm & ipſa ſit lex quædam Eccleſiaſtica, nullam patiatur Epikiam reſpectu illorum, qui aliunde ad diſpenſanda vota delegatam habent à S. Pontifice poteſtatem; neque enim reſervatio votorum tam neceſſaria eſt ad bonum commune Eccleſiæ, ut in rigore maximo debeat accipi, & extendi ad caſum urgentis neceſſitatis: ſic enim accepta quoad tantum rigorem magis foret in deſtructionem, quàm in ædificationem. Quibus omnibus illud etiam addi poteſt, quòd in privilegiis Canonicis Regularibus hac in re conceſſis præſertim ab Eugenio IV. & Julio II. non abſolutè excipiantur quinque illa vota S. Pontifici alioquin reſervata, ſed tantùm cum hac limitatione, quando propter hæc ſedes Apoſtolica meritò eſſet conſulenda: ſed in caſu urgentis neceſſitatis meritò non eſt conſulenda, cùm ponatur id fieri non poſſe: ergò in caſu urgentis neceſſitatis neque ſunt excepta, ac reſervata.

51 Neceſſitas porrò ejuſmodi, ob quam Regularibus licet diſpenſare in votis Papæ ſimpliciter & abſolutè reſervatis, debet eſſe verè gravis, atque talis, ut nullo modo poſſit conſuli & pro diſpenſatione adiri S. Pon-

Pontifex ac proinde meritò præſumi poſſit, non voluiſſe illum in reſervatione ſua comprehendere ejusmodi caſum: talis neceſſitas rarò contingit in votis trium peregrinationum, utpote quibus aliter quàm per diſpenſationem provideri poteſt, ſi nempe differatur executio voti in aliud tempus, quô interim Româ peti poſſit diſpenſatio, prout id poſſe Regulares ex ſupradictis conſtat; cùm enim tunc ceſſet ratio neceſſitatis, ceſſat quoque ratio diſpenſationis, quæ illi innititur; frequentiùs tamen hæc neceſſitas contingere ſolet in votis caſtitatis & Religionis in ordine ad matrimonium contrahendum eoque utendum, ùt ſi ex dilatione matrimonii timeatur grave ſcandalum, infamia, rixæ, homicidia & ſimilia, in quibus eſt graviſſimum periculum in mora, quale eſt, ſi ligatus voto caſtitatis aut Religionis corrupiſſet virginem eamque ſub ſpe ac promiſſione matrimonii imprægnâſſet, ex quo dein ſponſæ imminet ingens infamia, utraque familia inter ſe graviſſimè colliditur, internecinæ oriuntur odia, aliaque maxima poſſunt evenire mala, ni quantocius matrimonium contrahatur; fortè etiam malignè impediendum, ſi Româ exſpectaretur diſpenſatio; id quod evenire etiam poteſt in caſu, quo habens votum caſtitatis aut Religionis credatur proximè moriturus & urgeat neceſſitas matrimonii contrahendi ad legitimandam prolem. Quibus caſibus tamen benè notandum, quòd diſpenſatio taliter à Canonico aliove Regulari obtenta non extendatur ultra præſentem neceſſitatem, pro qua tantummodò diſpenſat; quoad alia verò maneat voto ligatus eodem modo quo antea; & hinc ſic diſpenſatus à voto caſtitatis ad ducendam uxorem, hac mortua non poteſt aliam ducere ſine diſpenſatione Pontificia: & ſi durante tali matrimonio ultra illius uſum aliquod peccatum caſtitati contrarium committat, non tantùm peccat contrà caſtitatem, ſed etiam peccato ſacrilegii ſe facit obnoxium: quibus proinde caſibus conſultum videtur, ut talis in caſu neceſſitatis diſpenſatus petat deinde Româ abſolutam ſui voti diſpenſationem pro majori ſuæ conſcientiæ ſecuritate; & ratio eſt, quia Regularis diſpenſans in tali caſu urgentis neceſſitatis diſpenſat ex benigna interpretatione ac interpretativa voluntate S. Pontificis, de qua meritò præſumitur, quòd nolit homines in graviſſimis periculis & neceſſitatibus relinquere ſine ullo remedio: ſed hæc interpretativa voluntas S. Pontificis ceſſat quoad ea, in quibus non urget talis remedii neceſſitas: ergò etiam quoad ea ceſſabit poteſtas diſpenſandi.

12 Cæterùm hactenus dictis objicere ſolent contrariæ ſententiæ Patroni maximum Doctorum numerum non modò Recentiorum, ſed etiam ac præcipuè antiquorum, qui

Digitized by Google

concedentes Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi vota S. Pontifici reſervata in caſu urgentis neceſſitatis eam hactenus communiſſimè negârunt Regularibus quantumcunque privilegiatis, hæcque fuit communis omnium Theologorum usque ad hæc tempora certa ſententia. Verùm R'deo. etſi numerus Authorum pro adverſa ſententia ſtantium ſit maximus, eum tamen parùm noſtræ officere ſententiæ, tum quòd nullo ſolido nitantur fundamento, quale tamen præter ſufficientem Doctorum auctoritatem habet noſtra nunquam ab Adverſariis ſolutum; tum quia plures ex relatis pro adverſa ſententia Authoribus quæſtionem hanc ex inſtituto non tractant, ſed incidenter tantùm, privilegiorum cæteroquin ignari, & unus alium ùt ovis ovem ſequitur: alii verò nituntur inani illo ac falſo fundamento, quòd Epiſcopi nonniſi Jure delegato in caſu urgentis neceſſitatis poſſint diſpenſare, quod tamen ex dictis falſum eſt, ùt plures ex ipſis Adverſariis fatentur; alii denique cum Sanchez concedunt quidem poſſe Epiſcopos Jure ordinario diſpenſare, ſed putant, id poſſe tantùm per accidens: verùm inconſequenter loquuntur; non enim video, quomodo per accidens tantùm id poſſint Epiſcopi, quandoquidem ipſemet Sanchez *L. 8. de matrim. Diſp. 10.* & *L. 4. moral. cap. 40.* alibique doceat, quòd ſecluſa reſervatione ſit integrum Epiſcopis diſpenſare in ſuis Diœceſibus in omnibus votis ſicut S. Pontifici in toto terrarum orbe, quodque hic noluerit reſervare hæc vota in prædictis circumſtantiis urgentis neceſſitatis: hoc autem eſt diſpenſare non tantùm per accidens, ſed per ſe ac poteſtate ſibi connaturali & officio ſuo congenita: ſi autem Epiſcopi Jure ordinario ac per ſe & vi officii ſui diſpenſant, clarum eſt, quòd etiã Regulares id poſſint, cùm poſſint vi privilegiorum ſuorum diſpenſare ac commutare omnia vota, quæ poſſunt Epiſcopi Jure ordinario: juxta quod principium, cui innititur ſententia noſtra, eam non ſolùm probabilem, ſed etiam veriſſimam fore dicit P. Moya *tract. 2. Diſp. 1. n. 22.* ſi nullam illud privilegium admitteret exceptionem aut limitationem quoad ea tantùm vota, quæ communiter, regulariter, & in quovis eventu diſpenſant Epiſcopi. Verùm quo fundamento ita limitet, non video, certè nonniſi gratis; cùm tamen Jura omnia clament, quòd ubi Princeps non diſtinguit aut excipit, neque nos diſtinguere aut excipere debeamus: quòd beneficium Principis amplè ſit interpretandum: cúmque ipſi SS. Pontifices præſertim Sixtus IV. in Bulla: *Dum ad univerſos. Anno 1477.* & Julius II. in Bulla: *Inter cæteros. Anno 1512.* Canonicis Regularibus Congregationis tum Lateranenſis tum Bononienſis conceſſa expreſsè velint, ut ſiquidem in aliquo privilegio redderentur ancipites & dubii,

bii, illud largiſſimè interpretentur in favorem ſalutis animarum, non autem ſecundùm Juris rigorem & NB. Doctorum opiniones ac ſubtilitates; non inquam video, quid ſibi velit illa P. Moyæ limitatio; nunquid non enim Epiſcopi communiter, regulariter, & in quovis eventu urgentis neceſſitatis diſpenſant, aut ſaltem diſpenſare poſſunt? cur non igitur & Canonici aliive Regulares, qui aliàs ex privilegio Pontificio facultatem habent diſpenſandi in ſæcularium votis, ſicut poſſunt Epiſcopi? certè contrariæ ſententiæ Authores, ſi ritè perpendantur, ſolo nituntur numero, qui tamen cùm ſolida ratione deſtituantur, non faciunt veram probabilitatem, niſi ſolùm extrinſecam: qua tamen auctoritate eâque ſufficienti præter ſolidas rationes nec noſtra caret ſententia, ac proinde meritò præferenda. (*Adde*; veram videri limitationem P. Moyæ reſpectu Italiæ, in qua ob ingentem numerum Epiſcoporum facilè præſumi poteſt, ſummum Pontificem voluiſſe aliquid reſervare Epiſcopis, cùm ad eos facilis detur acceſſus. Sed apud Ultramontanos, ubi ad Epiſcopos & ad eorum Vicarium generalem ob locorum diſtantiam difficilis eſt acceſſus, alia præſumenda eſt intentio Pontificis, ſaltem pro caſu extremæ neceſſitatis, ubi adiri nequit Epiſcopus; ordinariè enim ipſemet cenſeo, Pontificem noluiſſe relinquere cognitionem cauſæ de ſufficientia motivi ad diſpenſandum in tam arduis privatorum judicio.)

Quæres pro coronide hujus ſe- 53
ctionis, an diſpenſatio aut commutatio votorum fieri poſſit etiam extra confeſſionem? ℞deo. cum communiori Affirmativè. Sic enim docent ſequentes Authores; Henriquez *Lib. 7. de Indulgent. cap. 30. n. 6.* Sanchez *L. 4. moral. cap. 54. n. 16.* & *L. 8. de matrim. Diſp. 16. n. ult.* Joan. Sanchez *in ſelect. Diſp. 14. n. 2.* Bonacina *in Decal. Diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 13 n. 16.* Layman *L. 4. tr. 6. cap. 10. n. 21.* Villalobos *in ſum. to. 2. tr. 34. diff. 29. n. 7.* Aſcan. Tamburin. *to. 2. Diſp. 20. quæſt. 2. n. 5.* Lezana *V. Votum. n. 23. & 24.* Andreas à Matre Dei *to. 4. tr. 17. cap. 3. n. 152.* Palao *tr. 24. Diſp. un. punct. 12. §. 3. n. 14.* Diana *part. 3. tr. 2. Reſolut. 9.* & *part. 4. tr. 4. Reſol. 8.* & *part. 5. tr. 12. Reſol. 36.* Gobat *in Quinar. tr. 3. cap. 37. n. 282. & ſeq.* Kochius *de Jubil. quæſt. 3. ſect. 4. dubit. 10. n. 97.* Auguſtin. Michelius *de voti diſpenſat. n. 42.* Brencola *in Reſol. miſcell. cap. ult. §. 8. n. 19.* Bellegambe *de Jubil. p. 3. ſect. 12. quæſt. 5.* Antonius à Spiritu S. *in Direct. Regul. tr. 2. Diſp. 2. ſect. 2. §. 3. n. 116.* ubi id quoque cùm Diana aſſerit, diſpenſationem non tantùm fieri poſſe extra confeſſionem, ſed etiam in abſentia urgente neceſſitate, *quod*, ait, *valdè notandum eſt:* id quod etiam confirmare videtur privilegium Eugenii IV. ſuprarelatum & Canonicis Regularibus conceſſum, in quo illis

lis indulget, ut deputati ad confeſſiones audiendas poſſint omnes utriusque ſexûs ubique conſiſtentes aut ad ſe venientes audire &c. & in omnibus caſibus & votis cum eis diſpenſare. Ratio autem eſt, quia poteſtas diſpenſandi aut commutandi vota Confeſſariis Canonicorum aliorumve Regularium à SS. Pontificibus conceſſa eſt aliquod ſpeciale privilegium & maximè fidelibus Chriſtianis favorabile: ergò eſt latæ interpretationis, adeoque non eſt limitandum neque reſtringendum ad certum locum aut tempus, ut nonniſi in Sacramento Pœnitentiæ exerceri poſſit hæc poteſtas, ſi Bullæ conceſſionis non reſtringant aut limitent illius uſum: atqui non limitant, nec reſtringunt ſed generaliter loquuntur: ergò &c. Nec refert, quòd in plerisque privilegiis hac de re emanatis addantur verba: *auditis eorum confeſſionibus*, quia hæc clauſula non pertinet nec afficit totum privilegium, ſed tantùm immediatè ſubſequentia verba, ſcilicet *abſolvere liceat ab omnibus & ſingulis peccatis*, quibus conceditur omnimoda poteſtas abſolvendi à peccatis; nec obſtat *cap. requiris 41. de Appellat.* ubi dicitur, quòd clauſula ſive in principio ſive in medio ſive in fine poſita referatur ad omnes partes Reſcripti, & diſpenſationis, ùt etiam tradunt Doctores ad cit. cap. Hæc enim doctrina, ùt obſervant Sanchez *L. 4. cap. 54. n. 16.* Lezana *V. clauſula. n. 3.* & alii, tunc ſolùm vera eſt, quando eadem illorum, quæ in principio, medio & fine ponuntur, eſt ratio: non eſt autem eadem ratio diſpenſationis ac commutationis votorum, quæ eſt abſolutionis à reſervatis: ergò quòd hæc in confeſſione debeat dari, non facit, quo minùs illa fieri poſſit extra confeſſionem; quin imò ne quidem requiritur, ut illa fiat à Confeſſario quà tali, ſed ſufficit ſi fiat ab eo, qui poteſt audire confeſſiones, etiamſi non cogites eidem confiteri. Ratio eſt; tum quia licét hoc ſpectet ad forum conſcientiæ, non tamen ideò ſpectat ad forum pœnitentiæ: tum quia diſpenſare aut commutare vota nullam habet dependentiam ab actu confeſſionis: ergò non eſt opus, ut diſpenſatio aut commutatio fiat à Confeſſario quà tali, ſed ſufficit, ſi fiat à quocunque habente poteſtatem diſpenſandi aut commutandi, ùt iterum docet Diana *ll. ſupra cit.* & alii cum Sanchez *l. c. n. 17.* Neque etiam requiritur, ut Canonici Regulares ad audiendas confeſſiones deputati volentes diſpenſare aut 54
commutare vota ad hoc ſint ſpecialiter deputati à ſuis Prælatis; quia tam Eugenius IV. quàm Julius II. ſupra relati plus non requirunt ad abſolvendum ac diſpenſandum & commutandum, quàm ſolam deputationem ſuorum Superiorum ad audiendas confeſſiones, ita *ut abſque alia Superiorum licentia* poſſint à peccatis abſolvere, & in omnibus votis diſpenſare eaque commutare.

(*Adde*;

(*Adde*; hanc doctrinam, quòd vota extra forum tribunalis ſacri poſſint relaxari, non videri conformem intentioni Romanorum Pontificum, utpote ſemper ordinatiſſimæ ſecundùm regulas prudentiæ legislativæ. Non enim decet ejuſmodi vota relaxari ſine externa demonſtratione poteſtatis judicialis pro foro conſcientiæ, tum ut diſpenſandi ex ipſa circumſtantia externa actus intelligant rem agi graviſſimam, ſeque non ſolùm obligari ad aperiendum candidè ſinum conſcientiæ, ſed etiam ad obſervandas conditiones diſpenſationis & credendum valori actûs, quod à privatis Religioſis decenter demonſtrari nequit, niſi in tribunali ſacro. Addo, in Italia ad audiendas confeſſiones non deputari omnes Sacerdotes ejuſdem Monaſterii, ſed tantùm paucos v. g. quatuor. Hinc ibi non opus deputatione ſpeciali pro relaxatione votorum; ſed in Germania, ubi omnes etiam juvenes exponuntur ſtatim ad audiendas confeſſiones, veroſimile eſt ſummos Pontifices exacturos fuiſſe deputationem ſpecialem ad relaxanda vota. Imò cùm intentio legalis actu ea ſit, quæ exprimeretur, ſi legislator ſpecialiter fuiſſet interrogatus de tali ſtatu rerum, cenſendum eſt, eam deputationem & reſtrictionem actu eſſe in poteſtate Superioris, ſi ea uti velit.)

Sectio IV.

De poteſtate Canonicorum Regularium diſpenſandi cum ſæcularibus in juramentis.

54 JUramentum eſt actus religionis, quo Deus in teſtem advocatur, ſive eſt invocatio divini nominis in teſtimonium alicujus rei. Aliud eſt aſſertorium, quo confirmatur dictum de præſenti vel præterito. Aliud promiſſorium, quo quis ſe obligat ad aliquid faciendum in futuro, quod eatenus ſimul eſt aſſertorium, quatenus refertur ad præſens animi propoſitum aſſerendum. Etſi verò multi Canoniſtæ cenſeant eandem eſſe & voti & juramenti obligationem, probabilius tamen eſt, majorem eſſe obligationem voti, quàm juramenti promiſſorii, quod homini fit, ùt docet S. Thomas 2. 2. *quaſt. 89. art. 8.* quem plerique ſequuntur maximè Theologi cum Suarez, hìc *L. 2. cap. 3.* quia per votum fides directè fit Deo, non autem per juramentum promiſſorium homini factum; per hoc enim obligatio directè non fit Deo, ſed hic tantùm adducitur ùt teſtis promiſſionis de aliquo futuro homini factæ:

Digitized by Google

ergò votum magis directè reſpicit Deum: & conſequenter violatio voti erit magis contra Deum, adeoque & major illius injuria. Dixi: *quod homini fit*, nam ſi juramentum promiſſorium fiat Deo, major hujus erit obligatio, cùm includat ſaltem implicitè votum, atque ſic per iſta juramenta Deus bis directè reſpicitur, primò per hoc quòd illi fiat promiſſio. 2dò per hoc, quòd invocetur in teſtem hujus ſuæ promiſſionis adimplendæ. Utrobique tamen eſt actus Religionis, ac eadem quoque utrobique obligatio paſſiva; etſi enim diverſum ſit vinculum voti, per quod Deo promittimus, ac juramenti, ratione cujus Deus in teſtem vocatur, eadem tamen utriusque eſt obligatio ex virtute Religionis deſcendens: unde licet vota & juramenta in rigore metaphyſico ſpecie differant, non differunt tamen moraliter, quia ſolum Deum ejusque honorem reſpiciunt, ſolique Deo ex utroque obligatio paritur, unde & Jure & à Doctoribus æquiparantur. Ex hisce verò oritur quæſtio, an etiam æquiparentur quoad effectum diſpenſationis, ita ut ſicut Canonici aliive Regulares habent poteſtatem diſpenſandi vota, ita quoque habeant poteſtatem diſpenſandi juramenta. Pro cujus reſolutione.

55 Dico 1mò. *Poſſunt Canonici Regulares diſpenſare & commutare ſæcularium vota jurata ſeu juramento firmata.*

Ita deſumitur ex privilegio Gregorii XIII. quod incipit: *Decet Romanum* 3. *Maji Anno* 1575. dato, in quo expreſſè concedit poteſtatem commutandi vota etiam jurata ſeu juramento firmata. Atque ita etiam docent authores communiter Rodriquez *to.* 1. *Q.* 63. *art.* 5. Miranda *to.* 1. *Q.* 47. *art.* 5. Suarez. *de Vot. L.* 6. *c.* 14. Sanchez *L.* 5. *de*
matr. D. 2. Layman *L.* 4. *tr.* 3. *cap.* 56
11. Aſcan. Tambur. *to.* 2. *D.* 20. *Q.* 1. *n.* 10. Portel *V. Diſpenſatio. n.* 25. *& V. Juramentum. n.* 45. Boſſius *de tripl. Jubil. S.* 2. *caſ.* 5. Bordonus *Reſol.* 15. *Q.* 6. *n.* 26. Diana *p.* 1. *tr.* 11. *Reſol.* 43. Gobath. *de Jubil. c.* 48. *n.* 287. Sporer *in Decal. tr.* 3. *S.* 4. *n.* 95. Rotarius *to.* 3. *cap.* 1. *punct.* 11. *n.* 21. Viva *de Jubil. Q.* 12. *n.* 1. aliisque ab his citati; & ratio eſt, quia votum etiam juramento firmatum eandem naturam retinet, quam prius habuerat,& juramentum tanquam acceſſorium ſequitur principale ſcilicet votum, ejusdemque naturam induit ac conditiones: ergò cùm votum tanquam principale ponatur eſſe diſpenſabile, etiam erit diſpenſabile juramentum tanquam acceſſorium; quod ipſum ex eo etiam confirmatur; quia votum etſi ſæpiùs confirmatum ac renovatum manet tamen ſemper diſpenſabile: ergo etiam votum utut juramento firmatum manebit diſpenſabile; juramentum enim voto ſu-

per-

peradditum non parit Deo majus Jus quàm renovatio voto ſuperaddita, cùm eadem utrobique ſit obligatio orta ex virtute Religionis: cùm igitur idem Jus per juramentum acquiratur à Deo quod per votum, & Pontifex nomine Dei concedat relaxare Jus à Deo acquiſitum, ideò cenſetur etiam concedere poteſtatem relaxandi juramenta non minùs quam vota, cùm idem ſit Jus.

56 Dico 2dò. *Poſſunt Canonici Regulares diſpenſare ac commutare juramenta ſine voto quidem, ſed tamen principaliter Deo facta, etſi ſecundariò tendant in commodum alterius.*

Ita rurſus authores communiter, & deſumitur iterum ex relato Gregorii XIII. privilegio: in quo dum concedit poteſtatem commutandi vota jurata, concedit poteſtatem comutandi duo vincula ſcilicet voti & juramenti: ergò etiam concedit poteſtatem commutandi unum vinculum ſeorſim ſive voti ſive juramenti, qui enim concedit plus, concedit etiam minus; & ratio ulterior eſt; quia votum & juramentum Deo & in ejus obſequium factum in Jure & apud Doctores æquiparantur quoad vinculum & obligationem paſſivam, & reipſa maximam inter ſe habent ſimilitudinem, eandemque pariunt erga Deum ex virtute Religionis obligationem, quam contrahit vovens per hoc, quòd fidem ſuam obliget Deo ad aliquid in ejus obſequium faciendum, jurans verò per hoc quòd Deum ſponſorem faciat ac teſtem ſuæ promiſſionis principaliter ad ejus honorem factæ, & conſequenter diſpoſitum de uno, cenſetur etiam diſpoſitum de altero juxta regulam *Gloſſ. in cap. ſi poſtquam 33. V. confirmatione; de elect. in 6.* adeoque concedens poteſtatem ad ſolvendum unum, concedere cenſetur etiam poteſtatem ad ſolvendum alterum; & certè S. Pontifex dans facultatem diſpenſandi ac commutandi vota habet rationem ſolius Juris, quod Deus per votum acquiſivit: ſed idem eſt Jus, quod Deus per juramentum acquiſivit: ergò ſicut dat facultatem commutandi Jus acquiſitum per votum, ita etiam dat facultatem commutandi Jus acquiſitum per juramentū. Unde abſolutè docet Corradus *p 1. Reſponſ. q. 312.* quem ſequuntur Eſcobar, Trullenchus, Sanchez & alii, quòd is, qui per privilegium poteſt commutare aut diſpenſare vota, poſſit etiam & ſimilia juramenta, quia votorum ac juramentorum quantum ad hoc par ratio eſt; & Baſilius Pontius *pro de matrim. cap. 11. n. 4.* pro certa regula ſtatuit: quoties datur poteſtas diſpenſandi in votis, toties eam etiam dari ad diſpenſandum in juramentis, cùm juramenta votis æquiparentur, ſaltem in favorabilibus.

 An

57 An verò etiam in odioſis æquiparentur, atque adeò etiam quoad reſervationem, ita ut quando vota ſunt reſervata, etiam cenſenda ſint eſſe juramenta reſervata, haud ſanè conveniunt authores; negativam tenent Navarrus *Conſil. 1. de Jurejur. n. 5.* & 5. Petrus de Ledesma *tr. 11. de vot. cap. 4. dub. 2.* Diana *part. 4. tr. 4. Reſol. 70.* & *part. 10. tr. 14. Reſol. 17.* Quintanadvennas *de Jub. dupl. hebdom. cap. 2. n. 18.* Trullench. *in expoſ. B. Cruc. L. 1. §. 7. cap. 3. dub. 5.* Sanch. *L. 8. de matr. D. 13.* alios referens; Chasſaing. *de privileg. Regul. tr. 5. c. 5. propoſit. 2.* Th. Tamburin. *L. 3. cap. 7. §. 3.* Gobat *tr. 11. n. 657. &* plures alii, ex quibus licèt aliqui de Epiſcopis tantùm loquantur, idem tamen ex eorum principiis planè evincitur de Regularibus, quorum facultas diſpenſandi ad juramenta non reſervata extenditur, ùt conſtat ex dictis. Affirmativam econtra defendunt Cajetanus, Sotus, Toletus, Valentia, Suarez, Layman, Azorius, Moya *tr. 2. D. 1. Q. 4. n. 5.* & plures alii ab his citati, eamque Sporer *tr. 3. in Dec. cap. 3. S. 4. n. 110.* communiorem & magis receptam vocat. Ego utramque ſententiam in ſuo ſenſu veram judico, atque adeò conciliari poſſe diſtinguendo inter juramenta, quæ fiunt principaliter Deo, v. g. ſervandi caſtitatem vel ingrediendi Religionem: & inter juramenta, quæ principaliter fiunt in gratiam ac utilitatem hominis, v. g. ſervandi caſtitatem, ne familia nimium multiplicatur; atque hinc ulterius

Dico 3tiò. *Juramenta ſervandi caſtitatem aut ingrediendi Religionem Deo principaliter facta, ſunt reſervata, neque Canonici aliive Regulares in iis diſpenſare poſſunt, aut ea commutare, niſi quatenus poſſunt diſpenſare aut commutare vota reſervata.* 58

Ita reipſa authores 2dæ ſententiæ, & probatur ratione, juramentum ſervandi caſtitatem, aut ingrediendi Religionem Deo factum verè eſt promiſſorium: ergò includit totam eſſentiam voti, ac proinde eſt votum juratum caſtitatis aut Religionis; antecedens probatur à pari; quia juramentum homini factum de re ipſi utili, includit promiſſionem ipſi factam, ut v. g. juro me tibi daturum eleemoſynam: ergo etiam juramentum Deo præſtitum de re ipſi grata, promiſſionem Deo factam includit; quod ipſum urgetur ulterius; quia juramentum acceptatum ab homine, in cujus utilitatem præſtatur (ſi nullam turpitudinem & injuſtitiam contineat) nequit diſpenſari aut commutari ex eo, quòd illo præſtito Jus homini ad rem promiſſam acquiſitum fuerit, 59

rit, ut omnes Theologi concedunt, ac poſtea dicemus: ergo includit veram promiſſionem; ſi enim aſſertorium tantummodo eſſet, nullum Jus homini pareret, quale foret hujuſmodi: juro me habere propoſitum tibi eleemoſynam conferendi: ſi ergo juramentum homini præſtitũ includit promiſſionem, cur Deo præſtitum non includat? ergò cùm juramentum ſervandi caſtitatem non tantùm ſit aſſertorium ſed promiſſorium, quo revera caſtitas ſub juramento in Dei obſequium & honorem promittitur, non poterit rationem voti non induere non ſolùm per regulam æquiparatorum in ordine ad commutationem, ut qui poteſt in votis, poſſit etiam in juramentis ſoli Deo præſtitis, ſed per formalem incluſionem voti, ùt benè tradit D. Antoninus *2. part. tit.* 11. *§. 2. &* alii viri doctiſſimi Sotus *L. 8. de Juſtit. q.* 1. *art. 9.* Rodriquez *to. 2. ſum. cap.* 100. & plures, quos refert & ſequitur Sanchez. *L. 8. de matr. D.* 13. & *L. 3. ſumm. cap.* 19. quibus adhæſit *Mendo in B. Cruc. D. 26. cap. 6. n.* 81.

59 Dico 4to. *Juramenta ſervandi caſtitatem, aut obeundi peregrinationem Jeroſolymitanam principaliter homini facta non ſunt reſervata, atque adeò Canonici aliive Regulares in iis diſpenſare poſſunt, aut ea commutare.*

Probatur: juramenta, quibus juro homini me in illius gratiam obiturum peregrinationem Jeroſolymitanam, aut ſervaturum caſtitatem, vel Religionem ingreſſurum nullum in ſe includunt votum, cùm per ea nulla Deo fiat promiſſio, ſed is ſolùm vocetur in teſtem ac ſponſorem promiſſionis homini factæ: ergo hujusmodi juramenta nullo modo ſunt reſervata; quia in Jure nullum reſervatur juramentum, niſi adjunctum habeat votum, & cæteroquin reſervatio utpote odioſa ſtrictè interpretanda eſt, nec ab uno caſu ad alium extendenda, etſi aliàs æquiparari ſoleant. Atque hoc tantùm velle videntur authores primæ ſententiæ negantes reſervationem votorum extendi ad reſervationem juramentorum in eadem materia; quodipſum confirmari poteſt ex eo, quia Epiſcopi poſſunt relaxare omnia juramenta ſuorum ſubditorùm, dummodo non contineant aut includant votum in materia reſervata nec cedant in præjudicium 3tii. ùt certa eſt Theologorum ſententia, cùm hæc poteſtas nullo Jure ſit eis ablata: ergò eadem etiam relaxare poſſunt ac diſpenſare Canonici aliive Regulares; cùm eandem cum Epiſcopis habeant poteſtatem relaxandi vota ac juramenta. Neque dicas: votum ſervandi caſtitatem, aut obeundi peregrinationem Jeroſolymitanam utut ſa-

factum in gratiam hominis, manet nihilominus reſervatum: ergò etiã juramentum ejusmodi factum in gratiam hominis erit reſervatum. ℞deo. enim neg par. Diſparitas eſt, quia ejusmodi votum etiamſi fiat in gratiam hominis, eſt nihilominus vera promiſſio Deo facta, & conſequenter cenſetur fieri principaliter Deo, & ſecundariò tantùm homini, atque adeò retinet naturam & conditiones veri voti, quod proinde, ſi eſt in materia reſervata, & ipſum manet reſervatum. Econtra verò juramenta principaliter in gratiam hominis facta nullam includunt promiſſionem Deo factam, ſed illum ſolùm reſpiciunt tanquam teſtem promiſſionis homini factæ, adeoque nullam Deo pariunt obligationem. Accedit, quòd votum & juramentum de eadem materia ſint vincula diverſæ ſpeciei, & licèt utriusque obligatio paſſiva ſit eadem, non tamen eadem eſt obligatio activa, & inſuper obligatio voti major eſt, quàm juramenti promiſſorii, ùt cùm S. Thoma ſupra diximus: ergò ex eo, quòd votum ſit reſervatum, inferri nequit, quòd etiam juramentum ſit reſervatum, eſſet enim à majore ad minus in odioſis arguere, quod peſſimum eſt argumentum.

60 Dico 5tò. *Poſſunt quoq; Canonici aliive Regulares privilegiati diſpenſare ac commutare ſæcularium vota & juramenta in favorem tertii ſive hominis ſive Eccleſiæ facta, nondum tamen acceptata.*

Ita rursùs Authores communiter; ratio eſt, quia per ejusmodi votum aut juramentum etiam factum in favorem & utilitatem hominis vel Eccleſiæ, nondum tamen acceptatum nemo acquirit Jus aliquod inducens obligationem juſtitiæ, unde nec actio cuiquam competit, nec petitio: ergò etiam ſine cujusquam injuria aut præjudicio diſpenſari aut commutari poſſunt ex juſta & rationabili cauſa ab habente poteſtatem diſpenſandi & commutandi vota. Quin etiam ejusmodi vota & juramenta ipſe vovens vel jurans propria auctoritate commutare poteſt in aliud manifeſtè melius, non tantùm quando principaliter facta ſunt Deo, ùt per ſe patet, ſed etiam quando principaliter facta ſunt in favorem & utilitatem hominis, quia tunc nulli fit injuria; vel Eccleſiæ, quia tunc ſoli Deo acquiritur Jus & obligatio non verò Eccleſiæ, quæ tali caſu ſe tantùm habet ùt materia circa quam. Etſi verò ejusmodi vota vel juramenta nondum acceptata poſſint ex juſta & rationabili cauſa diſpenſari aut commutari ab habente poteſtatem, ut jurans ſe huic Eccleſiæ daturum calicem, aut iſti pauperi aureum, det al- 61

alteri Eccleſiæ vel pauperi indigentiori. Cavendum tamen, ne ſi votum vel juramentum aliis innotuerit, ex tali commutatione ac diſpenſatione oriatur ſcandalum aut offenſio animorum præſertim partis, in cujus commodum & utilitatem, licèt ſecundariò tantùm & indirectè, ceſſurum erat juramentum vel votum, ùt advertit Layman *tr. 3. cap. 11. n. 7.* Boſſius *S. 2. caſ. 7.* & alii. (*Adde*; quòd promiſſiones factæ Eccleſiæ aut alteri cauſæ piæ cenſeantur eſſe acceptatæ eô momentô, quo ſunt editæ; hinc non poſſunt revocari quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum, in quantum Deus, qui acceptavit, non præſumitur eſſe invitus.)

61 Dico 6tò. *Non poſſunt tamen Canonici aliive Regulares quicunque diſpenſare aut commutare ſæcularium vota vel juramenta in favorem & utilitatem tertii ſive hominis, ſive Eccleſiæ facta & legitimè acceptata.*

Ita deſumitur ex relato ſupra Gregorii XIII. privilegio, in quo dum concedit poteſtatem commutandi vota etiam jurata, expreſsè excipit: dummodo commutatio ejuſmodi in præjudicium alterius non fiat: atqui fieret in præjudicium alterius, ſi liceret commutare vota & juramenta in favorem & utilitatem ſive hominis ſive Eccleſiæ facta & legitimè acceptata; per ipſam enim acceptationem acquirunt Jus ſtrictè dictum ad rem promiſſam, qua absque ſuo conſenſu non poſſunt ampliùs ſine injuria privari. Ex quo ipſo patet diſcrimen, cur vota ac juramenta nondum acceptata diſpenſari ac commutari poſſint, non autem commutari poſſint acceptata; quia nempe ante acceptationem necdum acquiſitum eſt Jus tertio, quale tamen acquiritur per acceptationem; eſt enim omnibus pactis, quale eſt etiam promiſſio, ac contractibus commune, ut ante acceptationem nullam pariant obligationem, pariant verò poſt acceptationem, & quidem juſtitiæ, ſique juramentum accedat, etiam Religionis. Neque dicas: vota & juramenta Deo principaliter facta commutari poſſunt ac diſpenſari, licèt à Deo ſint acceptata: ergò etiam vota & juramenta homini vel Eccleſiæ facta commutari poſſunt ac diſpenſari etiam poſtquam fuerunt acceptata. ℞deo. enim negando paritatem; diſparitas eſt, quia Deus cenſetur remittere obligationem ex voto vel juramento ſibi facto contractam, ſi ejuſdem in terris Vicarius, cui poteſtatem ligandi atque ſolvendi conceſſit, & ab eo delegati, quales ſunt Canonici aliive Regulares privilegiati, id expedire judicaverint, ut relaxentur & commutentur ejuſmodi

modi vota ac juramenta ſibi facta; nam contentus cenſetur eſſe Deus, ſi votum vel juramentum ipſi factum legitima auctoritate in aliud ex juſta & rationabili cauſa commutetur; at verò contentus cenſeri non poteſt homo, ut res, ad quam Jus ſtrictum habet, ſibi aufferatur aut commutetur absque ſuo conſenſu in aliud; neque enim cenſeri poteſt, quòd remittere velit Jus & obligationem, quam ex juramento ac promiſſione ſibi facta & acceptata acquiſivit, præſertim ſi id cedat in grave præjudicium ſuum: unde ſemper ſpectanda eſt illius voluntas, neque eo invito aut nolente commutari poteſt, multò minùs diſpenſari votum vel juramentum. Quòd ſi tamen is, in cujus favorem & utilitatem factum eſt juramentum, remittat liberè promiſſionem ſibi factam, hoc ipſo ceſſabit etiam juramentum; Deus enim non aliter acceptat juramentum, quàm in quantum acceptat homo promiſſionem: ergò ſi homo remittit obligationem promiſſionis ſibi factæ, etiam Deus remittit obligationem juramenti; habet enim quodvis juramentum promiſſorium imbibitam hanc conditionem: niſi is, in cujus gratiam & utilitatem juratò aliquid promiſſum eſt, ſponte remiſerit obligationem per cap. 12. de foro competenti.

Sectio V.

De poteſtate Canonicorum aliorúmque Regularium diſpenſandi in impedimento petendi debitum, aliisque matrimonii impedimentis.

62 VAriis ex cauſis incurrunt conjuges impedimentum petendi debitum conjugale: primò per votum ſimplex caſtitatis ante matrimonium emiſſum, vi cujus ſi poſtea matrimonium illicitè contrahat, non poteſt petere debitum, etſi reddere teneatur. 2dò. per votum ſimplex caſtitatis poſt matrimonium ratum vel conſumatum emiſſum, quo caſu iterū petere non poteſt debitū, quamvis reddere debeat. 3tiò. per copulam perfectam cum uxoris ſuæ conſanguinea (idem dicendum de uxore conſanguineum ſui mariti carnaliter cognoſcente) in primo vel 2do. gradu habitam, per quam non ſolùm contrahit impedimentum dirimens affinitatis, vi cujus matrimonium non poteſt contrahere cum conſanguineis cognitæ usque ad 2dum gradum, ſed etiam affinitatem cum propria conjuge, ita tamen, ut per id matrimonium nul-

la-

latenus diſſolvatur, ſed tantùm privetur Jure petendi debitum conjux peccans, quamvis illud reddere teneatur conjugi innocenti id exigenti, quæ omnia ſatis conſtant ex cap. 1. 4. 6. & 10. de eo qui cognovit. 4tò. poſt contractum matrimonium cum occulto impedimento dirimente affinitatis, propter quod nec petere nec reddere licet debitum, atque etiam, niſi diſpenſetur, ſeparari deberent; de quibus omnibus hìc inſtituitur quæſtio, an liceat Canonicis aliiſque Regularibus privilegiatis diſpenſare in impedimento proveniente à tali voto, in quo aliàs poſſunt diſpenſare? 2dò. an poſſint diſpenſare in impedimento petendi debitum cum eo, qui poſt emiſſum votum caſtitatis contraxit matrimonium? 3tiò. an etiam cum eo, qui peccavit cum conſanguinea uxoris ſuæ? 4tò. an cum iis quoque, qui cum impedimento affinitatis contraxerunt? 5tò. denique, an poſſint diſpenſare in quovis impedimento, in quo poteſt Epiſcopus?

63 Dico 1mò. *Poſſunt Canonici aliive Regulares privilegiati diſpenſare in impedimento proveniente à tali voto, in quo aliàs poſſunt diſpenſare*

Ita manifeſtè deducitur ex dictis S. ſuper. & ratio clara eſt; quia Canonici, aliive Regulares privilegiati diſpenſando poſſunt tollere & actu tollunt votum, ex quo oritur impedimentum petendi debitum: ergò eo ipſo tollunt ipſum impedimentum; nam ùt habet vulgare axioma, ceſſante cauſa, ceſſat effectus: ſed votum ponitur eſſe cauſa impedimenti, idque effectus eſt voti: ergò ceſſante per diſpenſationem voto, ceſſat etiam impedimentum. Ex quo ſequitur, quòd ſicut Canonici aliive Regulares diſpenſare poſſunt in voto caſtitatis perpetuæ vel etiam Religionis 1mò. quando non ſunt perfecta, indeliberata, ex metu etiam levi, aut ſub veniali tantùm emiſſa. 2dò. quando non ſunt certa ſed dubia. 3tiò. quando non ſunt abſoluta ſed facta ſub conditione pœnali de futuro, aut ſub conditione in futurum pendente & contingente, licèt ea poſtmodum eveniat & purificetur. 4to. quando non ſunt determinata, ſed disjunctiva & alternativa. 5tò. quando non ſunt quoad ſubſtantiam perfecta atque integra ſed partialia tantùm. 6tò. quando poſſunt in caſu urgentis neceſſitatis diſpenſari &c. ita etiam à fortiori diſpenſare poſſunt in impedimento petendi debitum exinde proveniente.

Dico 2dò. *Poſſunt Canonici aliive Regulares privile-* 64

vilegiati diſpenſare in impedimento petendi debitum cum eo, qui poſt emiſſum votum perpetuæ caſtitatis contraxit matrimonium, & hoc non tantùm poſt conſummatum ſed etiam ante conſummatum matrimonium.

Ita Pius V. Minoribus de Obſervantia *26. Octobr. Anno 1569.* vivæ vocis oraculo, quod refert Sorbo, Rodriq. in Bullar. ſuo *to. 2.* inter alia Pii. V vivæ vocis oracula *n. 12.* compendium Minorum V. Diſpenſatio poſt annotat. Capucini. Compend. Societ. Jeſ. *V. Diſpenſatio n. 9.* compendium Theatinor. *§. 7.* Auguſtinus à V. Maria *V. Diſpenſatio n. 26.* Rodriquez *to. 1. QQ. regul. Q. 63. art. 2.* Miranda *to. 1. Manual. Q. 47. art. 2.* Veracrux *1. part. ſpeculi. art. 15.* Portel. *V. Confeſſor. erga ſæculares n. 33.* Sanch. *L. 8. de matrim. D. 16. n. 3.* Henriquez *L. 12. de matr. cap. 2. n. 9.* Boſſius *ſect. 2. caſ. 20. n. 28.* Bordonus *Reſol. 6. Q. 17. n. 22.* Baſſæus *V. Votum 7. n. 11.* Sporer *tr. 3. in Decal. cap. 3. S. 3. n. 54. & 75.* ac plures alii cum Vivaldo *Candelabr. aur. de matr. n. 141.* & Donato *to. 3. tr. 4. Q. 40.* qui omnes ſe fundant in hoc Pii V. privilegio, & meritò; etſi enim id ſit vivæ vocis oraculum, confirmatum tamen id fuit Minoribus inter alia privilegia etiam vivæ vocis oracula ex certa ſcientia & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine à Gregorio XIII. per ſpecialem Bullam, quæ incipit: *Ex benigna. 21. Martii Anno 1575.* & à Sixto V. in B. *Etſi Mendicantium. 3. Octobr. Anno 1587.* ac denique etiam à Clemente VIII. in B. *Ratio Paſtoralis. 20. Decembr. Anno 1595.* ubi iterum ex certa ſcientia confirmavit & innovavit, conſequenter ob clauſulam ex certa ſcientia de novo conceſſit omnia privilegia ſive per Bullam ſive vivæ vocis oraculo conceſſa, adeò ut hoc noſtrum vivæ vocis oraculum per has ipſas Bullas evaſerit bullatum & per conſequens revocationi Gregorii XV. & Urbani VIII. minimè ſubjectum. Atque hinc ſententiam noſtram etiam poſt prædictas conſtitutiones revocatorias privilegiorum vivæ vocis oraculo conceſſorum ſuſtinent Joannes à Cruce *de ſtat. Relig. L. 2. cap. 6. dub. 9. concl. 2.* Baſil. Pontius *de matr. L. 8. cap. 10.* Barthol. à Fauſto *L. 3. theſaur. q. 175.* quos refert & ſequitur Boſſius *cit. ſect. 2. cap. 74. in Coroll.* Bordonus *Reſol. 6. Q. 17. & Reſol. 15. Q. 11. n. 31.* & alii ex ſupracitatis. Verùm

Probatur eadem concluſio 2dò. 65
Poſſunt Canonici aliive Regulares privilegiati diſpenſare in omnibus votis, in quibus Jure ordinario poteſt Epiſcopus, ùt jam ſæpiùs dictum ac probatum fuit: ſed Epiſcopi poſſunt diſpenſare ad petendum

dum; debitum in voto caſtitatis perpetuæ ante matrimonium emiſſæ ſi non de Jure ſaltem ex conſuetudine quæ tribuit jurisdictionem *ex cap. cùm contingat. de foro compet.* ergo etiam Canonici aliive Regulares id poterunt, prout hoc ipſum quoq; docent Authores, ac pro certò perſuaſum habet *Diana p. 11. tr. 8. Reſol. 16.* Thom. Tamburinus *L. 3. in Decal. cap. 16. §. 4.* Sporer *in Decal, tr. 3. c. 3. S. 3. n. 54.* Reiffenſtuel hìc *§. 12. n. 569.* Et ratio ulterior eſt; quia Regulares poſſunt diſpenſare in omni impedimento proveniente à tali voto, in quo aliàs poſſunt diſpenſare: atqui poſſunt diſpenſare in voto non petendi debitum, quale videtur eſſe votum caſtitatis perpetuæ in eo, qui illo non obſtante contraxit matrimonium; quamvis enim votum perpetuæ caſtitatis ſit Papæ reſervatum, attamen diſpenſans in conjugato ad petendum debitum, non diſpenſat in voto perpetuæ caſtitatis, cùm remaneat quoad cætera omnia eodem voto ligatus, ſed tantùm in partiali illius effectu & quoad tempus tantùm, & quidem pro illo ſolùm ſtatu, quo ſpectata fragilitate humana impoſſibile eſt, votum quoad illum effectum ſcilicet non petendi debitum, ſervare illæſum: conſtat autem ex hactenus dictis poſſe Regulares virtute illorum privilegiorum, quibus poſſunt in votis diſpenſare etiam S. Pontifici reſervatis, quando non ſunt affecta reſervatione, quale eſt votum caſtitatis reſpectu conjugati in ordine ad non petendum debitum, in tali quoque voto diſpenſare. Quæ ſanè omnia pariter probant, poſſe Regulares cum ejusmodi conjugato diſpenſare non tantùm poſt contractum ac conſummatum, ſed ante conſummatum matrimonium etiam, ùt docet Sanchez *L. 4. moral. cap. 43.* Boſſius *cit. ſect. 2. caſ. 20.* Portel. *V. Confeſſor diſpenſans n. 8.* Sayrus *L. 6. cap. 10. & alii*, tum quia talis etſi poſſit ingredi Religionem, ad eam tamen non tenetur, cùm ingreſſus in illam à vovente non ſit promiſſus, nec virtualiter includatur in voto caſtitatis, tum quia etiam neceſſitas cohabitandi cum conjuge eſt inevitabilis, ſimulque conjuncta cum maximo periculo transgrediendi votum; difficillimum enim eſt, ut qui non obſtante voto matrimonium auſus eſt contrahere, dein abſtineat à conſummatione matrimonii ratione ejusdem voti.

Quod tamen haud quaquam extendi debet ad votum ingrediendi Religionem; qui enim ante matrimonium initum, aut poſt matrimonium etiam contractum nondum tamen conſummatum vovit Religionem ingredi, tenetur votum ſuum exequi & ingredi Religionem atque adeò abſtinere à conſummatione matrimonii non tantùm non petendo debitum, ùt omnes tradunt, ſed etiam non reddendo exi- 66

Dddddd 2 genti,

genti, ùt iterum cum S. Thoma olim erat communis DD.; quia antequam conſummat matrimonium poteſt adhuc & vi voti tenetur ingredi Religionem, & conſequenter ſive illud petendo ſive reddendo conſummet, peccat mortaliter; cum inhabilem ſe reddat ad exequendum votum: (*Adde*; quamdiu manet materia voti moraliter poſſibilis. Si enim evaneſcit omnis ſpes inveniendi aditum ad ullum Religioſum ſtatum, ſuis viribus proportionatum, eoipſo ceſſat obligatio) neque in eo diſpenſare poſſunt Regulares, cùm ſit votum S. Pontifici reſervatum. Quia verò ſententia aſſerens, quòd is, qui Religionem vovit, ingredi, poſt contractum utut illicitè matrimonium poſſit illud conſummare non quidem petendo, attamen reddendo debitum, admodùm probabilis eſt, eamque abſolutè docent poſteriores Theologi magno numero apud Dianam *part. 11. tr. 5. reſolut. 40.* hinc ſentio cum eodem Diana, *Gobat tr. 10. n. 629.* Sporer *Theol. Sacram. p. 4. cap. 2. n. 479.* Regularem Confeſſarium poſſe tali, præſertim in periculo peccandi mortaliter conſtituto permittere, ut juxta hanc ſententiam reddat debitum etiam prima vice petenti ſaltem poſt primum bimeſtre, imò & intra, (*Adde*; ſi jam infra bimeſtre evanuerit omnis ſpes receptionis ad ſtatum Religioſum) uti cum multis expreſsè docet *Tannerus D. 8. Q. 6. n. 56.* Poſtquam autem matrimonium ſive licitè ſive illicitè conſummatum eſt, abſolutè poteſt talis & petere & reddere debitum, ùt rectè Navarrus *in Man. cap. 12. n. 80.* Henriquez *L. 12. cap. 2. n. 3.* Sanch. *L. 9. de matr. D. 33. n. 14. & 15.* & alii ab his citati tradunt; nec opus ad id eſt ulla diſpenſatione; quia tunc materia voti reddita eſt impoſſibilis, conſequenter voti obligatio omninò ceſſat, cum poſt conſummatum matrimonium invitâ uxore non ampliùs liceat Religionem ingredi; quod ipſum tamen intelligendum eſt matrimonio ſtante; nam eo per mortem conjugis ſoluto tenetur is, qui Religionem vovit, eandem ingredi; quia tum ceſſat voti impedimentum, & vovens votum ſuum implere poteſt: igitur tenebitur. Idem dicendum, quando ſtante matrimonio divortium innocens ex cauſa adulterii fecit; tunc enim iſte ingredi poteſt Religionem, & ſic tenebitur ingredi ex vi emiſſi voti.

Dico 3tiò. *Poſſunt Canonici aliive Regulares privilegiati diſpenſare ad petendum debitum cum conjuge, qui poſt contractum matrimonium cum ſui conjugis conſanguinea etiam in primo gradu inceſtum commiſit.* 67

miſit, & conſequenter affinitatem cum proprio conjuge contraxit.

Ita conceſſit Pius V. Minoribus de obſervantia *27. April. Anno 1569.* illis verbis: *Poſſunt dicti Confeſſarii, ſi ſint viri docti, & juxta Conſilii Tridentini formam approbati diſpenſare in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum his, qui conſanguineum vel conſanguineam ſui conjugis poſt matrimonium carnaliter cognoverunt.* Quod privilegium etſi vivæ vocis oraculo fuerit conceſſum, quia tamen à SS. Pontificibus ſupra relatis inter alia vivæ vocis oracula ſæpiùs confirmatum eſt, meritò cenſeri debet eſſe bullatum, quidquid aliqui in contrarium ſentiant; ac proinde in iſto privilegio non immeritò ſe plérique fundant Authores, qui hac de re ſcribunt ex inſtituto Sorbo *in Compend. privileg. V. abſolutio. 2. quoad ſaculares.* Veracrux *1. part. ſpecul. art. 23. in fin.* Sanchez *L. 8. de matrim. D. 16. n. 8.* Henriquez *L. 11. de matrim. cap. 15. n. 11.* Quintenadven. *ſingul. tr. 9. ſingul. 3.* & alii plures. Verùm cùm alia adhuc ſuppetant hanc in rem privilegia, hinc probatur Concluſio 2dò ex alio privilegio Eugenii IV. quod non vivæ vocis oraculo, ſed per Bullam, quæ incipit: *Regularem vitam. 30. Junii. Anno 1436.* datam conceſſit Benedictinis, ut valeant ſæcularium vota commutare, & deſuper cum eis in omnibus & ſingulis caſibus diſpenſare; ſimile privilegium dedit idem Eugenius Canonicis Regularibus *23. Julii Anno 1439.* ut in omnibus & ſingulis caſibus & votis cum ſæcularibus diſpenſare, vel prout eorum animarum ſaluti viderint expedire in alia pietatis opera commutare poſſint. Julius quoque II. conceſſit Canonicis pariter Regularibus *Anno 1512.* poteſtatem, vota Chriſti fidelium pro tempore emiſſa in omnibus & ſingulis caſibus in alia pietatis opera commutandi, & deſuper cum eisdem voventibus diſpenſandi. Etſi verò in hiſce Bullis expreſsè non contineatur facultas diſpenſandi cum inceſtuoſis conjugibus ad petendum debitum, ac propterea dubitatum fuerit, an ea ſit incluſa in poteſtate diſpenſandi vota, ad omne dubium tollendum declaravit expreſsè Julius II., hanc poteſtatem per dictam conceſſionem diſpenſandi in votis cenſeri conceſſam, quam declarationem ſuam notificari fecit per Ludovicum Cardinalem ac Pœnitentiarium ſuum, ut patet ex illius litteris ſigillo Pœnitentiariæ ſignatis & teſte Petro de Murga *to. 2. Diſquiſit mor. Diſq. 1. dub. 13.* authentico Caſſinenſi Bullario inſertis ſequentis tenoris. Nos igitur authoritate Domini noſtri Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali & expreſſo mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, ut tam vigore conceſſionis Apoſtolicæ prædictæ quam verborum hujuſmodi in illa

appoſitorum vos & pro tempore exiſtentes dictorum Monaſteriorum Abbates, Priores, Præſidentes & Monachi prædicti conjugatos hujusmodi, qui poſt contractum matrimonium conſanguineas uxorum ſuarum cognoverunt, vel uxores, quæ à conſanguineis virorum ſuorum ſe carnaliter cognoſci permiſerunt, à talibus exceſſibus abſolvere & eis ſalutarem pœnitentiam injungere, nec non cum eis, & eorum quolibet, ut non obſtante affinitate ſuperveniente, debitum conjugale reddere & exigere valeant, diſpenſare liberè & licitè poſſitis & valeatis, poſſint ac valeant, perpetuò declaramus; in contrarium non obſtantibus quibuscunque &c. Hujus privilegii mentionem faciunt Auguſtinus à V. Maria. *V. confeſſio ſæcularium n. 49.* Rodriq. *to. 1. Q. 63. art. 1.* Boſſius *cit. ſect. 2. Caſ. 47. in collectar. n. 5.* Bordonus *Reſol. 6. Q. 17. & Reſol. 15. Q. 11.* Reiffenſtuel *in append. ad L. 4. Decret. de Diſp. §. 12.* qui etiam *n. 574.* teſtatur de univerſali conſuetudine, vi cujus conſtat, quòd Regulares paſſim diſpenſent pro foro interno cum inceſtuoſis conjugibus ad petendum debitum, quæ conſuetudo tribuit juriſdictionem *per cap. duo ſimul de offic. ordin.* eâque acquiritur privilegium.

68 An verò Regulares etiam poſſint pro foro conſcientiæ diſpenſare in impedimento affinitatis dirimente ad hoc, ut conjuges illo non obſtante poſſint matrimonium prius nulliter contractum revalidare, & in illo permanere, debitumque petere ac reddere valeant, ſicut juxta hactenus dicta diſpenſare poſſunt in impedimento affinitatis poſt matrimonium contractum proveniente ex copula inceſtuoſa, ſolamque petitionem debiti impediente, major eſt controverſia, in qua potior Authorum pars negativam ſententiam amplectitur, diverſis nixa rationibus, vel quod putet nullum hactenus emanáſſe privilegium quod talem poteſtatem concedit Regularibus, præſertim cùm talem nequidem Epiſcopi habeant, vel ſi quod unquam emanâſſet, non fuiſſet univerſaliter conceſſum, ſed pro aliquo tantùm caſu particulari indultum, aut certè deſuetudine exoleviſſe. Quibus tamen non obſtantibus haud deſunt alii, qui affirmativam ſententiam magno ſtudio defendunt, qui præcipuè nituntur privilegio à Leone X., Auguſtinianis conceſſo, in quo expreſsè concedit poteſtatem in ejusmodi impedimento affinitatis dirimente diſpenſandi, hanceque ſententiam recentior quidam in tractatu, quem edidit de inſtructionibus Miſſionariorum fortiter propugnat, non minus tamen acriter impugnatur à Cardenas *in 2da Criſi. Diſſ. 2. à. n. 381.*; mihi ſanè prior ac negativa ſententia diu videbatur tenenda, Doctorum maximè authoritate ac copio-

copioſo numero inductus, ex quibus licet multi privilegium illud referant, vix ullus tamen id auſus eſt univerſaliter acceptare, ſed vel omninò rejecerunt, vel ſaltem non practicabile cenſuerunt; verùm lectis ac ſedulò perpenſis fundamentis ac rationibus, quas pro ſententia affirmativa ac ſubſiſtentia illius privilegii affert P. Reiffenſtuel *in Append. ad L. 4. Decretal. de diſpenſ. §. 11. à n. 542.* factum eſt, ut eandem admodùm probabilem judicaverim, præſertim prout à clariſſimo Authore ſuis circumſcripta eſt limitibus ac cautelis, ac proinde haud potui non accedere ejusdem ſententiæ, cúmque nefas ſit eidem quidquam addere aut demere, eandem illius penè verbis hìc referam, juxta proin mentem ac ſententiam illius.

69 Dico 4tò. *Poſſunt Regulares per totum orbem exiſtentes poſt matrimonium ſive bona ſive mala fide contractum pro foro interno diſpenſare ſuper occulto dirimente matrimonii impedimento affinitatis etiam in primo gradu, & prolem inde ſuſceptam legitimam declarare, ita quidem, ut conjuges in illo permanere, & debitum petere ac reddere valeant.*

Concluſio hæc multos eosque graves adverſarios habet, hinc aliquantum uberius eam deducere, & ſolvendo adverſariorum fundamenta illam ſtabilire oportet, præſertim quia ejus diſcuſſio pro praxi ſcitu ſummè neceſſaria videtur; eam autem expreſſe docent Richardus Roffenſis Epiſcopus ab omnibus etiam adverſariis proclamatus & laudatus vir celeberrimæ doctrinæ & ſanctitatis ab Henrico VIII. Angliæ Rege in odium fidei Catholicæ occiſus, in ſuo libello de cauſa matrimonii Regis Angliæ. Chaſſaing *de privil. Regular. tr. 5. cap. 5. propoſit. 3.* Veracrux *2. part. ſpeculi aurei art. 27. V. & hoc confirmatur expreſsè.* Alviſet *ſect. 3. cap. 16. n. 3.* Kazenberger *in ſupplem. de Leg. c. 1. S. 4. Q. 3. à 391.* Joan Boſco *Diſp. 12. ſect. 13. n. 191.* *Reiffenſtuel l. c.* Elbel *p. 3. conferent. 20. n. 496.*

Probatur itaque concluſio noſtra unico eoque efficaci argumento: 70 poſſunt Regulares ſuper memorato impedimento diſpenſare, quando ita diſpenſandi expreſſum & clarum nunquam revocatum privilegium bullatum Pontificium habent: atqui habent tale privilegium: ergò &c. major eſt certa; minor verò probatur: PP. Auguſtinianis per totum mundum exiſtentibus Leo X. clariſſimum, idque Bullatum conceſſit

ceſſit privilegium; *quòd cùm his, qui in primo affinitatis gradu ſcienter aut ignoranter contraxerunt, modò notorium id non fuerit, neque in judicium productum, diſpenſare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitima.* Ita tenor privilegii, uti patet ex Bulla Leonis X. in quo privilegio communicant præcipuè Canonici Regulares, utpote qui cum PP. Auguſtinianis in omnibus cæteroquin privilegiis ex conceſſione Julii II. aliorumque SS. Pontificum communicant; privilegium Leonis in terminis etiam adducit doctiſſimus Rodriquez *to. 3. QQ. Reg. Q. 2. art. 2.* dicens, verum eſſe, *quòd Leo X. fratribus Auguſtini Ordinis conceſſit dictum privilegium, per totum orbem Chriſtianum, quemadmodum in ejus Bulla palam continetur*; ſunt formalia verba Roderici, quæ non protuliſſet, ſi Bullam non legiſſet aut vidiſſet. Addit; *Roſſenſis Epiſcopi teſtimonio certè credendum eſt propter ejus maximam ſanctitatem, ſiquidem pro fide Catholica gladiis impiorum occubuit*; licèt dein idem privilegium ex alio capite impugnet, ut infra videbimus. Idipſum privilegium ex Veracrux adducit etiam Quintenadvennas *tr. 9. ſingular. 1. n. 1.* addens ad finem, *Veracrucio utpote Auguſtiniano de privilegiis ſui Ordinis ſcribenti fides adhibenda videtur.* Idem privilegium allegat etiam Sanchez *L. 8. de matr. D. 6. n. 28.* Baſſæus, Bonagratia, Pelizarius in Man. Regul. Gobath in *Theolog. experiment. tr. 9. n. 919.* & alii communiter.

Verùm plures ex allegatis num. 71 præced. Doctoribus dictum privilegium etiam impugnant, & quidem Rodriquez & ex ipſo Sanchez *L. 8. de matr. D. 6. n. 28.* dicunt, iſtud privilegium non eſſe in uſu, vel ùt poſt Vegam volunt, non eſſe univerſaliter, ſed tantùm pro aliquo caſu conceſſum; non enim veroſimile videtur, ajunt, Pontificem tam univerſale privilegium Regularibus conceſſiſſe, cùm id Epiſcopis non inveniatur conceſſum. Horum tamen DD. opiniones & rationes planè non videntur præjudicare memorato privilegio; nam contra illos pro privilegio militat, tum quòd, uti benè obſervat Chaſſaing loc. cit. non conſtet de non uſu hujus privilegii, cùm verſetur tantùm circa impedimenta occulta ſoli Confeſſario & pœnitenti nota, nullúſque ſcire poſſit, an non plures Confeſſarii dicto privilegio pro foro conſcientiæ uſi fuerint; tum quia ſi (dato non conceſſo) dictum privilegium in uſu non fuit, id provenit ex ignorantia ejuſdem privilegii, quali non uſu privilegia minimè amittuntur juxta Innocentium *in c. accedentibus. pr. de privilegiis.* Donatus *to. 1. t. 12. Q. 6. n. 6.* Arg. *L. his qui uſum fructum. ff. quibus modis uſus fructus amittitur.* Nec obſtat allegatum privilegium non competete Epiſcopis, quia conſtat Regulares pluribus aliis privilegiis gaude-

re, quibus carent Epiſcopi, ùt benè loc. cit. obſervat Chaſſaing.

72 Aliter dictum privilegium impugnat Henriquez L. 12. de matr. cap. 3. n. 3. dicens, illo privilegio plus non concedi, quàm diſpenſare ùt inceſtuoſus contrahat cum alia, aut ùt licitè debitum petat; quia, inquit, *hoc privilegium Leonis X. non reperitur apud illos, qui diligenter collegerunt Regularium privilegia.* Ex quo motivo etiam Quintanadvennas, Vega & alii communiter adverſantur eidem privilegio. Verùm hæc Henriquez opinio immediatè repugnat tenori privilegii, utpote qui expreſsè ſonat de impedimento affinitatis ante matrimonium contracto, & de eodem matrimonio, ùt legenti patebit. Alterum fundamentum Henriquez ipſius opinionem totaliter deſtruit: ſi enim dictum Leonis privilegium nullibi invenitur, ùt ipſe cum nonnullis ait, quomodo ille & ei adhærentes interpretari poſſunt, illud ſic vel ſic intelligendum eſſe? cùm non entis non ſint qualitates. Dein ad idem fundamentum etiam ab aliis productum reſpondetur, ex eo efficaciter inferri non poſſe, dictum privilegium non eſſe conceſſum, vel non extare. Nam contra eſt; tum quia etſi non reperiatur in illis privilegiorum collectoribus, quos ipſi legerunt, poteſt forſan inveniri in aliis, quos ipſi non legerunt, neque enim quis dicere præſumet, ſe omnes legiſſe: tum quia expreſsè reperitur in citato Roffenſi Epiſcopo ſanctitate & doctrina celeberrimo, quem mendacii, fraudis, levitatis, aut ignorantiæ in tam gravi causâ & materia arguere, planè iniquum videtur ac nimis præſumptuoſum. Reperitur etiam in Chaſſaing, & in deſumentibus ex illo, Veracrux, aliiſque adhærentibus; & quis dicere audebit, illum ſanctitate & doctrina celeberrimum Epiſcopum, quem nemo non ſummis laudibus extollit, in re tanti momenti, utpotè à qua valor pendet Sacramenti matrimonii, Bullatum privilegium abſque ſufficienti fundamento & notitia allegare, vel fingere, aut mentiri voluiſſe, qui pro veritate doctrinæ Chriſtianæ extremum ſupplicium ſubiit, præſertim cùm nulla appareat ratio efficax, cur non æquè habeatur fides, tanto Epiſcopo, eique adhærentibus, quàm aliis privatis Doctoribus privilegia colligentibus, longè minoris cæteroquin authoritatis: & licèt etiam ex his aliqui illud referrent, nunquid non & hos calumniari, aut ſiniſtrè interpretari poſſent adverſarii, quemadmodum defacto faciunt illud aſſerentibus. Nec etiam refert, quod Bulla in qua dictum privilegium continetur, non facilè amplius reperiatur; quia benè eſſe poteſt, quòd turbulentiſſimis temporibus, quibus Rex Angliæ in Catholicos ac præcipuè in Regulares ſæviebat, memorata Bulla in Anglia forſan al-

legata (nam ibi primitùs allegabatur & citabatur) unacum aliis Catholicis monumentis perierit. Accedit, quòd plura alia privilegia adhuc vigeant, & pro authenticis habeantur, etſi conceſſionis Bulla apud Doctores non facilè ampliùs inveniatur.

73 Verùm hìc inſurgit contra recentiorem quemdam noſtram ſententiam propugnantem Cardenas *in 2. Criſi D. 2. n. 380. & ſeq.* eique exprobat, quòd ex Ildephonſo à Veracruce proferat relatum ſupra privilegium & quidem ùt ipſe putat vivæ vocis oraculo tantùm conceſſum, cujus tamen fides tota eſt penes teſtimonium Roffenſis, idque prætereà impugnat ex eo, quòd in illo referendo non conveniant Authores; nam Henriquez illud ſolùm intelligit de affinitate inceſtûs, quæ ſupervenit matrimonio, & Rodriquez vult illud tantùm pro caſu aliquo particulari indultum; ſicut & Pelizarius; atque ſic putat Cardenas profligatam eſſe & Recentioris illius ac ſimul noſtram ſententiam: ſed vehementer fallitur; etenim falſum omninò eſt, à nobis allegari privilegium vivæ vocis oraculo à Leone conceſſum, cùm ex hactenus dictis & teſtimonio Epiſcopi Roffenſis conſtet illud fuiſſe bullatum, cujus teſtimonium licèt contemnat tanquã levidenſe longè majoris tamen eſt authoritatis, quàm ipſius Cardenas ſine ullo fundamento & ex falſo ſuppoſito illud rejicientis; ex quo ipſo ruit, quod ex eo deducit abſurdum, in illum meritò retorquendum. Quòd autem in eo referendo privilegio non conveniant Authores, non eſt culpa noſtrorum, utpote qui omnes illud pariformiter referunt, ſed Adverſariorum, qui cùm deſperatam foveant cauſam, ad deſperata etiam confugiunt media, & neſcio quæ confingunt, ut ſuæ præconceptæ opinioni omni cæteroquin deſtitutæ fundamento ſpeciem aliquam veriſimilitudinis ac probabilitatis affingant; ſic enim Henriquez affingit huic privilegio contra clariſſimum verborum tenorem falſiſſimum ſenſum gratis omninò excogitatum; Rodriquez poſtquam genuinum retulit privilegium, illud reipſa approbat, ùt ſupra vidimus; cùm verò illud reprobare videtur, non ex ſuo ſed alieno ore loquitur, nempe P. Vega, qui tamen tantùm dicit, ſe putare ſeu credere hoc privilegium non eſſe univerſale &c. quàm nihil autem putatitiis hujuſmodi aſſertionibus tribuendum ſit, nemo doctus ignorat; atque ita etiam in fumum abit adornatus tam operosè à P. Cardenas contra noſtram ſententiam triumphus.

Reſtat ut etiam P. Gobat ſatisfaciamus, qui ſæpedictum privilegium aliter impugnat in Theolog. experiment. *tr. 9. n. 720.* dicens: 74

Ni-

Nihilominus tamen exiſtimo eſſe veroſimile, tale privilegium vel nunquam emanâſſe, vel ſi emanavit non ſubſiſtere: fundamentum ipſius audiamus: *etenim*, ait, *vel fuit duntaxat vivæ vocis oraculo conceſſum, vel per Bullam: ſi ſecundum, evolavit, cùm nuſpiam reperiatur; evolâſſe quis credat? ſi primum, probabiliſſimè evanuit ob Bullas Gregorii & Urbani.* Verùm facilis eſt ad hoc reſponſio; reſpondetur itaque, eſſe conceſſum privilegium per Bullam, uti conſtat ex teſtimonio Roffenſis & Rodriquez locis citatis. Nec refert, quòd nuſpiam reperiatur; neque enim ex hoc ſequitur eam evolâſſe ſeu evanuiſſe: nam contra eſt, quòd ea reperiatur in citato Roffenſi Epiſcopo, apud Chaſſaing, Rodriquez, Veracrux, & aliis nobis adhærentibus, quod ſufficit ad aſtruendum privilegium noſtrum, ſicut ſufficit in aliis privilegiis, quorum plura quoad Originale perierunt ſive injuria temporum, ſive aliis caſibus fortuitis; quis enim omnia originaliter potens eſt producere, aut de iis producendis cavere? tum quia ex eo, quòd charta, in qua tenor Bullæ emanatæ continentur, pereat, minimè perit ſeu evaneſcit & evolat ipſum privilegium, ùt fateri debet ipſe Gobat; hinc ſi concedatur ſecundum membrum, videlicet quòd aliquando per Bullam ſit conceſſum, malè infertur: ergò evolavit; ſed potiùs inferendum eſt: ergò adhuc valet, etiamſi nullibi ampliùs reperiatur, præſertim cùm teſte ipſo Gobat & communi aliorum, bullata privilegia Regularium nullatenus ſint revocata. Aſt pergit Gobat ibidem dicendo: *attamen ob reverentiam erga illum S. Epiſcopum, credo omninò eſſe datum, at non bullatum conſequenter de illo diſcurrendum ſicut de cæteris ſine Bulla conceſſis privilegiis.* Sanè mirabile, ob reverentiam S. Epiſcopi omninò credit, privilegium eſſe datum, & non credit eſſe bullatum, cùm tamen hoc æquè ac illud expreſsè teſtetur S. Epiſcopus, & utique minorem non mereatur fidem teſtans de ſubſtantia, quàm de accidenti. (*Adde*; Ex hucusque dictis colligi, præcipuum fundamentum hujus ſententiæ niti teſtimonio Richardi Epiſcopi Roffenſis, prout citatur à P. Reiffenſtuel; ſed ille Epiſcopus non gerebat nomen Richardi, ſed Joannis. Præterea in Collectione omnium ejus Operum, quæ prodiit poſt ejus mortem viginti duobus annis Anno 1557. Wirzburgi, nullum extat de cauſa matrimonii. Econtra in Sandero & Raynaudo legitur de alio Richardo, non Epiſcopo, qui defendit matrimonium Catharinæ contra Henricum ac propterea ſupplicio affectus eſt. Itaque ipſiu fundamentum nutat.)

Ex quibus omnibus cùm apertè 75.
conſtet viros doctrina & virtute celeberrimos fideque digniſſimos pro certo aſſerere & teſtari, ſæpè di-

dictum privilegium per Bullam Leonis X. revera fuiſſe conceſſum: rationes verò & fundamenta Doctorum idem privilegium impugnantium ſolùm apparentia, aut gratis aſſerta, non autem efficacia, multò minùs convincentia videantur, ſufficienter probata videtur Concluſio noſtra, ſeu vera exiſtentia quæſtionati privilegii. Quamvis autem hæc ita ſe habeant, haud tamen licitum eſt, ut Regulares paſſim & ordinariè eodem etiam pro ſolo conſcientiæ foro utantur, ſed ad Pœnitentiarium vel Epiſcopum pro diſpenſatione recurrant, *niſi periculum incontinentiæ, vel alia neceſſitas aliud ſuadeat.* Ratio eſt; quia quandocunque agitur de valore Sacramenti (uti in præſenti; ſi enim dato non conceſſo privilegium non ſubſiſteret, diſpenſatio nulla, ipſumque matrimonii Sacramentum nullum foret, & conjugati, gratiis Sacramentalibus in conjugio tantopere neceſſariis deſtituti in continuis fornicationibus ſaltem materialibus remanerent) non licet ſequi ſententiam probabilem relicta tutiore, niſi in caſu neceſſitatis infra referendo, in quo tuta practicari non poteſt.

76 Si quæras: Ad quid ergò opus fuit tam prolixè hoc privilegium deducere, ſi illo uti non expedit? vel ad quid juvat? Reſpondetur juvare plurimùm, & ideò operæ pretium omninò fuiſſe, ſuprapoſitam doctrinam exactiùs & paulò prolixiùs exhibere, eò quòd per eam, ſi una cum annexa cautela obſervetur, in quovis caſu quemlibet pœnitentem plenè conſolari, eumque juvare poſſimus, uti ex ſequenti, quam obſerva, demonſtratione patet. Vel enim ex circumſtantiis cognoſcit Confeſſarius Regularis, quòd putativus conjux indigens diſpenſatione ſine incontinentiæ periculo: uſque dum diſpenſatio Româ aut ab Epiſcopo veniat, vivere poſſit & velit, vel non: ſi videt, quòd ſine dicto periculo vivere, ac interea ſe continere poſſit & velit, dicat ei, quòd illicò pro ipſo diſpenſationem apud Papam vel Epiſcopum in ſecretò procurare velit, ille verò interea ſe contineat; ſic enim ille omninò contentus & valor Sacramenti ſecurus erit. Si verò cognoſcat Confeſſarius, putativum conjugem ob fragilitatem & alias circumſtantias in evidenti incontinentiæ periculo verſari, vel adeſſe periculum mortis ex parte unius (& conſequenter proles interea ſuſceptas manſuras illegitimas, aut ſucceſſionem bonorum &c. ad eas injuſtè devolvendam &c.) nec exſpectari poſſe, donec diſpenſatio Româ vel ab Epiſcopo adveniat, utatur prædicto privilegio, & pro foro conſcientiæ diſpenſet cum illo, ſimulque doceat, qualiter matrimonium de novo contrahere poſſit & debeat juxta doctrinam Sanchez *L. 2. de matr. D. 36.*

D. 36. Sporer *Theol. Sacram. p. 4. cap. 2. à n. 451.* & Reiffenſtuel *ad L. 4. Decret. in Append. de diſpenſ. §. 13.* quo facto nihilominus pro majori ſecuritate Romam vel ad Epiſcopum, ipſo etiam ignorante pœnitente pro diſpenſatione ſcribat (valet enim diſpenſatio etiam ignoranti impetrata, ùt cum aliis benè docet Sanchez *L. 8. D. 26. n. 4.* arg. cap. *ſi motu proprio de Præbend. in 6.* & *L. univerſi. C. de precib. Imperat. offerend.*) obtenta deinde diſpenſatione vocet vel accedat Confeſſarius eundem conjugem, illumque informet, quare pro majori ſecuritate præter ſuam jam factam diſpenſationem, etiam Romæ diſpenſationem procurârit, & qualiter ipſe ejusdem matrimonium majoris ſecuritatis causâ denuò revalidare poſſit.

77 Et ex his ſatis patet ad quid ſerviat hactenus quæſtionatum privilegium, & quàm neceſſarium fuerit, ſufficienter demonſtrare, illud probabilius exiſtere, & adhuc ſubſiſtere, hoc enim ſi non eſſet, dictum privilegium practicari ſatis tutò non poſſet; licèt enim Gobat non obſtante, quòd priùs docuerit in Theol. experim. tr. 9. n. 720. veroſimilius ſeu probabilius eſſe, hoc privilegium non ſubſiſtere, præfatam praxin noſtram admittit ex eo; quia, inquit, in morbis deſperatis ſatius eſt adhibere dubiam, quàm nullam medicinam: quia tamen juxta primam propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam certum eſt, non licere relicta probabiliori & tutiori ſequi tantùm probabilem minùs tutam (qualis juxta ipſum eſſet opinio de ſubſiſtentia privilegii) quando agitur de valore Sacramenti, uti in præſenti res ſe habet, eò quòd valor Sacramenti à diſpenſatióne valida, hæc verò à ſubſiſtentia privilegii ſubſiſtat, doctrina Gobati difficultate non caret. Dum econtra ſtante noſtra doctrina de probabiliori privilegii ſubſiſtentia memorata praxis pro foro interno tuta, & in ſe ſancta, utpote ad plurima peccata præcavenda ſerviens, ſimulque cauta & provida appareat; & ratio dictorum eſt, ùt addit Kazenberger *l. c. 391. ad fin.* quia ùt docet Navarrus, Sotus, Sanchez & alii apud Cardenas *in 2. Criſ. Diſſ. 4. c. 7.* in extrema & graviſſima neceſſitate, etiam quando agitur de valore Sacramenti licitum eſt uti opinione tenuiter probabili: adeoque etiam in caſu noſtro poterit Confeſſarius diſpenſare, ſi periculum incontinentiæ aut alia neceſſitas urgeat, etſi poſtea diſpenſationem certam procurare debeat; ſicut contingit in baptiſmo, ubi baptizatus cum materia dubia, rebaptizandus eſt cum materia certa ſub conditione.

His ita circa diſpenſationem in impedimento affinitatis conſtitutis, ſupereſt adhùc quæſtio hoc loco decidenda, an ſicut licet Regularibus di- 78

ſpenſare poſt matrimonium contractum ſuper occulto dirimente matrimonii impedimento affinitatis, ita etiam iisdem liceat diſpenſare generatim in omnibus impedimentis, in quibus diſpenſant Epiſcopi ex ordinaria jurisdictione vel à Jure & conſuetudine? Ita quidem ſentiunt Quintana Dvennas *tr. 9. ſingul. 1. n. 4.* & alii quos citat & ſequitur Alviſet *ſect. 3. cap. 16.* & Recentior quidam in tr. de Inſtructionibus Miſſionariorum, quem refert & impugnat Cardenas *Diſs. 2. n. 384.* ubi ait, hanc ſententiam omninò carere probabilitate, neque poſſe ſine periculo animarum in praxin deduci: eandem quoque vocat Reiffenſtuel l. c. n. 540. periculoſam & nullatenus practicandam, utpote cùm omninò improbabilis videatur. verùm præſcindendo ab his cenſuris

27 Dicò 5tò. *Non poſſunt Canonici aliive Regulares diſpenſare ſuper quovis tam dirimente, quàm impediente matrimonii impedimento, ſuper quo poteſt Epiſcopus diſpenſare ſive Jure ordinario ſive extraordinario.*

Ita communior & apud Doctores recepta ſententia. Ratio eſt; quia hæc poteſtas diſpenſandi ſuper quovis impedimento matrimonii, in quo diſpenſat Epiſcopus, Regularibus neque competit de Jure, ùt omnes etiã Adverſarii fateri debent: neque ex privilegio; quia nullum allegari poteſt univerſaliter alicui Ordini conceſſum: ergò nullo modo eisdem competit. Neque dicas: Paulus III. conceſſiſſe Societati in B. *licèt debitum.* 18. *Octobr. Anno* 1549. quòd poſſint diſpenſare cum iis, qui in gradibus Jure Eccleſiaſtico prohibitis contraxerunt matrimonia. Paulus V. in B. *ut Regni. Anno* 1612. dedit Carmelitis diſcalceatis ampliſſimam facultatem diſpenſandi ſuper quibuscunque conſanguinitatis & affinitatis gradibus, excepto 1mo lineæ transverſæ, & quocunque inter aſcendentes & deſcendentes, ita ut impedimentis hujusmodi non obſtantibus matrimonium contrahere poſſint. Gregorius XIII. conceſſit pariter Jeſuitis poteſtatem diſpenſandi cum iis, qui clandeſtinè vel coram Parocho non proprio, vel cum impedimento criminis, vel cum impedimento conſanguinitatis aut affinitatis in 4to. gradu aut cum impedimento compaternitatis aut commaternitatis ſpiritualis contraxerunt matrimonium; ſic etiam PP. Capucinis à S. Congregatione de propaganda fide conceſſa eſt facultas diſpenſandi in & 4. gradu conſanguinitatis & affinitatis quoad præterita matrimonia, & ſuſceptam prolem declarandi legitimam: item diſpenſandi in impedimentis

pub-

Digitized by Google

publicæ honeſtatis, criminis neutro tamen conjuge machinante mortem, & cognationis ſpiritualis inter levantem & levatum: ex quibus omnibus ſufficienter patet, dari plura privilegia poteſtatem concedentia diſpenſandi in pleriſque impedimentis etiam dirimentibus. Verùm contra eſt, quòd relata hactenus privilegia non ſint univerſaliter conceſſa, ſed pro Miſſionariis tantùm, ac certis quibusdam Regionibus & quidem plerumque remotiſſimis, ultra quas non licet ea practicari; pro his enim tantùm Paulus III. ſuum conceſſit Societati privilegium diſpenſandi cum infidelibus; Carmelitarum privilegium expreſsè reſtrictum eſt ad regnum Perſarum, e usque Miſſionarios. Privilegium Gregorii XIII. eſt tantùm vivæ vocis oraculum nec authenticum, & conſequenter ſublatum per Gregorium XV. & Urbanum VIII. unde nec reperitur in compendio privilegiorum Societatis; Capucinorum privilegia à S. Congr. de propaganda fide cum præſcitu S. Pontificis indulta ſingulis quinquenniis renovari debent, conſequenter incomunicabilia: præterea data ſunt tantùm pro Miſſionibus Helvetiæ. Nec valet argumentum: Regulares poſſunt diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi: ergò etiam poſſunt diſpenſare in omnibus impedimentis, in quibus poteſt Epiſcopus; diſparitas enim eſt, quòd eam poteſtatem in votis diſpenſandi habeant ex ſpecialibus & expreſſis privilegiis per plures Pontifices conceſſis, non item poteſtatem diſpenſandi in impedimentis matrimonii.

CONCLUSIO OPERIS.

Finierat hoc loco laborem ſuum cum vita A.R.D. Rupertus Grueber, comes ſtudiorum quondam meorum amiciſſimus. Partum poſthumum juſſu Reverendiſſimi mei Præſulis, *Franciſci Töpsl*, amantis decorem Ordinis, in lucem eduxi. Conſtitueram equidem, præter *Additiones* pauculas, quibus mentem Authoris attemperabam ad mentem ſummorum Antiſtitum, ſubnectere nonnulla de *Capacitate Canonicorum Regularium* ad Beneficia Sæcularia; calamum tamen meum SS. D. N. Benedictus XIV. ſua Conſtitutione: *quod inſcrutabili*, emanatâ anno 1745. die 9. Julii prævertit. Meum non eſt, ſcrutari mentem Pontificis: ab ea tamen nec hilo me receſſurum exiſtimo, ſi fidenter dixero: Conſtitutione illa neutiquam comprehendi Beneficia Sæcularia, aut ſita in Eccleſiis Regula-

riun

rium, aut alicubi poſita, non perſonæ Jure irrevocabili *collata in Titulum*, ſed Ordini potius, aut Monaſterio in perſona Vicarii ad nutum amovibilis ad tempus commendata. Congrueret præterea; inter *Privilegia* locum concedi perpetuis *Indulgentiis*, Congregationi Lateranenſi indultis liberalitate Pontificum. Verùm quia ipſamet Sedes Apoſtolica jam à pluribus annis deliberat de præfigendo novo modo Indulgentiis Lateranenſis Eccleſiæ; & aliæ obviè reperiuntur in Bullario Lateranenſi, duas ſolùm novas ſubjungo, circa quas ſi qui certiora petunt aut explicatiora, conſulo, ut declarationem aut extenſionem Privilegii à S. Congregatione Indulgentiarum non *viritim*, ut ita dicam, pro Canoniis ſingulis; ſed *unitim in corpore* ſaltem in ſingulis Diœceſibus cum Epiſcoporum commendatitiis petant, inſertâ expreſsâ declaratione, quod non ſub *gubernio*, *cura*, aut *jurisdictione* Congregationis Lateranenſis, ſed ſub gubernio, cura, ac jurisdictione ſolius Epiſcopi regulari vitâ Deo deſerviant.

I. Con-

I.

Conceſſio Privilegii ad Altaria S. Ubaldi.

BENEDICTUS PP. XIV.

AD perpetuam rei memoriam. Omnium ſaluti paterna charitate intenti Sacra interdum loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum Animæ Domini noſtri JESU CHRISTI, ejúsque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur omnes, & ſingulas Eccleſias tàm erectas, quàm impoſterum erigendas Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis, nec non Monialium Ordinis, & Congregationis hujusmodi ſub gubernio, cura, & jurisdictione Canonicorum Regularium præfatorum exiſtentium, & in qualibet ex dictis Eccleſiis Altare ſub invocatione Sancti Ubaldi erectum, ſeù erigendum hoc ſpeciali dono illuſtrare, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ſupplicationibus dilecti Filii Alexandri Joſephi Chiappinii moderni Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque Sacerdos aliquis Secularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti Regularis ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium pro Anima cujuscumque Chriſtifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad præfatum S. Ubaldi Altare celebrabit, Anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam

conſequatur, ita ut ejusdem Domini noſtri JESU CHRISTI, ac Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Sanctorúmque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus & indulgemus. Ac inſuper auctoritate Apoſtolica permittimus, ut dilectus Filius Abbas Generalis ejusdem Congregationis dumtaxat, adhibitis omnibus diligentiis ſuper conceſſione Altarium in eisdem Eccleſiis exiſtentium ab hac Sancta Sede privilegio pro liberandis Animabus à Purgatorii pœnis, ut aſſeritur, in perpetuum aliàs decoratorum, conceſſionem hujusmodi obſervet, & juxta datam ſibi à Domino prudentiam unica vice tantùm declaret, & quæ ex iisdem Altaribus ſint revocanda, & quæ de novo, ut præfertur, novo privilegio donanda, atque hæc quidem eo privilegio in perpetuum gaudere, illa verò ſic per dictum Abbatem revocata in perpetuum quoque haberi: ita tamen ut ubi nullum, unum Altare privilegio hujusmodi deputet, ubi verò unum aut duo Altaria repererit eodem privilegio ditata, utrumque firmum, ac veluti de novo conceſſum eſſe ſtatuat, & decernat. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuscumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, Manu, & Sigillo Procuratoris Generalis pro tempore exiſtentis Congregationis præfatæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Añulo Piſcatoris die XVIII. Decembris MDCCXLIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

D. Card. Paſs. oncus.

L. S.

D. Alexander Joſephus Chiappinis, Abbas S. Mariæ Pacis de Urbe, ac Procurator Generalis Congregationis Lateranenſis.

II.

Altaris Privilegiati Conceſſio in favorem deceдentium ex Congregatione Lateranenſi.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, ſicut dilectus Filius Benedictus Koblitz Abbas perpetuus Congregationis Lateranenſis ad omnes Sanctos Olomucii Ordinis Sancti Auguſtini Olomucenſis Diæceſis Nobis nuper exponi fecit, per Conſtitutiones Congregationis hujusmodi authoritate forſan Apoſtolica confirmatas, in cujuscumque Presbyteri, vel Clerici aut Laici Congregationis præfatæ diebus obitus, ſeu alio die, aliquas Miſſas, unusquisque Canonicus Regularis dictæ Congregationis in Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutus, celebrare debeat; ideoque dictus benedictus Abbas Miſſas hujusmodi cœleſtium munerum, quorum diſpenſationem fidei noſtræ credidit Altiſſimus elargitione à Nobis decorari plurimùm deſideret. Nos piis ejusdem Benedicti Abbatis Votis quantùm cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab Homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque Sacerdos aliquis ejusdem Congregationis Miſſam, vel in die obitûs præfatorum Presbyterorum, Clericorum, & Lai-

Digitized by Google

corum dictæ Congregationis, vel in alio die, ad quodcumque Altare Eccleſiarum Congregationis hujuſmodi, ubicumque exiſtentium, pro illorum Anima, quæ Deo in charitate conjuncta, ab hac luce migraverit, celebrabit, Miſſa hujuſmodi Animæ, pro qua celebrabitur, perindè ſuffragetur, ac ſi ad Altare Privilegiatum celebrata fuiſſet, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuscumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu, & ſigillo Præpoſiti ad omnes Sanctos Congregationis prædictæ pro tempore exiſtentis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diæceſis ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Maij M DCC XLIII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Pro D. Card. Paſſioneo

Cajetanus Amatus.

INDEX
RERUM & VERBORUM.

A.

Abbas.

ABbates, quinam ſint propriè? *pag.* 288. & *ſeq.* Abbates monaſtici habent privilegium utendi pontificalibus inſigniis. 327. vid. *Prælatus.*

Abſolvendi poteſtas. Abſolvere. Abſolutio.

Abſolvendi poteſtate à Tridentino Epiſcopis conceſſa uti poſſunt Prælati Regulares quoad ſuos ſubditos Religioſos. 515. Solus, qui caſus reſervavit Prælatus, ordinariam habet poteſtatem ab illis abſolvendi. 534. *ſeq.* An liceat abſolvere à caſu reſervato, cujus reſervationem ignorabat pœnitens. 538. Poſſunt Prælati Regulares Religioſos ſibi ſubditos abſolvere à quibuslibet delictis quantumcunque gravibus ante vel poſt Profeſſionem commiſſis, & ab omnibus cenſuris etiam S. Pontifici reſervatis, extra Bullam Cœnæ tamen contentis. 544. Licèt quidam caſus fuiſſent reſervati poſt hoc conceſſum Prælatis abſolvendi privilegium. 547. Iidem Prælati poſſunt abſolvere ſuos Religioſos ab Excommunicatione ob Simoniam contractam. 549. Item à ſuſpenſione ob Ordines malè ſuſceptos incurſa. 553. ab excommunicatione Canonis, *Si quis ſuadente*, S. Pontifici reſervata, etiamſi percuſſio foret gravis. 556. A cenſuris excommunicationis & ſuſpenſionis etiam S. Pontifici reſervatis in facientes aut permittentes ingredi in monaſteria Religioſorum ac Monialium ſtatutis. 558. Ab excommunicatione in procurantes abortum decreta. 560. Quinimo à caſibus S. Pontifici reſervatis in Bulla Cœnæ, hæreſi ſaltem excepta. 567. usque 586. An valeat abſolutio à caſibus reſervatis vi privilegii, quod *probabiliter* exiſtere defenditur. 587. *ſeq.* item 610. Poſſunt etiam Prælati Regulares ſubditos ſibi Religioſos abſolvere ab hæreſi formali & excommunicatione propter eam. 596. *ſeq.* Abſolvere & diſpenſare quomodo differant. 626. A quonam confeſſario Religioſi

intra vel extra monaſterium conſtituti poſſint abſolvi, & à quibus peccatis. 744. *ſeq.* vid. *Confeſſarius.* Non poſſunt defacto ampliùs Regulares abſolvere à caſibus & cenſuris, Epiſcopo *ſpecialiter* reſervatis. 848. Benè tamen à caſibus tantùm de jure vel conſuetudine reſervatis. 853. aut in aliena Diœceſi pœnitentis illuc pro confeſſione accedentis. 854. aut in dubio reſervationis. 855. vel ignorantia illius. 857. Quas pœnas incurrat temerè abſolvens à caſibus Epiſcopo reſervatis. 859. An Canonici Regulares poſſint abſolvere à caſibus quibuſcunque ac cenſuris S. Pontifici reſervatis extra-862. vel intra Bullam Cœnæ contentis. 866. An ab hæreſi, & quali? 870.

Ætas.

Ætas requiſita ad ſuſcipiendos Ordines etiam in Religioſis. 422. Qui ante legitimam ætatem ſuſcipiunt SS. Ordines, & in iis miniſtrant, incurrunt ſuſpenſionem & irregularitatem. 425. vid. *Ordines majores.*

Altare.

Altaria quænam fixa & portatilia? 469. Quomodò conformentur? *ibid.* an in iis recondi debeant Reliquiæ SS.? 470. Poſſunt Prælati & Abbates benedicere ac conſecrare quoſcunq; lapides ad uſum altarium portatilium accommodatos pro uſu ſuorum monaſteriorum & Eccleſiarum, ac aliorum piorum locorum, ſuper quibus Miſſæ celebrari poſſint. 472. imo etiam altaria fixa & ſtabilia. 473. vid. *Conſecrare.*

Almutia.

Quænam veſtis? 293. Canonici Regulares eorúmque Prælati poſſunt deferre Almutias ſupra Rochetum. 303. vid. *Cappa.*

Amiſſio privilegii. vid. *privilegii amiſſio.*

Annulus.

Annulus Pontificalis quomodo formetur & uſurpetur. 321. Quid ſignificet in ſenſu morali. 329.

Aqua benedicta.

Qualis adhibenda ad reconciliandas pollutas Eccleſias. 451.

B.

Baculus. vid. *Pedum Paſtorale.*

Benedictio. Benedicere.

Sacerdotalis Benedictio alia eſt privata, alia ſolennis. 338. Solennem dare poſſunt etiam Abbates & Prælati in Pontificalibus divina peragentes. 339. Sed non præſente Epiſcopo, aut Sedis Apoſtolicæ Legato ſine ſpeciali privilegio. 341. *ſeq.* Privatam dare poſſunt accedentes ad Miſſam pontificalem, & inde recedentes in habitu domeſtico ſupra præſentem populum. 344. Quas res liceat benedicere & quibus miniſtris. 430. Poſſunt Prælati benedicere quæcunque paramenta, veſtimenta, ornamenta, & alia quævis ad cultum divinum ac Miſſæ ſacrificium pertinentia tam pro altari, quàm ſacerdotibus, etiã corporalia non tantùm pro ſuis, 432. ſed etiam pro alienis Eccleſiis. 436. præſertim

tim ob communicationem privilegiorũ cum aliis Ordinibus. 439. Decani, Priores, & Vicarii monaſteriorum in abſentia & deceſſu ſuorum Prælatorum poſſunt easdem res ſacras benedicere pro ſuis ſaltem Eccleſiis. 442. Ipſi verò Prælati poſſunt benedicere cruces, imagines, libros, arma & vexilla bellica. 446. Item ipſum lapidem fundamentalem more pontificali in templi, oratorii &c. erectione. 447. nec non cœmeteria, Eccleſias de novo conſtructas, capellas, oratoria &c. 448. An etiam alii ſacerdotes inferiores eandem benedicendi poteſtatem habeant. 445.

Bigamia.

Quid & quotuplex ſit Bigamia. 641. vid. *Diſpenſatio.*

Bulla Pontificia.

Bullæ Pontificiæ varias continent clauſulas 13. *ſeq.* vid. *Privilegii Clauſula.* Bulla S. P. Leonis X. declarat Canonicos Regul. non comprehendi in revocatione privilegiorum per Conciliũ Lateranenſe factâ. 197. In Concilio autẽ Tridentino revocata Bullis PP. Pii V. & Gregorii XIII. revalidantur. 206. *ſeq.* Bulla Cœnæ quid, & in quos præcipuè fulminet excommunicationes. 562. Bulla Cruciata Quid? 749.

Byrrhus.

Quænam veſtis Clericorum ſit Byrrhus. 292

C.

Calices, Campana.

Calices, & campanas quis poſſit conſecrare præter Epiſcopum? 464. *ſeq.* vid. *conſecrare.*

Caliga.

Caligæ Pontificales quid? 321.

Canonici Regulares.

Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis habent pleniſſimam communicationem privilegiorum cum Congregatione Canonicorũ Regularium S. Salvatoris Bononienſi & viciſſim. 42. dicti utriusque Congreg. Canonci comunicant quoq; in omnibus privilegiis cum quibusvis aliis Canonicorum Regularium, etiam Præmonſtratenſium Ordinibus. 45. imò cum omnibus ſuæ Congregationis Collegiis, monaſteriis &c. 46. Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis communicant quoque in quibuscunque privilegiis, immunitatibus, ac indulgentiis Eccleſiæ Patriarchali Lateranenſi, ejúsque Capitulo conceſſis. 47. Canonici Regulares Lateranenſes & Bononienſes communicant pleniſſimè in omnibus ac ſingulis privilegiis S. Ordini Benedictino, ac præcipuè Congregationi S. Juſtinæ de Padua nunc Caſſinenſi conceſſis & concedendis, 57. id quod de quibuscunque monaſticis Ordinibus dicendum. 58. etiam mendicantium. 68. & *ſeqq.* dicti Canonici Regulares comunicant pariter in omnibus ac ſingulis privilegiis conceſſis aut concedendis cuivis Clericorum Regularium Ordini & Congregationi. 83.

etiam Societati Jeſu. 81. non obſtante clauſula prohibitiva communicationis. 86. & ſine licentia Præpoſiti Generalis, vel alterius cujuſcunque Prælati. 89. & *ſeqq.* exceptis tamen privilegiis ad ſacrum tribunal pertinentibus. 91. Canonici aliique Regulares quomodo & contra quos uti poſſint privilegiis communicatis? 155. & *ſeqq.* vid. *privilegii uſus.* Canonicorum Regularium habitus conſiſtit in Rocheto, Almutia, Mozeta ſeu Cappa, Toga Talari, Sarrocio &c. 296. vid. *Rochetum* &c. Canonici Regulares in Epiſcopos aſſumpti deferre poſſunt habitum Epiſcoporum *Sæcularium.* 307. & *ſeqq.* etiam Mozetam, ſed ſolùm intrà, & non extrà ſuam Diœceſin, quia mozeta eſt ſignum jurisdictionis. 310. Canonici Regulares qualem habeant poteſtatem ſibi ipſis eligendi *confeſſarium,* alios tum Regulares tum Sæculares à peccatis & caſibus reſervatis *abſolvendi,* cum iis diſpenſandi, vota commutandi &c. vid. *confeſſarius. abſolvere. diſpenſare. votum.* præcipuè in Tractatu quarto per totum. 732. & *ſeqq.*

Canoniſſæ Regulares. vid. *Moniales.*

Capitulum.

Capitulum Generale Religioſorum quid ſtatuere poſſit circa privilegia à Romano Pontifice Religioſis conceſſa? 190.

Cappa.

Cappa alia eſt *Epiſcopalis,* alia *Canonicalis;* vocatur etiam aliàs *Mozeta,* vel *Almutia.* 293. Canonicorum Regularium Prælati poſſunt etiam deferre Mozetam ſeu Cappam, & quidem ubique terrarum, ac præſente Epiſcopo. 303.

Cardinalium Congregatio.

Quotuplex ſit Congregatio Cardinalium 135. & quàm habeat poteſtatem interpretandi privilegia. 136. & *ſeqq.* vid. *privilegii interpretatio.* Cardinaliũ declarationes & interpretationes debent ad faciendam fidem debito modo ſubſcribi & ſigillari. 136. quomodò & quandò illæ declarationes obligent. 137.

Caſus reſervatus.

Caſus reſervati quid & cur ſint, aut quæ peccata tales eſſe poſſint. 517. & 799. caſus reſervandi poteſtas datur in Eccleſia. 518. Prælati Regulares habent poteſtatem reſervandi caſus Religioſorum ſibi ſubditorum. 518. & quales. 520. & quomodo. 521. & *ſeqq.* usque 534. an ignorantia de reſervatione caſûs ſeu peccati excuſet? 537. an caſus S. Pontifici reſervati & annexam cenſuram habentes eidem reſerventur ſimul quoad cenſuram & quoad culpam? 540. vid. *cenſura.* Quinam ſint præcipui caſus S. Pontifici extra Bullam Cœnæ reſervati. 543. an ab iis omnibus poſſint abſolvere Prælati ſuos Religioſos. 549. & *ſeqq.* vid. *abſolvendi poteſtas,* & plura Tractatu IV. Sect. 3. & 4. à 847. & *ſeqq.* quinam ſint caſus reſervati cum excommunicatione in Bulla Cœnæ? 563. & quis

Digitized by Google

quis poſſit ab iis abſolvere præter S. Pontificem? 564. & *ſeqq.* aut quando ſolus Pontifex? 567. quando hæreſis ſit caſus reſervatus? 593. & *ſeqq.* quomodo Religioſi poſſint abſolvi à caſibus Prælato, aut S. Pontifici reſervatis? 768. & 797. vid. *Confeſſarius.* An ceſſet reſervatio caſûs per confeſſionem invalidam? 795. aut meram oblivionem? 796.

Cauſa revocandi privilegia. vid. *privilegii revocatio.*

Cœmeterium.

Polluitur & reconciliatur Cœmeterium ſicut Eccleſia. 460. in cœmeterio polluto ante reconciliationem neminem licet ſepelire. 461. vid. *Eccleſia.*

Cenſura.

Quid, & quotuplex ſit Cenſura? 541. & 797. Quis eam ferre, & quid ab ea poſſit excuſare. 542. 798. vid. *abſolvere. Confeſſarius.*

Ceſſatio privilegii. vid. *privilegii amiſſio.*

Chirotheca.

Chirothecæ pontificales quid ſint, quomodò fiant. 321. quid ſignificent in ſenſu morali. 331.

Chriſma.

Chriſma quid? 495. quomodò & à quo conficiatur & benedicatur? 496. Prælati Regulares non poſſunt conficere chriſma, nequidem ex commiſſione S. Pontificis. 497. à quonam Epiſcopo peti poſſit & debeat chriſma? 500. & *ſeqq.*

Clauſula privilegii. vid. *privilegii clauſula.*

Clerici Regulares. vid. *Ordo.*

Color violaceus.

Coloris violacei Togâ Talari & Mozetâ uti poſſunt Prælati Canonicorum Regularium. 312. & *ſeqq.*

Communicatio privilegii. vid. *privilegii communicatio.*

Commutatio voti. vid. *voti commutatio.*

Confeſſarius.

Confeſſarium quemlibet ſibi eligere nequeunt abſque Prælati ſui licentia Religioſi in monaſterio, qui eos abſolvat à peccatis mortalibus. 744. multò minùs à reſervatis etiam vi Bullæ Cruciatæ aut aliorum ſimilium indultorum. 747. benè tamen vi Jubilæi Univerſalis etiam in ordine ad abſolutionem licitam & validam tam à reſervatis quàm non reſervatis, dummodò talis confeſſarius ſive Regularis ſive Sæcularis ab Epiſcopo ſit approbatus. 750. & *ſeq.* & quidem ab Epiſcopo Confeſſarii, aut etiam pœnitentis. 757. Canonici Regulares extra monaſterium aut in itinere conſtituti ubiquè locorum poſſunt eligere confeſſarium aut Regularem aut Sæcularem, qui eos à peccatis abſolvat. 759. ſaltem non reſervatis. 763. & quidem ejuſmodi confeſſarium etiam ab Epiſcopo non approbatum pro confeſſionibus de licentia ſuorum Prælatorum faciendis. 766. imò ſine hac licentia pro confeſſionibus peccatorum venialium, aut jam ſemel ritè confeſſorum. 768.

tenentur Prælati in quovis Collegio, aut Monaſterio aliquos deputare confeſſarios pro ſuis Religioſis. 772. duos vel tres aut etiam plures pro majore vel minore numero Religioſorum. 773. non tantùm ex Ordine ac Monaſterio, ſed poſſunt etiam ex alieno, quin imo ſæculares Sacerdotes deputare. 775. & quidem non neceſſariò ab Epiſcopis approbatos, ſed tantùm à Prælatis delegatos. 777. eóſque tamen doctos, prudentes, & pios. 779. poſſunt Prælati pœnitentias à confeſſario ſuis Religioſis imponendas taxare etiam pro peccatis non reſervatis. 783. Confeſſarii à Prælato ad audiendas confeſſiones deputati per ſe non poſſunt eos abſolvere à caſibus eidem reſervatis. 784. niſi ab eodem habeant ſpecialem licentiam. 786. quam petentibus dare tenetur. 787. & in caſu petitæ hujus licentiæ, ſed non obtentæ, poſſunt tales confeſſarii abſolvere illa vice etiam à reſervatis. 789. & *ſeqq.* poſſunt Canonici, aliique Confeſſarii ad audiendas Regularium confeſſiones à Prælato deputati eosdem abſolvere à quibuscunque peccatis gravibus antè vel poſt emiſſam profeſſionem commiſſis, & ab omnibus cenſuris excommunicationis &c. etiam S. Pontifici quomodolibet reſervatis. 800. etiam in Bulla Cœnæ contentis. 804. non exceptâ hæreſi. 806. poſſunt Canonici Regulares ſibi confeſſarium eligere, qui in articulo mortis eos plenariè abſolvat cum omnimoda authoritate, ac ſi in illo caſu S. Pontificis gererent perſonam, & eadem authoritate eisdem indulgentiam plenariam concedat. 810. item talem confeſſarium, qui ſemel in vita eos plenariè abſolvat ab omnibus omninò peccatis, ac cenſuris quomodocunque reſervatis. 813. inſuper confeſſarium ex deputatis à Prælato, qui eos abſolvat plenariè ab omnibus caſibus & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis in feſtis Domini, B. V. Mariæ, Petri & Pauli, & Sanctorum omnium, ac in principalioribus Ordinis ſui. 814. Ad hoc, ut Religioſi quicunque audire poſſint Sæcularium confeſſiones, requiritur approbatio Ordinarii. 828. licèt ſint Profeſſores aut Doctores Theologiæ. 830. requiritur autem approbatio ab Epiſcopo loci, in quo volunt excipere confeſſiones. 831. Religioſus petens approbari pro audiendis Sæcularium confeſſionibus ſine cauſa repelli non poteſt, ſed debet admitti ad Examen, & ſi in hoc inventus fuerit idoneus, generaliter approbari. 835. ſi tamẽ manifeſtè idoneus reprobatur, licèt injuſtè, nec licitè, nec validè audire poteſt confeſſiones Sæcularium. 837. An poſſit Epiſcopus omnibus ſimul unius Monaſterii Regularibus denegare hanc approbationem. 841. aut ſemel approbatum ſine cauſa ſuſpendere, & ad novum Examen revocare. 842. & quænam poſſint eſſe cauſæ ejus-

Digitized by Google

ejusmodi ſuſpenſionis. 843. an tales etiam habeat & obſervet Epiſcopus ſucceſſor 845. vid. *abſolvere.*

Confeſſio.

Confeſſiones ſubditorum audire non licet Prælatis, ac Superioribus Regularium, niſi ſponte imploratis, aut in caſu peccati reſervati. 734. nec unquam licet his aut aliis Regularium confeſſariis uti notitiâ ex confeſſione acquiſita ſub quocunque prætextu. 737. & *ſeqq.* an confeſſiones Regularibus factæ ſemper fuerint validæ. 817. Canonici Regulares liberè poſſunt excipere confeſſiones quarumcunque perſonarum ſæcularium utriusque ſexûs. 818. & quovis anni tempore etiam Paſchatis ac Præcepti. 819. confeſſiones autem infirmorum non tantùm in Eccleſiis, ſed etiam in eorum domibus, ac aliis locis honeſtis extrà Monaſterium abſque Parochi vel alterius licentia. 821. quin imò in aliena Eccleſia Parochiali irrequiſito Parochi conſenſu. 823. quamvis id non deceat. 825. vid. *caſus reſervati. abſolvere.*

Confirmatio privilegii. vid. *privilegii Confirmatio.*

Confirmatio.

Confirmationis Sacramentum per ſe adminiſtrat ſolus Epiſcopus. 487. per ſpeciale tamen privilegium à S. Pontifice etiam Prælatus & Abbas, aut alius quicunque ſacerdos. 488. dummodo hoc privilegium non habeatur per ſolam communicationem. 493.

Congregatio.

Congregationes Ordinum Monaſticorum S. Benedicti in Italia. 48. in Portugallia &c. 49. Cluniacenſis. 50. Camaldulenſis. 51. Vallis Umbroſæ. 52. Cœleſtinorum. *ibid.* Olivetanorum. 53. Ciſtercienſium ſeu Bernardinorum. 54. Carthuſianorum. 55.

Congregatio Cardinalium. vid. *Cardinalium Congregatio.*

Conſecratio.

Conſecratio quid ſit, & unde originem trahat. 462. & 484. competit per ſe ſoli Epiſcopo. 463. poſſunt tamen Canonicorum, aliorúmque Regularium Prælati & Abbates conſecrare calices, patenas, aliáque vaſa ſacra. 464. campanas. 466. etiam pro alienis Eccleſiis. 476. licèt tantùm in hoc privilegio cum aliis communicent, & ſpeciale pro ſe non habeant. 481. nequeunt tamen conſecrare Eccleſias, aut capellas. 484.

Converſi. Commiſſi.

Converſi & Commiſſi quinam ſint in aliqua Religione, & an gaudeant privilegiis ſuæ Religionis. 129.

Crux.

Crux pectoralis inter inſignia pontificalia quid ſit. 321. & quid ſignificet in ſenſu morali. 331.

D.

Dalmatica.

Dalmatica Pontificalis quid ſit? 321. & quid ſignificet in ſenſu morali. 333.

De-

Decanus.
Decani an in abſentia Prælatorum poſſint benedicere paramenta, aliáſque res ſacras. 447. vid. *Benedicto.*

Declaratio.
Declarationes Cardinalium univerſales quomodò obligent. 137. & quomodò particulares ſeu in caſibus particularibus factæ. 138.

Dedicatio Eccleſiæ. vid. *conſecratio.*

Derogare.
Ad derogandum juri communi ſimplici non requiritur ſpecialis illius mentio. 162. vid. *Privilegii derogatio.*

Derogatoriæ Clauſulæ.
Derogatoriæ Clauſulæ quales eſſe debeant? 162. & *ſeqq.*

Diaconatus. vid. *Ordines majores.*

Diſpenſare in irregularitate cum Religioſis.
Diſpenſandi poteſtate Epiſcopis à Tridentino conceſſa uti poſſunt Prælati Regulares quoad ſuos Religioſos. 515. 553. irregularitas tam ex delicto, quàm ex defectu, ſi ſit perpetua, per ſolam tollitur diſpenſationem. 625. quis præter S. Pontificem poſſit adhuc diſpenſare in irregularitatibus, & quomodò? 627. an in petenda diſpenſatione omnes, ſi plures concurrant, irregularitates exprimi debeant? 628. an detur & adhibeatur certa verborum formula à diſpenſante in irregularitate? 629. ad validam diſpenſationem ſuper defectum natalium requiritur, ut diſpenſandus exprimat qualitatem ſuæ illegitimitatis, v. g. quòd natus ſit ex inceſtu, vel adulterio &c. 635. poſſunt Prælati & Abbates Canonicorum Regularium cum ſubditis diſpenſare in irregularitatibus ex defectu natalium provenientibus, ut non tantùm ad S. Ordines promoveri, & in ſuſceptis miniſtrare licitè poſſint, ſed etiam ad quaſcunque dignitates ac Prælaturas aſſumi valeant. 632. item poſſunt diſpenſare in irregularitatibus ex defectu animæ aut corporis provenientibus. 639. non tamen in defectu ætatis ad SS. Ordines à Tridentino requiſitæ. 638. ſed poſſunt denuò diſpenſare in irregularitate ex defectu Sacramenti ſive ex bigamia. 641. & *ſeqq.* item ex defectu lenitatis ratione occiſionis vel mutilationis. 647. imò ex homicidio ob defenſionem ſui vel proximi commiſſo cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ. 656. etiam ex homicidio & mutilatione caſuali. 657. quin & ex voluntario. 659. & *ſeqq.* rurſus ex reiteratione Baptiſmi tam activa, quàm paſſiva. 670. ex violatione cenſurarum. 672. ex illegitima Ordinum ſuſceptione, ac indebito illorum uſu. 674. irregularitas ex infamia juris contracta ſola diſpenſatione Pontificia aboleri poteſt. 681. poſſunt tamen in ea diſpenſare Prælati cum Religioſis ſibi ſubditis. 683. & *ſeqq.*

Diſpenſare in irregularitate cum Sæcularibus.

Diſpenſare poſſunt Regulares cum ſæcularibus in omni irregularitate ex delicto occulto. 882. non tamen ex defectu animi, corporis, aut Sacramenti. 888. vel ex defectu lenitatis proveniente. 889. poſſunt item diſpenſare in irregularitate ex defectu natalium occulto etiam ad Ordines majores & beneficia curata atque dignitates. 890. item ſuper pœnis Eccleſiaſticis ex delicto occulto provenientibus, & ad forum contentioſum non deductis. 892. Magna circumſpectione utendum circa diſpenſationem irregularitatis. 892.

Diſpenſare in Juramentis.

Diſpenſare in Juramentis ſeu votis juratis poſſunt Canonici Regulares cum ſæcularibus. 938. item in Juramentis ſine voto quidem, ſed tamen principaliter Deo factis, etſi ſecundariò tendant in commodum alterius. 939. non tamen in Juramentis ſervandi caſtitatem, aut ingrediendi Religionem Deo principaliter factis, niſi quatenus poſſunt diſpenſare aut commutare vota reſervata. 940. ſed poſſunt denuò diſpenſare ac commutare Juramenta ſervandi caſtitatem aut obeundi peregrinationem Jeroſolymitanam principaliter homini facta. 941. item Juramenta in favorem tertii ſive hominis ſive Eccleſiæ facta, nondum tamen acceptata. 942. ſecus tamen ſi ſint legitimè acceptata. 943.

Diſpenſare in Matrimonii impedimento.

Diſpenſare in impedimento Matrimonii poſſunt Regulares, ſi proveniat à tali voto, in quo alias poſſunt diſpenſare. 945. item in impedimento petendi debitum cum eo, qui poſt emiſſum votum perpetuæ caſtitatis contraxit matrimonium, & hoc non tantùm poſt conſummatum, ſed etiam ante conſummatum matrimoniū. 946. quod tamen extendi non debet ad votum ingrediendi Religionem. 947. poſſunt item diſpenſare ad petendum debitum cum conjuge, qui poſt contractum matrimonium cum ſui conjugis conſanguinea etiam in primo gradu inceſtum commiſit. 949. quin & poſt matrimonium ſive bona ſive mala fide contractum pro foro interno diſpenſare poſſunt ſuper occulto dirimente matrimonii impedimento affinitatis etiā in primo gradu, & prolem inde ſuſceptam legitimam declarare, ut conjuges in illo permanere & debitum petere ac reddere valeant. 951. quid reſpondendum illis, qui dictum privilegium impugnant. 952. *ſeqq.* non poſſunt Regulares diſpenſare ſuper quovis tam dirimente quàm impediente matrimonii impedimento, ſuper quo poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſive jure ordinario, ſive extraordinario. 958.

Diſpenſatio in Horis. vid. Horæ.

Diſpenſatio voti. vid. *Voti diſpenſatio.*

Donati.

Donati Fratres quinam ſint in aliqua Religione ſeu Monaſterio. 131. vid. *Oblati.*

Dubium.

Dubium Juris aut facti quomodò excuſet ab irregularitate. 619. vid. *Irregularitas.*

E.

Eccleſia.

Eccleſiæ nomine quid intelligatur. 483. alia eſt Eccleſia conſecrata, alia benedicta, ſi hæc polluitur, poteſt reconciliari à quolibet Sacerdote, non item illa. 449. poſſunt Canonicorum Regularium Prælati Eccleſias, capellas, ac cœmeteria, quavis ex cauſa pollutas, quoties opus fuerit, reconciliare. 450. Eccleſia polluitur quinque potiſſimùm modis, primò per homicidium voluntarium. 453. 2dò per ſanguinis effuſionem. 454. 3tiò per humani ſeminis effuſionem. 456. 4tò per ſepulturam Infidelis aut Pagani. 458. 5tò per ſepulturam excommunicati. 459. in Eccleſia polluta ante reconciliationem non licet aliquem ſepelire, nec celebrare ſacra. 461.

Epiſcopi.

Epiſcopi qualem habeant poteſtatem interpretandi privilegia Pontificia. 140. vid. *Privilegii interpretatio.* Epiſcopi nequeunt revocare, aut reſtringere privilegia Pontificia Regularibus conceſſa. 188. ſolus Epiſcopus adminiſtrat Sacramentum Confirmationis. 487.

Examen.

Examen Ordinandorum etiam Religioſorum ſpectat ad eum, ad quem ſpectat Ordinare. 387.

Excommunicatio.

Excommunicationem in ſuos Religioſos an & quomodò Prælati ferre poſſint. 533. vid. *Cenſura.*

Extenſio privilegii. vid. *Privilegii extenſio.*

G.

Generales Ordinum Religioſorum. vid. *Prælati.*

Gratia.

Gratia facta, & gratia facienda quid ſit. 253.

Gremiale.

Gremiale Pontificale quid. 322.

H.

Habitus.

Habitus Epiſcoporum, Prælatorum, Canonicorum præſertim Regularium varius eſt, & cuilibet ſingularis. 293. & *ſeqq.* habitum Epiſcopalem deferendi poteſtatem habent Prælati Canonici. 296. & *ſeqq.* nempe Togam Talarem violaceam, Rochetum, Mozetam pariter violaceam, ac pileum inferiùs viridi, aut ſerico viridi ſuffultum. 307. 312. & *ſeqq.*

Hæreſis.

Hæreſis quid & quotuplex. 590. & *ſeqq.* quomodò inducat excommunicationem. 593. & reſervationem. 595. vid. *Abſolvere.*

Horæ Canonicæ.

Horarum Canonicarum Origo & finis. 715. poſſunt Prælati cum iis

iis, qui Monaſteriorum ſuorum officiis, aliiſque charitatis operibus occupantur, ita diſpenſare, ut aliquid aliud juxta Prælati arbitrium recitando ſatisfaciant Officio divino. 717. pari modo poſſunt diſpenſare cum infirmis, & valetudinariis, eorúmque curam gerentibus. 718. item cum laborantibus defectu linguæ, viſûs, vel auditûs. 721. etiam cum iis, actu jam profeſſis & necdum in SS. Ordinibus conſtitutis, qui ad divinum Officium dicendum adeò vel non docti, vel minùs experti pro tempore exiſtunt, ita diſpenſare poſſunt, ut ad illud integrum minimè teneantur, ſed eisdem poſſint ultra Officium B. V. Mariæ, ad quod obligati remanent, aliquid aliud juxta diſpenſationem ſibi creditam, injungere. 722. an poſſint Religioſi in choro ea, quæ ſecretò dici præſcribuntur, recitare mentaliter, extra chorum verò, quando ſoli & privatim recitant, etiam totum Officium dicere mentaliter. 724. an Officia feriarum prolixiora anticipare diebus, quibus ſunt otioſi: & Officia breviora reſervare in illos dies, quibus credunt, ſe fore occupatos concionibus &c. 727. an horas Canonicas anteponere vel poſtponere, etiam ſacrificio Miſſæ, eáſque ſimul omnes dicere manè, aut aliàs pro tempore commodiore. 729.

I.

Ignorantia.

Ignorantia de reſervatione caſûs. 537. & ignorantia de irregularitate an excuſet ab utraque incurrenda? vid. *Irregularitas.*

Impedimenta Matrimonii. vid. *Matrimonium.*

Indulgentiæ.

Indulgentias concedere nemo per ſe poteſt niſi S. Pontifex, aut qui talem ab hoc habet poteſtatem ùt Epiſcopus, Prælatus &c. 346. ſic poſſunt Canonicorum Regularium Prælati pontificaliter celebrantes præter ſolemnem benedictionem indulgentias quadraginta dierum per Epiſcopum dari conſuetas adſtanti populo elargiri, & eas publicè denunciare. 348. poſſunt inſuper, dum ſunt Monaſteriorum viſitatores, peracta viſitatione ordinaria Religioſis Monaſterii ſic viſitati plenariam indulgentiam impertiri. 350.

Infamia.

Infamia quid, & quotuplex, & à quibus contrahatur. 676. & *ſeqq.* quomodò infamia juris, & facti inducat irregularitatem. 677. quinam Judicis ſententia fiant infames. 678. quinam pœnarum inflictione. 679. infames excluduntur ab honoribus & dignitatibus. *ibid.* infamia meri facti tolli poteſt & aboleri facto contrario ſive publica & conſtanti emendatione vitæ triennio ſaltem continuata. 680. vid. *Irregularitas.*

Infula. vid. *Mitra.*

Interdictum. vid. *Cenſura.*

Inſignia.

Inſignia Pontificalia quænam ſint

320. quomodò eorum uſus Prælatis & Abbatibus concedatur. 322. vid. *Prælatus.* quid ſignificent in triplici ſenſu morali. 328.

Interpretatio privilegii. vid. *Privilegii interpretatio.*

Interſtitia.

Interſtitia an inter primam Tonſuram & Ordines minores, aut inter hos ipſos ſint requiſita, & an hæc ipſa à Prælatis poſſint diſpenſari. 385. interſtitia Ordines minores inter, & Subdiaconatum requiruntur ſub pœna ſuſpenſionis. 386. interſtitiis non ſervatis ordinati poſſunt Regulares. 420.

Irregularitas.

Irregularitas quid, & quotuplex ſit, & quomodò differat à cenſura. 613. & *ſeqq.* quale peccatum requiratur ad incurrendam irregularitatem ex delicto. 617. 878. dubius ſive dubio Juris ſive facti non incurrit irregularitatem, excepto ſolo caſu patrati homicidii. 619. an ignorantia, cuidam delicto annexam eſſe irregularitatem, excuſet ab ea. 621. & *ſeqq.* & 879. irregularitas tam ex delicto, quàm ex defectu, ſi ſit perpetua, per ſolam tollitur diſpenſationem. 625. vid. *Diſpenſare.* an irregularitas Baptiſmo, vel Profeſſione religioſa tollatur. 626. ex quibus capitibus contrahatur. 630. inprimis ex quali deformitate & membrorum debilitate. 637. ex quali Bigamia. 641. ex quali defectu lenitatis in occiſione, vel mutilatione. 648. & quinam excuſentur ab irregularitate ex hoc defectu lenitatis aliàs contrahenda. 650. quot & quales ſint irregularitates ex delicto, ſingulariter ex homicidio vel mutilatione. 652. vid. *Moderamen inculpatæ tutelæ.* qualis mutilatio inducat irregularitatem. 660. quales circumſtantiæ homicidii voluntarii ac injuſti. 668. qualis reiteratio Baptiſmi. 670. qualis violatio cenſurarum. 672. quonam exercitiò Ordinis ſuſpenſi incurrant irregularitatem. 673. & quanam illegitima Ordinum ſuſceptione ac indebito illorum uſu. 675. irregularitas ex infamia juris contracta non tollitur per emendationem vitæ, ſed ſola diſpenſatione. 681. 877. vid. plura *Diſpenſare.*

Irritatio voti. vid. *Voti irritatio.*

Jubilæum.

Jubilæi univerſalis tempore an poſſit quilibet confeſſarius eligi? 756. vid. *Confeſſarius.*

Juramentum.

Juramentum quid, & quotuplex? 937. vid. *Diſpenſare* in *Juramentis.*

Juriſdictio.

Juriſdictio quid & quotuplex? 506. & *ſeqq.* Prælati in ſuos Religioſos habent juriſdictionem. 512. & qui-

Digitized by Google

quidem Ordinariam. 513. imò quaſi Epiſcopalem. 514. vid. *Abſolvere. Caſus reſervati.*

L.

Laicus.

Laici quinam ſint in aliquo Ordine Religioſo, & utrùm gaudeant privilegiis ſui Ordinis. 129.

Lapis.

Lapidem fundamentalem in ædificatione Eccleſiæ, Capellæ &c. Prælati regulares poſſunt ponere ac pontificaliter benedicere. 447. ſic & lapides altarium. vid. *Altare. Benedicere.*

M.

Matrimonium. vid. *Diſpenſare in impedimentis Matrimonii.*

Mendicantes.

Mendicantium Ordines qui, & quibus privilegiis donati? 61. & *ſeq.* vid. *Ordo.*

Miniſter.

Miniſtros Altaris quot, & quales adhibere poſſint Prælati & Abbates in Pontificalibus celebrantes. 332. & *ſeqq.*

Mitra.

Mitra quid ſit, & quomodò aliàs vocetur? 320. quid ſignificet in ſenſu morali? 329.

Moderamen.

Moderamen inculpatæ tutelæ quomodo & quando ſervandum, ne incurratur irregularitas, dum agitur de defenſione vitæ, famæ, & fortunæ? 652. & *ſeqq.*

Monachus.

Monachorum Ordines. 48. & *ſeqq.*

Monialis.

Moniales gaudent privilegiis virorum Religioſorum ſui, & quandoque etiam alterius Ordinis. 127. ſive Prælatis ſui Ordinis, ſeu ipſis Epiſcopis ſubjectæ ſint. 128.

Mozeta.

Mozetâ non ampliùs uti poſſunt Canonici Regulares in Epiſcopos aſſumpti, ſcilicet extra ſuam Diœceſin. 310. vid. *Cappa.*

N.

Natales.

Natales quinam inducant irregularitatem, & quomodò de horum Natalium illegitimitate conſtare debeat. 630.

Novitius.

Novitii participant privilegia ſuorum fratrum Religioſorum jam profeſſorum. 128. & qualia? 129. an illis Prælati & Abbates conferre poſſint Ordines minores, ſicut jam profeſſis. 375. & *ſeqq.*

O.

Oblati.

Oblati quinam ſint in aliqua Religione

Digitized by Google

gione, & quibus gaudeant privilegiis. 130. & *ſeqq.* an illis Abbates & Prælati benedicti conferre poſſint Tonſuram, & Ordines minores. 375. & *ſeqq.*

Officialis.

Officiales S. Pontificis quinam ſint? 226. & quomodo de Pontificio. vivæ vocis oraculo teſtari poſſint? 227.

Officium divinum. vid. *Horæ Canonicæ.*

Oraculum.

Oracula Pontificia vivæ vocis quid ſint, & operentur? 215. Unde ſciri poſſint? 216. Hæc oracula, quibus privilegia Regularibus concedi ſolebant, revocata ſunt. 217. ab hac tamen revocatione excipiuntur nonnulla & quæ? 219. quomodò intelligi, & ſumi debeant ejusmodi oracula, quæ antè revocationem ſuum effectum jam ſortita ſunt? 222. & *ſeq.* vid. *Revocatio privilegii.*

Ordines majores.

Ordines majores ſeu ſacri quinam ſint? 393. à quibus conferri poſſint, an etiam à Prælatis & Abbatibus? 394. & *ſeqq.* An Canonici Regulares à quocunque Epiſcopo, irrequiſito etiam Diœceſano, ſacros Ordines ſuſcipere poſſint? 395. an data ejusmodi privilegia etiamnum valeant? 398. An Prælati alienum Epiſcopum poſſint revocare ad ſua Monaſteria, ut ſuis Religioſis conferant Ordines? 407. Quale tempus requiratur ad conferendos Ordines majores. 409. Privilegia ſuſcipiendi hos Ordines extra tempora ante Tridentinum conceſſa, non ſunt revocata; adeóque poſſunt Canonici, aliique Regulares ejusmodi privilegia ſive expreſsè, ſive per viam communicationis habentes, extra ſtatuta Ordinationum tempora, SS. Ordinibus initiari tribus diebus Dominicis ac feſtivis continuis vel interpolatis, etiam non ſervatis interſtitiis à 413. usque 424. privilegia tamen ſuſcipiendi ſacros Ordines ante præſcriptam per Tridentinum ætatem hodie manent revocata: adeóque nullus Regularis poteſt ampliùs ad Subdiaconatum ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatum ante vigeſimum tertium, & ad Presbyteratum ante vigeſimum quintum ætatis annum promoveri. 424.

Ordines minores.

Ordines minores & primam Tonſuram poſſunt conferre ſuis Religioſis Prælati & Abbates. 355. etiam non benedicti ab Epiſcopo, ſi habent privilegium à Sede Apoſtolica faciendi, quod facere poſſunt Abbates benedicti. 361. An Prælati & Abbates benedicti poſſint

poſſint hos Ordines conferre etiam non ſubditis ſeu Regularibus ſive Sæcularibus, ſaltem quando hi dimiſſorias haberent ſuorum Epiſcoporum, aut Superiorum Regularium. 369. & *ſeqq.* an Novitiis ſuis? 375. vid. *Novitius.* Collatio Ordinum minorum fit quidem à Prælatis illicitè, ſed tamen validè ſibi non ſubditis. 378. An iidem Abbates & Prælati ſuis ordinationibus imprimant caracterem & conferant Ordinis executionem. 382. debent ſuos Religioſos ordinare in proprio Monaſterio, aut in Eccleſiâ Monaſterio ſubjecta. 389. Non poſſunt ordinare Religioſos alterius monaſterii, licèt illuc invitati, etiam cum licentia Ordinarii. 390. Quale tempus feſtivum requiratur ad conferendos Ordines minores. 391.

Ordo Religioſus.

Ordinum Religioſorum inprimis Monaſticorum ortus & privilegia. 1. Benedictini. 48. 2. Cluniacenſis. 50. 3. Camaldulenſis. 51. 4. Vallis Umbroſæ. 52. 5. Cœleſtinorum. 52. 6. Olivetani. 53. 7. Ciſtercienſis ſeu Bernardini. 54. 8. Carthuſiani. 55.

Ordines Mendicantium.

Ordines Mendicantium. 1. Dominicanorum. 2. Minorum S. Franciſci. 3. Conventualium. 4. Obſervantium. 5. Capucinorum. 6. Eremitarum S. P. Auguſtini. 7. Carmelitarum. 8. Servorum B. V. Mariæ. 9. Minimorum S. Franciſci de Paula. 61. & *ſeqq.*

Ordines Cler. Regularium.

Ordines Clericorum Regularium. 1. Theatinorum ſeu Cajetanorum. 2. Barnabitarum, ſeu S. Pauli decollati. 3. Jeſuitarum. 4. De Somaſcha ſeu S. Majoli. 5. Miniſtrantium infirmis. 6. Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum piarum. 75. & *ſeqq.* vid. *Congregatio.*

P.

Pedum.

Pedum paſtorale quid ſit, & quomodò aliàs nominetur. 321. quid ſignificet in ſenſu ſpirituali. 329.

Pollutio Eccleſiæ, vid. *Eccleſia.*

Pontifex.

Pontifices Romani confirmant privilegia Canonicorum Regularium utriusq; Congregationis tam Lateranenſis, quàm Bononienſis. vid. *Bulla.* Ad Pontificem ſolum pertinet per ſe interpretari privilegia, 139. hunc ipſum conſulere debent Congregationes Cardinalium in privilegiorum interpretatione. 136.

Poteſtas.

Poteſtas Prælatorum quotuplex in ſuos

ſuos Religioſos. 409. Prælati Regulares habent in Religioſos ſibi ſubditos poteſtatem dominativam. 510. vid. *Juriſdictio.*

Prælatus.

Prælati ſeu Superiores Religionum, etiam Generales & Provinciales, nequeunt revocare, aut reſtringere privilegia ſuis Religioſis à S. Pontifice conceſſa. 188. & *ſeqq.* quinam ſint propriè Prælati. 288. in quibus actibus & functionibus Prælati conveniant cum Epiſcopis. 291. Prælati Canonicorum Regularium poſſunt uti habitu Epiſcopali. 296. deferre Rochetum & Mozetam præſente etiam Epiſcopo. 304. Togam Talarem ac Mozetam *violaceam* ſicut Epiſcopi. 312. Prælati Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis & Bononienſis habent poteſtatem utendi Mitrâ, Baculo, & Annulo, aliiſque Pontificalibus Inſigniis. 323. Prælati pontificaliter celebrantes quot, qualibus, & quomodò veſtitis miniſtris uti poſſint? 332. & quomodò ad Miſſam Pontificalem adduci & inde reduci. 336. an illis liceat pontificaliter celebrare extra proprias Eccleſias. 337. an dare ſolemnem benedictionem. 338. vid. *Benedictio.* aut concedere indulgentias. 346. vid. *Indulgentia.*

Prælatus Commendatarius.

Prælati Commendatarii qui vocentur. 352. an opus habeant Benedictione, ut Tonſuram & Ordines minores conferre valeant, & à quo Epiſcopo ad hoc debeant benedici. 354. & *ſeqq.* vid. *Ordines majores, & minores.* an poſſint benedicere paramenta, aliáque ad Miſſæ Sacrificium pertinentia. 432. vid. *Benedictio.* an etiam pro alienis Eccleſiis. 435. an conſecrare calices, campanas, altaria. 462. vid. *Conſecratio* & *Altare.* an conferre Sacramentum Confirmationis. 489. & *ſeqq.* quam habeant poteſtatem in Religioſos ſibi ſubditos. 508. & *ſeqq.* præſertim quoad diſpenſationem. 515. caſuum reſervationem. 519. abſolutionem à reſervatis. 534. & à cenſuris. 540. vid. *Diſpenſatio. Caſus reſervati. Abſolvere.* An poſſint irritare, & commutare vota ſuorum Religioſorum. 690. & *ſeqq.* vid. *Votum.* quinam nomine Prælatorum veniant, qui poſſunt religioſorum vota irritare. 701. an poſſint diſpenſare cum ſuis Religioſis in recitatione horarum Canonicarum. 717. vid. *Horæ Canonicæ.* an audire ſuorum Religioſorum confeſſiones. 737. vid. *Confeſſio.*

Præſcriptio.

Præſcriptione an acquirere poſſint Prælati jurisdictionem & alia jura Epiſcopalia. 36. & quantum temporis ad hanc præſcriptionem legitimandam requiratur. 37. & *ſeqq.*

ſeqq. privilegia amitti poſſunt vi præſcriptionis. 279. vid. *Privilegii amiſſio.*

Prior.

Priores quinam ſint? 289. an Priores in abſentia Abbatum poſſint benedicere paramenta &c. 447. vid. *Abbas. Prælatus.*

Privilegium. Privilegiatus.

Privilegia Regularibus conceſſa quomodo & quantum valeant juxta Authorum ſententias. 1. & 2. ex variis de Privilegii nomine notionibus ſtatuitur definitio. 3. & 4. ad valorem & ſubſtantiam privilegii non exigitur ſcriptura, ſed ſufficit vivæ vocis oraculum. 5. requiritur tamen promulgatio ac notitia illius. 7. item acceptatio privilegiarii per ſe. 8. aut per Procuratorem. 9. Privilegium variè dividitur & accipitur. 9. *ſeqq.* qui legem condere poteſt, etiam privilegium dare poteſt. 27. qui poſſint conferre privilegia in temporalibus, & quibus? 27. qui in ſpiritualibus? 28. & an ſine cauſa in utrisque? 30. SS. Pontifices defacto conceſſerunt Regularibus non minùs licitè, quàm validè plurima privilegia, cur? 31. & *ſeqq.* quot modis acquiri poſſint privilegia. 34. & *ſeqq.* an etiam per comunicationem. 39. vid. *Privilegii Communicatio.* Quænam privilegia favorabilia? 145. quomodo utendum illis. vid. *Privilegii Uſus.* Quid poſſit unus privilegiatus contra alium? 154. quomodo privilegia derogent juri communi, conſtitutionibus Conciliorum, & ipſis privilegiis prioribus. 126. *ſeqq.* vid. *Privilegii Derogatio.* privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa. 216.

Privilegii Amiſſio.

Amiſſio privilegiorum variis modis contingit. 248. amittuntur privilegia lapſu temporis, pro quo ſunt conceſſa, item ceſſante conditione, ſub qua ſunt conceſſa. 249. interitu ſubjecti, cui adhærent v. g. perſonâ aut re intereunte. 252. privilegium ſeu *gratia* abſolutè & ſine reſtrictione *facta* non amittitur morte concedentis. 254. benè tamen *gratia* primùm *facienda.* 256. privilegia in favorem Particularis conceſſa amittuntur libera illius renunciatione. 264. non item conceſſa in favorem communitatis. 265. ne quidem per renunciationem Superiorum. 266. niſi cum conſenſu Capituli aut Conventûs. 267. vel authoritate Capituli Generalis. 268. ubi tamen requiritur acceptatio privilegium concedentis. 270. privilegia etiam amittuntur per non uſum, aut uſum contrarium. 272. niſi ſint merè favorabilia. 273. onerosa verò ſic amittuntur quaſi per tacitam renunciationem ex non uſu, aut uſu contrario reſultantem. 276.

ſeu per præſcriptionem. 279. licèt hæc in oneroſis Regularium privilegiis rarò ac difficulter fiat. 284. denique amittuntur privilegia per abuſum, 285.

Privilegii Ceſſatio.

Quotuplex ſit cauſa, unde ceſſant privilegia. 258. ex qua cauſa ceſſent privilegia favorabilia & odioſa. 259. item privilegia vel unum, vel actus plures ſucceſſivos habentia. 260. *ſeqq.* vid. *Privilegii amiſſio.*

Privilegii Clauſula.

Clauſula privilegiis inſerta quid operetur, quomodò reſtringenda. 13. clauſulæ privilegiorum variæ ſunt, & enumerantur à 15. usque 26. quænam clauſulæ requirantur in privilegiis ad derogandum Juri communi, decretis Conciliorum &c. 162. *ſeqq.*

Privilegii Communicatio.

Quomodo fiat, & quid operetur? 39. 94. quænam privilegia uni e. g. Religioni conceſſa communicentur alteri? 96. *ſeqq.* in generali communicatione privilegiorum non veniunt exorbitantia, & quæ rarò vel difficulter. 96. aut quæ alicui Particulari ob ſpecialem rationem conceduntur. 97. aut quæ adverſantur regulis & ſtatutis alicujus Religionis. 99. neque etiam odioſa aut pœnalia, ſed favorabilia tantùm. 100. vel conſuetudine acquiſita. 101. communicatio privilegiorum Canonicis Regularibus conceſſa. vid. *Canonici Regulares.*

Privilegii Confirmatio.

Quid & quotuplex, 103. an Privilegium ſit confirmatum in forma communi vel ſpeciali plurimùm refert. 105. privilegia Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis à SS. PP. ſub ampliſſimis, ac fortiſſimis clauſulis motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis ſunt confirmata. 107. *ſeqq.* idem eſt de privilegiis Canonicorum Regularium Congreg. Bononienſis. 112. & de privilegiis cæterorum Regularium. 117. confirmatis privilegiis unius Ordinis pariter confirmata cenſentur alterius Religioſi Ordinis, qui cum priore in privilegiis communicat. 119. an & quomodò privilegia Regularium à Tridentino revocata per ſubſecutas PP. confirmationes revalidentur. 206. *ſeqq.*

Privilegii Derogatio.

Ad derogandum privilegio in corpore Juris communis contento ſufficit Clauſula generalis: requiritur verò ſpecialis mentio ad derogandum privilegio particulari, & extra Jus commune contento. 163.

Digitized by Google

163. ad derogandum conſtitutionibus Conciliorum generalium requiritur ſpecialis & expreſſa eorum mentio: idem eſt de Concilio Trid. 164.

Privilegii Extenſio.

Extenſio privilegiorum quid ſit & quomodo fiat. 120. privilegia cuidam perſonæ aut loco determinatè conceſſa non extenduntur ad alias perſonas & loca. 122. ne quidem tunc, quando ſimilis vel etiam major pro his ſtat ratio. 123. *ſeqq.* privilegia Religioſis vel Religioni conceſſa extenduntur etiam ad Prælatos, facta licet nulla de iis in privilegio mentione. 126. etiam ad Canoniſſas & Moniales in iis, quæ ipſis poſſunt aptari. 127. imò ad Novitios. 128. quin & ad Converſos & Commiſſos eorum. 129. ad Oblatos pariter ſeu Donatos. 130. vid. *Privilegium.*

Privilegii Interpretatio.

Interpretatio Privilegiorum quid, & quotuplex ſit, & quomodo fiat. 133. *ſeqq.* privilegia Regularium à SS. PP. conceſſa ſolus per ſe poteſt interpretari S. Pontifex. 134. & non per ſe Congregationes Cardinalium, niſi conſulto priùs S. Pontifice. 136. neque Epiſcopi aliique Prælati Eccleſiaſtici. 140. Canonici, aliique Regulares habent poteſtatem privilegia ſua in favorem animarum largiſſimè interpretandi. 141. Doctores, aliique viri SS. Canonum ac Juris periti poſſunt quidem privilegia interpretari, ſed doctrinaliter tantùm ac magiſtraliter, non autem authoritativè & ſecundùm Juris rigorem. 142. in quavis interpretatione Privilegiorum ad quas regulas attendendum. 144. privilegia purè favorabilia latè ſunt interpretanda. 145. privilegia verò tertio præjudicioſa ſunt ſtrictæ interpretationis. 147. idem eſt de privilegiis in materia ambitioſa & ſcandaloſa. 149. vid. *Pontifex.*

Privilegii Renunciatio. vid. *Privilegii Amiſſio.*

Privilegii Revocatio.

Revocatio Privilegii quotuplex? 161. revocari poſſunt à Principe vel ejus ſucceſſore privilegia merè gratioſa ſubdito conceſſa. 168. non verò non ſubdito conceſſa. 169. non poſſunt etiam revocari privilegia remuneratoria. 170. neque conventionalia. 171. poſſunt tamen revocari privilegia à S. Pontifice Regularibus ſine onere conceſſa. 174. non verò ejuſmodi privilegia oneroſa. 178. an ad illorum revocationem requiratur ſpecialis mentio,

ſeu clauſula. 180. an ſpecialis intimatio, ut conſtet de hac revocatione. 184. privilegia à S. Pontifice Regularibus conceſſa nec Epiſcopus nec Prælatus revocare aut reſtringere poteſt. 188. nec Imperator, Rex &c. licèt à ſe conceſſa. 193. in quibus Conciliis varia privilegia Regularibus revocata ſint. 195. an etiam Canonicis Regularibus Congreg. Lateranenſis in Concil. Lateranenſi. 196. aut in Tridentino. 199. ſaltem ſi hujus Concilii decretis adverſantur. 200. vel ante illud fuerunt conceſſa. 204. privilegiis ſuis, per Tridentinum revocatis, Regulares uti non poſſunt in conſcientia. 214. an privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa aut aliàs per Officiales S. Pontificis authentizata ſint revocata à 221. usque 227. an etiam privilegia primitus vivæ vocis oraculo conceſſa, ſed poſteà per Bullas Pontificias confirmata, à 228. usque 245. an etiam revocatum ſit Privilegium uni v. g. Religioni per Bullam conceſſum, alteri autem oraculo communicatum. 246. an denique revocata ſint privilegia per ſimplicem ſignaturam conceſſa. 247.

Privilegii Uſus.

Utendum privilegiis nec temerè, nec timidè. 151. nemo tenetur uti privilegio ſingulariter ſibi conceſſo. *ibid.* privilegio tamen Communi tenentur omnes uti. 152. quando privilegiatus uti poſſit ſuo privilegio adverſus alterum pariter Privilegiatū. 153. Regulares participantes Ordinis alterius privilegia poſſunt iisdem uti contra eundem Ordinem. 155. poſſunt etiam uti ſuis privilegiis contra alios quoscunque Papâ inferiores. 157. an ubique & in omni loco. 158. non uſus Privilegiorum quomodo accipi & fieri poſſit. 272. vid. *Privilegii amiſſio.*

R.

Reconciliare.

Reconciliare Eccleſias pollutas quis poſſit. 450. vid. *Eccleſia.*

Regula.

Regulæ interpretandi privilegia quales ſint potiſſimæ. 144. vid. *Privilegii interpretatio.*

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum an ſemper recondi debeant in altaribus. 470.

Reſcriptum.

Reſcriptum juſtitiæ & gratiæ quid. 255. Reſcriptum juſtitiæ exſpirat morte concedentis tam civili, quàm naturali, re adhuc integra. 257.

Revocatio Privilegii. vid. *Privilegii Revocatio.*

Rochetum.

Rochetum quid, & quibus portare liceat. 293. vocatur etiam *Camiſia Romana*, & *ſubtile.* 298. Canonici Regulares, eorúmque Prælati poſſunt, ac debent deferre Rochetum tanquam habitum proprium. 296. Rochetum eſt habi-

tus

tus antiquiſſimus & proprius Apoſtolis. 299. quomodò ſit formatum. 300.

S.

Sandalia.

Sandalia Pontificalia quid ſint, & quomodò aliàs vocentur. 321. quid ſignificent in ſenſu morali. 330.

Sarrocium.

Sarrocium quænam veſtis Canonicorum Regularium, & quomodò aliàs vocetur. 298.

Simonia.

Simonia quot modis committatur, & quis poſſit ab illa abſolvere. 549.

Societas.

Societas JEſu. 77. in hujus privilegiis communicant alii Ordines etiam Canonicorum Regularium. 85. & *ſeqq.* etiam ſine licentia Generalis. 89. inter privilegia Soc. JEſu & aliarum Religionum nulla eſt paritas quoad revocationem & reſtrictionem eorundem. 192.

Subdiaconatus. vid. *Ordines majores.*

Superiores. vid. *Prælatus.*

Suſpenſio. vid. *Cenſura.*

T.

Tempus.

Tempus requiſitum ad conferendos Ordines minores, & primam Tonſuram. 391. & ad Ordines majores. 409. an Ordines majores Regularibus conferri poſſint extra tempora. *ibid.* & *ſeqq.* vid. *Ordines majores.*

Toga Talaris.

Toga Talaris quænam veſtis Sacerdotalis. 295.

Tonſura.

Tonſuram primam an poſſint conferre Prælati. 355.

Tunica.

Tunica ſeu Tunicella Pontificalis quid ſit. 321. & quid ſignificet in ſenſu morali. 330.

V.

Voti Commutatio.

Commutatio in votis quid. 893. differentia inter commutationem, diſpenſationem, & irritationem votorum. 894. poteſt quilibet propria authoritate commutare votum in rem evidenter meliorem. 894. non tamen in votum evidenter æquale. 896. regulæ pro conſtituenda morali æqualitate inter rem voto promiſſam, & materiam ſubrogandam. 897. quænam cauſa ſit ſufficiens pro facienda commutatione voti. 899. poſſunt Canonici Regulares vota ſæcularium, (uti etiam vota ſuorum Religioſorum. 713. licet Juramento firmata. 714.) commutare non tantùm in melius, & æquale, ſed etiam in minus bonum. 901. exceptis tantummodo votis S. Pontifici ſpecialiter reſervatis. 902. quin imo

imò poſſunt etiam hæc vota commutare ſub ea ratione, ſub qua poſſunt Epiſcopi jure ordinario. 904. utrùm aliquis habens poteſtatem generalem commutandi aut diſpenſandi, poſſit quoque ſuum commutare votum, aut in eo ſecum ipſo diſpenſare. 903. item an vovens propria authoritate poſſit redire ad materiam promiſſam etiam poſt factam & acceptatam commutationem. 905. *ſeqq.*

Voti Diſpenſatio.

Diſpenſatio voti quid ſit. 702. 908. & qualis ad eam poteſtas requiratur. 704. diſpenſatio voti alia eſt *expreſſa* alia *tacita.* 703. poſſunt Prælati in votis ſuorum Religioſorum diſpenſare. 705. etiam cum illis, qui voverunt ingredi ſtrictiorem Religionem. 710. ita ut ingredi & tenere liceat laxiorem. 712. dividitur diſpenſatio in *totalem* & *partialem.* 908. quales cauſæ ad eam requirantur. 909. *ſeqq.* Can. Regulares diſpenſare poſſunt cum quibuslibet ſæcularibus in omnibus & ſingulis votis ab illis emiſſis, exceptis quinque S. Pontifici ſpecialiter reſervatis. 915. quænam ſint illa vota. 916. poſſunt etiam in iſtis quinque votis diſpenſare, cauſu quo non ſunt propriè dicta aut perfecta. 917. item quando ſunt dubia. 918. vel conditionata. 919. vel diſsjunctiva & alternativa. 123. item quando non ſunt quoad ſubſtantiam perfecta atque integra, ſed partialia tantùm. 924. *ſeqq.* vel denique in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis, quo periculum eſt in mora, nec adiri poteſt S. Pontifex. 929. *ſeqq.*

Voti Irritatio.

Irritatio voti quid & quotuplex. 688. vota ſuorum Religioſorum irritare poſſunt Prælati, qualia & quomodo. 690. *ſeqq.* etiam ſine cauſa. 693. & ſubditis invitis. 694. & conceſſâ licèt priùs votum faciendi licentiâ, aut facta votum non irritandi promiſſione. 696. an ad irritandum votum cum licentia ſuperioris factum requiratur juſta cauſa. 697. quando cenſeatur ſuperior dare licentiam totaliter vovendi, ut votum nequeat ſine cauſa irritare. 699. quo ad ſui irritationem votum & Juramentum pari paſſu ambulant. 791. an vota ſemel irritata reviviſcant decedente præſertim Prælato. 700.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google